I
421

7
9 K
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

81.3.15
81
E
15
8-3.E.1

JOANNIS LABARDÆI

MATROLARUM AD SEQUANAM MARCHIONIS, REGIS AD HELVETIOS ET RHÆTOS EXTRA ORDINEM LEGATI,

DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM LIBRI DECEM,

AB ANNO 1643. AD ANNUM 1652.



PARISIIS,
Apud DIONYSIUM THIERRY, viâ Jacobæâ, ſub ſigno Urbis Lutetiæ.

M. DC. LXXI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Bibliothecæ Coll. Soci. Jesu Romi
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SACRÆ,

ATQUE AUGUSTISSIMÆ MAJESTATI

LUDOVICI XIV.

GALLIARUM

ET NAVARRÆ

REGIS CHRISTIANISSIMI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DEVM immortalem (Rex Ludovice) ſicutì Maximum, ita & Optimum eſſe ſcimus : documentô mortalibus , qui cæteris majores ſint , eos & meliores eſſe debere. Id adeò ad Reges pertinet , qui omnes alios homines dignitate longè antecellunt. Quin & hos Deum ſui ſimillimos eſſe vo-

luiſſe vel ex eo exiſtimandi copia eſt; quòd & Regis nomen ſibi uni proprium, & potentiæ ſuæ in nos, atque Imperii partem cum ipſis communicavit.

At non eâ modò causâ Reges Deo ſimiles eſſe cenſebimus: ſed & ſi prætereà bonitatis ejus æquè, ac potentiæ participes ſint: ita ut ad illius normam, quam divinis legibus ſuis nobis tradidit, horum mores, atque omnis vitæ ratio componantur: hæc enim illa eſt ſui ſimilitudo, atque imago, ad quam hominem ſeſe formaturum edixit, & quæ ubi primo omnium ſcelere fœdata, atque labefactata eſt, ibi ille ab poteſtate, & Imperio, quod huic Deus ſuper omnibus ab ſe creatis tradiderat, ſtatim excidit. Quod cùm ita ſit, quantùm Reges ab omni pravitate alienos eſſe deceat, clariſſimum eſt: neque verè ſenſiſſe eos, qui jus ipſum violare regnandi causâ licere ſunt arbitrati. Ita enim regnum ſceleris præmium eſſet, quod cùm iis artibus, quibus initiò partum

eſt, retineri ſoleat, neceſſe eſſet, uti perpetuis ſceleribus retineretur. Sed hæc perpetrando in miſerrimam incidimus ſervitutem, quâ nihil magis regno contrarium eſt. Id vel ipſi qui Chriſtianæ veritatis expertes fuère, haud ignoraverunt, ubi ſolos bonos liberos eſſe dixère. Sed horum unus Imperium ſemper ad optimum quemque, ab minùs bono transferri rectiſſimè dixiſſe videtur, atque adeò ſenſiſſe nullam magis virtutem Regibus convenire quàm Bonitatem: quæ nimirum cæteras omnes complectitur, atque homines tam ſimiles Deo reddit, ut hâc fretos in regni æterni ſocietatem cum ipſo venire certò credamus.

Hanc virtutem in te Rex omnes agnoſcunt, & quia ea eſt, quæ in tanto Principe debet eſſe, magnoperè admirantur, non ſegnem videlicet, non deſidem, non humilem, qualis in ignavis quandoque Principibus, atque adeò haud vera ſolet eſſe, ſed ſicuti divinam, quâ omnis hic mundus

perpetuò gubernatur, ac regitur, agentem, ac molientem. Tu enim quæ pace, ac bello Reipublicæ procedant, providere, atque agere non deſinis; quæ ad cives per mercaturam, per varia textilium genera, per longinquas navigationes conlocupletandos; quæ ad jus ex breviori formulâ, ac minore litigantium ſumptu dicundum; quæ ad copias in omni militari ratione, ac bellicâ diſciplinâ exercendas, confirmandaſque pertinent. Tu denique ſummam ærarii inopiam præteritorum temporum iniquitate contractam, quæ grandi ære alieno conflato, & oppigneratis vectigalibus, tributis, ác cæteris regiis fructibus, per multos annos duratura videbatur, brevì præter omnium ſpem ſuſtuliſti, & pro hàc copiam propè incredibilem habes: poſtremò de republicâ cogitandi, conſulendi, agendi nullum tempus intermittis, nec te quod ad hanc augendam, ornandamque pertineat, quidquam fugit.

Sed præterea tu rebus cujuſque privatis conſulere poſthàc velle viſus es, ubi ſingulorum civium poſtulata ſcripto ad te ipſum, vel ab infimis perferri juſſiſti, ut & ſi quid coràm dicendum habeant, id liberè facere poſſint, quod certè in tanto Principe, ac tot, tantiſque negotiis circumvallato, perrarum bonitatis exemplum eſt. Ex eo te non magis illis Regem, quàm Patrem eſſe velle ſentiunt, quod & nomen adversùm ſe homines uſurpare Deus ipſe mirificè delectatur. Certè ſi hos filiorum loco habueris, fortunis eorum conſulendo, hos te viciſſim Patris, ac Dei loco, cujus apud nos vicem geris, habere æquum eſt: quâ re ad fidei erga te firmitatem nihil validius eſſe poteſt. Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, verùm amici, quos maximè bonitate paraveris. Omnium fermè rerum Regibus copia eſt, amicorum neque his, neque aliis nimium uſquam fuit.

Sed quæ uſquè geſſiſti, geſturuſque es

digna laude, ac memoriâ ſempiternâ, ea qui poſteritati tradant, non defuturos credo: id verò te meminiſſe velim, quantavis fuerint, tamen apud poſteros tanta habitum iri, quantùm hæc orationis dignitate exæquare potuerint præclara ingenia, atque his ſcribendis magis idoneos futuros qui in republicâ verſati fuerint.

Ego intereà quæ de Principatûs tui initiis ſcripſi, ea tibi Rex dicare, atque conſecrare me debere ſentio, cui me ipſum jamdiù continuò data tibi opera dicavit. Horum varietas, pericula, caſus, adverſa, proſpera, Annæ Auguſtæ optimæ matris tuæ memoriam illuſtrabunt: neque enim hæc varietas prohibuit, quo minùs per pueritiam tuam cùm in Procuratione Regni eſſet, ita rempublicam geſſerit, ut id multo quàm acceperat amplius tibi tradiderit.

Quæ autem poſteà geſſiſti, ea ſuprà quàm dici poſſit magnifica, atque excelſa

ſunt:

ſunt: nam cum tibi ætas vixdum militiæ patiens eſſet, hujus tyrocinium in victoriis, & triumphis poſuiſti, & ni regiæ Virginis formâ, atque omni virtutum quibus ornata eſt, genere fretus Amor, arma victrici dexteræ tuæ detraxiſſet, vix quidquam reliqui victis futurum fuiſſe videtur. Sed idem hæc ipſe tibi reddidit, uti quam duxiſti tùm uxorem, eam in bonorum ſuorum ſicuti neceſſe fuit, poſſeſſionem mitteres. Id certè ita facere cœpiſti, uti quæ ſingulis per prius bellum æſtivis fieri ſolebant, longè ſuperaveris. Tunc enim unum, aut alterum oppidum capere operæpretium fuit, tu plures Belgii opulentiſſimas Vrbes, cum ampliſſimâ circum regione in ditionem tuam, poteſtatemque redegiſti. Sed qui finis æſtivis, non is tibi moliundi, atque agendi fuit: neque hyems, quam anni tempeſtatem natura otio, ac quieti dicavit, eam attulit virtuti tuæ, quæ certè ſuprà ipſam naturam eſt. Igitur paulùm requietos milites ex hy-

bernis in expeditionem evocaſti, Sequanorum fines ingreſſus es, pleraque oppida naturâ; alia opere munita ſtatim deditionem fecère, Dolla ipſa caput gentis, diu antehàc ſed fruſtrà ingenti belli mole oppugnata, ubi quantâ virtute, quantiſque animis idem abs te gereretur, per biduum modò ſenſit, excidio ſuo deditione prævertendum rectè eſt arbitrata. Ita confectâ diebus omninò decem quàm tibi propoſueras provinciâ, victor ad nos reverſus es, atque adeò tibi triumphanti urbem inire licuit. Sed hæc Imperatoribus Romanis perdomitâ hujuſcemodi provinciâ ampla merces viſa; tibi verò ne Orbis quidem terrarum provincia nimis ampla, neque merces ulla ſatis digna pro virtute eſſe poteſt, quam ſi eadem porrò fortuna, atque celeritas comitabitur, illum quantuſcumque eſt, maturè ſubegeris: neque enim tibi quiſquam modum facere poſſe videtur, præter Vnum Te, ubi videlicet Te ipſum aliorum victorem vincere vo-

lueris : quæ profectò victoria cæteris omnibus præclarior eſt. Nam qui cæteros multi, qui ſe ipſos vicerint, pauci fuère. Sed nunc de tuis rebus amplius dicere non eſt conſilium, quamobrem finem faciam, uti quæ de Principatûs tui primordiis ſcripſi, ea legendi, qui voluerint; initium facere poſſint. Vale.

Lutetiâ Pariſiorum Calend. April. CIↃ. IↃC. LXVIII.

SVMMA PRIVILEGII REGIS *Chriſtianiſſimi.*

LUDOVICUS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Privilegio ſanxit, ne quis per univerſos Regnorum ſuorum fines, intra decem annos à die perfectæ primæ editionis computandos imprimat, diſtribuat, aut alibi excuſum venalem habeat Librum, etiam gallicè verſum, qui inſcribitur JOANNIS LABARDÆI *Matrolarum ad Sequanam Marchionis de Rebus Gallicis hiſtoriarum libri decem ab anno* 1643. *ad annum* 1652. præter DIONYSIUM THIERRY, & CLAUDIUM BARBIN, Bibliopolas Pariſienſes, in quorum gratiam dictus D. LABARDÆUS ceſſit jure ſuo. Qui ſecus fecerit librorum confiſcatione, & pœnis ſtatutis in Diplomate Regio, mulctabitur. Datum Pariſiis, die decima Martii 1669. Signatum, LE GROS. De mandato Regis.

In publicas Bibliopolarum, ac Typographorum Pariſienſium Societatis tabulas relatum, menſe Aprili 1670. *Signatum,* ANDRÆAS SOUBRON, *Syndicus.*

Hæc prima editio abſoluta fuit die ultima Octobris 1670.

JOANNIS

JOAN· LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER PRIMUS.

EPITOME.

QVid Ludovicus XIII. de Richelii morte ſenſerit. Julius Mazarinus tunc primùm in Conſilium de Republica ab Ludovico adbibitus. De Chavignio, Nucerio, Buthillerio, Seguiero Cancellario. Angiani, & Mazarini uter alterum præiret controverſia. Gaſtonis in Aulam reditus. Eberſteini Monachi ad Aulam adventus, miſſi ab Trautmanſtorſio explorandis Aulæ poſt Richelii obitum conſiliis. Montacuti Angli item adventus, hic fautor Mazarino apud Reginam. Vitrius, Baſſomperæus, Carmainus cuſtodiâ emiſſi. Fontenaii Marchionis apud Pontificem Regis Legati ab Roma ſeceſſio. Hyberna expeditio in Catalonia. Inter Vrbanum Pontificem, atque Odoardum Farneſium Parmæ Ducem de Caſtro oppido bellum. Hiſpani Dertonam in Italia, Thomas Princeps Aſtæ villam novam recipiunt. Longavilla, & Avauxius de Pace Legati in Germaniam deſtinantur: de Chavignio qui & eo legaretur facta mentio. Nucerius Aulâ pulſus. Tellierius huic ſuffectus in Quatuorviratu. Hoſpitalio Campania, Lenuncurio Lotaringia decernuntur, Angiano Belgium cum exercitu. Morbus Ludovici Regis. Edicto Regni Procurationem Reginæ uxori tribuit per filii pueritiam. Ludovicus moritur. Bellovacenſis Epiſcopus, & Belfortius apud Reginam gratiâ valent. Ludovicus XIV. cum Anna Regina matre in Senatum venit. Quid eo decretum. Mazarinus apud Reginam omnibus gratiâ potior denique fuit. Abrogata Buthillerio ſumma Quæſtura. Rupes regia ab Hiſpanis oppugnatur. De his Angiani victoria. Margaritæ Lotaringæ Gaſtonis uxoris ad Aulam ab Bruxellis adventus, atque eorum celebratæ denuò nuptiæ. Almericus Contratabularius creatus. Bailleulio, & Avauxio ſumma Quæſtura mandata. Quatuorviratum Chavignius abdicat, quem Regina Lomenio Briennæ mandat. Reditus Mariæ 1643.

1643. *Robanæ Mombaſonæ Caproſi uxoris ad Aulam. Caſtronovanus Montem rubeum ſuum altero ab urbe lapide advenit. Robana Mombaſona ut hic ad Reginam adire poſſit fruſtra operam dat, contra nitente Mazarino. Cogneuxii Præſidis ad urbem, atque in Senatum reditus. Diplomata ab Imperatore miſſa, quò Regis Legati tutò Monaſterium Veſtphalorum ire poſſent. Angianus Theodonisvillam oppugnat. Ellebovius capitis antehac ab Divionenſi Curia damnatus, Senatûs decreto abſolvitur, atque huic Picardia Provincia redditur. Quid in Italia geſtum. Navalis Brezæi cum Hiſpanis pugna. Philippi Hiſpaniæ Regis ad Cæſaraugustam adventus. Flixium fruſtra Hiſpani tentant. Monſonem oppugnant, ac redigunt ad deditionem. Guebrianus in Germania Rotveilam oppugnat, atque ad deditionem redigit, dein ex vulnere moritur. Stativa Gallorum apud Dutlingam oppugnata, captique propè omnes cum Ramſavio. Turenæ Germania Provincia cum exercitu decreta. Gaſſio Equitum Tribunus creatus. Belfortius in cuſtodiam apud Vincennas conjectus. Bellovacenſis Aulâ pulſus. Servianus Legatus cum Longavilla, & Avauxio in Germaniam de pace deſtinatus. Bellum Suecos inter, & Danos. Suecorum cum Racocio Tranſſilvaniæ Regulo fœdus, cui Regem adſcribunt. Valencæus Gallus, Lugo Hiſpanus Cardinales Romæ creati.*

POSTQVAM ab negotiis, in quibus per adoleſcentiam verſatus ſum, fortuna me Principatûs hujus initio ad otium traduxit, hoc ita utendum decrevi, uti quemadmodum opera noſtra nonnihil reipublicæ uſque proceſſit, ita & illud huic haud inutile videatur. Quamobrem ſtatui quæ poſthac memoriâ digna evenient, ea poſteritati tradere, ſi modo nobis hujuſcemodi ſcribendi genus erit, quo ab oblivione vindicari poſſint: non enim hominibus mediocre ad res præclarè gerendas incitamentum eſt, ſi ſperaverint earum memoriam fore ſempiternam.

a Armand Jean du Pleſſis de Richelieu.

UBI *a* Armandus Joannes Pleſſius Richelius Cardinalis diem ſuum obierat, vir tantæ virtutis, ac famæ, quantam poſt hominum memoriam meritò conſecutus eſt nemo: primùm ſicuti par erat, Ludovicus XIII. Rex talis hujus viri deſiderium iniquo, at conſtanti animo ferre: primores, plebeſque mœſtitiam Regis ex ingenio ſuo imitari. Poſt ubi corpus elatum, atque communis hominum fati miſericordia mentibus deceſſerat, ibi verò mortuo tanto acriùs maledicere, quantò magis vivum metuerant. Id eò fiebat, quòd magnas cum Principibus viris pro Republica inimicitias ſuſceperat, nec ea ſtrenuè, ac fortiter geri domi, foriſque potuerat, quin plebes vectigalibus premeretur: ſed hæc, atque illi æquè Richelio infenſi dum viveret, odium ſuppreſſerant, quòd poſt ejus mortem denique erupit, cùm neque huic, neque ipſis quidquam nocere poſſet. Haud ingratum fuit Regi, quidquid utrique antehac ſibi malè factum fuiſſe credebant, id eos Richelio tribuere, quò faciliùs adductus eſt, ut hunc è vivis ſubla-

tum ægrè ferre deſineret: nam carmina adverſùm hunc in vulgus edita cantitavit, ſicuti dempto ſeverioris diſciplinæ magiſtro gaudium, atque lætitiam agitaret. Et quod dicendum hîc ſit, poſt ſumptum de Henrico *a* Ruſæo Quinquemartio, & de Franciſco Auguſto *b* Thuano ſupplicium, Richelius cum Ludovico acerbiùs quàm decebat cum Rege, egerat: quibus ob virtutem, & audaciam fidebat maximè, eos abigi importunè flagitando, ut ne horum opera ſi quid fortè ex Regum ingenio de ſe graviùs conſuleret, ad id patrandum uti poſſet. Fuère enim qui ita exiſtimarent, Ludovicum de Richelii cæde ubi ad Narbonem anno proximo decreta profectio fuerat, Quinquemartio auſcultaſſe: dein ubi patranda fuerat, religione impeditum animum, quoniam ille Sacerdos, Epiſcopus, & Cardinalis erat, ab tanto facinore abhorruiſſe. 1643.

a Ruzé de Cinq-Mars
b De Thou.

Omnia tamen quæ Richelius moriens conſtituerat, de Provinciis, Oppidis, Arcibus, Præfecturis, Sacerdotiis, quæ ipſe obtinebat, Ludovico rata, atque firma fuère: ſeu id tantæ hominis virtuti, magniſque in ſe, atque in rem publicam meritis tribuebat; ſeu ſatis magnum ſe in ejus ſola morte lucrum feciſſe arbitrabatur. *c* Carolo Portæo Melleraio Britannia, *d* Armando Maillæo Brezæo Rei Navalis Præfectura, præterea *e* Broagium, Rupellæ cum vicino agro, Rea, atque Olerona inſulæ quibus Præfectus eſſet, datæ: Armando *f* Vignerotio Poncurlaio navium longarum Præfectura, Portus Gratiæ Arx, atque oppidum ad Sequanæ oſtia, & Oceanum poſita: Sacerdotia hujus fratri minori data.

c Le Mareſchal de la Melleraye.
d Le Marquis de Brezé Maillé.
e Brouage, la Rochelle.
f Vignerot Marquis de Pont de Courlay.

Richelius duos Teſtamento ſcripſit hæredes, Armandum Vignerotium qui Franciſcæ ſororis nepos, atque Armandum Maillæum Brezæum qui Nicolaæ filius erat. Illi *g* Richelianum prædium, huic *h* Fronſacum cum aliis utrique bonis attribuit, quæ poſteà utriuſque filiis natu majoribus, dein eadem ſerie nepotibus obvenirent: ſi altera gens deficeret, Richeliana quæ poſſediſſet bona ad alteram tranſirent, atque cæteris in majore natu conjungerentur, is Richelianum nomen, atque inſignia perpetuò gereret. *i* Mariæ Vignerotiæ Aquiloniæ quæ ipſi ſororis filia, Vignerotio amita erat, Lucemburgenſes ſuas Ædes in D. Germani Suburbio, Ruellium altero ab Urbe lapide Rus nobile, atque amœnum, atque alia item legavit: hæc Richelio erat cariſſima, atque hujus honoris cauſa maximè Vignerotium delegerat, in quem omnem quam Richeliorum nomini addiderat gloriam transfunderet. Regi denique legavit ſuas apud urbem ædes, cum pleraque quæ in illis erat ſupellectili, magnam argenti cælati vim, præterea gemmam inſignem.

g Le Duché de Richelieu.
h Le Duché de Fronſac.
i La Ducheſſe d'Aiguillon.

Armando Brezæo Clara Clementia ſoror erat, *k* Ludovico Borbonio Angiano nupta, cui ab Richelio Avunculo per nuptiarum pacta dos ſatis ampla dicta, cautumque fuerat, ut ea dote contenta nullam prætereà in avunculi bonis haberet partem. Ludovico tamen, atque *l* Henrico Borbonio Condæo patri nonnulla ſpes fuerat, Richelium haud permanſurum in hac ſententia, cui longè glorioſiſſimum videri debere

k Le Duc d'Anguien.
l Le Prince de Condé.

1643. arbitrabantur, ſororis filiam per has nuptias in Borboniorum regiam familiam tranſiiſſe; ſed homini virtute, & rerum geſtarum gloriâ, gratiâ, atque potentiâ pollenti, præterea ab ipſo Rege (ſi fas eſt dicere) nedum ab Principibus viris coli, atque obſervari ſueto, hæ nuptiæ, atque ea affinitas haud tanti quàm par erat viſa, vel ex eo maximè, quòd eas Condæus cupidiùs expetiverat, gratiæ plus æquo ſerviens. Itaque Richelius nihil Brezææ doti Teſtamento addidit: id autore Aquilonia factum Condæus ſuſpicatus, graves cum ea poſthac inimicitias exercuit, neque maledictis in mulierem temperavit.

Cæterùm mortuo Richelio, cui Ludovicus omnem propè rem publicam permiſerat, hanc ſibi nunc omninò ſuſcipiendam, capeſſendamque eſſe conſtituit. Eò frequentiùs habita Conſilia, quibus tunc primùm Julius *a* Mazarinus Cardinalis adhibitus eſt. Hic homo Romanus ob ingenii multa bona, magnaque in Galliam merita, civitate ante triennium ab Ludovico donatus fuerat, præterea hujus commendatione Cardinalis Romæ creatus. Jamdiu Reges noſtri Cardinalibus in adminiſtranda Republica multùm fidei habuêre, nam hanc propinquis permittere fortaſſe religio fuit, ut ne gratia, atque potentia generi conjuncta tranſverſos ageret. Cardinales is gradus viris etiam è regia gente Principibus exæquat, quò fit ut in his ad ſumma quæque gerenda ſatis dignitatis ſit, genus verò quod tametſi quandoque ſummum, haud unquam ferme regium eſt, præterea ordo Eccleſiaſticus regnandi ſpem ſi qua in pravo ſuapte naturâ ingenio naſceretur, prorſus adimat. Ex hac Regum, ac Ludovici maximè diſciplina Mazarinus in Richelii locum ſuffectus videbatur: quia tamen Rex quid de Richelio ſentiret palam fecerat, naviter Mazarinus operam dedit, ut ne Ludovico ſuſpicio incideret, ſeſe eamdem gratiæ, atque potentiæ famam expetere.

a Le Cardinal Mazarin.

Leoni Buthillerio *b* Chavignio, & Franciſco *c* Subleto Nucerio magna apud Ludovicum fides erat, quorum ille negotia Regni quæ foris agenda, hic bellica procurabat, ambo maximarum rerum quæ pridem geſtæ fuerant, Richelio adjutores, atque adeò qui in iiſdem negotiis porrò verſarentur, ab Ludovico digni habiti. Sed diverſiſſima inter eos omnia fuêre, quæ ex utriuſque in Richelium cultu, atque obſervantiâ æſtimare facile eſt. Nucerius corpore puſillus parva item, levia, & tenuia agitare, quin & quandoque ſervilibus officiis intentus multa haud ſatis ſeſe digna, modò ut ad Richelium attinerent, curare, aut facere; huic cuncta obſequi, quæ diceret, faceretve, ea omnia juxta admirari. Interea quæ vulgi oculis objiceret ædificationes regias, auri argentique fabricam novam, Typographiam item regiam inſtituere, quò frequentior apud plebem ſui mentio foret, quibus rebus magis, quàm ingenii viribus famam quærebat. Complures reipublicæ ſpecie dimittebat in provincias ſua diſciplina imbutos adoleſcentes, qui nomen Patroni, gratiam potentiamque prædicarent, ipſis provinciarum Præſidibus, atque aliis graves, quibus illos minùs coluiſſe apud Nucerium ſæpiùs fraudi fuit. At Chavignio cuncta excelſa, mens, animus, mores,

b Bouthillier Comte de Chavigny.
c Sublet de Noyers.

tota denique vitæ conſuetudo, magnarum rerum peritia, dicendi, ſcribendique genus eximium, integra cum amicis juxtà, & inimicis fides, ad hoc præclara facies, vis, & magnitudo corporis, præterea divitiæ, atque alia optanda bonis ſuperabant. Quibus rebus tam carus, acceptuſque Richelio fuit, uti ſibi aſſiduitate apud eum minùs opus eſſe cenſeret: huic nuſquam niſi in republica dabat operam, liberè in omnibus quæ ſentiret dictitans, nec falſam gratiam inire ſtudens. Cupidus erat voluptatum, quibus honeſtis inter negotia ſpatium erat: nam in Regis Conſilio, aut apud Richelium de omni republica ſententiam dicendi, & cum Legatis agendi partes ſibi ſumpſerat, quæ ſcribenda erant in iis aliena opera utebatur. 1643.

Sed inter Chavignium, & Nucerium per Richelii tempora fuêre ſimultates, annitente Nucerio per ſuos in Aula, atque in Urbe, præterea in provinciis clientes, uti primas apud Richelium partes habere videretur: per eaſdem ſibi Cardinalatum deſtinari ſpargebat in vulgus, tametſi hunc Rex primùm [a] Joſepho Clerico Tremblaio Capucino ab Pontifice petiverat, qui poſtea eſt in Mazarinum collatus. Sed vivente Joſepho, cui vitæ finem adeſſe ſenectus ſatis indicabat, Nucerius dabat operam, uti Richelio veniret in mentem hunc Cardinalem facere, rationemque inibat, quò id ipſe nuſquam affectaſſe videretur, atque Richelius eò ſe ſua ſponte adduci crederet: quod quidem fieri poſſe arbitrabatur, ſi ad hunc permanaret fama, ipſum ab omnibus idoneum, atque dignum haberi, qui Cardinalis crearetur: nam tametſi non erat ex Ordine Eccleſiaſtico, tamen cælibem vitam, pietatémque colebat impenſiùs. Sed hæc de Cardinalatu ab Nucerio excogitata vivente Richelio fruſtra fuerant; eo verò mortuo idem porrò molitus eſt: neque jam Chavignium, quem gratia atque potentia anteiret, ſed ipſum reſpiciebat Mazarinum. Hunc advenam, ac nuper civitate donatum, & Cardinalem creatum ſi eumdem honorem aſſequeretur, facilè ab ſe ſuperari poſſe. Erat Regi Confeſſarius Jacobus [b] Sirmundus Jeſuita, vir pietatis eximiæ, atque doctrinæ, cujus operâ Nucerius ad Cardinalatum pervenire conſtituit. Igitur hujus conſilii, ac ſpei plenus vitæ ſanctitatem arctiùs colere, Regi in precum libris inſtituendis, cui rei tum ſtudebat, multus adeſſe, Conſilio de republica habito ſolus ex Adminiſtris cum eo manere, atque unà recitare cum Eccleſiaſticis preces, quibus rebus efficere ſe poſſe ſperabat, uti denique ab eo de Cardinalatu impetraret.

[a] Le Pere Ioſeph.

[b] Le Pere Simond.

Hæc atque alia hujuſcemodi Mazarinum impulêre, uti de abigendo Nucerio conſilium caperet: quin & idem de Chavignio decreviſſe plerique exiſtimavêre; nam quamdiù ambo in Aula forent longo rerum uſu cogniti Ludouico, probatique, vix ſe primum apud hunc gratiæ, atque fidei locum habere poſſe credebat. Nucerium quoquo modo pellere nihil penſi habebat. Chavignium verò, cujus maxima erant in ſe merita, non ejiciendum quidem, ſed tantiſper honorificentiſſimæ Legationis ſpecie procul habendum eſſe conſtituit: quæ uti pararet,

1643. atque perficeret, aliquanto tempore, magniſque opportunitatibus opus habebat.

a Bouthillier. Sur-Intendant des Finances.

b Claude Bullion.

Chavignio pater erat Claudius *a* Buthillerius regni Quæſtor ſummus, poſtquam Quatuorviratum quem Leo filius gereret, dudùm abdicaverat, atque in hoc Magiſtratu Regi, atque Reipublicæ egregiam navaverat operam: ſummam deinde Quæſturam cum Claudio *b* Bullione, validi ac propè ferocis ingenii viro per decennium geſſerat, ita ut cuncta ex hujus voluntate faciunda eſſent: poſtea ipſe unus per triennium hunc Magiſtratum geſſit, magna cum probitatis atque integritatis fama, quam ipſi denique fraudi fuiſſe plerique exiſtimavêre: nam id obſtabat, quominus alii per rei publicæ damna familiari augendæ, ut fere fit, operam darent; quamobrem huic ſummam Quæſturam abrogatam volebant.

Igitur hàc hominem pellere aggreſſi ſunt, atque id filii voluntate fieri poſſe videbatur. Ipſi adeò atque uxori perſuadere nitebantur, horum maximà intereſſe, uti Buthillerius ſummam Quæſturam abdicaret: *Hunc neque ſibi, aut ſuis, neque aliis conſulere ſatis ſcire, longè præſtare alium ex amicis, & clientibus Chavignii hunc gerere Magiſtratum ex voluntate Patroni.* Præterea dictitabant *in novo Principatu, quem infirma Regis valetudo portendebat, difficiliora omnia fore: nam per Regis filii pueritiam Principes viros omnem ſibi regiam pecuniam expetituros, quæ ſi non dabitur, vectigalia, portoria, tributa in provinciis quas obtinent, interverſuros, ut ægrè denique Regis, & rei publicæ ſumptibus ſuppeditari poſſe videatur, niſi ſi corrogandæ pecuniæ pleraque fiant inſolita, quæ vix Buthillerius incipere auſit, aut velit.* His atque aliis hujuſcemodi ſermonibus permotus Chavignius patri ſuadere conabatur, uti ſummam Quæſturam abdicaret, neque id pro amicitia celabat Mazarinum: Buthillerius verò qui nihil videret, quamobrem quiſquam rectiùs etiam difficillimis quæ impendere videbantur temporibus, ſummam gerere Quæſturam poſſet, nuſquam adducebatur, ut in hac abdicanda filio morem gerere vellet. Cæterùm ea eſt ſumma Regni Quæſtura, quam vix quiſquam lubens deponat. Apud Chavignium ea tempeſtate multus erat, frequenſque *c* Renatus Longolius Maiſonius, in Senatu Præſes, illi dudùm amicus ac familiaris, cui ſummam Quæſturam mandari voluiſſet, quæ Chavignii ſententia Jacobo *d* Thubovio maximè probabatur. Is unus è minoribus *e* Quæſtoribus eſt, cujus opera primùm *f* Antonius Ruzæus Effiatus, dein Bullio, atque unà Buthillerius, ac poſtremò hic ſolus in ſumma Quæſtura gerenda uſi ſunt, qui item apud Chavignium frequens erat.

c Le Preſident de Maiſons René Longueil.

d Thubeuf.

e Intendant des Finances.

f Le Marquis d'Effiat.

Buthillerius cum Mazarino, & *g* Petro Seguiero regni Cancellario, ab Rege in conſilium de republica adhibebatur; atque hi tres Regi conſulenti aſſidebant: *h* Quatuorviri de more ſtantes aderant, inter quos Chavignius, atque Nucerius. Petrus Seguierus ab Senatu in quo Præſes erat, in Aulam ab Rege, Richelio autore, ante decennium vocatus fuerat. Is judiciariarum, atque earum quæ ad Ærarium pertinent rerum peritiſſimus, has in regio, cui per Regis abſentiam præeſſe ſolet Conſilio ita trac-

g Pierre Seguier.

h Secretaires d'Eſtat.

tabat, ut id nemo uſque rectiùs omnium judicio fecerit. Cæterùm huic ea dicendi facultas & gravitas, quæ primum regni Magiſtratum deceat, præterea in immenſa negotiorum mole ſumma animi tranquillitas, quin & ſæpius otium eſt, mira ingenii ad omnia pluſquam ſufficientis facilitate quæſitum. His Adminiſtris Ludovicus rempublicam gerebat, quibus propè par apud hunc gratia, atque fides, quod Mazarino moleſtum, nam qui cæteros dignitate antecelleret, ita & fide, atque autoritate præſtare æquum cenſebat. 1643.

„ Sed huic intercedebat magna cum Ludovico Borbonio Angiano controverſia, nuper Narbone cœpta; dum eò Richelius morbo teneretur. Nam Angianus more majorum Cardinales, atque adeò Mazarinum anteire decreverat, atque id ab Henrico patre in Richelio interruptum in uſum, & priſtinam conſuetudinem revocare. Igitur primùm id apud Lugdunum in *a* Alfonſo Cardinale Richelii fratre, Lugdunenſi Archiepiſcopo, dein apud Narbonem in ipſo Mazarino tentaverat; quod Richelius tam violenter tulerat, uti continuò Regis Reſcriptum fieri curaret, quo cavebatur Cardinales in Gallia omnibus viris, tametſi è regia gente Principibus præituros, filiis modò, atque fratribus Regum exceptis; cui Reſcripto, vivente Richelio, Angianus parere coactus eſt. Sed eo mortuo Mazarinum anteire planè conſtituit, quo fiebat, ut hic cùm uterque in veteri Regia apud *b* Germaniſanum agitaret, cubiculo egredi non auderet, ut ne in Angianum incideret, ferocem ſicuti genus, & ætas ferebant adoleſcentem. Huic dirimendæ controverſiæ ſuam Chavignius impendit operam, amboſque eò adduxit, ut aliud Regis Reſcriptum fieri utrique placeret in hanc ſententiam, ſcilicet ut in Templo, ac cæteris quæ ad ſacra pertinerent, Cardinales viris è regia gente Principibus præirent; at quocumque aliò his primas concederent. Haud ingratum Chavignio fuit, eo pacto ſentire Mazarinum, quid inter ſe atque Richelium intereſſet: nam illi cautio erat, ut ne Mazarinus eoſdem ſibi ſpiritus ſumeret, ſeque ab cæteris Adminiſtris perinde ac Richelium coli, atque obſervari vellet. Eò impenſiùs Chavignius operam dabat, uti cum eo nihil de ſolita familiaritate, jocis, cæteraque libera ſicuti inter æquales agendi ratione remitteret. Id verò quantò graviùs advertebat Mazarinus, tantò accuratiùs diſſimulabat.

a Le Cardinal de Lyon.

b S. Germain en Laye.

Ludovico Regi frater unicus erat *c* Gaſto Aurelius Dux, bonus, atque amicitia facilis, qui anno proximo Quinquemartii impulſu, ſuadentis uti Richelium ab re publica, quam Ludovicus huic omnem permittebat, amotum vellet, ea gratia cum Hiſpanis hoſtibus fecerat fœdus. Quod ubi cognitum Ludovico, jure in hunc juſſerat agi, uti res omnis in aperto eſſet, ac de his qui ipſi conſcii fuerant, ſupplicium more majorum ſicuti factum eſt, ſumeretur; illi autem delicti gratiam fecerat. Sed cùm hunc poſtilla puderet fratri venire in conſpectum, ſponte *d* Bleſiam ad Ligerim amnem prædium ſuum conceſſerat. Tunc verò mortuo Richelio, cui Rex haud diu ſuperſtes fore videbatur, Chavignio venit in mentem cum eo Gaſtonem in gratiam reducere,

c Gaſton Duc d'Orleans.

d Blois.

1643. atque adeò operam dare, ut in Aulam rediret, quod quidem ita faciundum exiſtimavit, ut ex eo ſibi maximam Gaſto debere gratiam crederet, atque hanc ubi opus eſſet, referret. Id rectè conſultum cum Mazarino cui conjunctiſſimus erat, communicavit, atque ambo decrevêre Ludovicum Barberium *a* Rivieram Abbatem, cujus Gaſto tum erat in poteſtate, ad Urbem accerſendum, cum quo ea de re agerent. Gaſtonis Cancellarius dudum Chavignius erat, qui tametſi Richelio ex publicis, privatiſque negotiis ſuiſſet obnoxius, Gaſtonis tamen, & commodis, & famæ ſæpius ſervierat, quò ſeſe hujus benevolentiam promeruiſſe jure arbitrabatur. Sed ubi Rivieram de Gaſtonis rebus ut ad Urbem venire vellet rogavêre, ille verò ſe id facturum negavit, niſi ſi ab *b* Bethunii Comitis, atque *c* Burdelii Monthesaurii injuriis ſe tutum præſtarent, nam uterque illi crudeliter minabatur, hic ex gratia Gaſtonis nuper ab Riviera ſibi erepta, alter ab eo proditionis inſimulatus, ſicuti fœdus inter hunc, & Hiſpanos factum Richelio patefeciſſet, quod falſiſſimum fuit. Mazarinus, & Chavignius uti Rivieræ de Bethunio metum abſtergerent, hujus per *d* Rogerium Pleſſium Liencurium poſtulavêre fidem, qui cùm ut hanc daret adduci nequiret, poſtremò Regis litteris ea de re acceptis coactus eſt iræ atque vindictæ temperare: de Monthesaurio qui tum longè aberat, haud ita laborabatur. Ita Riviera venit ad Urbem denique, cum quo de Gaſtonis in Aulam reditu tranſactum. Sed tum incidit ſuſpicio Chavignio conſilium eſſe, uti Ludovicus Gaſtoni fratri, æquè ac Annæ uxori Procurationem Regni mandaret, ubi ipſe è vivis diſceſſiſſet, quâ ſuſpicione Nucerium Reginæ animum impleviſſe ferunt, unde hujus in Chavignium odium cœperit.

a Louïs Barbier, dit abbé de la Riviere.

b Le Comte de Bethune.

c De Bourdeilles Comte de Monreſor.

d Le Duc de Liencour Roger du Pleſſis.

Sed Gaſto, factâ ab Rege poteſtate, in Aulam redit, ab hoc benignè, ſicuti fratrem æquum erat, acceptus: Ubi primùm ad Regem adiit, hujus genua advolvi conatus, ab ipſo manibus ſublevante prohibitus eſt. Oratio illius, ſicuti res monebat, ſubmiſſa, & quantùm præteritorum pœniteret ſignificavit. Id Aula coram, atque de induſtria magis quàm ex animo, atque uti fert natura factum, omnibus in vultum utriuſque intentis: mox ubi ſub noctem Ludovicus corpus curabat, diſcuſſiſque diurnis curis liberiùs agendi facultas fuit, ibi verò rurſum Gaſto de facto ſuo tanta cum doloris ſignificatione locutus eſt Regi, ut hunc miſeratio ſimul cum fraterno amore caperet. Ita ſe omnium quæ Gaſto ſecus fecerat, oblivisci declarat, bono animo eſſe, atque ab ſe quæ ab fratre, aut patre æquum ſit ſperare jubet, quo demum pacto gratia inter fratres ſeriò conciliata.

Richelio perſuaſum fuiſſe ferunt Regem, quâ erat infirma valetudine haud diu victurum; ſeque huic ſuperſtitem fore, atque adeò rationem inire voluiſſe, quemadmodum Procurationem Regni obtineret, interea dum Ludovici, atque Annæ Reginæ filius adoleſceret. Hæc per hujus pueritiam ubi pater è vivis abiiſſet, in Annam matrem, aut in Gaſtonem patruum more majorum recidebat. Ita neceſſe erat Richelio dare

1643.

dare operam, uti neuter ad hanc Regni Procurationem idoneus haberetur. Anna Philippi IV. Hiſpaniæ Regis ſoror eſt, adversùm quem dudum Ludovicus gerebat bellum, neque eò minùs Annam ad eum clàm Rege litteras dediſſe conſtabat, quin & Richelius quibuſdam hujuſcemodi litteris interceptis hanc quod in eo peccaſſet, id fateri ſcripto coëgerat, ſcilicet longè ante providens ea quæ ſibi uſui poſteà forent. Namque hæc fuit homini diſciplina, ut ubi quis ex amicis, aut clientibus graviuſculam commeruiſſet culpam, hanc ei primùm condonare, eâ lege, uti ſe admiſiſſe ſcripto fateretur. Ita hos ſibi magis, magiſque obnoxios habere ſtudebat. Præterea inſertum in quodam Edicto fuerat quidpiam, quo in dubium vocabatur rectène, atque ordine Regni Procuratio fœminis permitteretur. Ad hoc Richelius nuper cùm ipſe apud Narbonem implicitus morbo, Rex in caſtris circùm *a* Perpinianum eſſet, Annam ab Rege accerſi curaverat, uti per illius abſentiam filii duo qui apud Germaniſanum erant, *b* Amboſiam, aut *c* Vincennas deducerentur, eſſentque in ſua poteſtate, quæ res uti Regni Procurationem obtineret, ſi quid humani accideret Ludovico, magnum habebat momentum. De Gaſtone haud difficile videbatur huic illam adimere, nam quæ ſæpiùs deliquerat, ea in aperto erant. Itaque Richelius palàm hunc impugnaverat, quod æque rei publicæ illum, ac ſuâ causâ feciſſe exiſtimo, nam quod ea de re perſcriptum Edictum fuerat, id illius voluntate poſtridie quàm obierat mortem, in Senatu promulgatum eſt: niſi ſi cui credere lubet, tantùm humanæ prudentiæ in ipſo vitæ fine reliquum homini fuiſſe, uti quod ambitioni ſuæ ſerviendo deſignaſſet, id uno rei publicæ ſtudio factum videri voluerit. Quoquo modo ſe res habeat, hæc Gaſtonis famæ labes inhærebat, quæ poſteà Regis benignitate, aque temporum, rerumque commutatione item Edicto regio ſublata eſt.

a Perpignan.
b Amboiſe.
c Château de Vincennes.

Eâ tempeſtate Germaniſanum advênit quidam *d* Eberſteinus Monachus ex Dominicanorum Ordine cum litteris quas *e* Maximilianus Trautmanſtorfius ad Richelium dederat: hæ Mazarino redditæ, quibus Trautmanſtorfius ſignificabat Ferdinandum III. Imperatorem Pacem cum Rege factam velle, de quâ re Eberſteino fidem habere poſſet. Sed is quæ in mandatis haberet ſcripto edere juſſus, nihil admodùm his quæ in litteris perſcripta erant, addidit, nihil de Suecis, atque aliis, quos Ludovicus in belli ſocietatem adſciverat, ut & cum his pax unà ſanciretur, nihil de Pacificatoribus, quorum operâ controverſiæ minuerentur, nihil denique de die ad quam omnium Legati, & de loco quo convenire deberent, rem tantam incœpturi: prorſus uti fides fieret Eberſteinum ab Trautmanſtorfio miſſum, uti quid nobis animi, aut conſilii poſt mortem Richelii eſſet, exploraret, tametſi ad eum ſe ſcribere finxerat. Eberſteino ſic eſt ſcripto reſponſum, haud minus Regi, quam Ferdinando placere pacem, ſed hanc ſicuti convenerit cum cunctis unà faciundam, qui Pacificatores eſſe debeant, eorum operâ in eo negotio utendum videri, neque uſquam diſcedendum ab iis, quæ apud Ham-

d Le Pere d'Eberſtein.
e Le Comte de Trautmanſtorf.

1643. burgum ab omnium Legatis ſancita fuerant. Cum hoc reſponſo dimiſſus eſt, quod omne negotium ſtatim cum Suecis eſt communicatum, ut ne quid Regem cum Ferdinando ſeorsìm agere ſuſpicarentur.

Cæterùm Trautmanſtorfius Ferdinando carus, acceptuſque eſt, ac negotiorum Curator fidus, cui omnem, quantùm Imperium ejus in Germaniâ patet, rempublicam credidit, more, inſtitutoque aliorum Principum, qui hâc tempeſtate regnant, ſcilicet, quibus dulce viſum labori parcere, atque alienâ operâ pro ſuâ uti, tametſi ea res multos ob naturam mortalium Imperii avidam recipiat casûs, quos effugere, quàm ſubire ſatius eſt.

a Montaigu. Poſt paulò *a* Montacutus Anglus ab Henricâ Ludovici ſorore Britanniæ Reginâ miſſus ad Regem venit, hunc Henricæ verbis de Richelii morte conſolaturus: ſed neque Rex conſolatione magnoperè egebat, neque Henricæ Richelium obiiſſe ægrè erat, cui ſcilicet ejus omnis ratio poſtquàm Carolo Britanniæ Regi nupſerat, minùs probabatur, atque adeò huic iniquior fuerat. Henrica enim Gallici moris nimiùm retinens, cum Britannis concordare nuſquàm poterat, ſed quoſdam modò ſicuti hunc Montacutum, paucoſque alios acceptos habuit, quò factum eſt, ut ipſa, atque illi popularibus inviſi eſſent, neque ea res leve adverſis viri rebus momentum denique attulit. Hæc tum Hagæ Comitis apud Batavos exulabat, opperiens ſi fortè quid ſibi, ac Carolo Regi in Henrico Naſſauvio *b* Arauſiorum Principe præſidii foret, nam illorum filia Guillelmo Henrici filio nupſerat.

b Prince d'Aurange.

Sed Montacutus apud Germaniſanum morabatur, & apud Annam Reginam multus erat, frequenſque. Hic in Henricæ Aulâ adoleverat, aptus ſe mulierum negotiis admiſcere, quarum operâ pleraque in republicâ fiunt. Ita ſe res habebant in Galliâ, ob infirmiorem in dies Regis valetudinem, ut ab eo Henrica nullam haberet auxilii ſpem: reſtabat igitur nihil, niſi in futurum proſpicere, Reginam ambiendo, quæ Procurationem Regni brevì habitura videbatur. Id faciebat Montacutus ſedulò, dudùm Reginæ cognitus, atque omnis Aulæ noſtræ prudens, in quâ ſæpius verſatus fuerat: prætereà multarum rerum Reginæ conſcius, quæ ipſi cum *c* Mariâ Rohana Mombaſona Caproſi uxore interceſſerant: hæc mulier Reginæ cariſſima erat, atque ejus causâ varios ſubierat in Gallia, Hiſpania, atque Britannia caſus. Montacutus in multis haud diſſimilis erat Mazarino, quibus amicitia pridem inter eos facilè conflata. Fuêre qui ita exiſtimarent Mazarinum hujus operâ vſum, uti ſibi Reginæ gratiam conciliaret, atque id Montacutum & ſibi, & Henricæ vſui futurum crediſiſſe.

c La Ducheſſe de Chevreuſe.

Id Chavignio clam fiebat, tametſi Montacutus huic amicus eſſe videbatur: ſed amicior erat Mazarino, ad quem cùm ſæpiùs ab Reginâ commearet, quandoque accidit, uti Chavignius ab Mazarino exiens in illum incideret, in proximo Conclavi expectantem, vſque dùm Mazarinus ab cæteris negotiis vacuus foret: continuò Chavignius officii plenus regrediebatur ad Mazarinum, monebatque illic adeſſe Monta-

cutum, ibi verò ille ſicuti ſibi moleſtum eſſet, ægrè introduci hominem jubebat: ita Mazarinus clàm quod in tali negotio maximè neceſſe eſt, ſibi viam ad hanc quam jam obtinet gratiam, potentiamque ſternebat. Huic prætereà fautorem apud Reginam, atque adjutorem fuiſſe aiunt Henricum *a* Beringanum, inviſum antehàc Richelio, atque eâ causâ exulare juſſum, cujuſmodi omnes tum erant Reginæ cariſſimi: præterquàm quòd huic per Richelii tempora multorum quæ adversùm eum movebantur, conſcius, ac particeps fuerat. Reginam aiunt in his quæ ad rempublicam domi pertinerent, ſe *b* Auguſtini Potieri Bellovacenſis Epiſcopi conſilio, judicioque uſuram credidiſſe, in his verò quæ foris agenda eſſent, Mazarinum ſibi utilem Adminiſtrum fore, ſicuti Ludovico poſt Richelii obitum erat: neminem omnium cuncta negotia quæ Regi cum omnibus foris Principibus intercedant, magis callere, quod planè neceſſe ſit, uti rectè gerantur: ſed id huic maximè apud Reginam profuiſſe putavêre, quòd ejus magis, quàm Galli hominis operâ pacem ſe cum Philippo fratre facturam crediderit, Gallis ab naturâ inſitum in Hiſpanos odium eſſe, quod Mazarino nullum ſit, diù multumque in Hiſpania verſato, prætereà Cardinali Italico, cujuſmodi homines ſibi Hiſpanos aduerſos eſſe nolint. Hæc ab hujus fautoribus opportunè Reginæ ſubjecta illi magno uſui fuêre, ita ut poſthàc hunc omnibus Gallis in omni republicâ gerendâ prætulerit. Cæterùm Reginæ ſtudium pacis inter Ludovicum filium, & Philippum fratrem conciliandæ fuiſſe nemini mirum fuerit, atque divinitùs accidiſſe videtur, ut in hanc eâ causâ ſumma rerum reciderit: nam id Galliæ non modò, atque Hiſpaniæ utile futurum erat, ſed & ad univerſam rempublicam pertinebat: neque majus quidquam, aut rectiùs facere potuit, quò ſuam in Regni per filii pueritiam Procuratione prudentiam apud poſteros commendaret. Certè ipſi Richelio ubi primùm inter ambos Reges bellum cœperat, tantum ejuſdem pacis ſtudium fuit, uti poſt primam Gallos inter, & Hiſpanos pugnam, in qua noſtri victores fuerant, de illâ faciundâ cogitaverit, atque eodem Mazarino interprete uſus fuerit, ut hanc ſuam ſententiam Hiſpani reſciſcerent: ſed hi haud ſibi committendum exiſtimaverant, ut uno modò, neque eo gravi accepto incommodo animum deſpondiſſe viderentur. 1643.

a Beringhen.

b Auguſtin Potier,

Chavignius intereà haud ſatis ſibi conſulebat apud Reginam, neque proſpiciebat quantùm ſibi periculi impenderet. Facile dudùm huic fuerat per Buthillerium patrem magnam apud Reginam gratiam inire, ſcilicet hujus ſumptibus ſuppeditando è pecunia regia, cujus omnis impenſa ferme ſummi Quæſtoris quem Magiſtratum Buthillerius gerebat, arbitrio fieri ſolet: ſed neuter ad id, aut ad aliud quidpiam quò Reginæ gratiam promererentur, animum adjecerat.

Poſtquam Gaſto cum Rege redierat in gratiam, *c* Franciſcus Baſſomperæus, Nicolaus Hoſpitalius Vitrius, ambo Tribuni Equitum, & Adrianus Monlucius Carmainus Comes cuſtodiâ emiſſi ſunt, atque rus procul ab Aulâ abire juſſi: Baſſomperæus, & Carmainus per Richelii

c Le Maréchal de Baſſompierre. Le Maréchal de Vitry. Le Comte de Carmain.

B ij

1643. tempora quædam adverſùm hunc temerè dixerant, fecerantque, quod eâ tempeſtate graviùs crimine Majeſtatis erat. Vitrius cum Henrico *a* Eſcoblello Surdio Burdigalenſi Archiepiſcopo aſperiùs egerat, quàm cum tali dignitate viro æquum eſſet, ſcipione quem præ manibus habebat hominem pulſando, hic tum in Provincia erat (quam Vitrius obtinebat) uti Claſſi Gallicæ præeſſet, quam illi Rex autore Richelio Rei Navalis in Gallia Præfecto permiſerat.

a Escoubleau de Sourdis.

Exeunte anno proximo Franciſcus Duvallius *b* Fontenaius Marchio Ludovici apud Urbanum VIII. Pontificem Legatus Regis injuſſu Româ diſceſſerat, ad hunc pertinere arbitratus, quòd Pontifex *c* Michaelem Mazarinum Julii Cardinalis fratrem ex Ordine Dominicanorum cujus Ordinis Generalatum nuper ſibi mandatum gerere vetuerat, deinde vocari in jus, ac poſtremò detrectantem rapi juſſerat, tametſi Fontenaius Pontificem impenſiùs oraſſet Regis verbis, ut hujus honoris causâ id omittere vellet: negabat enim Pontifex id ad Regem quidquam attinere, ſed aliter ſentiebat Fontenaius Mazarino gratificari ſtudens: itaque ſicuti Pontifex grave quidpiam in Regem admiſiſſet, Urbe deceſſit. Erat tum apud Fontenaium *d* Hugo Lionnus vivente Richelio in Italiam miſſus Mazarini operâ, ad quem ſe nuper applicaverat, quia hic *e* Abeli Serviano antehac Quatuorviro Lionni Avunculo amiciſſimus fuerat. Is ex voluntate Patroni mandata ab Rege ad omnes Italiæ Principes habebat, quod facilè Mazarinus & ab Richelio, & ab Chavignio impetraverat: magnificum enim tunc erat Mazarino ſuam apud Regem, & Richelium gratiam Italicis Principibus oſtentare, ſibique ab iis magnam ſuper Italiæ rebus haberi fidem, quas & ſibi, & clienti ſuo permitterent. Hoc autore magis, quam ſuâ ſponte, judicioque Fontenaium Româ diſceſſiſſe ferunt: nam Lionno ad famam Patroni pertinere viſum, Pontificem ſentire, quam violenter Rex laturus eſſet Mazarini fratrem ab illo tàm malè habitum.

b Le Marquis de Fontenay Mareüil.
c Le Pere Michel Mazarin.
d Hugue de Lionne.
e Le Comte de Servien.

Poſteà verò Fontenaio eam rem in otio cum animo reputanti haud tanta eſt viſa, uti propterea diſcedendi conſilium capere debuiſſet. Igitur non eâ modò causâ ſe, ſed & quòd Pontifex de pace cum Odoardo Farneſio Parmæ Duce ſanciunda, de admittendo Joannis Luſitaniæ Regis Legato, poſtremò de omni alia re ferme Ludovico negaret, abiiſſe vulgavit. Cæterùm inter hæc mortuo Richelio quod Fontenaius fecerat, id Mazarino, & Chavignio annitentibus Ludovico facilè probatum. Ipſi tamen edictum, uti qui tum Venetorum res Romæ procurabat, ejus operâ ſalvâ ſuâ, Regiſque dignitate Romam redire niteretur. Sed ubi reſcivit Pontifex Mazarinum eum gratiæ locum apud Regem tenere, uti deinceps huic de omni re publica, ac maximè quæ ad Italiam attineret, magna fides haberetur, Michaëli quidem fratri Generalatum Ordinis Dominicanorum abrogavit, cæterùm ſacri Palatii Magiſtrum creavit, qui honos in doctiſſimos hujus Ordinis viros uſque collatus fuerat: de Luſitaniæ autem Regis Legato admittendo, & de pace cum Odoardo Farneſio ſanciunda, cæteriſque negotiis Pontifex, atque Bar-

berini benignè in ſpeciem Fontenaio polliciti ſunt, neque tamen promiſſa apparuêre, nam poſtquam Mazarino de fratre fecerant ſatis, nihil prætereà opus eſſe probè ſcibant. 1643.

Principio hujus anni Februario menſe *a* Inojoſa Marchio Hiſpanus tribus peditum millibus, & quingentis equitibus fretus in Ampuſtæ regionem, quæ vltra Iberum amnem in Hiſpaniâ ſita eſt, hybernandi causâ venit. Eò præter *b* Flixium, quod eſt oppidum ad Iberum amnem, & *c* Miravezem, cætera omnia loca ad propugnandum infirma ſunt, ſi igitur duobus illis oppidis potiretur, nihil fore negotii credidit, quin cæteram omnem regionem in ditionem Hiſpaniæ Regis brevì redigeret. Primùm igitur ad Flixium movit, quò ubi poſuit caſtra, ſubitò Iberi aquæ immensùm crevêre, ita ut Hiſpani caſtra properè movere cogerentur. Poſt paulò Inojoſa pedites mille, atque equites centum Miravezem versùs miſit, qui oppidum oppugnarent: hi ubi collocatis opportunè tormentis id facere ſunt aggreſſi, ſubitò *d* Mottæus hac de re factus certior Iberum traduxit copias: Equitum Alæ fuêre tres, atque Sclopetarii octingenti, qui cum omni equitatu Moram inter, & Miravezem conſedêre, dein Sclopetarios octingentos ipſe dimiſit in oppidum: hi poſtridiè eruptionem fecêre, dum Mottæus cum equitibus hoſtes diversâ parte adoritur, qui poſt acre prælium fuſi denique, fugatique ſunt, ceſſante Inojoſa, qui haud procul cum reliquis Hiſpanorum copiis apud Gandeſam erat, confiſus nondum omni dilapsâ aquarum in Ibero vi Gallos hunc haud ſuperaturos. Cæſi ex hoſtibus complures, capti quadringenti, qui Barcinonem deducti ſunt, cujus triumphi tametſi exigui ſpeciem Mottæus & plebis, & amicæ mulieris oculis objicere ſtuduit. Sed iſthuc hujus haud ſanè magnum operæpretium Nucerius inflatiùs multò, quàm res erat, Regi narravit, quò tandem hunc adduceret, uti *e* Cardonam prædium in Cataloniâ nobile, atque opimum cum Ducatûs titulo Mottæo dono dare vellet. Id quoniam hujus Dominus Philippi Hiſpaniæ Regis partes ſequebatur, tum vacuum fuit, atque adeo Ludovico copia erat, aut id retinere ſibi, aut alteri cui videretur, dono dare. Illud ſuadebat prædii amplitudo, quæ non exiguam Cataloniæ partem complectitur, & cujus uberrimi fructus ſunt, haud leve ſumptibus in hac provinciâ ſuſtinendo bello faciundis adiumentum. Poſtremò tamen Rex eâdem de re ſæpiùs ab Nucerio fatigatus, ægrè adductus eſt, uti Cardonam Mottæo dono daret, cujus hunc rei brevi pœnituit.

a Marquis d'Inojoſa.

b Flix.

c Miravez.

d Le Maréchal de la Motte.

e Le Duché de Cardone.

Intereà Mazarinus in Italiâ per Lionnum clientem multa, magnaque movebat. Bellum erat inter Urbanum Pontificem, & Odoardum Farneſium Parmæ Ducem, cujus opimum, atque nobile prædium *f* Caſtrum Urbanus publicaverat. Id prædium in agro Pontificio eſt, Pontificibus aut vectigale, aut obnoxium. Ingens Parmenſi æs alienum Romę fuit, cujus ſorti, atque uſuris ſolvendis prædium pignori oppoſitum erat. Ceſſabat jamdiu Parmenſis, neque de annuis uſuris creditoribus faciebat ſatis, eò Pontifex Caſtrum ſicuti dudum exoptabat, ſibi vendicare conſtituit, id Camerę ſicuti appellant, Apoſtolicę attribuendo, atque

f Le Duché de Caſtro.

1643. æs Parmenſis alienum diſſolvendo, aut cavendo creditoribus. Id ex ſententiâ facilè factum, quoniam Caſtrum haud procul Româ poſitum eſt, neque Parmenſi qui longiùs agitabat, Caſtri defendendi copia fuerat. Sed is tùm recipiundo Prędio adversùm Pontificem ſumpſerat bellum, quod uti conditionibus componeretur, Mazarinus Parmenſi cum Pontifice pacem ſuadebat, aut inducias, Pontifici autem uti Caſtrum tantiſper alicui permitteret, intereà dùm de omni quam habebat cum Parmenſi controverſiâ diſceptaretur, ac demùm conveniret. Hanc ipſam nuper Odoardo tulerat conditionem Spada Cardinalis Pontificis Legatus, ut hujus fines cum exercitu ingreſſum moraretur, dein ex Italicorum hominum ingenio ludificaretur. Rurſùm Parmenſi Mazarinus ſuadere conabatur, ut omiſsâ totius hujus negotii in pręſens curâ copias cum Ludovico Rege pellendis Italiâ Hiſpanis conjungeret. *Hujus rei amplam ipſi fore mercedem, cuncta quæ huic finitima Hiſpani poſſideant. Intereà Pontificem ſenio gravem occaſurum, aliam fore novo Pontifici de Caſtro ſententiam, cui Pontificatûs initio pacem bello potiorem futuram, Ludovico maximè annitente, uti Caſtrum Parmenſi reſtituatur: poſſe intereà cum Vrbano fieri Inducias, ſatius id illi eſſe, quàm ſolo a Franciſco Ateſtino Mutinæ Duce adjutore adversùm Pontificem bellum fruſtra continuare, cui propulſando longè par ſit. In eo rem, atque operam Parmenſem planè perdere, ni Venetos in ſocietatem belli adducat. Sed eos ab hac ſententiâ alienos eſſe, iſthuc ab eorum Legato reſcitum, quò magis Inducias cum Pontifice fieri, atque aliò transferri bellum in rem Parmenſis eſſe videatur. Quin & eo pacto Venetos uti bellum adversùm Hiſpanos ſumant, adduci poſſe: nam antehàc quominùs id facerent ſeſe prohiberi dixiſſe Pontificis copiis, quæ haud procul finibus ſuis ſint: ſibi curæ eſſe quorsùm ejus conſilia evaderent: ſed ubi hæ per Induciarum conditiones dimiſſæ fuerint, nullam amplius Venetis de iis fore ſollicitudinem.* Lionno tamen præceptum fuerat, ut hæc Regi placere diceret, modò ut & Parmenſi placerent, ſin aliter ejus ſententia eſſet, huic omninò morem gereret, atque omnia ex ejus voluntate faceret. At Parmenſis talia conſilia aſpernatus, incerta pro certis captare nequaquàm decrevit, atque ex Lionni oratione incidit ſuſpicio, Mazarinum Urbano, atque Barberinis quàm ſibi æquiorem eſſe; ſcilicet hęc eò pertinere, uti Caſtri oppidi per Inducias poſſeſſio ipſis pro jure denique quodammodò foret, atque ipſe id prędium poſſidere dediſceret. Igitur bello jus ſuum porrò perſequi decrevit, atque interim ſuo iſthîc Procuratori ut ne poſthàc de rebus ſuis cum Mazarino agere velit, interdicit: quod quidem hunc haud ſatis rectè feciſſe cenſeo. Nam qui gratiâ, & potentiâ valet, cum non ſuo ſæpiùs, ſed tuo damno læſeris. Poſtremò Parmenſis nihil ſibi ab Galliâ pręter mera apud Pontificem pro ſe verba ſperandum eſſe probè judicans, Venetos, atque Ferdinandum Etrurię Ducem ad belli ſocietatem impellit. Parmenſi cum iis fœdus intercedebat, tuendis Parmenſis, atque Placentini agrorum finibus, quò faciliùs convênit, ut & ſibi recipiundo Caſtro, atque Pontificis, Barberinorumque conſiliis diſturbandis adjutores eſſe vellent: nam rem communem agi, neque committendum uti Pontifices pro ſuâ, aut

a François d'Eſte, Duc de Modene.

ſuorum lubidine hos, vel illos Italiæ Principes ſpoliare, & poſſeſſionibus ſuis ejicere ſinant. 1643.

Jam tùm Mazarinus Franciſci Ateſtini Mutinæ Ducis animum per Lionnum tentabat, ut hunc ab Philippi Hiſpaniæ Regis clientelâ ad Ludovici partes adduceret. Ab Hiſpaniâ redierat nuper ingentibus promiſſis oneratus: ſed hæc Hiſpani nuſquam repræſentabant, tædebatque Principem virum ſeſe ab his ludibrio haberi, atque adeò haud difficulter huic perſuaſum, ut eorum partes ubi primùm opportunum foret, deſereret. Porrò eâ tempeſtate & Fontenaïo Romæ, & Lionno qui tùm apud Venetias erat, nuntiatum eſt *a* Medinam Torreſium Neapoli Proregem res novas moliri, atque ab Philippo Hiſpaniæ Rege poſtulare, ut hanc ſibi provinciam prorogaret: quod ſi negaretur, nuſquam tamen hanc depoſiturum, ſi de Ludovici auxilio certus foret: hæc quidam miſſus ab Medinâ dicebat, affirmabatque, cæterùm nihil ab ipſo Medinâ quo fidem faceret, attulerat. Meſſanæ in Siciliâ quidam de illâ Ludovico tradendâ conſilia inierant, quóque pacto id fieret, conſtitutum fuerat. Ex compoſito naves Gallicæ duæ propiùs urbem advenêre, ſigna de quibus convenerat, utrimque edita, cæterùm naves re infectâ diſceſsêre. Nam magnum, & memorabile facinus animo agitare cuivis etiam ignavo, fortiſſimis modò perficere copia eſt.

a Medina de las Torres.

Anno proximo *b* Dertonam in Italiâ quæ procul in hoſtico poſita eſt, Padum inter, & Ligurum fines *c* Henricus Aurelius Longavilla in deditionem redegerat, quam Hiſpani maturè oppugnare hoc anno decrevêre, priuſquam ab Galliâ copiis noſtris quæ in Italiâ hyemaverant, ſupplementum, aut aliæ copiæ venire, atque cætera tuendo oppido, atque arci ſatis provideri, atque adminiſtrari poſſent. Id oppidum *d* Thomæ Sabaudico viro Principi Ludovicus dono dederat, neque eo minùs præſidium alebat, atque huic curabat ſtipendium. Sed Thomæ qui trans Alpes incolit, facilius erat, quàm ipſi Regi quæ ad defendendum oppidum eſſent neceſſaria, ea ex propinquo providere, atque mittere. Poſtulaverat dudùm, ut in Italiam Rex peditum tria millia, atque equites mille duci juberet, quod quidem propter alia quæ per gravem Regis valetudinem domi urgebant negotia fieri non potuerat. Sed Mazarino venit in mentem per Lionnum Parmenſis animum tentare, utrum Dertonam ſibi ab Rege donatam vellet, quia illi tum copiarum ad hanc defenſandam ſatis eſſe videbatur; hic autem præterquàm quòd ſatis intelligebat ſibi tùm oppidum obtrudi, cùm neque ab Rege, neque ab Thomâ defendi poſſet, ſuſpicio ex eo haud mediocriter crevit ſuam cum Hiſpanis pacem hoc pacto Mazarinum porrò imminuere velle, atque ſe ab Pontificio ad Hiſpanicum bellum traducere: quamobrem haud ſibi quidquam in Dertonæ negotio faciundum decrevit.

b Tortone.
c Henry d'Orleans Duc de Longueville.
d Le Prince Thomas.

Intereà Hiſpani cùm omnia circum oppidum loca in ſuâ poteſtate eſſent, hæc præſidiis ſolito amplioribus firmavêre, ne quà ad Dertonam

1643. noſtris aditus foret, piſtrina duo quæ extra mœnia erant, disjecêre, ac denique circùm poſuêre, ac munivêre caſtra. In oppido pauci qui id defenſarent fuêre, atque adeò deſertâ hujus parte maximâ arcem modò, atque editiorem in quo Dominicanorum Monaſterium poſitum eſt, locum tuenda ſibi ſumpsêre, eò munitiones exſtruxêre, & quæ ad propugnandum neceſſaria fuêre, ea ex cæteris oppidi regionibus convexêre. Thomas ut hoſtium conſiliis, atque conatibus occurreret, quantas potuit copias ex præſidiis coëgit: ſed hæ paucæ fuêre, quas *a* Seſſitem, ac Tanarum amnes traducere conſilium fuit, uti terrore hoſtibus objecto ne quid aliò ipſis inferret damni, incœptum omittere vellent: ſed ubique populares armaverant, ac centuriaverant, qui ad fluminum vada, ac ſaltuum anguſtias, quà Thomæ ultra tendenti tranſitus erat, cuſtodias agitabant, atque his præerant nobiles, ſicuti quiſque prædia his locis vicina habebat: præterea equitatum quoquo verſùm dimittebant, qui & ipſe fluminum tranſitu Thomam arceret.

a La Seſia, le Taner.

Id factum ſemel, atque iterum, ubi Padum copias traducere conatus eſt, prohibente cum firmo equitatu ex alterâ ripâ Vincentio Gonzagâ: ſæpiùs & Caracena Marchio, & ipſe *b* Siriëla Comes Joannes Velaſcus qui Mediolanenſem obtinebat agrum, cum equitatu Padum verſus, atque aliò iêre prohibendis tranſitu noſtris. Sed Thomas denique ad Aſtam duxit: hoc Sabaudicæ ditionis oppidum eſt quod ab Hiſpanis captum antehàc fuerat, ubi Thomas horum partes ſequebatur, fratris filio Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci, atque hujus matri Chriſtinæ Ludovici Regis ſorori infenſus, ac tum hoſtis, quibus quæ antehàc damna intulerat, ea nunc ſarcire ſtudebat. Igitur Aſtam recipere decrevit, poſtquam Tanarum amnem ad Bartholomæi-fanum tranſierat, haud procul Annone: poſtridiè Munitionem quæ Tanarum inter, & Aſtæ arcem poſita erat, improviſò expugnat, quæ Munitio ſi penes hoſtes manſiſſet, magna his auxilia illâc in oppidum introducendi fuiſſet copia, nam haud procul in Tanaro vadum erat, quà hoſtibus tranſire occupatâ ab noſtris Munitione difficilius fuit. Dein adverſùm mœnia quatuor ſunt locata, directaque tormenta, & quoniam res in celeritate poſita videbatur, non his, neque militum qui eò excubabant ſtationi obducta munitio ulla, aut quidquam fuit præter arbores, quo protegerentur.

b Le Comte de Siruela Iean de Velaſque.

Ubi Aſtam ab Thomâ oppugnari Siriëlæ nuntiatum, ſubitò cum magnâ copiarum parte ad Tanarum verſùs contendit, cui ubi appropinquavit, mille ſclopetarios dextrâ, lævâque ad ripam diſponit, qui crebrâ glandium miſſione equitatum flumen tranſeuntem protegerent: hic ubi ad alteram evaſit ripam, ibi equites noſtri unà cum Tribuno qui hos ductabat *c* Montio procurrêre, quorum impetu Hiſpani perterriti capeſſunt fugam; rurſumque Tanarum prætergreſſi ad Annonem iter intendêre. Intereà ab oppido hoſtes eruptione factâ ad ſtationem quæ ad tormenta collocata fuerat, veniebant, ſed fugâ ſuorum cognitâ, præterea tympanorum, tubarumque ſtrepitu qui Thomæ, ac *d* Pralinopleſſii juſſu tum

c Le Colonel Monti.

d Le Comte du Pleſſis Praſlin.

tum major quàm pro numero equitum, peditumque qui eò reſtiterant editus eſt, perterrefacti retroceſsêre. Ita omni auxilii ſpe damnatâ primùm oppidum, dein poſt acrem oppugnationem Caſtellum, ac denique Arx ipſa dedita ſunt. 1643.

Apud Dertonam noſtri rem majori animo, atque conſtantiâ ſuſtentabant, ac jam ſuprà quàm exiſtimari ab hoſtibus, aut ab Thomâ, ipſo & Pralinopleſſio poterat, prolataverant, omnium prope quâ laborabant rerum inopiam patienter tolerantes, ut illis ad ferendas ſuppetias ſpatium eſſet. Jam ab Galliâ ſupplementa, atque aliæ advenerant copiæ, quibus auctus exercitus ad quodvis incœptum haud impar videbatur. Igitur Thomas cum Pralinopleſſio conſtitutis apud Aſtam, ut oppidum in tuto eſſet, rebus, Tanarum traducit exercitum, atque ad Annonem, ad *a* Niciam ac denique Alexandriam verſus ducit, quo Sirvela Comes tùm commorabatur. Is habito cum ducibus conſilio omnes copias quas circumquaquè dimiſerat, ad Caſtra circum Dertonam properare jubet, quò & ipſe profectus eſt. In caſtris ſexdecim armatorum millia fuêre: *b* Caracena verò ad Scriviam amnem magnum habebat equitatum, uti noſtros tranſitu prohiberet: ſed flumen paulò ſuprà ad colles verſùs vado tranſierat noſter equitatus, dein omnis exercitus, cujus antecurſores ad hoſtium munitiones propiùs acceſſerant. At tùm imber frequens metum Thomæ fecit, ut ne Scrivia creſcente commeatus advehi ad ſua poſſent caſtra, quò adductus eſt, uti citra amnem rediret: dein dilapsâ aquarum vi rursùm ultra amnem haud longiùs quàm tormentum adigi poſſet, ab hoſtium caſtris conſedit, loco paulò quam cætera editiori: pars militum virgultorum faſces, alii aggerem qui ſuper injiceretur ad foſſam caſtrorum complendam portare iuſſi: ſed priuſquàm ad hanc pervenire poſſent, haud ſatis certos an quod animis agitabant, planè faciendum eſſet, nox oppreſſit. Poſtridie Thomas, ac Pralinopleſſius circumſpectâ ſuorum paucitate, præ hoſtium multitudine, quæ ſtabat ex adverſo, vallo, foſsâque probè tectâ, ac munitâ vix conandum, an omittendum incæptum eſſet, ſatis expediebant: relicto tamen in caſtris quæ loco editiori poſita fuiſſe diximus, aliquo peditum, atque equitum numero, qui ſpeciem juſti exercitûs hoſtibus facerent, atque ſuſpicionem injicerent, quos ad munitiones emiſerant anteſignanos modò eſſe, ad caſtrorum oppugnationem parati videbantur. Intereà equitum noſtrorum alæ quædam ad *c* Farfanum, & Malepaſtum munita loca quæ Serra Marchio, ac Riviera Comes defenſabant, acceſsêre, queis intervênit Hiſpanorum equitatus, ab quo noſtri malè habiti, eò maximè quòd ab Farfano, & Malepaſto tormentis emiſſæ pilæ eorum ordines nonnullâ factâ ſtrage perturbaverant. Ibi verò Thomas habito cum ducibus omnibus conſilio caſtra inde movere decrevit, cùm neque Caſtello ferre ſuppetias, neque diutiùs ob inopiam commeatûs eò commorari copia eſſet. Ita Dertona Hiſpanis denique dedita eſt, & qui hanc defenſaverant, cum tormentis quatuor deducti ab Hiſpanorum præſidio ſunt, uſque ad Thomæ caſtra, qui haud ita procul moverat, dein utrimque ſicuti excompoſito ceſſatum.

a Nice de la Paille.

b Le Marquis de Caracene.

c Farfano Malpaſciuco

1643. Sed eâ tempeſtate Ferdinandus quem nondum Imperatorem appellabamus, & Philippus Hiſpaniæ Rex ſicut apud Hamburgum convenerat, de pace Legatos Monaſterium Veſtfalorum mittere ſeſe velle ſeriò ſignificavêre, modò ut idem Ludovico facere placeret. Delecti igitur qui eò legarentur, *a* Henricus Aurelius Longavilla, & Claudius *b* Memmius Avauxius, ille qui Legationis princeps eſſet, hic longo Germanicarum rerum uſu maximè idoneus ei Legationi habebatur, atque in hujus virtute, & induſtriâ magnam de pace conficiundâ ſpem poſitam omnes habebant. His duobus tertius quiſpiam adhibendus, cujus opera tantæ rei profutura videretur: is fuit ex Mazarini ſententia Chavignius: neque hic abnuebat Provinciam, quæ ipſi Mazarino priuſquàm Cardinalis eſſet, decreta fuerat. Ita enim Chavignio æquè, ac ſibi antehac conſulere videbatur, niſi quòd Mazarinus Legationis princeps futurus fuerat, qui honos poſtea Longavillæ habitus: ſecundum ſibi locum deberi non dubitabat Chavignius, ex Quatuorviratu, cujus magna in Aula dignitas eſt. Sed Avauxius ætate major, & in Regis Conſilium multò antè Chavignium lectus, ægrè ut huic concederet adducebatur. Cæterùm Chavignius ſibi magnificum exiſtimabat, ſuadente Mazarino Pacem inter tot, tantoſque Principes conciliare, neque id ſibi pacis artibus dedito minùs glorioſum fore, quàm Imperatori bellum gerenti ex profligato hoſte victoria, atque triumphus. Qui Nucerii cum Chavignio ſimultates noverant, illum totius hujus rei artificem fuiſſe ſunt arbitrati, ut æmulus procul ab Aulâ eſſet: alii veriùs id ipſum ſtuduiſſe Mazarinum, cùm quòd ſuæ gratiæ, atque potentiæ modum impoſitum Chavignius vellet, tùm quòd per ejus abſentiam majorem ſibi de omni republica ab Rege fidem habitum iri ſatis intelligeret: nam ſicuti antehàc memoravimus, hanc maximam Rex Chavignio, & Nucerio habebat, per Richelii tempora longo uſu ſibi cognitis, probatiſque, atque adeò ineunda Mazarino ratio fuit, quò ſalvâ quæ ipſi cum Chavignio intercedebat amicitiâ, hunc tantiſper ab Aulâ procul haberet, intereà dum ſua apud Ludovicum gratia, & fides adoleſceret. De Nucerio haud ita ſolicitus erat, quia neque obligatus ipſi quidquàm erat, ſatiſque ſcibat quæ ejus conſilia de ſe eſſent, atque adeò nihil prohibebat quominùs hunc ubi opportunum foret, Aulâ pelleret, quod poſt paulò factum ex ſententia eſt.

a Le Duc de Longuevile.
b De Meſme Comte d'Avaux.

Certùm eſt Regem qui ſibi vitæ finem adeſſe ſentiret, eâ tempeſtate pacis cupidiſſimum fuiſſe, & cum Chavignii ingenio, ſolertiæ, ac fidei multùm crederet, hunc peridoneum judicaſſe, qui rem tantam brevì conficeret, eò hominem ſicuti prenſaſſe, & ambiiſſe, ut hanc accipere honoris ſui causâ provinciam vellet, quod quidem illi eſt lubentiſſimè obſecutus, nihil de Mazarino ſuſpicatus id hunc fuiſſe machinatum, neque enim ſibi amiciorem eſſe neminem tùm arbitrabatur.

Magnam quidem Nucerio fidem uſque Rex habuerat, ſed quòd nuper de Cardonæ Ducatu Mottæo donando illi dixerat, atque importuniùs inculcaverat, Regis erga illum benevolentiam omninò extinxe-

rat, nihil enim homini intolerabilius eſt, quàm alio videri infirmiorem, 1643.
quod quidem accidit ei, qui victus alterius oratione quidpiam invitus facit, atque id quotiès huic redit in mentem, totiès hunc malè odit, ab quo ſibi vim factam fuiſſe ſentit. Iſthuc in Rege, ac Nucerio experti ſumus, nam poſtquàm de Cardonæ Ducatu huic fuerat obſecutus, incredibile memoratu eſt, quantum illum hujus odium ceperit. Tunc enim rediit Regi ad memoriam Nucerium Richelio planè deditum fuiſſe, cujus non modò vivi mandata, atque imperia nullâ propè ſui habitâ ratione executus fuiſſet, ſed & pleraque adhuc faceret, ſicuti etiam tum Richelio fretus eſſet. *Seſe quidem huic plurimum merito ejus tribuiſſe, quem videlicet unum in totâ Gallia dignum fuiſſe crediderit, ut eum autorem in omni republicâ gerendâ haberet; ſed errare Nucerium ubi ſe alterum Richelium fingat eſſe, nam hujus neminem unum, Nucerij verò munere complures fungi poſſe, eò multa ſe ab Richelio moleſta rei publicæ causâ diſſimulando pertuliſſe, quæ alios adverſùm ſe audere poſthac nuſquam paſſurus ſit.* Intereà cùm æſtivorum tempus appeteret, Rex ſibi Commentarium in quo perſcriptæ erant equitum, peditumque copiæ, quibus ſinguli hoc anno exercitus conſtare deberent, adferri juſſit: quem ubi Nucerius recitat, ille complures Prætorianorum Centurias iis exercitibus attribui, atque adeò paucas circum ſe quæ cuſtodias de more agitarent, manſuras animadvertit. Ibi verò ſolito commotior Nucerium graviùs increpat, qui ſeſe expurgare conatus alterius denique operam Regi acceptiorem quidem, non autem fideliorem fore ait: ille verò ita reſpondit, uti quod Nucerius de diſceſſu ſuo poſtulare videbatur, id factum, an infectum vellet in incerto eſſet: quamobrem Chavignius qui fortè aderat, Nucerio ut ne quid ampliùs diceret, animumque Regis exacerbaret, innuit, ſeducitque hominem, atque hortatur, uti quod ab Rege ſibi dictum fuerat, atque ipſe viciſſim reſponderat, ejus ne meminiſſet, ac porrò pergeret negotiis operam dare, nihil enim Regem obſtiturum videri. At Nucerius ſeu abire certus, ſeu ſi abeundi conſilium oſtentaret, Regem ſibi uti manere vellet ſupplicaturum credebat, (tantùm de ſe homines plerumque ſentiunt) poſt paulò Chavignium adit, ac poſtulat, uti ſibi ab Rege diſcedendi facultatem impetret: ille iterùm hominem ab hoc conſilio deterrere, dein ubi pergit obſecrare, atque obteſtari, ut iſthanc ſibi operam dare ne gravaretur, neque ſe ab ſuâ deduci ſententia ſinit, tùm Chavignius id liquidò ſe negare facturum, aut commiſſurum, uti de hujus ſeceſſione quidquam ab ſe profectum fama ferat. Nucerius quod ab Chavignio negatum fuerat, id ab Mazarino flagitatum iit: qui oblatam occaſionem tàm optatam, haudquaquàm ſibi dimittendam cenſuit: ut ne tamen lubens id facere videretur, impenſiùs ſimulare haud ſibi probari Nucerii de ſeceſſione conſilium, multaque dicere, ſed ea levia, ſicuti ab hoc hominem deducere vellet: ille tantò magis inſtare, orare, ac vix tandem exorare viſus, uti ſibi morem gereret. Itaque Mazarinus de omni aliâ re cum Ludovico agens, nam cum eo quàm cum Nucerio ſimulatione magis egebat, de hoc mentionem injicere, Regis ut ſit animus

1643. erga hominem explorare, dein ubi lenem, atque clementem eſſe ſentit, tantò magis hunc inſtare ait, uti ſibi poteſtas abſcedendi fiat. Rex Mazarinum ad Nucerium adire jubet, ſi manere velit, hunc ad ſe protinùs adduceret, ſin abire pertendat, ſuis verbis poteſtatem faceret. Ita hominis quem Mazarinus Aulâ pulſum volebat, huic ipſi ſors permiſſa. Ille Danguſium ſuum rus nobile quod non ita pridem comparaverat, poſtridiè ſeceſſit. Cùm huic Mazarinus Regis verbis diſcedendi poteſtatem feciſſet, quia fortè præter ſpem evenerat, *Quid* inquit *amici mei facient?* Ignarus quàm pauci ſint, qui res alienas ſuo periculo curare velint, & quos ubi his ſecundæ res erant, coluere, eos ubi in adverſa mutavêre, obſervare pergant.

Ubi Nucerius ab Aula diſceſſerat, eò Melleraius advenit, qui primùm cum Mazarino de amico Aula pulſo graviter conqueſtus eſt, atque expurganti ſe, dicentique ſe omnia ſedulò feciſſe, ut hominem ab diſcedendi conſilio dimoveret, Melleraius reſpondit ſeſe Italicas artes haud ſatis callere, ſed more Gallico ſicuti natura ferret, agere: cùm autem Mazarinus nihil his verbis commotus placidè colloqui perrexiſſet, Melleraius ſibi temperavit, & cum bonâ vtrimque gratiâ diſceſſum eſt. Hic verò ad *a* Eſiæ pontem Nucerium viſens iit, undè ubi Germanifanum redierat, ad Regem adiit, qui hunc de Nucerio dicere incipientem obturbavit, ac nihil pluribus opus eſſe ait, neque enim quæ ad hujuſcemodi homines pertinerent, de iis ſibi haud magnoperè laborandum videri: hæc Regis oratio Melleraium obſtupefecit, quam nihil ad ſe attinere velle viſus eſt, quò factum eſt, uti ſuæ de Nucerio finem faceret.

a Pontoiſe.

Nucerius unus ex Quatuorviris ab Epiſtolis, & Negotiis erat, ſicuti ſuprà diximus, atque ea quæ ad bellum, & exercitus pertinebant, procurabat, quorum tanta erat eâ tempeſtate moles, ut in ejus locum alium quempiam properè ſuffici neceſſe eſſet. Duo erant qui hunc Magiſtratum petebant, Avauxius de quo ſuprà memoravimus, vir clariſſimus, atque in magnis negotiis foris verſari ſolitus, quæ cum laude maximâ in Italiâ, Germaniâ, Sueciâ, Poloniâque ſæpiùs in eas regiones extra ordinem Legatus geſſerat, ubique ſummam ſolertiæ, atque probitatis famam ſimul adeptus: alter erat *b* Michaël Particellus Almericus unus è minoribus Quæſtoribus, qui pridem Quæſtor miſſus in Italiam ad exercitum, Pacis quæ eò confecta cùm Hiſpanis fuerat, negotio unà cum *c* Thoiraſio, & Serviano operam contulerat, dein Legatus apud Sabaudiæ Ducem factus: ſed neuter Quatuorvir eſt creatus, nam Mazarino callido, atque prudenti in primis viro eâ tempeſtate cautio fuit, ut ne quis ingenio validus, & qui omni reipublicæ gerendæ par haberetur, Reginæ ſatis noteſceret, eò Avauxium de Pace Monaſterium Veſtfalorum, ſicut & Chavignium legari placuerat, neque Quatuorviratum Almerico mandari conſilium fuit, qui adminiſtrandis Ærarii rebus magis idoneus erat. Igitur venit in mentem Magiſtratum hunc cuipiam mandandi, qui quantò longiùs tùm eſſet ab ea ſpe, tantò majorem ſibi ex eo adepto

b Particelli Aimery.

c Le Maréchal de Thoiras.

gratiam deberet. Is fuit *a* Michaël Tellierus, qui pridem in Italia *b* Quæſtor apud Regis exercitum erat: eò & antè triennium Mazarinus extra ordinem fuerat Legatus, quem Tellierus diligenter coluerat, atque obſervaverat, neque id ingratum Mazarino, vix enim cuiquam Quæſtoris amicitia damno fuit. Hunc quippè ferunt unà cum Chriſtina Regis ſorore Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis matre rationem iniſſe, quò hæc ipſi Legatio non oneri ſicuti fermè accidit, ob ingentes qui ab Legatis fieri ſolent ſumptus, ſed & lucro eſſet. Igitur Mazarinus Regem nactus multorum ſibi Quatuorviratum habere volentium petitione fatigatum, negantemque ſe ullius eorum operâ in hoc gerendo Magiſtratu uſurum, opportunè quod ad rem maximè conferre viſum, Tellieri mentionem injecit, hominis ingenium, induſtriam, fidem collaudans. Ibi Rex magis uti moleſtiâ quæ ſibi ab petentibus continuò adferebatur, animum levaret, quàm aut Mazarini autoritate; aut his quæ de Telliero verè dixerat, adductus, hunc abſentem, atque nihil hujuſcemodi cogitantem, nedùm de Quatuorviratu fatigantem delegit, qui hujus munia obiret, atque hunc Magiſtratum ubi Nucerii abdicatione, aut alio pacto vacuus foret, planè haberet. Certè id omnibus probatum eſt, nam quos magiſtratus Tellierus alium poſt alium uſque geſſerat, in iis eo modo agitaverat, ut ampliore dignus haberetur. Sed nemo omnium in Aulâ fuit, quin crederet Mazarinum cum Chavignio conſultaturum, quem in Nucerii locum ſufficiendum cenſeret, tantæ inter ambos neceſſitudinis cauſæ eſſe videbantur, quod non eſt tamen ab illo factum, neque eò minùs Avauxius, & Almericus Chavignio ex repulsâ perindè offenſi fuêre; ac ſi ambobus obſtitiſſet, quod falsò ab iis creditum. 1643.

a Le Tellier. *b* Intendant de Juſtice & Finances.

Interea Campania *c* Ludovici Borbonii Sueſſionis morte dudum vacua *d* Franciſco Hoſpitalio Haliero Equitum Tribuno, *e* Lotaringia Lenuncurio Provinciæ decretę: hic Claromontio finitimo utrique Provinciæ Oppido, atque Arci Præfectus erat, pretereà multa benè, fortiterque geſſerat in acie, & prę liis queis & ſine imperio, & cum imperio ſicuti Caſtrorum Pręfectus interfuerat: Halierus unius Cuſtodum regii Corporis turmæ Dux, Caſtrorum Prefectus, dein Equitum Tribunus creatus, ſæpiùs exercitûs etiam ante Tribunatum Equitum quod rarò fit, ductaverat, ipſe Lotaringiam obtinebat, quam tunc depoſuit, uti Campaniam haberet.

c Le Comte de Soiſſons. *d* Le Maréchal de l'Hôpital. *e* Le Marquis de Lenuncour.

Sed eâ tempeſtate tametſi Regis valetudo infirmior in dies fieret, nullam tamen de republica curam omittebat, ſupra corporis vires ingenio validus. Duo ipſi ex Anna uxore filii erant, quorum alter natu major cum quinquennis modò eſſet, cui interea dum adoleſceret, rempublicam permitteret, anxius erat. Veniebat in mentem illorum temporum, quibus hæc penes Mariam matrem fuerat, atque hanc ex unius hominis maximè conſilio, atque judicio qui peregrinus erat, omnem geſſiſſe rempublicam: hanc primò factionum, dein belli civilis cauſam fuiſſe. *Ita ab natura comparatum, uti mulieres ad parendum, non ad imperandum natæ ſint. Id pauciſſimas rectè feciſſe; ab cæteris multa mala in rempublicam orta, quam*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1643. *plerumquè peſsùm dediſſent. Annam uxorem bonam hanc quidem, ſed amicitiâ facilem ab malis viris, atquè mulieribus uſque circumventam, factionibus, & partibus ſtuduiſſe: quæ quanquàm in Richelium factæ videbantur, tamen quia huic fidem habebat maximam, haud æquum fuerat uxorem aliter ſentire.* Cæterùm Anna diù multumque fuerat in poteſtate Mariæ Rohanæ Mombaſo-
a Le Duc de Luine. næ, quæ primùm *a* Carolo Alberto Luinæo, dein poſt hujus mortem
b Le Duc de Chevreuſe. *b* Claudio Guiſio Caproſo nupſerat: huic fœminæ audacia virilis, cætera præthereà quæ ſupra mulierem ſunt, cordi fuêre, animus inquies, factionum avidus, quas alias ex aliis ſerere ſtudebat. Gaſtonem fratrem Ludovicus pernoverat, haud ſecùs quàm Annam iis quorum eſſet in poteſtate obnoxium, atque ex eorum lubidine rempublicam ſi ipſi permitteretur, planè geſturum.

Sed intereà æſtivorum tempus appropinquabat, monebatque de provinciis quò bellum porrò gerendum erat, uti maturè decerneret, qui-
c Le Duc d'Anguien. bus has dari placeret. *c* Ludovico Condæo Angiano Belgium decretum
d Le Maréchal de l'Hoſpital. cum exercitu, atque huic Legatus fuit *d* Hoſpitalius Halierus, de quo ſupra memoravimus, vir maturâ ætate, & ſcientiſſimus belli, qui adoleſcentem conſilio, atque operâ juvaret. At in eo compertum eſt quorumdam animis ſicuti audaciam, ita & prudentiam ab naturâ ineſſe, uti nati Imperatores potiùs quàm facti videantur, neque iis neceſſe eſſe, ut ad id locorum per omnes militiæ gradus adſcendant, ſicut ex iis quæ poſteà commemorabimus palàm erit. Is igitur ab Urbe paludatus in Provinciam profectus eſt, magnâ omnium ſpe, quam de hujus virtute ani-
e Le Prince de Marſillac, la Rochefoucauld. mis præceperant. Priuſquam ab Aulâ diſcederet, *e* Rupifocaldum Mar-
f Coligny d'Andelot. ſillacum Reginæ clientem cum *f* Colinio Andeloto item Angiani cliente egiſſe ferunt, ut inter ambos conveniret, ſcilicet Angianum Reginæ commodis, ac rationibus fideliter ſerviturum, Reginam vero hunc quantùm citrà Gaſtonis offenſionem poſſet, ornaturam, atque aucturam.

Cùm Rex in dies magis, magiſque hæſitaret, cuinam Procurationem Regni per filii pueritiam permitteret, nemo ex Adminiſtris ferme audebat, quid huic conſilii eſſet explorare, ut ne ſuprà quàm ipſe vellet, expiſcari viderentur: prætereà hominem quotidianis de republicâ curis, & morbo qui ſuâ diuturnitate magis, quàm vi corpus ſenſim, atque animum conficiebat, fatigatum, ad hoc ſuſpicacem eâ de re uti decerneret urgere religio erat. Cùm tamen certiores facti eſſent ab Medicis XV. Calend. Maias morbum adeò ingraveſcere, uti tempus adeſſet providendi, ſi quid reipublicæ Rex in futurum conſultum vellet, Condæus, atque Mazarinus haud ampliùs tergiverſandum cenſuêre, ſed ex omnium Adminiſtrorum ſententiâ ad Regem adiêre. *De hujus valetudine Medicos ſpem nondùm abjeciſſe dixêre, cæterùm hanc ſicuti cuncta mortalium incertam eſſe: quod reliquum vitæ ſit, id reipublicæ in futurum conſtituendæ ſi dederit, magnam ex eo rebus antehàc præclarè ab ipſo geſtis gloriam, famamque acceſſuram.* Ubi Rex id ſibi ſatis placere oſtendit, Condæus Reginæ prudentiam, virtutem, bonitatem collaudat: de Gaſtone verò ita locutus eſt, uti ſpecie expurgantis quæ antehàc deliquerat, ea Regi

1643.

ad memoriam redigeret, ſicuti magis adversùm Richelium, quàm adversùm Regem ipſum, ac rempublicam facta fuiſſent: quod quidem ut ne Gaſto ab republicâ gerendâ per fratris filii pueritiam amoverêtur, valere poterat, non autem ut omiſsâ Reginâ huic permitteretur, quod Condæo graviſſimum accidiſſet. Sed cùm etiamtùm Rex neutri ſe ſatis rectè rempublicam permittere poſſe crederet, ibi verò Adminiſtri rationem inière quò id præclare fieri poſſe ſentîrct, ſi videlicet Reginæ Procurationem Regni tradendo, huic Conſilium inſtitueret, ita ut neceſſe haberet ex plurium qui huic adeſſent ſententiâ de omni republicâ decernere, quod quidem Regi omnino probatum eſt, atque eâ de re Edictum perſcribi juſſit. Id in hanc ſententiam factum, uti penes Reginam Procuratio Regni foret, Gaſto Regi puero cujus vices obitura Regina erat, in omnibus Provinciis Legatus eſſet, item regii Conſilii princeps, ac per hujus abſentiam Condæus, & utroque abſente Mazarinus: huic Conſilio præter hos tres, ac Petrum Seguierum Regni Cancellarium, Claudius Buthillerius Summus Regni Quæſtor, ac Leo Buthillerius Chavignius filius Quatuorvir adeſſent, quæ ad rempublicam pertinerent, ea ex horum ſententiâ Regina decerneret, Poteſtates, Imperia, ac majores Magiſtratus mandaret, ac ſingillatìm Primarii in Senatu Præſidis, Cognitoriſque regii, majora verò ſacerdotia ex Mazarini ſingillatìm ſententiâ: ſi quid humani Reginæ impenderet, priuſquam Rex filius adoleſceret, ex ejuſdem Conſilii ſententiâ, de Procuratione Regni hæc ipſa quid optimum factu videretur conſtitueret, ediceretque. Reginam diximus antehac in poteſtate Mariæ Rohanæ Mombaſonæ fuiſſe, quæ cum *a* Carolo Albaſpinæo Caſtronovano congruebat. Is per Richelii tempora Procancellarius hujus operâ creatus nihilò minùs hominem fuerat inſectatus, unâ cum Rohanâ Mombaſonâ, atque ipsâ Reginâ: quamobrem ille Inculiſmam deductus, atque eò in arcem conjectus fuerat, Rohana vero Mombaſona finibus Regni diſcedere coacta: qui ſi redirent in Aulam, facile Reginâ ex voluntate uſuri videbantur, atque rempublicam invaſuri. Eò cavere viſum, ut his ſancitâ demum Gallos inter, & Hiſpanos pace in Aulam redire liceret, ſi ita Reginæ tunc ex Conſilii ſententiâ videretur. Adminiſtri Reginæ, Gaſtoni, atque Condæo, ac denique ſibi præclare conſuluiſſe videbantur: Mazarinus Gaſtoni, atque Condæo propè æquando ſe, ac prætereà cavendo, ut ex ſententiâ ſuâ ſacerdotia ab Reginâ darentur: Seguierus Caſtronovanum ab Aulâ arcendo: Buthillerii haud ferme diſparem ab cæteris in republicâ gerendâ potentiam adipiſcendo. Edictum id Chavignius ad Reginam tulit, cui quamvis ſuprà quàm dici poſſit, ægre eſſet rempublicam ita gerere, uti cuncta haud fermè magis ab ſe penderent, quàm ab cæteris, qui Conſilio adfuturi eſſent, tamen ſatis tùm habuit, ſibi Regni Procurationem tradi, cui ubi vir è vivis abiiſſet, omnia prona fore viderentur.

a Charle de l'Aubepine, Marquis de Châteauneuf.

Intimus tùm hujus conſiliis erat *b* Auguſtinus Potierus Bellovacenſis Epiſcopus, ſacris apud eam Præfectus: qui quò magis hanc in Admi-

b Auguſtin Potier Evêque de Beauvais.

1643. niſtros accenderet, eò quos vellet pellendi majorem poſthàc ſibi copiam fore arbitratus, haud ceſſabat hos apud Reginam criminari, accuſare graviùs, dictitare. *Regi autores fuiſſe, uti ſibi æquè, ac ipſi Reginæ Procurationem Regni traderet. In illius reliquâ paucorum dierum potentiâ magis, quàm in Reginæ fide, & gratiâ ſuæ dignitati præſidium quæſiiſſe: quod quàm infirmum ſit, maximâ Reginæ intereſſe, uti reipſâ ſentiant: diſſimulandam tamen in præſens injuriam, ut ne Regem mutatâ ſententiâ ad Regni Procurationem Gaſtoni tradendam impellant.* De Gaſtone magnoperè metuebat Condæus, ut id honoris, atque potentiæ aſſequeretur: cum enim nihil inter hunc, atque Gaſtonem medium ſit, eò ſe huic quodammodò parem arbitrabatur: at ſi Regni Procurationem adipiſceretur, huic parendum fore, atque eâ causâ longè ſuperiorem futurum: nam unicuique ægrè eſt, quempiam ejuſdem ordinis ſupra ſe extolli, eò Condæus Adminiſtros prenſare, colere, collaudare Edictum, quo ſibi egregiè caviſſent, id ut inviolatum foret, ſeſe daturum operam, poſtremò fautorem ipſis futurum, quorum ubi Ludovicus obierat mortem, nihil planè præſtitit.

Sed Ludovici in dies morbus ingraveſcebat, quò factum eſt ut Edicto recitando diem diceret. Id factum xii. Calend. Maias Reginâ, & duobus filiis coràm, Gaſtone, Condæo, Mazarino, Seguiero, & Buthilleriis: adfuêre præterea Duces, & Pares Franciæ, Equitum Tribuni, atque omnis Aula: dein Rex Annam Reginam, & Gaſtonem Edicto nomina ſua adſcribere juſſit, & uti de eo ſervando jusjurandum pollicerentur, utrumque rogavit, quod factum ex ſententiâ eſt: poſtremò in Regis Conclave vocati ſunt Primarius Senatûs Præſes *a* Matthæus Molæus, alii Præſides, atque duo ex unâ quâque Claſſe Conſiliarii, præterea Cognitor, atque Actores regii: hos Rex edocet, quo pacto reipublicæ poſtquàm è vivis abiiſſet, gerendæ proſpexiſſet, orat, atque obteſtatur, uti ſi hanc ſalvam velint, dent operam ut Edictum firmum, ratumque ſit, neque quidquam ſecùs fieri patiantur: Gaſtoni, atque Condæo, prætereà Seguiero Cancellario negotium dat, uti poſtridiè in Senatum eant, quâ die Edictum promulgari, & in acta Senatûs referri jubet. Id poſtridiè ſicuti Rex præceperat factum, magno omnium qui aderant conſenſu. Ipſe Actor regius *b* Audomarus Talonus pro Cognitore regio ut in tali re ſolet, verba faciens Ludovici prudentiam ad cælum tollere, nihil parcere laudibus, poſtremò ea dicere, quibus ſignificaret Edicto optimè reipublicæ conſultum videri: poſteà verò quàm quædam in Edicto haud ſatis Reginæ placêre ſuboluit, ibi verò dici cœptum id Adminiſtris fraudi fore.

a Matthieu Molé.

b Omer Talon.

Intereà pro more Chriſtianorum Rex Delfino filio Prænomen dari juſſit: id factum in Templo abſque ſolito apparatu, quoniam Regis morbus ingraveſcens luctum magis ſuadebat. Pro Delfino fidejuſsêre Julius Mazarinus, & *c* Carola Margarita Mommorantia Condæi uxor, quæ Ludovici prænomen Delfino dandum indicavit. Id Principi fœminæ Mazarinus honoris habuit, ut ipſe ab indicando prænomine abſtineret, caſque

c Charlotte Marguerite de Mommorancy Princeſſe de Condé.

que huic deferret partes. Regis modò Prænomen Edictis, Mandatis, Diplomatibus, Epiſtolis inſcribitur, neque alio nomine dum regnat, aut poſtquam regnare deſiit, apud poſteros appellatur, addito ſi plures ejus nominis regnaverint, quotus ſit, de quo fiat mentio, atque adeò Prænomen dari Delfino quam primùm neceſſe fuerat. Cæterùm magnificum fuit Mazarino pro Delfino fidejubere; nam ea fidejuſſoris cum eo pro quo fidejubet neceſſitudo inter Chriſtianos haud levis ducitur, cui propè patris loco eſt. Ab his ſacris Delfinus ad patrem deducitur, cui de Prænomine percunctanti reſpondiſſe ferunt ſeſe Ludovicum appellatum, ſed nondum XIV. eſſe, pater XIII. hujus nominis erat. 1643.

At Rex menſis Aprilis reliquos dies, & Maii primos prout morbus augeſcebat, remittebatve, variè exegit. Eâ tempeſtate Cæſar *a* Vindocinus Henrici IV. Regis ex concubinâ filius è Britanniâ Inſulâ rediit, quò per Richelii tempora profugerat, ſuſpectus in caput hominis ſicarios ſubornaſſe. Hunc Rex benignè excepit, neque enim id incœpiſſet, necne, ſatis compertum fuerat, nam purgandi ſui causâ cùm in Aulam venire ſe ſimulaſſet, aliò converterat iter, atque exulare, quàm Richelio ſeſe permittere maluerat. Rediit & ab Florentiâ Tuſcorum *b* Catharina Henrica Jouſia amiſſo illic viro Henrico *c* Guiſio, & Juinvillâ filio, qui magna virtutis documenta in Italiâ prima ſtipendia faciens dederat, hæc & ab Rege benignè excepta eſt.

a Le Duc de Vandoſme.

b La Ducheſſe de Guiſe Doüairiere.

c Le Duc de Guiſe, & le Prince de Joinville.

Ubi ad VII. Id. Maias ventum, ibi verò de Regis ſalute conclamatum videri. Gaſto, & Condæus qui Germaniſano interdiu commorabantur, Urbem ſub noctem repetentes eò pernoctabant: at conſtituêre poſtridie apud Germaniſanum pernoctare: ortum id ab Condæo, qui eò ſe ſuos adducturum ait. Ex eâ oratione incidit ſuſpicio, hunc ſi quid facto opus eſſet, validiorem in Aula eſſe velle, adeoque poſtridie Gaſto item ſuos monuit, uti Germaniſano haud procul parati, intentique eſſent, ſi quid eorum operâ egeret, ipſe paulùm ampliori quàm ſolebat comitatu Germaniſanum advenit: propterea viſum apud Delfinum cuſtodias agi, & ad veteris Regiæ portam collocare ſtationem, fores clauſæ fuêre, oſtiolum modò patuit. In hac vetere Regiâ Delfinus, Rex in novâ agitabat. At Gaſto ubi videt Condæum ſuam modò penes ſe habere familiam, miſit ad ſuos, præcepitque ut ad Urbem redirent.

Pridie Id. quæ dies Ludovico poſtrema fuit, Bellovacenſis Epiſcopus de quo ſupra memoravimus, toto matutino tempore ab novâ, ad veterem Regiam ſicuti gratiâ, atque potentiâ jam adeptâ commeare, mittere, monere, præcipere quid facto uſus eſſet, *d* Renatum Potierum Treſmæum propinquum, qui unius Cuſtodum regii Corporis turmæ dux eſt, Delfino cum aliquot ex his Cuſtodibus adeſſe jubet, eodem Regina Cæſarem Vindocinum, & *e* Belfortium filium mittit. Sed tum primùm exiſtimandi copia fuit, cum quibus ingeniis mox Adminiſtris conflictandum foret: Vindocinus homo callidus, inquieto animo, Richelio dùm viveret, quoniam apud Regem gratiâ valebat, infenſiſſimus, Belfortius filius ingenti vir animo, at non perinde conſilio, Bellovacenſis Epiſcopus

d René Potier Comte de Treſme.

e Le Duc de Beaufort.

D

1643. vultu, atque ingenio ſeveriore, quàm ut cum cæteris concordare facilè poſſe videretur. Horâ denique poſt meridiem ſecundâ Ludovicus mortem obiit. Animæ ſaluti priùs conſuluerat, per diuturnum morbum in ſupplicando frequens, cæterâ vitâ piè, ſanctéque exactâ. Res publica ex Adminiſtrorum, quos nactus erat, ingenio variè geſta, ſed hanc ubi Richelio permiſerat, incredibile memoratu eſt quàm præclarè floruerit: domi rebellium Sectariorum, foris Hiſpanorum opes contuſæ: in Italiâ, Belgio, Hiſpaniâ ipsâ, in Germaniâ Auſtriaci malè habiti, eò arces, oppida capta, provinciæ occupatæ, terrâ marique victi hoſtes. Sed in eo Principe nullam magis virtutem, quam celeritatem laudaverim, quâ ſæpiùs occupata civium rebellantium, aut hoſtium conſilia, illi inter nefarios, ac periculoſiſſimos conatus oppreſſi: ſed eadem illa celeritas ubi res moræ indiguit, quandoque Ludovico fraudi fuit: nam eâ re infectâ diſcedere impatiens animus properabat, ni Richelii autoritas attinuiſſet. Cæterùm illi ingenium mediocre, ſui diffidens, ſuſpicioſum, ad ſeveritatem, quàm ad clementiam proclivius, quo factum eſt uti quoties in matrem, fratremve quidpiam gravius rei publicæ cauſâ Richelius ſuaderet, nihil pietas, caritaſve obſtaret, quominùs id factum vellet.

Mortuo Ludovico Anna ab novâ in veterem Regiam in quâ Rex filius agitabat, ſtatim rediit, accerſitoque puero Condæum Palatio Præfectum huic jusjurandum dicere juſſit. Magnus erat in Reginæ Conclavi hominum concurſus, jamque ad Urbem profectura cum Rege filio videbatur: ſed uti diei tempus erat, in craſtinum dilata eſt profectio. Appetente nocte Regina proximorum dierum labore, & vigiliis circum Regem virum actis feſſa paulùm requieſcere velle viſa, adeoque Belfortium ad Condæum mittit, rogans, ut omnes qui aderant abigere vellet, hic Reginam ait ſi quid ſe vellet, id poſſe per Ducem Cuſtodum corporis ſignificare, cujus hoc munus, non Belfortii eſſe videatur, quæ res ferocem Juvenem, atque tunc cum maximè Reginæ gratiâ præclarum impulit, uti Condæo reſponderet, ſeſe ab nemine prohiberi poſſe, quæ Regina juberet, ea ut ne exequeretur: ſed hæc turba ſtatim ſedata, cujus tamen memoria in utriuſque animis reſtitit. Alii dixêre Belfortium qui aderant in Reginæ Conclavi eos faceſſere juſſiſſe, quod cùm hunc Juvenem ſibi quidpiam novæ potentiæ ſumere oſtentaret, id Condæo haud ſatis placuiſſe, atque adeò monuiſſe graviter, has non alterius quàm Ducis cuſtodum Reginæ corporis partes eſſe.

Cùm Regina profectionem ad Urbem in craſtinum conſtituiſſet, eâ de re Senatum, *a* Herculem Rohanum Mombaſonum Ducem Præfectum Urbi, atque urbanos Magiſtratus certiores facere viſum, uti Regi, atque Reginæ matri ubi adveniſſent præſtò forent, qui & paternum filio obtigiſſe Principatum gratularentur, jusjurandum de more pollicerentur, & quid Regina fieri vellet, juberetque reſciſcerent; Senatum ad Regem in veſte purpureâ venire debere Adminiſtri cenſebant, qui huic jusjurandum polliceretur, negabant verò Patres ſe novum Re-

a Hercule de Rohan Duc de Mombaſon.

gi regnare incipienti juſjurandum polliceri, aut ad hunc eâ causâ univerſum Ordinem venire ſolere: miſère modò qui de Principatûs initio gratularentur, & Senatûs obſequia deferrent, ſimul Regem, atque Reginam matrem docerent, *Nihil priùs uſque novus Regibus, atque antiquiùs fuiſſe, quam venire in Curiam, atque eò primùm frequenti Senatu capeſſendi Regni initium facere, quod Regem ipsâ autore Reginâ matre facturum ſperarent.* Hæc nonnihil hærebat, quid ſibi faciundum eſſet dubia, atque incerta: huic certè parùm placebat ſibi propè æquatos Gaſtonem, atque Condæum in Regni Procuratione, quin & omnes qui Conſilio adeſſe deberent Adminiſtros, cùm ex plurium ſententiâ ſibi res omnis publica gerenda eſſet, rem uſque inauditam, atque ab Regibus, aut qui horum vices geſſerint, alienam, poſtremò regiæ quæ penes ſe tantiſper eſſe debeat, potentiæ planè contrariam. Sed quamvis Adminiſtri Edictum de Regni Procuratione fabricaſſent, ubi tamen perſpexerant quantùm iſthuc Reginæ grave eſſet, ad hanc ſubitò poſt Regis viri obitum adierant, profeſſique fuerant, *Seſe nihil obligatam Reginam velle, aut cenſere, ex hoc Edicto, non modò ut ex plurium qui Conſilio adfuturi eſſent, ſententiâ rem publicam gereret, ſed ne uti quidem eorum conſilio, judicio, aut operâ in hac gerendâ uteretur, quod omnino ex hujus voluntate pendere debeat: ab ipſis Ludovico in eâ re morem geſtum oportuiſſe, quò lubentiùs ad id quod æquum erat de Regni Procuratione Reginæ tradendâ adduceretur, ſeſe id & ſcripto ſi ſatis huic placeret, profiteri paratos.* 1643.

Mirum eſt graves, ac ſapientes viros exiſtimaſſe Regis mortui Edicto, tametſi & Reginæ, & Gaſtonis nominum adſcriptione, præterea jurejurando firmato, ſibi ſatis cautum fore, ut utrique in republicâ gerendâ prope ſocii forent, in quo certè quod ab his peccatum fuerat, quantocyùs correctum oportuit. Gratum id quidem, acceptumque Reginæ fuit, atque adeò minùs hanc, atque Regem filium ire in Curiam neceſſe videbatur: nam promulgato, atque in acta Senatûs relato Ludouici Regis de Regni Procuratione Reginæ uxori traditâ Edicto, nihil opus eſſe viri Principes, atque Adminiſtri cenſebant, uti porrò eâ de re in Senatu ageretur: præterea cùm in Mariâ Ludovici XIII. matre totum de Regni Procuratione huic tradendâ negotium Senatus ſibi ſumere voluiſſe videretur, cavendum arbitrabantur, ut ne id porro ſui juris eſſe crederet: ſed qui Adminiſtris haud ſatis æqui tùm fuêre, ac Bellovacenſis Epiſcopus maximè qui fratrem in ſenatu Andream Potierum *a* Novionem habebat Præſidem, atque alios propinquos, ii Reginæ perſuaſère, *Ipſi ſatiùs eſſe quod de Adminiſtris Edicto Regis viri cautum fuiſſet, id ab Rege filio in ſenatu ſedente pro Tribunali infirmari, quam ſicut illorum habere meritum, ac beneficium: quod fecerint id haud ſatis ſolemne, aut validum eſſe adverſus Regis Edictum promulgatum in Senatu: hunc Ordinem ſicut humanæ ſe res habent, poſſe ab ipsâ poſthac diſſentire, apud quem ſi Adminiſtri ſeſe coactos ab jure ſuo diſceſſiſſe mox expoſtulent, ſcilicet ut ex plurium ſententiâ ſicut Edicto Regis de Regni Procuratione cautum ſit, Regina rempublicam adminiſtret, Senatui poteſtatem fore, ut id nihilomi-*

a Potier de Novion.

1643. *nus fiat, decernere: ſin autem ad hunc Ordinem ultrò Regina rem deferat, hunc haud dubiè ſecundùm ipſam decreturum, atque huic eò impenſiùs quæ voluerit omnia deinceps obſecuturum.*

Inter hæc Gaſto qui miſſi ad Reginam ab Senatu fuerant, eos edocuerat, *Sibi perinde grave, atque illi fuiſſe, utrique æquatos Edicto Regis omnes Adminiſtros, atque neceſſitudinem Reginæ impoſitam, ut horum conſilio, judicio, atque operâ in re publicâ adminiſtrandâ utatur, quod novum, atque inſolitum in Regno ſit: Reginæ enim quæ Regis filii vices geſtura ſit, æque liberum eſſe debere, ac ipſis Regibus quos velit in Conſilium de re publicâ adhibere: idem ſentire Condæum, atque ſe confidere Senatum ut id corrigatur ſecum operam daturum:* Condæus Gaſtonis orationem paucis confirmavit. Ambo ea de re cum Regina congruebant, cùm ſuâ ſponte, tùm quia utrumque in ſuam ſententiam duarum pactione provinciarum adduxerat, quarum altera Gaſtoni, altera Condæo, aut Angiano filio deſtinata.

Poſtridiè Rex cum Anna matre venit in Curiam, ac pro Tribunali ſedens paucis Senatum eſt allocutus, neque pluribus puer poterat. Regina hujus excepit orationem, dixitque *Se dolore ex viri morte impeditam nihil uſque publicæ rei gerere potuiſſe, cum autem pridiè miſſi ab Senatu hujus verbis Regi ſalutem dixerint, fidemque hujus Ordinis adversùm hunc perpetuam fore atque huic ſupplicaverint, ut in Curiam venire vellet, atque eò in majorum ſedere Tribunali, ac regnandi feliciter initium facere: id ſe verò fieri æquum cenſuiſſe, & unà cum Rege filio in Senatum veniſſe, uti quæ ſua in hunc Ordinem benevolentia ſit, coram ſignificaret, quam re ipsâ lubentiùs quoties copia erit comprobatura ſit: confidere ſe Regi filio, ſibique Senatum quæ hoc Ordine digna ſint conſilia, atque operam daturum, uti res publica bene, feliciterque geri poſſit.* Dein Gaſto, atque Condæus eadem ferme quæ pridiè in Regia miſſis ab Senatu dixerant, repetiêre, & quod ad ambos in Regis Edicto quo Regni Procuratio Reginæ tradebatur pertineret, id ſe planè huic permittere profeſſi ſunt, neque alias in republica quam quas ipſa vellet, partes ſibi expetere, aut tributas hoc Edicto velle. Secundum hæc Seguierus Cancellarius de Regis Ludovici morte luculentam juxta, ac gravem habuit orationem, hujus virtutes collaudans, & quantùm in tanto Principe res publica damni feciſſet commemoravit: Regis pueri egregiam indolem oſtendit, quæ Reginæ matris curâ, atque præceptis adjuta reipublicæ ſaluti, ornamento, atque gloriæ futura ſit. *Sed hanc interea Reginæ ipſius virtute, atque prudentiâ fultam benè, feliciterque geſtum iri neminem omnium dubitare poſſe, præterea nihil hujus pietati Deum Opt. Max. denegaturum videri. Certè his fretos Gaſtonem, ac Condæum rectè exiſtimaſſe, illi rem publicam planè permitti æquum eſſe, ita ut in hac gerenda quorum conſilio, judicio, atque operâ utatur ipſi integrum, ac liberum ſit, magis id convenire potentiæ regiæ quæ huic per filii pueritiam credita fuerit, nam quantò major ſit in bono Principe, tantò rei publicæ utiliorem evadere.*

Converſus dein Seguierus ad Cognitorem, atque Actores regios, uti quod dicendum haberent id expromere vellent, innuit. Ibi Audomarus Talonus Actor regius poſtquam Regi, atque Reginæ multa quæ ad

rem publicam rectè adminiſtrandam pertinebant, prolocutus fuerat, atque hortatus ut ab legum æquitate quæ Regibus perinde regnandi, ac populis parendi vera norma ſit, nuſquam diſcedere vellent, cenſuit denique ac Regis nomine pro Cognitore regio poſtulavit, *Ut ex voluntate Ludovici Regis nuper demortui Anna Regina Ludovici Regis filii pueritiæ curam gereret, atque in Regni Procuratione eſſet, Gaſto Patruus huic in omnibus provinciis Legatus, ac præterea regii Conſilii princeps, quod & per hujus abſentiam ad Henricum Condæum pertineret: Reginæ integrum eſſet quorum vellet in gerenda re publica conſilio, judicio, atque operâ uti, nihil obligatam in Conſiliis quæ de hac haberentur, plurium ſententiæ ſtare, ſed quod è republica, & fide ſua eſſe judicaret, id ſtatuere, ac facere.* Poſteà Cancellarius ab his qui aderant, ſententias rogavit, ac poſtremò ab Rege quid vellet, juberetque, dein de more hunc pro Tribunali in Senatu ſedentem ait decernere, Reginam matrem ex Ludovici patris voluntate ſuæ ipſius pueritiæ curam geſturam, & cætera conſimilia his quæ Talonus pro Cognitore regio dixerat, atque poſtulaverat. 1643.

Priuſquam Rex, atque Regina in Curiam veniſſent, Patres inter ſe collocuti fuerant, de abigendis qui priſtinæ Tyrannidi (ita Richelii in republicâ gerendâ rationem quidam appellabant) ſervierant Adminiſtris, ſupplicandumque Reginæ cenſuerant, ut aliorum quorum probitas nota eſſet, operâ uti vellet: ſed id ab omnibus omiſſum ubi ſententiam rogati ſunt, unus modò [a] Joannes Jacobus Barillonus in unâ ex Inquiſitionum Claſſibus Præſes rei hujus mentionem ſed hanc lenem, atque clementem injecit, quo faciliùs in Bellovacenſis ſententiam ab cæteris diſceſſum, qui tantam rem, tamque vtilem rei publicæ ab Reginæ prudentia, & æquitate expectandam eſſe cenſuit, in quo ipſe ſibi fraudi fuit, nequedum enim quid Reginæ de Mazarino ſententiæ eſſet, noverat. Cæterùm quoniam in Senatûs Decreto nulla hujus mentio facta fuerat, eò hunc ſicuti Buthillerium, & Chavignium filium Reginæ inviſum plerique omnes arbitrabantur; neque cui Ludovici viri ratio nuſquam antehac probabatur, in eo quod uni modò Richelio omnem credidiſſet rempublicam, id eam in Mazarino Richelii cliente facturam quiſquam omnium exiſtimabat: ſi tamen placeret exemplum, hoc magis ad Bellovacenſem Epiſcopum ſpectaturum, quàm ad Mazarinum: nam ille in hujus familiâ principem locum pridem obtinebat, cum magnâ pietatis, atque doctrinæ opinione: ſed quid in re publica valeret, neque ipſa, neque quiſquam omnium ſatis ſcibat, ſcilicet cujus nullam uſque partem attigerat: nihilominùs Regina hunc cum cæteris Adminiſtris in Conſilium de omni re publicâ adhibuit, præterea ab Rege filio litteras ad Pontificem dari juſſit, quibus illi Cardinalatum peteret, ubi primùm creandis Cardinalibus Pontifex operam daret. Hæc imago naſcentis gratiæ magnam ſalutantium multitudinem in Bellovacenſis ædes accivit: apud cæteros Adminiſtros haud quaquam par frequentia fuit, quo factum eſt uti Bellovacenſis ſibi facile eſſe confideret, quos ex his vellet, eos loco pellere, atque ipſum maximè Mazarinum: mo-

[a] Barillonus.

1643. nitus tamen ab Regina eſt, ut ipſi de petitione Cardinalatûs gratias ageret, quam eo autore inſtituerat, quod quidem ſatis ſuperque fuiſſe videtur, uti quid Regina de Mazarino ſentiret, Bellovacenſis probè intelligeret: neque tamen animum inducere quivit, huic cum illâ convenire, in quo mirum videtur hominem qui in Reginæ Aula inveteraverat, hanc nondum ſatis cognoviſſe, nihiloſeciùs enim ſicut hujus ingenium quo vellet flectere poſſet, ita omnia dicebat, faciebatque.

Igitur Bellovacenſis Richelio quondam ſicuti diximus infenſus, omnia ejus conſulta, factaque reſcindere, quos amicos habuerat, iis inimicus eſſe, contra qui hunc odiſſent, iis impenſiùs favêre ſibi ingens operæpretium eſſe ducebat. Ita Vindocino cui Britannia provincia Richelii operâ abrogata fuerat, hanc reddere, præthereà Rei navalis Præfecturam dare properabat, ipſius Richelii, aut ejus propinquorum ſpolia: nam Britanniam Carolus Portæus Melleraius, Navalis rei Præfecturam Brezæus ſicut antehàc memoravimus, obtinebant: quin & de Sedano *a* Friderico Mauricio Turrio Buillonio reſtituendo agitaſſe ferunt, poſtremò multarum rerum viris Principibus ab eo ſpem factam, quæ ſine rei publicæ detrimento præſtari nequirent. Cuncta hæc Mazarinus vir callidus hominem moliri ſinebat, uti Regina re ipsâ potiùs, quàm monitu ſuo Bellovacenſem rei publicæ gerendæ haud ſatis idoneum eſſe cognoſceret, neque in ſe ulla invidiæ adversùm hunc ſuſpicio caderet.

a De la Tour, Duc de Boüillon.

Inter hæc Chavignius cùm & ipſe Bellovacenſem apud Reginam gratiâ pollere crederet, rationem inire conſtituit, quâ inter hunc, atque Mazarinum amicitiam, atque gratiam conciliaret: nam ab vetere amico diſcedere, ut ad novum accederet, id verò ſibi neutiquam faciundum exiſtimabat. Itaque per hominem fidum Bellovacenſis animum tentat, conaturque primùm efficere, uti ſibi æquus eſſet: feruntur utrimque conditiones, poſtremò res eò deducitur, uti Bellovacenſis Buthilleriis, ac maximè Chavignio placatus videretur. Litteræ regiæ de Cardinalatu ad Pontificem, & Barberinos, præthereà ad Fontenaium Romæ Legatum quam amiciſſimè ea res fieri poterat, ab Chavignio Quatuorviro perſcriptæ fuerant: præthereà uti ſororis filius *b* Nicolaus Choartius Buzanvallus ad Helvetios legaretur, Chavignius ſeſe daturum operam pollicitus fuerat, quibus rebus Bellovacenſis animum ſibi conciliaverat. Sed ubi de amicitia, atque gratia Mazarinum inter, & Bellovacenſem componenda agere viſum, Chavignius primam hujus rei mentionem Mazarino fieri voluit, ab eo quo interprete apud Bellovacenſem uſus fuerat, cui ille reſpondit, quæ Chavignius cum Bellovacenſi deſignaſſet, ea ſe æqui, bonique conſulere, cæterùm alienæ opis nuſquam indigere, qui mole ſuâ ſtaret, nam his poſtremis verbis latinè uſus eſt; quæ verba plena fiduciæ rem ejus in tuto apud Reginam eſſe indicio erant: ſed id Chavignio occultum habebat, dictitabatque, *Se eâ modò causâ in Gallia reſtitiſſe, ut huic pro maximis in ſe meritis qualem poſſet biſce difficillimis temporibus gratiam referret: nam abſque eo eſſet ſibi ſatius in Italiam re-*

b Choart de Buzanval.

dire, ubi tuta tranquillaque omnia forent. Chavignius gratias agere, conferre 1643.
cum eo de more conſilia, quid ſperaret, metueretve ſicuti fratri patefacere, nam uſque ab Chavignio fratris loco haberi voluerat, patri hujus, matrique dictitans hos non unicum ſicuti rebantur, ſed duos habere filios, neque enim ſe ipſi Chavignio concedere, uti majorem adverſùm hos pietatem haberet. De ſuo in Italiam diſceſſu palàm locutus fuerat, ubi Regina Ludovici viri Edicto de Regni Procuratione modum fieri ab Rege filio ex Senatûſconſulto voluerat, quæ de Adminiſtris pater edixerat infirmando, ne ipſo quidem excepto Mazarino. Sed Regina poſt paulò quàm ab Senatu in Regiam redierat, Condæum ad Mazarinum adire juſſerat, ac dicere homini, ſeſe hunc Adminiſtrum Regis filii Reſcripto, præterea Conſilii regii Principem per Gaſtonis, & ipſius Condæi abſentiam creare velle, quam conditionem ægrè accipere viſus, ſeu id ex compoſito inter hunc, atque Reginam fiebat. Seguierum qui Regni Cancellarius eſſet, omnibus quæ de re publicâ haberentur Conſiliis adeſſe neceſſe erat ex Magiſtratu, atque adeo ex Adminiſtrorum quos Ludovicus Edicto inſtituerat, numero reliqui erant Buthillerii, qui ab illis excluſi viderentur.

Sed alterum modò abigere tum conſilium fuit: nam poſt paulò Regina Bellovacenſem Epiſcopum ad eos juſſit ire, qui utrumque edoceret Reginæ placere, Buthillerium patrem ſummam abdicare Quæſturam, atque ab Aulâ, & Urbe diſcedere. Id verò utrique qui ſibi nullius rei perperàm geſtæ conſcii, & quorum multa, magnaque in rempublicam, ac nonnulla in Reginam merita eſſent, gravius viſum. Quamobrem Bellovacenſi reſpondêre, *Si Buthillerii opera in ſummâ Quæſturâ Reginæ minùs placeret, hanc continuò ſicuti jubeat, abdicaturum: at quæ hujus benignitas, & clementia ſit, non exiſtimare ſe, id ita hanc factum velle, uti quidquam Buthillerii famæ noceat: poſtridiè igitur hunc ſi Reginæ videbitur, ei ſupplicaturum uti ſibi ſummam Quæſturam abdicare liceat, ac continuò factâ poteſtate abdicaturum: quâ re ex Reginæ ſententia confectâ triduum ut in Conſilium ſicut Adminiſtrum venire copia ſit, poſtulare, dein rus abiturum.* Cuncta hæc Bellovacenſis ſeſe Reginæ renuntiaturum amiciſſimè recepit, uti planè ab eo id omne nuſquam ortum eſſe crederes. Sed Mazarinus probè ſciebat Chavignio dudum conſilium fuiſſe, uti pater ſummam Quæſturam abdicaret, de quâ ubi quid Bellovacenſi reſpondiſſent, reſciverat, continuò ad eos venit, quàm ſibi ægrè eſſet ſignificans Reginam de Buthillerio id conſilii cepiſſe, ſed ibi Chavignius hunc ſummo oravit opere, atque obteſtatus eſt, uti dare vellet operam, quò Regina quæ ab hac per Bellovacenſem poſtulaverant, ea facta vellet. Cæterùm, *Quoniam pater in abdicando Magiſtratu antehac tergiverſatus graviter offenderit, non eſſe ſibi conſilium in eamdem fraudem incidere, ſed maturè Quatuorviratum abdicare, pecuniâ in æſtimationem acceptâ. Nihil pacati videre ſe in Reginæ vultu, quæ nihilo magis filio quàm patri æqua futura videatur, cui rei prævertendum exiſtimet: obſecrare Mazarinum pro amicitia, ut in eo ſibi adjutor ſit, quo cæteras fortunas ſuas in tuto collocatum iri credat: nam abdicato Quatuorviratu nihil præ-*

1643. *tereà penes ſe fore, quo invidiam, & cupidinem cuiquam moveat. Quamdiu Mazarinus intactus foret, hunc ſibi præſidio eſſe poſſe, ſin verò uti ſibi conſulat, quoad utrumque inimici petant, expectet, alterum alteri nulli uſui futurum. Non eamdem ſibi, ac Mazarino periculum effugiendi facultatem, cui ubi velit in Italiam diſcedere liceat, intereà adverſùm omnes inimicorum injurias purpurâ ſuâ munitum: ſibi quæcumque fortuna ſit, manendum in patria, uxori, atque liberis proſpiciendum.* Ad hæc Mazarinus Chavignii, atque patris caſum miſereri, *Reginam amaram, atque atrocem dicere, neque ſe tamen exiſtimare hanc quod uterque de abdicanda ab patre ſponte Quæſtura, & ſeceſſione poſt paulò faciunda poſtulaverit, abnuituram: de Quatuorviratu quod Chavignius tantoperè feſtinet nihil eſſe: brevi aut peſſum ituras res ſuas, aut gratiâ apud Reginam omnibus fore potiorem: ſi id opperiri velit, ſuo quidem judicio rectè facturum: ſin id ſatis certum, atque tutum eſſe diffidat, uti luberet facere poſſe: nam ſi ipſe poſthac gratiâ valebit, Quatuorviratum Chavignio, atque alia majora ultrò adventura: intereà daturum operam, ut ipſi quam maxima fieri poterit pecunia in æſtimationem Quatuorviratûs curetur, prætereà ut in Adminiſtrorum numero porrò ſit, atque in Conſilium de omni republica ab Regina de more adhibeatur.* Buthillerio, atque Victori fratri Turonum Archiepiſcopo qui aderat, parum placebat, Chavignium ultrò abdicare Quatuorviratum, ſed res quorſum evaderent, opperiundum cum Mazarino cenſebant. Ita tamen tum diſceſſit ab iis, ut cui Chavignius in ſententiâ permanſurus videretur, & Quatuorviratum abdicaturus, ſi paulùm modò Regina hominem perterrefaceret. Cæterùm de Buthillerio patre ſicut ipſe, atque filius poſtulaverant, ita factum eſt, nam poſtulanti, uti ſummam Quæſturam abdicare, dein poſt paulò ſecedere liceret, facta poteſtas eſt. Sed priuſquàm filio quid acciderit expedio, mihi de re omnium quæ eâ tempeſtate evenêre maximâ dicendum puto.

Richelio mortuo, dein Ludovico Rege gravi morbo laborante ita ut huic vitæ finem adeſſe fama ferret, magnam rerum in Gallia perturbationem fore Hiſpani ſperabant, infirmam mulieris, atque pueri dominationem, virorum Principum, atque Adminiſtrorum factiones, diſcordem Aulam, atque alia omnia, quæ per paucos pueritiæ qui reliqui Ludovico XIII. fuerant annos, ubi regnare cæperat, olim acciderant, tum eventura ſibi fingebant: poſtremò neque Regem per diuturnum morbum, neque Adminiſtros tali ſuo, atque rei publicæ tempore, cuncta quæ in bello vario, & multarum rerum egenti uſui eſſe ſolent, ſatis providere potuiſſe. Ipſi per hybernorum tempus paraverant omnia ſedulò, neque labori, aut ſumptui pepercerant, uti maturè æſtiva inciperent, priuſque Urbem aliquam oppugnaturi obſiderent, quàm ex hybernis copiæ noſtræ diſceſſiſſent. Neque fefellerat Ludovicum id eos conſilii capere, quò magis uti fruſtra eſſent, operam dederat: nam & Imperatorem, & copias numero, atque virtute propulſandis hoſtibus idoneas delegerat.

Belgium quod Philippi Hiſpaniæ Regis eſt, eâ tempeſtate obtinebat Franciſcus Mello vir pacis, quàm belli artibus clarior, atque adeo quæ conſilio

conſilio provideri debuerant, ea feliciùs, quàm ubi facto opus fuit, 1634.
proceſsêre. Is maturè copias ex hybernis eduxerat, atque his in unum conductis acriter Galliæ fines ingreſſus eſt, rem Hiſpanis uſque inſolitam. Sed Angianus ubi primùm hoſtes ad fines venire nuntiatum, diem, locumque quò omnes copiæ noſtræ convenirent edixerat: miſſi ad Franciſcum Potierum *a* Geſvræum Marchionem qui apud Rhemos, & *a* Marquis de Gévre.
ad *b* Eſpenanum qui ad Picardiæ & Campaniæ fines certis copiis præerant, *b* Eſpenan.
qui Angiani verbis juberent paratos, intentoſque eſſe, ut ne in mora forent, ubi accerſerentur: Eſpenano negotium dat, uti Guiſium oppidum neque loco, neque opere ſatis firmum amplius præſidium mitteret, nam quò tenderent hoſtium conſilia adhuc in incerto erat. Idem apud Capellam factum.

Poſtremò Angianus Iſemburgum Comitem ab Mello præmiſſum eſſe reſcivit ad *c* Rupem regiam, qui circum oppidum ſtationes collocaret: *c* Rocroy.
ipſe magnis itineribus ſubſequebatur. Ibi verò Angianus Gaſſioni qui præerat equitatui levis armaturæ, præcepit utì cum quingentis equitibus eò progrederetur, atque eniteretur Rupem regiam quantum fieri poſſet militum introducere. Gaſſio properè Angiani mandata exequitur, nam & appropinquavit circum Rupem regiam hoſtium caſtris, & pulſis quæ longiùs collocatæ fuerant, ſtationibus, uſque ad ipſa principia pervadit. Eò dùm pugnatur acriter, atque ex omnibus concurritur caſtris, ad id modò intentis omnibus, Sclopetarii equites centum ad oppidum contendêre, receptique intra mœnia magno poſthàc uſui fuêre: nam inſtructi grandioribus Sclopetis quibus ad venationem uti ſolemus, ad mœnia defendenda maximè idonei erant, pedites juxta, atque in equis præliari ſoliti. Ubi primùm oppidum ingreſſi factâ cum cæteris militibus, atque aliquo oppidanorum numero eruptione, munitionem extra oppidum pro Mauberti Porta, quâ potiti hoſtes fuerant, pugnando recepêre, alteram quæ pro altera oppidi Porta erat haud tentare *d* Joſrevillæ viſum. *d* Ioſreville.
Is oppido Præfectus erat qui primùm defenſorum paucitate adductus quæ extra oppidum erant munitiones, eas modò tormentis, atque aliis miſſilibus ex oppidi muro protegendas eſſe conſtituerat: nam in iis pugnare manu periculoſum ducebat, ut ne cæſis iis quos in his munitionibus collocaret, brevì deeſſent qui mœnia ipſa defenſarent. In eo tamen plus æquo prudentem fuiſſe compertum eſt, nam per dies ſeptem, quibus hoſtes oppidum oppugnavêre, ita ſuorum operæ, vitæque pepercerat, uti non ampliùs quatuor, atque fœmina una deſiderati fuerint, ex hoſtibus cæſi modò ſeptingenti. Rupes regia in tumulo poſita eſt, qui ex mediâ exurgit planitie: hanc haud ita magnam circumquaque Carbonaria claudit Silva: quinque ex aggere *e* propugnacula, præterea aliæ munitiones *e* Baſtions.
f Semilunas appellant, oppidum cingunt: Cùm tot igitur apud Rupem *f* Demy-Lunes.
regiam munitiones eſſent, pauci autem defenſores, maturare Angiano viſum, quoniam jam hoſtis in oppidi foſſa eſſe nuntiabatur, quo Joſrevillam brevì ad deditionem redigi neceſſe erat. Itaque Geſvræo, Eſpenano, & Gaſſione accerſitis, atque omnibus in unum conductis copiis,

1643. decem ab Rupe regia paſſuum millibus caſtra ponit: dein vocato in Conſilium Hoſpitalio Haliero, cæteriſque quibus id honoris haberi ſolet, de Conſilii ſententiâ ſuppetias oppido ferendas eſſe decrevit, atque ut in craſtinum milites itineri, ſimul & prælio parati eſſent, edixit.

Interea compertò per exploratores duo omninò itinera, eaque perangusta eſſe, quibus per medium ſaltum ad eam planitiem quæ ad oppidum pertinet, perveniretur, eorum altero quinquaginta Illyricos equites, Croatas appellant, ultrà ſaltum pergere jubet: hi ſaltu digredientes hoſtium ſtationes ex adverſo conſpicantur, quâ re Angiano nuntiatâ, is Gaſſionem cum regia equitum ala, ſua Sclopetariorum equitum turma, quam cuſtodiæ causâ habebat, Illyricis equitibus omnibus, atque aliis eòdem pergere, & quidquid obvium foret, pellere quàm longiùs poſſet imperat, uti ſibi in planitiem advenienti aciem inſtruere vacuum eſſet. Id ab Gaſſione factum ex ſententia, prætereà haud procul ab hoſtium caſtris locum paulò quàm cætera editiorem occupat. Ex eo hoſtes caſtris egredientes, inſtruenteſque animadvertit, ſubitoque Angianum ea de re facit certiorem. Is ſaltum prætergreſſus cum Hoſpitalio Haliero, *a* Fertæo Sannectario, & Eſpenano, quæ ſecum erant copiæ, eas inſtructas adversùm hoſtem conſtituit, dein velitationibus perpetuis diſtinet, donec reliquæ copiæ in planitiem deductæ, uti quæque advenerant inſtructæ, & ſuis locis diſpoſitæ eſſent: quædam nondum ſaltum erant egreſſæ, jamque locus iis in planitie collocandis deerat, atque adeò viſum hoſtes ſummovere vicino loco paulùm edito, quo dextrum cornu produxerant. Tum diei veſper erat, conſultabatque cum Ducibus Angianus, vtrùm prælio decertandum jamjam, aut poſtridiè cenſerent, aut nocte proximâ introducendum militem in oppidum, ut aucto deffenſorum numero Joſrevilla diutiùs propugnare poſſet. Haud ſatis diei reliquum eſſe viſum ad incipiundam, conficiundamque pugnam, in ea non gloriam modò, & famam Galliæ, ſed & rem, & ſalutem agi, quæ clariſſimâ luce, uti ſatis proſpicias, provideaſque, indigeant: nullam itaque prælii partem tenebris permittendam, in quibus omnia incerta, & caſu magis, quàm conſultò fiant: neque ſatis placuit militem in oppidum noctu introducere, quoniam & res difficilis erat, & exercitus eò minuebatur, quem ad craſtinam pugnam fortiſſimum, atque firmiſſimum eſſe opus erat, nam hanc ex Conſilii ſententiâ poſtridiè faciundam ubi primùm luceſceret, decrevêre. Idem hoſtibus conſilium fuit, ſicuti ab Gallo equite perfugâ nuntiatum: is de tertia vigilia, relictis quibus meruerat hoſtibus, ad ſtationes noſtras acceſſerat, & ad Angianum deduci poſtulaverat, hunc quid hoſtes pararent edocet, prætereà *b* Beccum cum equitibus mille, & peditum millibus tribus iis adventare ſubſidio, atque horâ diei ſeptimâ adfuturum. Tantò magis in ſuâ ſententiâ confirmatus Angianus antequam luceſceret, quid facto opus eſſet, ſedulò præcipit. Gaſſionem in dextro, Fertæum Sannectarium in ſiniſtro cornu, prætereà cum majore imperio Hoſpitalium Halierum, Eſpenanum in mediâ acie, ubi robur peditum erat, curare jubet,

a Le Marquis de la Ferté-Sennęterre.

b Bec.

a Sirotum Baronem in ſubſidiis eſſe, neque quidquam niſi maximè opus foret, movere. Ipſe inſigni equo, atque armis decoribus egregius ſingulas turmas, atque manipulos circuiens monet, *Uſque adhuc hoſtes mœnibus oppidorum tectos Gallorum virtutem fruſtratos eſſe, magiſque operibus faciundis, foſſis, vineiſque ducendis, mœnibus valliſque ſubruendis, quàm prælio cujus vix uſquam poteſtatem fecerint, devictos, eam nunc æquis locis fieri. Non propugnacula ſuperanda, non inter mœnium ruinas evadendum, uti prælium manu faciatis: quæ quanquam difficilia, atque aſpera, tamen virtuti veſtræ prona fuêre. Quo major me ſpes victoriæ tenet, cum quâ parte belli omnibus gentibus potiores eſtis, ei rem publicam hoſtes permiſêre. Gratulor igitur mihi, vobiſque milites, quod ubi primùm me Imperatorem habuiſtis, prælium manibus faciundi lubido hoſtes inceſſit: quo pacto qualis mea ſimul, atque omnium veſtrûm poſthàc fortuna futura ſit, periculum facere, quàm ſicuti antehac oppidorum oppugnationibus ſatius eſſe duco. Hoc diuturnum, laborioſum, oppugnantibus, quàm propugnantibus longè periculoſius. In pugnâ æquatus utriſque labos periculumque, virtute modò victoria paratur, & quodcumque futurum eſt, una dies conſtituet. Quare agite, & benè juvante Deo me ducem ad victoriam, & gloriam ſequimini, ex qua & ampla vobis præda erit. Hæc matura, & in promptu ſunt, ſi ego, voſque, quod unum ab vobis poſtulo, nos in pugnâ juxta geſſerimus.*

1643.
a Le Baron de Sirot.

Hæc prolocutus pugnæ ſignum dedit, neque ad hanc hoſtes ſegniores fuêre. Peditibus *b* Iſemburgus Comes, equitibus *c* Albuquercus Dux præerat, ſumma Imperii penes *d* Mellum fuit, huic *e* Fontanus Comes erat Legatus. Pro cornibus equites, pedites in media acie collocati, ampliùs viginti quinque millia armatorum fuêre, noſtrorum quinque millibus minor numerus. In dextro noſtrorum cornu locum ſibi Angianus delegit, quo primùm procurri cæptum, idem continuò ab ſiniſtro, mediâque acie factum. Inter ſaltum ab dextrâ, & ſiniſtram paludem primùm res gerebatur, loco paulùm anguſto: mox ubi hoſtium anteſignani pulſi, patentiore campo, minus ab Rupe regia mille paſſibus pugnatum. Quocumque Angianus impetum facit, eò pedites, equiteſque hoſtium juxta pelli, occidi, capi: primùm ſclopetarii mille paulò humiliori loco ſecundùm ſaltum poſiti, in quibus præſidium ſibi fore equites ſperaverant, ab noſtris equorum pulſu afflicti, protriti, profligati: dein eâ parte hoſtes cedere, Angianus inſequi, ſuâ opinione jam victor, ſcilicet ignarus ſuorum in ſiniſtro cornu diverſam eſſe fortunam. In eo Fertæus Sannectarius, & qui unà cum ipſo pugnabant, neque animo, neque virtute defecerant: ſed ille breviorum ſclopetorum glandibus ſemel, atque iterum, dein ter gladiis vulneratus, poſtremò equo ſuffoſſo, ab hoſtibus captus fuerat, & mox ab noſtris receptus, qui denique perturbatis ordinibus pedem referre coacti ſunt, ad eum uſque locum, quo tormenta locata fuerant, his hoſtes aliquandiu potiti, cæſo qui iis præerat *f* Labarręo. Iamque his adversùm nos converſis in perniciem noſtram uti properabant, cùm Hoſpitalius Halierus qui ſeſe recipiebant, iis exceptis, reſtitutiſque ordinibus redintegrat pugnam, hoſtes omittere tormenta, atque loco aliquantum cedere cogit, plus facere prohibuit

b Le Comte d'Iſembourg.
c Le Duc d'Albuquerk.
d Mello.
e Le Comte de Fontaine.
f De la Barre.

1643. vulnus ex glande inflictum brachio, atque rursùm eâ parte inclinata res erat, nî properè ſubveniſſet Sirotus Baro, quem in ſubſidiis ad incerta pugnæ collocatum ſupra memoravimus. Is tùm cum copiis quibus præerat, magno uſui fuit, ſcilicet qui hoſtium impetum uſque ſuſtentavit, donec equites qui in dextro fuerant cornu, profligatis iis quos adverſùm ierant, reliquos hoſtes ab tergo invasêre. Italici, Germani, Belgæ equites, peditesque primùm fuſi, in Hiſpanis equitibus aliquid moræ fuit: at pedites incredibile memoratu eſt, quantâ firmitudine animi, atque virtute adverſùm omnem victorem exercitum aliquandiu ſteterint: poſtremò accerſitis omnibus, ac maximè qui in Cornu dextro fuerant, peditibus, præterea victore cui Gaſſio præerat equitatu, tum denique Hiſpani ab univerſo exercitu circumventi, cæſi in medio, ab Helvetiis maximè, qui pugnæ initio ab hoſtibus malè habiti de commilitonum nece pœnas atroces ab miſeris Hiſpanis repetebant. Sed Gaſſionis virtus in hoc prælio maximè enituit, qui ubique præſto fuit Angiano, quæ imperavit impigrè, nonnulla ſponte ſuâ, judicioque quæ ad victoriam conferre viſa, patravit, eò deinceps carus, acceptuſque in primis Angiano: qui poſtquàm ſatis ſuperque hoſtes erat inſecutus, eò demum quò pugnatum fuerat rediit. Ibi verò ſpectaculum viſu horrendum, & miſerabile, Civium, atque hoſtium, virorum, equorumque promiſcua ſtrages. Quâcumque proſpectus erat, humus conſtrata cadaveribus, atque infecta ſanguine, arma, tela, galeæ, loricæ, vexilla lacera, cruentata, atque alia cladis Hiſpanorum, & Angiani victoriæ documenta. Sed inter hæc ipſe memor humanarum rerum, gnaruſque quàm opportunè hæc victoria Galliæ accidiſſet, quàm anceps fuiſſet pugna, atque adeò fortuna Regni, Deo immortali extemplo grates agendas decrevit. Id factum ab exercitu victore, inter hoſtilia cadavera, ſpoliaque, eò majori ſtudio, quòd ſubjecta oculis hoſtium clades, quàm diſpar tùm utriuſque partis fortuna eſſet, intentiùs monebat.

Octo millia hoſtium in pugna fugaque cæſa, nam agreſtes genus ferum, atque atrox omnes quà hoſti receptus erat, vias obſederant, & quotquot in manus incidêre immiſericorditer trucidarunt: duo millia amplius noſtrorum deſiderata, tanti hæc victoria conſtitit, ſigna militaria ducenta, viginti tormenta, neque plura hoſtes habuêre, cum omni tormentario inſtrumento, atque impedimentis in poteſtatem victorum venêre, præda militibus ingens, captivorum millia ſex, inter quos ducenti nobilitate inſignes, ipſe Franciſcus Mello primùm captus, poſt ubi hoſtis acriùs urgebat, omiſſus: poſtremò ubi ſuorum cædem, fugamque, & res ſuas perditas videt, Mariæburgum profugit: eòdem plerique ex fugâ contendêre, quibus recenſitis, cùm tanti exercitûs reliquiæ vix hominum duo millia explerent, longiùs abſcedere viſum, ad Philippivillam, quò demum omnes è fugâ conſtitêre. Fontanus Comes cujus clara in Belgio virtus, famaque, in eo prælio cæſus eſt, huic in ſellâ adfuit, ſenio gravis, atque infirmâ valetudine: fuêre qui id juriſjurandi religione factum dicerent, quòd antehàc pollicitus fuerat, cum

apud ſocias Belgarum Civitates captivus eſſet, ſe nuſquam adverſùm has, & earum ſocios, aut pedibus, aut in equo militaturum. Iſemburgi Comes ex vulnere quod in prælio acceperat, poſtpaulò interiit. At Beccus cum quinque armatorum millibus ſubſidio hoſtibus veniens tumultum, & clamorem pugnantium duobus ab Hiſpanorum caſtris paſſuum millibus accepit, dein fuſos eſſe nuntiatum, atque adeò aliò iter convertit, in rem Philippi eſſe ratus has ei copias incolumes ad fines tutandos ſupereſſe, cum quibus Lucemburgenſem Agrum obtinebat. E noſtris præter duo millia cæſa, ſaucii complures erant, ipſe Angianus femur leviter afflictus glande, loricâ duas alias exceperat, equus duabus aliis vulneratus, ita Imperator æquato cum cæteris omnibus periculo pugnaverat, ubique intecto capite, uti ſuis exemplo, hoſtibus terrori eſſet. 1643.

Ex eâ tempeſtate nihil Angiani virtute clarius, nihil Galliæ utilius, atque glorioſius fuit, nam tot tantaque geſſit, ut his pro dignitate narrandis imparem me, neque cujuſquam dicta hujus factis æquari poſſe ſentiam. Sed ubi devictos hoſtes, tantamque ipſis cladem ab Angiano illatam Reginæ nuntiatum eſt, ac mox ſigna militaria iis adempta fuêre in conſpectu, incredibile memoratu eſt quanta omnium animis lætitia inceſſit, quos ex recenti Ludovici Regis morte luctus tunc cùm maximè occupabat, præterea metus ne quid adverſi rei publicæ portenderet, pro quo victoria, atque trophæa obverſabantur oculis. Igitur ob rem publicam ab Angiano benè, feliciterque geſtam decreta ſupplicatio eſt, cui adſuit frequens Senatus, præterea aliæ Curiæ, Urbanique Magiſtratus, ſigna militaria Templo appenſa, Rex, atque Regina ob recentem Ludovici mortem ab eâ ſe ſacrorum celebritate abſtinuêre.

Intereà ab Bruſſellis *a* Margarita Lotharinga in Aulam advenit, quam Gaſto dudum Regis fratris injuſſu, quod quidem facere Principibus viris in Galliâ jus, faſque eſſe negant, uxorem duxerat: hæc *b* Caroli Lotharingiæ antehac Ducis ſoror eſt, qui ob eas nuptias invito, ac prohibente Ludovico confectas pulſus Lotharingiâ, atque eâ dudum ſpoliatus ſeſe Hiſpanis conjunxit, neque ſpernendas popularium copias habet. Margarita apud Nancium Gaſtoni nupſerat, qui ſubitò Bruſſellas cum uxore abierat, ut ne Ludovicus frater cum exercitu Nancium oppugnatum veniret, ſui cum uxore comprehendendi causâ: at poſteà compoſitis cum Gaſtone rebus, huic in Galliam redeundi poteſtas ſine uxore facta fuerat, cujus infirmas eſſe nuptias Senatus decreverat. Tunc verò mortuo Ludovico, atque Richelio, qui maximè his nuptiis adverſatus fuerat, Regina Gaſtoni ut uxorem accerſeret, poteſtatem fecerat: ſed ut ne poſthac viri Principes Gaſtonis exemplo ſibi licere crederent, quas vellent Regum injuſſu uxores ducere, Ludovici XIV. voluntate Gaſto Margaritam duxit iterum, nuptiarumque ſolemnia in Templo celebrata ſunt, & ſi quid infirmitatis primùm habuiſſent, eo pacto ſarcitum.

a Marguerite de Lorraine.

b Le Duc Charle de Lorraine.

Quatuor fuêre minores Quæſtores, quorum facilè princeps erat Almericus, de quo ſupra memoravimus; hi ſinguli per vices quæ ad Æra-

1643. rii diſpenſationem pertinent, eorum Commentarium conficiebant, quod *a* Contratabulas appellavêre: quæ ſcilicet contra *b* Præfecti Ærario, atque aliorum qui rem regiam tractare ſolent, tabulas inſtitutæ ſunt: continent enim quidquid ex regiis prædiis, vectigalibus, tributis, Portoriis, aliiſque fructibus accipiendum ab his, aut acceptum, expendendum, aut expenſum ſit, uti cognoſcatur utrùm id omne, & an rectè acceperint, aut expenderint, atque in tabulas bonâ fide retulerint. Has Contratabulas unus modò antehàc conficiebat Magiſtratus, cui *c* Contratabulario nomen ex re inditum, atque hæc tanta viſa, uti ſecundùm ſummum Quæſtorem maxima inter Magiſtratus qui rem regiam adminiſtrant, contratabularii dignitas eſſet. Eò nuper cupido inceſſerat Almericum hujus habendi Magiſtratûs, cujus gratiâ Quæſturam quam gerebat abdicaturus fuerat, quod quidem tum fruſtra fuit: dein cùm Quatuorviratûs petitio nihilò magis huic proceſſiſſet, rursùm ad illum alium Magiſtratum, cui certè magis idoneus fuit, animum adjecit: is ipſi ab Reginâ mandatus eſt, atque id hanc eò lubentius feciſſe aiunt, *d* Carronio qui res ſuas forenſes ſedulò uſque geſſerat, benè faciundi ſtudio, cui Quæſturam ab Almerico abdicatam mandavit. Cæterùm delecti queis ſumma Quæſtura Buthillerii abdicatione vacua mandaretur *e* Bailleulius, & Avauxius: ſed hi parum gnari fuêre earum rerum quæ ad Ærarium pertinent, nam aliis ab hac nequitiæ pleniſſimâ diſciplinâ diverſiſſimis negotiis inveteraverant, Bailleulius in forenſibus, quia in Senatu Præſes eſt, Avauxius in Legationibus obeundis, qui & propediem Monaſterium Veſtfalorum de Pace Legatus iturus erat, eò ad Almericum cùm ex Magiſtratu, tùm quòd rei Quæſtoriæ dudum ſcientiſſimus erat, omnis hujus cura reditura Mazarini voluntate videbatur.

a Controlle.
b Treſorier de l'Eſpargne.
c Contrôlleur general des Finances.
d Charron.
e Le Preſident Bailleul, Claude de Meſme, Comte d'Avaux.

Sicuti Buthillerius ſummam abdicaverat Quæſturam, ita & Leonem Buthillerium Chavignium filium Quatuorviratum abdicare velle ſuprà diximus, qui ſibi Reginam iniquam eſſe crederet, atque adeò Mazarinum erat obteſtatus, ut in eâ re ſibi adjutor eſſet. *f* Henricus Auguſtus Lomenius Brienna patre Quatuorviro natus ſimilem antehàc geſſerat Magiſtratum, quem magnâ ab *g* Guenegaldo acceptâ pecuniâ nuperabdicaverat atque huic tradiderat. Sed *h* Ludovica Beona Dumacæa uxor per Richelii tempora qui haud ita æquus Reginæ fuerat, hanc coluerat, atque obſervaverat diligentiſſimè, quæ hujus rei nunc ſecundis in rebus ſuis memor illi benè, atque ex animo factum volebat. Viro ſicuti uxori ſingularis in Deum pietas, ſumma bonitas, & beneficentia, præterea Briennæ rerum in Galliâ geſtarum magna ſcientia, quarum multos conſcriptos habet Commentarios: eò Regina hujus ſibi operam in re publicâ per Regis filii pueritiam gerendâ haud inutilem ſibi futuram credidit. Cùm autem Briennæ, atque uxori nihil eſſet optatius, quàm iterùm Quatuorviratum adipiſci, ſatis placebat Reginæ hunc Chavignium abdicare velle, quem Briennæ mandaret. At ſi Chavignius de ſummâ patris Quæſturâ antehàc, ac tùm de Quatuorviratu ſuo quid ſentiret, aut metueret, nulli pateſeciſſet, & quid ſibi Principatûs commutatio portende-

f Henry Auguſte de Lomenie, Comte de Brienne.
g Guenegaud.
h de Beon du Macé, Comteſſe de Brienne.

ret patienter expectaſſet, hunc intactum futurum fuiſſe cenſeo, aut certè Reginam his ſummam modò Quæſturam ad empturam fuiſſe, qui Magiſtratus haud diù ferme penes quemquam fuit. Certè ſi Buthillieriorum nomini infenſa fuiſſet, utrumque ſimul Magiſtratûs abdicare juſſiſſet, atque id per Bellovacenſem ſignificaſſet, qui cùm de ſummâ Quæſturâ modò locutus fuerit, haud dubium eſt Reginam de Chavignii Quatuorviratu nihildum conſilii habuiſſe, de quo abdicando ipſe inconſulto metu mentionem Mazarino injiciundo huic improviſam ejus rei patrandæ ſpem objeciſſe. Fuere eâ tempeſtate qui ita exiſtimarent, Mazarinum Reginæ adversùm ſuos ſtudio adductum, quos ſtatim ornatos volebat, Carronium videlicet, Bailleulium Cancellarium ſuum, & Briennam, quò id fieri poſſet, rationem iniiſſe, quæ nulli damno foret: de Carronio enim & cum Almerici lucro factum: ornandis verò Bailleulio, & Briennæ opportunè accidiſſe, uti Chavignius ſummam Quæſturam ab patre abdicatam voluiſſet, atque ipſe tum Quatuorviratum abdicare vellet: volenti enim nullam fieri injuriam: quin & Chavignium ut id ſibi facere liceret, Mazarinum fatigaſſe, qui cum amico conſuluerit, ſicut hic ipſe ſibi conſultum voluerit, officio planè functus ſit. Cæterùm uti Brienna iterùm Quatuorvir eſſet, è Quatuorvirorum Collegio aliquem amotum oportebat, quòd quidem in Tellierum caſurum videbatur, qui hujus Magiſtratûs munia Nucerii vice obiret magis, quàm verè Quatuorvir eſſet: ſed ſi id fieret, nihil huic dignitatis reliquum futurum erat, multóque honeſtius fuiſſet in eodem quò antehàc ſtatu permanſiſſe, quàm eò evectum eſſe, unde tam ſubitò præceps daretur, quam in fraudem Mazarino durum viſum ſuâ operâ Tellierum incidere, quam ut ornatior, & auctior eſſet impenſam voluerat. *In Chavignio diſparem eſſe rationem, qui & vellet Quatuorviratum abdicare, & penes quem Adminiſtri Regni dignitas manſura eſſet: poſtremò novum, & inſolitum eſſe Quatuorvirum Regi in Conſilio aſſidere, dum Collegæ ſtantes adſunt, quò vel maximè hunc Magiſtratum rectè ab Chavignio abdicari.* Sed nemo profectò eſt, quin ſe Quatuorvirum adeſſe ſtantem Regis Conſilio, quàm ſedentem Adminiſtrum malit, ſi nulla huic aliunde gratia, atque potentia ſit, tanta Quatuorvirorum dignitas, atque autoritas eſt. Sed ſtatim atque Regina Chavignium Quatuorviratum abdicare velle certò reſciverat, continuò hunc Briennæ ſe mandaturam pollicita fuerat: cui quidem rei Chavignii propinqui vehementer obſtabant, ſuadebantque ut ne ſcripto abdicaret Magiſtratum, quæ ſola legitima abdicatio eſt. Ipſe verò in ſuâ ſententiâ ſe permanere ait, ſi tamen ab Reginâ de retinendo impetrare poſſent, in eorum poteſtate futurum. Intereà Briennæ uxor [a] Vincentium, & Amelotum viros Eccleſiaſticos miſſitabat ad Chavignium, qui ſe ſuâ ſponte venire ſimulabant: atque Reginam ipſi infenſiſſimam dicebant, abdicandumque Quatuorviratum videri, ſi reliquum dignitatis ſtatum cum cæterisfortunis obtinere vellet. Amelotus ſingillatim uti vitam poſthàc ab omni republicâ procul ageret autor erat, quo liberiùs animum divinis adjiceret, atque hoc pietatis velum proditioni peſſimæ obtendebat. Vincentium Re-

1643.

[a] Le Pere Vincent, le Pere Amelote.

1643. gina quia ſanctitatis nomine Monialibus probabatur, quibus illa tribuebat plurimùm, in Conſilium cum aliis Eccleſiaſticâ dignitate præſtantibus viris, atque cum Mazarino ipſo de rebus Eccleſiaſticis adhibebat: mirùm certè eſt ambos qui ſanctitatem vitæ profiterentur, Briennæ uxoris Chavignio damnum molientis artibus ſervire nihil penſi habuiſſe: ſed adversùm id genus hominum munifica ſemper, ac liberalis fuit, quo factum eſt, ut ipſi gratiam occaſione datâ referre æquum cenſerent, quod de alieno quivis lubentius, quàm de ſuo facit. Poſtremò Chavignius cùm puderet ab eo diſcedere, quod ſe facturum dixerat, neque propinqui ab Reginâ per amicos impetraverant, ut illi mutare ſententiam cum bonâ hujus gratiâ liceret, Quatuorviratum denique ſcripto abdicavit, pecuniâ cùm ab Briennâ, tùm ab Rege ipſo, ſed eâ haud multâ in æſtimationem acceptâ. Ibi verò documento fuit non hominum virtutem, ſed fortunam modò ab pleriſque omnibus coli; nam ubi hanc unà cum Magiſtratu abdicare viſus eſt, tum ſolitudo in ædibus, pauci primùm venire ſalutatum, dein vix unus, aut alter ex amicis, quorum dum res ſecundæ erant, magnus numerus fuerat: hos fermè omnes ex media Aula leviſſimum genus hominum habuerat, qui cum fortuna ſimul dilapſi ſunt.

Magnæ Mazarino neceſſitudinis cum Chavignio cauſæ intercedebant, quas commemorare longum eſſet, breviter dicam nihil illi eſſe dignitatis, aut potentiæ, quò non Chavignii operâ pervenerit, quam & diuturnam, & ſolertiſſimam dederat, uti Richelius Cardinalatum quem Pontifex hominibus Gallis, Regis commendatione dare ſolet, Mazarino hoſpiti, atque advenæ datum vellet. Scio equidem Chavignium eâ re ſibi in poſterum conſultum voluiſſe, ac ſperaſſe Mazarini amicitiam, atque potentiam ſibi ad omnes caſus præſidio, aut ſi minùs eo egeret, ornamento fore, in eo certè offendit, quòd ſibi haud perinde colendum hunc cui videlicet ornando, augendoque tantopere laboraverat, ac Richelium, ab quo ornatus ipſe auctuſque fuerat exiſtimavit: utrùm id Chavignio apud Mazarinum fraudi fuerit, haud ſatis ſcio, cæterùm huic facile erat meo quidem judicio, opperiri, quoad ejuſdem adversùm ſe, ac priùs adversùm Richelium adhibendę reverentiæ ab cæteris exemplum caperet, invaleſcente in dies ſuâ apud Reginam fide, atque gratiâ, quam Chavignium ante Quatuorviratum ademptum maximam eſſe voluiſſe certum eſt, neque huic veniſſe in mentem Magiſtratum abdicandi, niſi quia hanc, aut nullam eſſe crederet, aut tam infirmam, uti ſibi præſidio eſſe non poſſet. Sed quis Mazarinum culpa liberaverit, qui Chavignium tantùm de ſe meritum quæ ſua fides, quæ gratia apud Reginam eſſet, celatum voluerit, atque hujus rei ignoratione perditum, aut certè ſummoperè labefactatum?

Sed poſtquàm Quatuorviratum abdicaverat, atque hæc filii clades ad paternam acceſſerat, mirum non fuit Mazarinum de hujus ab Aulâ procul habendi conſilio non deſtitiſſe, atque id quidem Chavignio ut ipſi tempus erat, opportuniſſimum fuiſſet. Nihil enim cuiquam gravius eſt, quàm quò floruerit, eò cum minori gratiâ, atque potentiâ eſſe. Primùm

igitur

igitur id eſt Mazarino obſecutus uti cum Longavilla, & Avauxio Monaſterium Veſtfalorum de pace legari vellet. Sed & in ea re continuò ſenſit, quantam dignitatis jacturam fecerat: nam ubi primùm de hac Legatione cum Mazarino convenerat, miſit ad Avauxium, qui ſuis verbis nuntiaret in ea ſe huic tanto, & tàm amico viro Collegam factum, & magnificum videri, & jucundum eſſe: præterea hunc opportunè ſummum Quæſtorem creatum, quò ſublata de medio ſit ea controverſia, quæ antehàc ſibi cum eò interceſſiſſet, ſicuti hujus ſemper virtuti, ita & dignitati ſe tunc lubentiſſimum concedere. Hæc erat humanitatis pleniſſima oratio, ad quam Avauxius ex præſenti utriuſque fortuna reſpondit, rectè, atque ordine Chavignium facere, ſibique gratum eſſe, quòd tandem æqua noſceret. Id eò gravius Chavignio fuit, quòd in Quatuorviratu Avauxius hunc diligentiſſimè coluerat, atque obſervaverat, prætereà interceſſerat amicitia, quam in utraque fortuna eamdem eſſe decet. 1643.

Avauxius Equeſtris ſancti Spiritûs regiæ Militiæ Scriba, Chavignius ejuſdem Militiæ Quæſtor erat: Illi venit in mentem, uti Legationem quam obire debebat, magis, magiſque cohoneſtaret, poſtulare ut hujus Militiæ torquem aureum ſibi geſtare ab Rege poteſtas fieret: id ad eos modò qui in hujus Militiæ ſocietatem ab Rege lecti ſunt, attinet: nam ubi ſolemnibus interſunt ſacris, hunc torquem ſuper Paludamento, quandoque ſuper Pallio geſtare ſolent, cujus rei facta Avauxio poteſtas eſt. Id fuit hujuſmodi, uti neque Chavignio magnoperè exoptandum, neque ſpernendum eſſet: ſed ad famam pro Collegio pertinere viſum, ut ne quid minùs ſuâ, quàm Avauxii causâ factum videretur. Quamobrem eumdem expetivit, atque impetravit honorem, cautumque eſt, ne quid præter morem omninò fieri videretur, ut ambo ubi Rex creandis hujus Militiæ Equitibus operam daret, in eorum ſocietatem, aut Collegium Avauxium, & Chavignium legeret, quod quidem magnificum ambobus viſum, tametſi infectum fuerit, utroque ante ullam Equitum ab Rege factam creationem mortuo. In eo negotio Chavignio ægrè fuit, quòd id totum clam ſe Avauxius molitus fuerat, quòd & contra veteris amicitiæ, & novæ in Legatione ſocietatis jus factum videbatur.

Ubi Regina non Regis modò Edicto, ſed & Senatûs Decreto Regni Procurationem adepta erat, ibi verò nihil ſe illo Edicto, neque Jurisjurandi quod invita pollicita fuerat, religione teneri eſt arbitrata, neque obſtare quidquam quominùs Rohanam Mombaſonam quæ Bruſſellis agitabat, in Aulam revocaret, quâ de re & illa ſæpiùs ad Reginam ſcripſerat, & qui Mazarino infenſi fuêre, hanc ut id faceret magnoperè hortabantur, ſpem nacti ubi Rohana Mombaſona adveniſſet, ipſam ab Reginâ uti Caſtronovanum accerſeret impetraturam, nam id operæpretium pellendo Mazarino videbatur, ſi alterum reipublicæ gerendæ æquè idoneum Reginæ objicerent.

Sed ille tametſi de Reginæ erga ſe benevolentia certus erat, tamen ut ferè ſunt omnia in Aula incerta, ac tunc cùm maximè ingenia, atque negotia varia fuêre, quàm plurimos ſibi amicos adjungere ſtudebat. Henri-

1643. cus Condæus ipſi magis æquus, quàm iniquus erat: Mommorantia uxor favebat, infenſa Belfortio ob *a* Condæam filiam Longavillæ uxorem, cui cum illo lites intercedebant: Gaſtonem Riviera cujus erat in poteſtate Mazarinum inter, & Vindocinum incertum animi, dubiumque fecerat, dum Vindocini promiſſa opperitur, ſpem facientis homini hunc ſe ab omni injuria quam ab Betunio, & Montheſaurio metuebat, tutum præſtaturum, quà in re Belfortium patri adjutorem eſſe volebat, atque ab eo accipere fidem: quæ ſi data foret, ipſe Gaſtonem ſe adversùm Mazarinum impulſurum pollicebatur: quæ res omnis tergiverſante Belfortio, uti Betunio, atque Montheſaurio morem gereret, fruſtra fuit, atque adeò Riviera ſibi apud ipſum conſuluit Mazarinum, qui illius operâ Gaſtonis amicitiam eſt adeptus, huic contra adverſæ factionis conſilia, atque conatus utiliſſimam.

a La Ducheſſe de Longueville.

Vindocinus, Belfortius filius, *b* Vernolius Henrico IV. item ut Vindocinus natus ex alterâ Concubinâ, *c* Spernonius, Fieſcus Comes, Caſtræus Tribunus Helvetiorum mercede Regi militantium, Betunius, Montheſaurius atque alii Mazarino, ac Seguiero infenſi erant, huic magis ut in ejus locum Caſtronovanum ſufficerent, quàm propter damnatum ſicuti aiebant, judicio capitis Thuanum, cujus operâ adversùm Richelium Cardinalem nuper uſi fuerant. Mazarinum verò conſimilem Richelio potentiam affectantem, ac propè habentem oderant, & utrumque accerſito in Aulam Caſtronovano pellere ſtudebant. Hujus factionis princeps erat Vindocinus, cujus tamen ſpes, opeſque in Belfortii filii virtute maximè ſitæ erant. Sed cùm in dies Mazarini apud Reginam gratia, atque fides creſceret, ſeſeque fruſtra contra hunc niti animadverterent, vel ſeriò, vel per ſimulationem cum eo concordare velle viſi.

b Le Duc de Verneuil. *c* Le Duc d'Eſpernon, le Comte de Fieſque, le Comte de Nancé la Chaſtre, Colonel General des Suiſſes, le Comte de Betune.

At Mazarinus ſeu Reginæ monitu, ſeu huic morem gerere ſponte ſuâ voluerat, Rupifocaldi Marſillaci amicitiam, quem ſibi fidum ipſa rebatur, expetiverat, quàm honeſtiſſimâ oratione, fidem dans homini, ſeſe procul ab omni rei, aut dignitatis augendæ, ac magis ab omni cuiquam bono, atque honeſto nocendi lubidine abeſſe. Marſillacus qui ex Vindocini, atque aliorum grege erat, Mazarino ita reſpondit, ut illi Reginâ conſultâ opus eſſe ſatis intelligeret, quæ illum magnoperè hortata eſt, uti Mazarino amicus eſſe vellet, nihil quod ſibi ſit optatius, facere poſſe ſignificans, uti facilè crederes apud ipſam eâ tempeſtate majorem gratiam, atque fidem eſſe nemini: dein Marſillacus omni re cum amicis communicatâ apud Mazarinum viſens iit, ab quo humaniſſimè, ac perliberaliter acceptus, habituſque eſt. Cum Regina Vernolio eadem quæ Rupifocaldo atque ampliora dixiſſet, orans uti quàm plurimos poſſet Mazarino amicos adjungeret, habitum denique ab Vindocino omnium gregalium conſilium eſt, qui uno ore cum illo redeundum in gratiam cenſuere. Datum Fieſco negotium, ut ad eum adiret, diceretque *Buthilleriis patre, & filio labefactatis nihil propè obſtare, quominùs huic Vindocini, atque alii amici ſint: ante Quatuorviratum Chavignio abrogatum nullam ipſi conditionem ferendam exiſtimaſſe, unam modò ferre tunc, quam*

ipſi haud gravem futuram putent, quoniam nulla ipſi cum Seguiero neceſſitudo 1643.
ſit, quem Aulâ pelli cupiant, huic ob damnatum capitis Thuanum, & peſſimam ejus in Spernonii negotio rationem jure infenſi. Mazarinus *gratiſſimam ſibi Fieſci orationem eſſe* reſpondit, negavitque *ſe ullam antehac adversùm Chavignium conditionem accepturum fuiſſe, qui ſponte ſuâ Quatuorviratum abdicaverit: Seguieri verò tuendi privatim nullam ſibi cauſam eſſe, ſed hunc pellendo locum Caſtronovano vacuum relinqui, quem ſocium in republica gerenda habere nolit.*

Ita ſe habebant hujus rei principia, multaque verba ultro, citroque commutata, quæ tandem eò rediêre, uti Vindocinus, atque alii ſeſe ullam Mazarino conditionem latam velle negarent, quæ ipſi damno foret, atque adeò ſatis habere, ſicubi ipſi cum Caſtronovano conveniret, tum Seguierum honoris eorum causâ pellere vellet: ſed ne hanc conditionem quidem ſibi primùm accipiendam putavit: dein comperto nihil eâ ſe niſi ubi luberet, teneri, poſtremò hanc haud ſibi abnuendam eſſe decrevit: per ſex dies ea res acta, quibus Mazarinus dubius, atque animo varius viſus, cùm ſe quandoque hujus percupidum, quandoque nihil, aut parum ſtudioſum oſtenderet.

Intereà Belfortius ad Rohanam Mombaſonam quæ jam Galliæ fines ingreſſa erat, miſerat *a* Campionem patris clientem, ac negotiorum *a* Champion.
Curatorem fidum, ut huius ſententiam exquireret: nam ipſi, patrique, atque Spernonio cum ea magna familiaritas, atque conjunctio inerat. Sed hæc ab Reginâ acceperat litteras, quibus ſignificabat ſibi pergratum fore, ſi ipſi cum Mazarino conveniret, atque adeò Rohana Belfortio, cæteriſque per Campionem autor erat, ut & ipſi in ea re Reginæ morem gererent, quod eſt ab ipſis continuò factum, atque omnes ad Mazarinum adiêre, ab quo perbenignè accepti ſunt.

Poſt paulò Rohana Mombaſona ad Urbem advênit, ac priſtinâ Reginæ gratiâ freta ad Regiam rectâ tendit. Eò poſt prima benevolentiæ, atque humanitatis verba, adventûſque gratulationem, Regina ad rempublicam pertinere ait, ut illa tantiſper Rus ſecedat, ne fortè Socii, ac Fœderati ex ejus ad Aulam manſione, quid ab hoſtibus apud quos diu agitaverat, hujus operâ nobiſcum agi de pace clam ſanciundâ ſuſpicentur. Rohana Mombaſona tametſi id præter ſpem eveniebat, tamen ut in ſubitis, plerumque mulieribus, quàm viris præſentior animus eſt, nihil eâ oratione Reginæ turbata hanc pro amicitiâ monet, uti videat ne ea res ſibi ipſi fraudi ſit. *Neminem ignorare quæ paſſa ſit, ea ſibi ob conſtantem in eam fidem eveniſſe, cui talem referri gratiam ut ne quis credat, ad Reginæ famam magnoperè pertinere, cui tamen ſi aliter videatur, nihil ſibi antiquius fore, quàm ut huic ſtatim obtemperet.* Aderat haud procul Mazarinus, quem Rohana ab Reginâ conſuli ſuper ea re poſtulat: is illam rectè ſentire ait, neque porrò de Rohanæ diſceſſu mentio facta: cæterùm non eamdem ſibi quam antehàc gratiam, atque fidem apud Reginam eſſe ſenſit, quod quidem ſedulò omnibus occultum habuit.

Poſtridiè Mazarinus venit ad eam, cauſatuſque ex Ærario præſentem pecuniam vix auferri poſſe, quinquaginta millia nummûm huic ſe

1643. numeratum eſſe ait, præterea ſi quid ſe vellet, quò ſuum erga hanc ſtudium palam probaret, id ſe quod poſſet, effectum redditurum. Placuit hujus rei periculum facere, poſtulando uti Vindocino Britannia provincia ab Reginâ decerneretur, Spernonio Aquitania, atque Gallorum militum Tribunatus redderetur. Iſthuc quidem factum continuò eſt, ac pro abrogatâ Harcurio Aquitania data Regni Hipparchia eſt, pro Britannia quam ſibi ipſi Regina deſtinaverat provincia, rei navalis Præfecturam Vindocino dare conſtituit, atque eâ causâ ad Brezæum mittit Briennam Quatuorvirum, qui ſuis verbis hortaretur, ut hanc abdicare vellet, & quæ explere animum adoleſcenti poſſent, ea in æſtimationem polliceretur. Poſtpaulò Rohana Mombaſona ab Mazarino poſtulavit, uti Marſillacum *a* Gratiæ portui Præfectum eſſe vellet, quod oppidum, atque Arcem penes Richelium Cardinalem fuiſſe, dein Richelio Vignerotio ſororis nepoti ab Ludovico XIII. permiſſum memoravimus: eò Mazarinus negare primùm id ſe ſatis piè facere poſſe, in quem tanta Richelii Cardinalis merita eſſent, quod eſt tamen denique Rohanæ obſecutus: ſed & ea res, & quod antehàc de rei navalis Præfectura Vindocino tradenda diximus, fruſtra fuêre, abnuentibus Brezæo, & Richelio & hanc, & Gratiæ portum deponere. Poſtremò Rohana cùm ſibi Mazarinus de ullâ re negaret, hujus animum de reducendo in Aulam Caſtronovano pertentavit, in quo graviter offendit, quæ ſcilicet ſua, atque factionis conſilia hoc poſtulato nudaverit, quo ſe Mazarinus peti ſentiens Rohanæ Mombaſonæ colendæ, ambiendæque, ac promerendæ hujus amicitiæ finem fecit.

a Havre de Grace.

Ubi Rohana Mombaſona Bruſſellis quò exulaverat profecta ad Urbem properabat, *b* Caſtronovanus item ab Inculiſma quò conjectus pridem fuerat in carcerem, dein Reginæ juſſu emiſſus, eodem iter intenderat: ſed apud *c* Monterubeum ſuum altero ab Urbe lapide reſtiterat, quod quidem huic fraudi fuiſſe plerique exiſtimavêre: nam ſi quemadmodùm Rohana Mombaſona de improviſo Reginæ interveniſſet, omnia hujus de ſe conſilia facilè diſturbaturum fuiſſe, virum animo forti, ſummâque rerum peritiâ, prorſus omni gerendæ reipublicæ parem. Sed ſibi tametſi abſenti Rohana Mombaſona apud Reginam freto in promptu fore omnia ſperaverat, ac maximè ſe Mazarinum Aulâ pulſurum, dein illam ex priſtina cum Regina familiaritate operam daturam, ut huic nihil domi quod animum explere poſſet, deeſſet, æquas fore omnes quæ cum ea erant mulieres, ſeſe interea pro ſua prudentia, atque rerum uſu omnem rem publicam placidè tractaturum. Jam *ſe verè Cancellarium, Seguierum haud rectè, atque ordine creatum prædicabat: nam quo Diplomate Procancellarius creatus eſſet, eodem ſi quid Haligrio tum Cancellario humani eveniret, ſe Cancellarium factum: neutiquam homini vivo hunc abrogari Magiſtratum, atque adeò ſe vivo hunc Seguiero perperam mandatum.* Huic orationi quædam veri ſpecies inerat, cæterùm ubi abrogatus eſt Procancellario Magiſtratus, nihil poſthàc ad Cancellariatum juris habet.

b Chaſteauneuf.

c Mont-Rouge.

Nihilo ſeciùs Caſtronovanus ſeſe pro Cancellario gerere, hujus inſi-

gnia Magiſtratûs circum ſe habere: cum intereà accepit ab Reginâ litteras, quæ hunc ad Urbem venire prohiberent, quia videlicet Mazarino ſpatium ſibi apud illam conſulendi dederat: id homini ſuprà quàm dici poteſt grave, ac præter ſpem accidit. Placuit tamen eâ quam de Cancellariatu habebat ſpe in ſpeciem abjectâ, experiri utrum ſibi ad Urbem venire liceret. Itaque reſcribit, *Nihil ſibi prius, aut antiquius eſſe, quàm Reginæ coràm agere gratias, quod ſe duriſſimo emiſſum carcere voluiſſet: hanc ſibi antehàc ſummam domûs, ac negotiorum ſuorum Præfecturam dediſſe, cui operam impendere glorioſiſſimum exiſtimet: quamobrem huic ſupplicare, ut eâ causâ ſe ad eam accedere velit.* Sed ne id quidem ex Caſtronovani ſententiâ ceſſit, tametſi pro eo Rohana Mombaſona, & quidquid in Reginæ Gynæceo clientelæ huic erat, atque alii amici omni ope niterentur. 1643.

Obſtabant Condæus, atque Carola Margarita Mommorantia uxor, ob hujus fratrem *a* Mommorantium capitis antehàc damnatum ab Caſtronovano huic infenſi, tum etiam Belfortio, omnique ejus factioni, quibus diximus de cauſis. Obſtabat prætereà magno conatu Seguierus Cancellarius, qui *b* Joannæ ſororis Monialis, atque Montacuti operâ apud Reginam tenendæ porrò dignitati conſuluerat. Nam huic de quo ſuprà memoravimus Montacuto cum ea Moniali amicitia intercedebat, apud Eſiæ-pontem, quò hujus Monaſterium eſt, agitare ſolito: ſcilicet qui corruptis Henricæ Britanniæ Reginæ rebus, in cujus dudùm erat clientelâ, ſicuti plerique tali ſuo tempore, pietatem in Deum impenſiùs colere velle videbatur, cujus ſpecie bona, malaque multa in Aula juxta fiunt. Joanna verò ob vitæ ſanctitatem Reginæ cara, acceptaque erat, atque adeò illius commendatio apud hanc magnum pondus habebat, ac maximè pro fratre, eo quem gerebat Magiſtratu longè digniſſimo, & qui adeò ſingulari ſuâ virtute adversùm inimicorum injurias, haud minùs quam alienâ ope ſeſe tutabatur: poſtremò in hoc pellendo Mazarini res agebatur, qui & ipſe id ut ne fieret diligenter operam dabat: nemo enim Seguiero commodior uſquam fuit his, qui gratiâ valuêre, ſcilicet non ipſis obniti ſicuti Caſtronovanus, ſed ſalvâ republicâ, ac dignitate ſuâ omnia obſequi ſolitus, quæ certè ſumma prudentia eſt.

a Le Duc de Montmorancy.

b La Mere Ieanne.

Non his omnibus tamen Caſtronovanus eſt ab incœpto planè deterritus. Namque ambitio ſibi cuncta facilia factu putat: atque intereà dum fortunam opperitur, famæ, atque vulgi de futurâ potentiâ opinioni ſerviundum exiſtimavit. Pergit igitur in Monterubeo ſuo commorari, Urbi tam propinquo, uti nemini veniret in mentem, id hunc injuſſu Reginæ facere. Nam ubi ante decennium Procancellarius erat, eòdem ſæpius agitabat, atque negotiis haud ſecùs quam in Urbe dabat operam: quo factum eſt, uti cuncti è Conſilio regio, prætereà alii ſalutatum, atque adventum gratulatum frequentes venirent. Idem ædium ornatus, eadem Magiſtratus inſignia, idem homini habitus, cultuſque, prorſus Cancellarium quem ſe videri volebat, eſſe diceres, tam ſcitè hanc adornarat fabulam: neque quiſquam omnium fuit, quin propediem huic allatum iri regium Signum arbitraretur, donec Regina per eum-

1643. dem Montacûtum antehàc & Rohanæ Mombaſonæ, & Caſtronovano, dum Favonius flabat, nunc verò eâdem de causâ Mazarino amicum, illum longiùs ab Aulâ, atque ab Urbe abſcedere juſſit.

a Le Coigneux.

Poſt paulò Jacobus a Cogneuxius in Senatu Præſes, atque antehàc Gaſtonis Cancellarius ab exilio redit, in Senatu poſthâc, quàm priùs in Aulâ clarior: nam in eo homine multæ, bonæque artes animi ſunt, quas dùm in Aulâ verſabatur, ambitio corrumpebat. Sed huic per difficilia Gaſtonis tempora, ſicuti ſecedendi, atque in Belgium profugiendi ipſi fuiſſet autor, abrogatus Magiſtratus fuerat, publicata bona, ipſe Divionenſis Curiæ judicio damnatus: ſed cuncta hæc Senatus neque rectè, neque ordine facta fuiſſe decrevit, atque adeò Cogneuxium in integrum reſtituit. De Magiſtratu magna interceſſit difficultas, quoniam primùm Chriſtiano b Lamognono Senatori, dein hoc mortuo Franciſco Theodoro c Neſmondo hujus genero mandatus fuerat, quem Senatu pellere cùm ſuâ virtute, tùm Condæi gratiâ nixum neque facilè, neque ſatis æquum videbatur. Claudius Bullio cùm ſummam Regni Quæſturam gereret, Præſidum in Senatu numerum, atque item Conſiliariorum augendum eſſe cenſuerat, idque Ludovico XIII. Regi autor fuerat, quod Senatui grave, tum eo gravius, quòd ipſe ſibi novum Præſidis Magiſtratum, dein ſi quid ſibi humani eveniret, filio ſumpſerat. Is mortuo tùm patre in Senatu erat Conſiliarius, legitimam ad ingrediendum Præſidis Magiſtratum ætatem opperiens. Patris ubi ſummam Quæſturam gerebat acerbitas, ingentes divitiæ, auctus in Senatu Præſidum, atque Conſiliariorum numerus, atque omnis hujus hominis ferocitatis plena ratio facilè tùm redibat in memoriam, atque invidiam filio faciebat. Quo factum eſt, uti veniret in mentem Reginæ, atque Adminiſtris huic abrogare paternum Præſidis Magiſtratum, quod in eo, quàm in Neſmondo tolerabilius videbatur, quoniam hic jamdiù Præſes erat ille nondum Magiſtratum erat ingreſſus.

b La Moignon.

c De Neſmond.

Sed ut id hujus voluntate fieret, rem quæ juvenis oculos percelleret, objecère, ſcilicet uti ſancti Spiritûs Militiæ Scriba fieret. Id muneris penes Avauxium eſſe ſuprà diximus, quod ipſe datâ in æſtimationem pecuniâ lubens abdicavit, ita Bullio abdicato & ipſe Magiſtratu ad quem gerendum ætas modò legitima deerat, in Avauxii locum ſuffectus eſt; ornatuſque hujus Militiæ inſigni, quâ re maximè adductus fuerat, uti ſponte Præſidis Magiſtratum abdicaret: nam id inſigne & Equitibus, & Adminiſtris hujus Militiæ cum Rege commune eſt, aurea crux faſciâ cæruleâ collo pendula, quam porrò geſtare tametſi abdicato Magiſtratu Avauxio facta copia eſt. Id ſæpius in viris tali loco, atque virtute fieri ſolet, præterea hic, atque Chavignius deſignati Equites fuerant. Ad hoc Bullioni quo luberet magis Reginæ morem gerere, conceſſum uti depoſito Conſiliarii quem gerebat Magiſtratu, atque hoc de more divendito, maneret tamen in Senatu, honorarius ſicut aiunt Conſiliarius: ita Neſmondus in Magiſtratu, atque adeò in Senatu manſit, Cogneuxius verò quo ſpoliatus fuerat, eo rurſum ornatus eſt.

Sub id tempus Ferdinandus III. Ferdinandi II. Imperatoris filius 1643.
quem patre vivo Romanorum Regem perperam creatum, dein mortuo Imperatorem appellatum Gallia cenſuerat, atque adeò Pannoniæ Regem uſque appellaveramus, ad Reginam cujus ſororem Mariam uxorem duxerat, litteras dedit: ſimul aderant Mariæ uxoris litteræ, his uterque illam de viri Regis morte conſolabantur, ipſi, atque Ludovico filio omnia ſecunda exoptabant: præterea cum his litteris Diplomata miſſa, quibus per Ferdinandum tutò licebat Monaſterium Veſtfalorum petere iis qui ab Rege eò de pace legarentur. Tum primùm Ferdinandus iſthìc Imperator eſt appellari cæptus, atque id pacis ſtudio factum, quod litteris ſuis oſtendere viſus eſt. Regina Mariæ ſorori reſcripſit, Ferdinando non item, quia ad illam ſcribens titulum Majeſtatis omiſerat, quem ſibi uni deberi Imperator haud rectè exiſtimabat. Nam quibus appellari ſolet Imperatoris, aut Regis Romanorum nominibus, ea planè aliena, ac fictitia ſunt, cum verè Germanorum, aut Germaniæ non Romanorum Rex, aut Imperator ſit: Ita enim Caroli magni nepotes ubi Germaniam ſeorſim ab Galliâ poſſedêre, ſunt appellati. Scio hunc quidem Romanorum Imperatorem fuiſſe, cui videlicet Leo III. Pontifex, præterea Senatus, populuſque Romanus jus ſummum, judiciumque Romæ detulerint. Sed quam tùm adeptus eſt potentiam, ea paulatim exolevit, aliis poſt alios Pontificibus hanc ſibi ſumentibus, nihil aut parum ea de re ſollicitis Imperatoribus, qui procul ab Urbe Româ, in Gallia, aut in Germania agitavêre, variis impliciti bellis, ac negotiis, ita ut quibus Romæ imperitare, & quæ ad ipſum Pontificatum, Epiſcopatus, reſque alias Eccleſiaſticas pertinerent, multa facere jus erat, ii denique illis omnibus exuti, unum modò Regis Romanorum, aut Imperatoris Titulum retinuerint, cujus unius causâ quàm rectè ſibi ſolis Majeſtatem convenire contendant, exiſtimare facile eſt. Cæterùm Galliarum Regnum omnium antiquiſſimum eſſe, ac nobiliſſimum nemo negare poteſt, & qui id poſſidet, ei majores quàm ulli omnium qui hac tempeſtate regnant, opes eſſe, neque ullum uſquam dignitatis diſcrimen inter Galliarum, & Germaniæ Reges, aut Imperatores factum. Cæterùm milites Romani Ducibus ſuis ubi quid operæpretii facere cæperant, nomen Imperatoris tribuêre, quod poſtea C. Cæſari ubi rempublicam invaſerat, ac cæteris qui hanc poſteà tenuêre, perpetuum fuit, quibus videlicet ſeſe Reges dicere religio erat, nam id ſummi Imperii nomen ne oppreſsâ quidem, ac profligatâ libertate Romani uſquam tolerare potuêre, tantum hos ab primis Regibus exactis hujus nominis odium ceperat. His certè clarum eſt eamdem potentiam, eamdem dignitatem, eamdem denique Majeſtatem Galliarum Regi, ac Germanorum Imperatori eſſe, & ſi quid in alterutro nomine fraudis ſit, hanc magis in Imperatoris, quàm in Regis nomen cadere. Sed Auſtriacos tum demùm animum ad pacem adjeciſſe ferunt; ſeu mortuo Richelio, dein Ludovico nihil in Galliâ remiſſum, nihil quod mutationem ullam portenderet, animadvertebant; ſeu Reginam ſibi tunc æquio-

1643. rem fore, quàm antehàc Ludovicum Richelio fretum ſperaverint.

Intereà Angianus re apud Rupem regiam benè, feliciterque geſtâ, per Galliæ fines ad Sabim amnem versùs duxit: Barlemontium, & Almericum Caſtella ad illius ripam poſita deditionem facere coëgit: dein Malbodium progreſſus Binchium petit, oppidum longiùs in hoſtico ſitum. Eò ex agris tria hominum millia, prætereà ex fugâ poſt malam pugnam complures, quia ſatis firmum videbatur, ſeſe receperant: poſtridiè tamen, quàm mœnia tribus tormentis verberari cæpta, deditionem fecêre: novem illic dies Angianus ſtativa habuit, item hoſtes haud procul, ponè Montes Oppidum, atque amnem, utroque muniti ſtativa habuêre, circumſpectantes quid Angiano poſt victoriam conſilii foret: noſtri circumquaque ingentes ex vicis, villis, Caſtelliſque prædas egêre, nullo prohibente, quoniam armis ampliùs valuerant. Marimontio rure regio, atque aliis regiis prædiis Angiani juſſu abſtinuêre: Id Hiſpaniæ Regi ab Regiæ Gentis adoleſcente honoris habitum: Gaſſio Bruſſellas versùs mille ducentorum equitum agmen ductans, præ ſe cùm Nobilium, tùm agreſtium fugientium magnam agebat multitudinem, longè, latéque ſparſo terrore. Aſt ubi Bruſſellæ fuêre in conſpectu, tùm ad caſtra redire converſo gradu cæpit, neque euntem, aut redeuntem quiſquam omnium moratus eſt. Dein Angianus Binchio movit, quinque tormenta eò inventa ſecum advehens: Sed progreſſus aliquantùm ſiſtit agmen, ab hoſtium caſtris paſſibus mille, aciem inſtruit, atque pugnandi poteſtatem facit: hoſtes ſeſe munitionibus continuêre, neque mox abeuntem qui proſequeretur, aut quid ipſi conſilii eſſet, exploraret, aut ab effusâ prædâ prohiberet, misêre neminem. Priuſquàm Angianus longiùs abſcederet, viſum ab Malbodio, Almerico, ac Barlemontio deducere præſidia, quod mœnibus horum locorum ſubverſis factum.

Poſt cæſas apud Rupem regiam copias, Franciſcus Mello impenſiùs Belgio metuens, Beccum qui ſuas integras cum his quæ ex malâ pugnâ ſuperaverant, mox conjunxerat, ab Theodonis-villâ mille quingentos prætereà pedites accerſere juſſerat: reliqui fuêre in eo præſidio omnino quingenti, qui numerus ſatis tùm eſſe viſus, quoniam Theodonis-villa in Lucemburgenſi agro quem Beccus obtinet, procul ab Belgio ad Moſellam amnem poſita eſt, quæ res eum falſum habuit. Nam Mazarinus de imminuto Theodonis-villæ præſidio certior factus, hanc Reginæ oppugnandam eſſe perſuaſit, neque tantæ patrandæ rei opportunitatem omittendam. *Quod eſſet apud Rupem regiam præclarè geſtum, id jure Ludovico viro tribui, qui Angiano Belgium Provinciam, exercitumque decreviſſet, atque omnia huic gerendæ rei neceſſaria ſedulò præcepiſſet, ac paraviſſet. At Theodonis-villæ oppugnandæ conſilium ipſi Reginæ tributum iri, quod ſi feliciter eveniat, vel ex eo quæ futura ſit novi Principatûs fortuna, hoſtes, atque ſocios juxtà æſtimaturos: hos in fide, ac fœdere, illos in metu quem uſque de Gallorum virtute habuerint, permanſuros.* His impulſa Regina mittit ad Angianum, ſcribitque, uti Geſvræum ad Theodonis-villam properare jubeat, qui ſtationibus

tionibus circumquaque poſitis, ut ne quid auxilii eò introducatur prohibeat, ipſe Angianus ſubſequatur, ac denique cum graviori agmine Sirotus Baro, uti caſtris circum Urbem poſitis hanc Angianus oppugnet, & ad victoriam tam grandem quam ſuâ maximè virtute fretus reportaverit, Theodonis-villæ expugnatæ decus, & gloriam adjungat, cujus rei ſicuti ſperet patratæ fore uti Rex filius, atque ipſa maximam huic gratiam debeat, ac referre ſtudeat. Igitur Angianus præmiſſo cum levi, atque expedito agmine Geſvræo, ipſe ad Moſam properat, traductiſque hunc amnem apud Mezieram, quò pontis copia eſt, copiis, per Lucemburgenſem agrum & ipſe expedito agmine pergit iter facere, cùm intereà Sirotus Baro per Campaniæ fines cum tormentis, & impedimentis, cæteroque graviori agmine eódem iter intendit. 1643.

Sed Angianus *a* Montem-medium prætergreſſus Viretonem ex itinere capit. Eâ die deprehensus nuntius eſt, quem ad Montis-medii Præfectum Beccus miſerat cum litteris, quibus præcipiebat, uti continuò quantùm poſſet militum Theodonis-villam mitteret, quæ res Angianum jam bonæ ſpei plenum ad patrandum inceptum magnoperè confirmavit: nam paucos apud Theodonis-villam eſſe, qui mœnia defenderent, hæ litteræ ſatis ſignificabant: poſtremò XIV. Calend. Quint. ad Theodonis-villam caſtra ponit, quò biduo modò ante Geſvræus Caſtrorum Præfectus advenerat præmiſſus ab Angiano.

a Mommedy.

Franciſcus Mello ubi omiſſo Belgio Angianum ad Moſam contendere nuntiatum eſt, Beccum Namurcum ire, atque eò Moſam tranſire, & ſi quâ fieri poſſet per Lucemburgenſem agrum hoſtes antevenire jubet: ſed id tardiùs conſultum Angiani celeritate fruſtra fuit. Igitur Beccus comperto circùm oppidum hoſtes caſtra poſuiſſe, ipſe apud Lucemburgum oppidum reſtitit, deditque operam, ut auxilii quidpiam Theodonis-villam introduceretur. Id factum haud difficulter, quoniam munitiones caſtrorum circùm oppidum nondum erant perfectæ, ſeriuſque ab noſtris fuerat animadverſum hoſtes per media præſidia ad oppidum properare: centum tamen ex poſtremis partim cæſi, alii fugientes amnem ingreſſi nihiloſecius periêre, quadringenti equites, peditéſque ad oppidum incolumes evasêre, hi ſinguli cum ſingulis equitibus eodem equo vehebantur itineris properandi causâ.

Theodonis-villa ſecundo Moſellæ amni ab ſiniſtra eſt, ſemicirculi inſtar, cui amnis rectâ fluens finem facit: ſex propugnacula ſuis ad mœnia intervallis exſtructa, prætereà inter propugnacula ſemilunæ oppidum muniunt: quæ pars ad flumen eſt, tametſi perſeſe munita, ea tamen operibus firmior facta, aquæ fluminis omnem oppidi foſſam complent. In externo foſſæ latere via tecta eſt, dein glaciarium, atque palorum ordo. Primùm omnium cautum ab Angiano in quâ quiſque caſtrorum parte curaret, vallum, turres, atque Caſtella perfici jubet adverſùm exteriorem hoſtem, dein ratibus junctis ſuprà, atque infrà oppidum pervium amnem facit, ut ab caſtris quæ cis, tranſque erant commeari poſſet: ſecundùm flumen foſſa ducta, ut ne hoſtes ſi clam munitiones

1643. caſtrorum tranſcenderent, ad flumen facilè accedere, atque ratibus ad oppidum evadere poſſent. Hæc caſtra *a* Jacobo Ruſſello Comiti Granſæo attributa, alteris caſtris Angianus ipſe, Geſvræus, *b* Almontius, & Gaſſio ſuæ quiſque parti præfuére, ſumma rei penes Imperatorem Angianum erat. Sirotus Baro mox cum cæteris copiis, atque impedimentis tormentiſque advenit. Sed intereà alia Divioduro Mediomatricum ſecundo Moſellâ advecta fuerant, quò pluribus machinis oppidi mœnia quaterentur. Hoſtes primùm nequaquam quieti fuêre, ſed eruptionibus crebris noſtrorum ſtationes, atque cuſtodias perturbare, pluſque virtutis, quàm pro numero oſtentare. Eò miſſi fuerant Illyrici Equites, Croatas appellant, genus hominum durum, at campeſtribus expeditionibus, quàm ſtatariæ pugnæ aptius: ſed quoniam incredibili celeritate opus fuerat, uti quid præſidii in Oppidum priuſquam noſtri adventarent, aut aditus clauſiſſent, introduceretur, hos equites Beccus delegerat, ſolitos diu, noctuque ubi opus eſt iter facere, equis perinde ad laborem, & longiora itinera aſſuefactis, maximè prædandi causâ: hi primùm erumpentes oppido noſtris ex improviſo, ac ſæpiùs intervenire, ſi fortè cederent, acriter perſequi; ſi reſiſterent, alius aliò quam maximè diverſi recedebant, atque ita noſtrorum virtutem fruſtrabantur: hæc illis diſciplina, atque pugnandi ratio eſt: ſed horum eruptiones inhibere viſum, quatuor exſtructis ex aggere turribus, atque tormentis duobus in ſingulas collocatis. Id munitionis genus quadratum eſt, *c* receptacula vocant, quoniam eò milites ſi quid graviùs vrgeat, recipiunt ſe, ac propugnant. Antequam turres eſſent exſtructæ, frequentes Croatæ eruperant, quorum impetum ſuſtinuêre Gaſſionis equitum ala, cui haud diſſimilis & prædandi, & pugnandi ratio fuit, præterea Condæi Cataſractorum turma duce *d* Salxio Tavanio Comite: is dum impigrè rem gerit, glandis ictu brachium ſauciatur, dein interveniente cum majori equitum numero Gaſſione hoſtes ad ſtationes uſque ſuas quæ pro oppido erant, compulſi ſunt, eò ſclopetarii erant, cum levi munimento, quoniam hos propinquitas oppidi protegebat.

a Iacque de Rouſſel, Comte de Granſey.
b d'Aumont-Villequier.
c Redoutes.
d De Saux, Comte de Tavane.

Nonis Quintilibus magna vi equites, pediteſque oppido erupêre, at è turribus noſtris petiti tormentis, & ab equitibus qui in ſtatione erant, primùm ſubſtitêre, dein compluribus vndequaque ſubſidio advenientibus recipere ſeſe coacti ſunt, ac ni pedes equiti in tempore adfuiſſet, magna huic impendebat clades: nam ubi prælium, clamor, & tumultus per omnia caſtra ſignificaverat, eò concurrere plerique, inter quos è primâ nobilitate adoleſcentes fuere *e* Cocceius Briſſacus, Jarſeus Marchio & Colinius Andelotus: hi dum inter hoſtium ordines præclari, feroceſque dimicant, Andelotus longiùs progreſſus propè ab hoſtibus eſt oppreſſus, cui ubi opitulatur Jarſæus, glande vulneratur graviter, ſicut & ipſe Andelotus brevioris ſclopeti glande.

e Coſſé de Briſſac, le Marquis de Jarzé, Coligny Dandelot.

Poſtridiè duabus partibus foſſæ ad oppidi propugnacula duo, atque ad ſemilunam mediam duci cœptæ: quæ ubi propiùs perductæ ſunt, primæ hoſtium munitiones paſſibus modò triginta aberant, quas perrum-

pere, atque in has impetum facere quantocyùs viſum. Tormenta inter utramque foſſam variis locis poſita fuerant, ac prætereà alia duabus oppidi turribus, è quibus in foſſas noſtras deſpectus erat, diruendis idoneè collocata. Prima hoſtium munitio a ordo palorum fuit, ab terra in majorem humanâ altitudinem prominentium; dein ab his leniter acclive ad oppidi foſſam versùs ſpatium, id quoniam ad glaciei ſpeciem politum eſt, Glaciarium appellant: poſt Glaciarium eſt via tecta, ac denique oppidi foſſa. 1643. a Paliſſade.

Noſtri igitur primùm palorum ordinem perfregêre, locumque in Glaciario occupavêre, atque munivêre, ut ab glandibus, tormentiſque hoſtium tecti eſſent. Eâ parte curabat Angianus ipſe, cui cæteriſque viſum, uti poſtridiè de ſecundâ, aut tertiâ vigiliâ noſtri cùm eâ parte, tum quâ curabat Geſvræus, in hoſtes impetum facerent, quò ad viam tectam, & foſſæ latus pervaderent. Id utrimque factum ex ſententiâ, tametſi hoſtes egregiè propugnaverant: ſed hi abſcedentes denique cuniculo quem ſub Glaciario inſtituerant, ignem admovêre, qui supernè humum cum ingenti fragore disjecit, at noſtri id futurum ſuſpicati tantum periculum effugêre: cæterùm hoſtes eâ parte pulſi Geſvræo qui aliâ parte idem moliebatur, intervenêre, quo atrocius illic prælium fuit, duplicato hoſtium numero: poſtremò tamen & inde pulſi ſunt, & utrimque locus eſt ab noſtris in Glaciario, & viâ tectâ occupatus, munituſque, ita omni Glaciario, atque viâ tectâ, quantùm inter utrumque locum ab Angiano, & ab Geſvræo munitum patebant, noſtri potiti: dein ab altero ad alterum perpetua inſtituta munitio, atque eò admota tormenta, quibus propiùs utriuſque propugnaculi, atque ſemilunæ quæ in medio erat, latera quaterentur, ac maximè ut earum omnium munitionum ſumma disjicerentur, & ne cui in his conſiſtere copia eſſet: prætereà uti quæ in his erant tormenta, ea pilis tormentorum noſtrorum corrumperentur: ad hoc Sclopetarii per vices in eo omni occupato ſpatio glandes ubicumque hoſtes in utroque propugnaculo, ſemilunâ, & mœnibus conſpici poterant, emittebant.

Poſteà loci utrobique, & quâ Angianus, & quâ Geſvræus curabant, acto ſub viâ tectâ cuniculo perfractum utrobique foſſæ oppidi latus eſt, atque patuit in eam deſcenſus. Tunc Nancio in caſtra venit Lenuncurius, qui vicinam ſicuti ſuprà diximus, obtinebat Lotharingiam: is dum propiùs quò tormenta ultimùm locata fuerant, per id ſpatium quâ intermiſſo vallo tormenti unius os prominebat, oppidi ſitum eâ parte contemplatur, glande ictus occubuit, vir ſicuti genus, atque virtus ferebat, excelſo animo, bellicâ laude clarus, qui eò rei modò quæ gerebatur viſundæ ſtudio venerat: Lotharingia hujus morte vacua Fertæo Sannectario de quo ſuprà memoravimus, data provincia eſt.

Inter hæc hoſtes propugnandi quâ parte noſtri inſtabant, omni fermè ademptâ copiâ, eruptionem aliâ parte quâ proximum fuit, fecêre: tres equitum turmæ de improviſo intervenêre noſtris nihil tale ſuſpicantibus, ducenti pedites in ſubſidiis erant: equites primùm noſtros ab his quæ

1643. ad foſſæ latus erant munitionibus pepulêre, ac tormenta duo corrupêre: aſt ubi Melleraii equitum ala quæ in propinquo præſidium agitabat, eò advenit, hoſtes in oppidum compulſi, æquo propè utrimque damno. Eâ quæ ſubſecuta eſt nocte, Eſpenanus Caſtrorum Præfectus, qui ad foſſas, munitioneſque noſtras cum Picardiæ, Maritimâque Legionibus excubabat, ſemilunam, ſicuti Angiamus decreverat, oppugnare aggreditur. Legionem voco pedites aliquanto numero, qui ſub uno merent Tribuno, ac ſuis Centurionibus, quæ legio alicujus provinciæ nomine appellatur, ſicuti Pedemontana, Navarrica, Picardica, Normannica, quæ autem Tribuni modò nomen gerunt, quia pauciores habent Centurias, iis cohortium nomen dare viſum. Pontes duos quibus milites in ſemilunam traducerentur, Eſpenanus ex virgultorum faſciculus inter ſe colligatis inſtituit, ac jam ſemilunæ latera tormentorum noſtrorum pilis disjecta, atque diruta fuerant, quò faciliùs in hanc noſtri traducti, neque tamen ſine magno, atque acri certamine, hoſtibus egregiè propugnantibus. Sed abeuntes eò cuniculum pulvere tormentario oppletum reliquerant, qui poſt paulò concepit ignem, verùm id fruſtra fuit, noſtris ſeu fortè, ſeu conſilio nondum ſuperſtantibus, ita neque virtute, neque dolis quidquam hoſtibus procedebat. Eſpenanus continuò ſemilunam, quà ad oppidi mœnia patebat, vallo muniri jubet, uti miles tectus eâ parte, quæ opus eſſet gerere, atque adminiſtrare tutò poſſet. Poſtridie ab foſſæ latere, ad ſemilunam pons firmiori opere eſt inſtitutus, traductaque in eam tormenta, quò propiùs & mœnia oppidi, & propugnaculorum latera quæ utrimque in conſpectu erant, prætereà humeri labefactarentur, atque ut in ſummo quo propugnandi causâ miles eſſe ſolet, nemo tutò conſiſtere poſſet. Eâ gratiâ & ſclopetarii per vices perpetuam glandium grandinem emittebant in hanc ſummam, & mœnium, & propugnaculorum partem, ſicubi qui ex hoſtibus in conſpectum veniebant: dein injectus foſſæ agger, quà brevior ab ſemilunâ, ad utrumque propugnaculorum latus via viſa, uti ſupra aquam extaret: eâ cunicularii utrimque traducti ſeſe noctu propugnaculorum lateribus applicuêre, atque illìc infima muri ſaxa vectibus convellere cæpêre, dein ubi ad aggerem deventum, hunc egeſsêre, & cuniculos inſtituêre, quibus triduo confectis Calend. Sext. eſt admotus ignis. In altero propugnaculo ingens edita ruina, quâ viginti quinque milites rectâ fronte ad id latus adſcendere poſſent. In altero propugnaculo fortè extincto igne nihil effectum, at ſequenti nocte & in eo ingens eſt edita ruina; ſuper utraque ruina noſtri locum occupavêre, atque munivêre. Tunc placuit nuntiari oppidi Præfecto eò rem rediiſſe, ut ipſi denique neceſſe eſſet, ſibi, ſuiſque conſulere: ſi conditionibus deditionem facere vellet, has honeſtiſſimas laturum Angianum. Sed negavit Præfectus eodùm ſe redactum, uti conditiones accipere, atque oppidum dedere cogeretur. Igitur Angianus alios porrò cuniculos in propugnacula duo agi juſſit, queis omnis agger ſubverteretur: id hoſtes prohibêre ſedulò, glandes, ſaxa, ferreos, atque æneos globos pulvere tormentario oppletos (malogranata ob ſimilitudinem appellant) atque alia hu-

jus generis ardentia mittere, prorſus nihil omnium omittere, quò noſtros arcerent: poſtremò duobus ulteriùs actis in utroque propugnaculo cuniculis, disjectoque aggere, noſtri impetu facto ad ſumma alterius propugnaculi evasêre: ſed eò conſiſtere nuſquam copia fuit, tantam glandium, ſaxorum, atque malogranatorum vim hoſtes ingeſsêre. Illîc Gaſſio caput graviter afflictus caſtris uti vùlnus curaret, abſcedere coactus eſt. In altero propugnaculo duo acti cuniculi ſunt, prior unus ignem concepit, ruinamque edidit, alter ampliùs opinione morabatur, atque Geſvræus qui eâ parte curabat, militum impetum inhibere conabatur, cùm & hic cuniculus concepit ignem denique, quo disjectus magno impetu lapis hominem attigit, necavitque. Hic Juvenis multa rei militaris facinora fecerat, in ſecundis, atque dubiis rebus quod difficillimum in primis eſt, juxta egregius, firmuſque: paternum huic genus ab Potieris clarum, maternum ab Lucemburgi Principibus fuit, virtus, & gloria quæ utrique genti ornamento futura ſit: Caſtrorum Præfectus, & regiæ Corporis Cuſtodum turmæ dux, atque in exercitu Angiano Legatus fuit: Tribunatum Equitum habiturus erat ſi diutiùs vixiſſet, ſed hunc omnium judicio promeruiſſe Geſvræo æquè glorioſum eſt. 1634.

Geſvræo cæſo, & Gaſſione vulnerato, quorum alter hinc, alter illinc propugnaculorum oppugnationi præfuerat, nonnihil moræ rebus noſtris uterque caſus attulit: cùm tamen ingentes utrimque ruinæ eſſent editæ, neque ſatis præſidii eſſe hoſtibus viſum in iis quas opere tumultuario objecerant munitionibus, novis denuò ſubter actis cuniculis poſtremò deditionem fecêre. Hujus leges ab Angiano dictæ quam honeſtiſſimæ, hoſtes IV. Id. Sext. oppido diſceſsêre. Ita Angiani operâ Ludovicus XIV. Rex Theodonis-villâ potitus, oppido ad Moſellam muniтiſſimo, quo Hiſpani freti quidquid inter Rhenum, & Moſam, Gallos, atque Helvetios regionum eſt, in ſuâ fide, aut clientelâ eſſe cogebant.

Intereà Lutetiæ Pariſiorum *a* Carolus Lotharingus Ellebovius antè decennium Curiæ Divionenſis in Æduis judicio capitis abſens damnatus, frequenti Senatu præſens abſolvitur, decretumque eſt quod ab Curiâ Divionenſi in eâ causâ factum ſit, neque rectè, neque ordine factum videri, cui de Parium Regni cauſis, in quibus capitis agatur, cognoſcere jus non ſit. Ellebovius antè judicium capitis adversùm hunc latum ab Divionenſi Curiâ Picardiam obtinebat Provinciam, quæ per ejus abſentiam, ac prætereà capitis damnationem vacua *b* Honorato Alberto Chalnio Duci permiſſa fuerat. Sed ubi ille ad Urbem redierat, atque Senatûs decreto abſolutus fuerat, huic eſt reddita provincia, quam deinceps ſicuti priùs obtineret.

a Charles de Lorraine Duc d'Elbeuf.

b Honoré d'Albert Duc de Chaune.

Bernardus *c* Nogaretus Dux Valetta ſimiliter abſens capitis damnatus fuerat ab ipſo Ludovico XIII. Rege, ex Conſilii bellici ſententiâ, nam cujus criminis reus agebatur id in caſtris apud *d* Aragifontem in Hiſpaniâ admiſſum dicebant, ſcilicet ubi in hujus oppidi muro edita ruina fuerat, aliquantùm militum in eam evaſiſſe, qui ſubſequi debuerant cæteri, eos ab Valettâ qui eâ parte curabat dolo malo prohibitos. Vocati in

c De Nogaret Duc de la Valette.

d Fontarabie.

1643. id Conſilium Senatûs Præſides fuerant, ut ne hujus Iudicii omninò Senatus expers eſſet, qui tamen hoc anno Valettam videri extrà noxam eſſe decrevit: nam illud judicium non ab Ludovico, ſed ab Richelio profectum cenſebat, jucundumque erat oſtentare cæterorum potentiam brevem, hujus verò Ordinis perpetuam eſſe. Prætereà quæ in *a* Belforierum Soyecurium, is in Picardiâ Ellebovio Legatus fuerat, atque in *b* Dubecum Vardium ob deditas ante ſeptennium hoſtibus Corbiam,& Capellam citiùs ſicuti tùm aiebant, quàm belli ratio poſtularet, capitis lata judicia in abſentes fuerant, ea ab Senatu antiquata ſunt, decretumque videri ambos extrà noxam eſſe.

a Belforiere de Soyecourt.
b Le Marquis du Bec.

Poſt captam ab Hiſpanis in Italiâ Dertonam,& ab nobis Aſtam, utrimque ceſſatum fuiſſe ſupra diximus, ſed hæc quies haud diuturna fuit. Penes Thomam Imperii ſummam in regio exercitu eſſe memoravimus, ac de Pralinopleſſio Legato mentionem fecimus: Thomæ prætereà Legatus fuit *c* Henricus Turrius Turena Vicecomes, *d* Guido Villa Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis copias regiis conjunctas ductabat. Is præmiſſus ad Aſtæ villam-novam, quod oppidum Sabaudicæ ditionis hoſtes occupaverant, id obſidione cinxit, oppugnavitque, quod ab Auguſtino Molinari Præfecto deditum eſt denique.

c Henry de la Tour, Vicomte de Turenne.
d Le Marquis-Ville.

Intereà Thomas Princeps cum Turenâ, & Pralinopleſſio ſeſe Alexandriam ad Tanarum amnem oppugnare velle ſimulavit, dein ad Pomarum habuit caſtra, quod oppidum ad Padum eſt. Eò hoſtes credidêre noſtros tranſituros amnem, quò factum eſt uti Laumellio agro metuentes, qui fertiliſſimus Seſſitem inter, *e* Ticinum, Padumque amnes jacet, complures qui huic præſidio forent copias Padum traducerent: ſed noſtri ſubitò ad Caſalium iter flexêre atque eò tranſmiſſo Pado Trinum contendêre. Mille modò pedites in oppido, trecenti equites fuêre, abductis in alia præſidia qui ſuprà hunc numerum fuerant militibus: prætereà ab hoſtibus miſſi ſclopetarii equites centum, & ſexaginta per ſtationum noſtrarum intervalla oppidum introiêre: nam omnia circùm aut ſaltuoſa, aut paludoſa ſunt. Trinum in eâ Montisferrati agri parte poſitum eſt, quæ Victori Amedæo Sabaudiæ Duci ante annos duodecim Cheraſcenſi fœdere eſt attributa, nuper ab Hiſpanis dum Thomas eorum partes ſequebatur, haud difficulter captum: nam ab Thomâ qui Carolo Emanueli Victoris filio Sabaudiæ Duci patruus eſt, haud alieni erant omnes Subalpini, qui Trino, & aliis Sabaudicæ ditionis oppidis Præfecti erant. Cæterùm eâ tempeſtate Thomas cum Carolo Emanuele fratris filio, cum Chriſtinâ hujus matre, quæ propter ætatem filii in procuratione Principatûs erat,& cum Ludovico Rege Chriſtinæ fratre redierat in gratiam, atque adeò poſthabitis Hiſpanis rursùm Gallorum partes ſequebatur: is igitur quæ damna Carolo Emanueli atque Chriſtinæ matri intulerat, eâ tum ſarcire properabat.

e Le Theſin.

Primùm circum oppidum caſtra poſita, munitaque, pontes frequentibus lacunis, foſſiſque uti cuncta in caſtris loca inter ſe pervia eſſent, impoſiti: dein duobus locis foſſæ, altera ad oppidum, altera ad arcem du-

1643.

ci cœptæ : ubi eſt appropinquatum, tormentis, atque cuniculis quæ extrà oppidum, atque arcem erant munitiones, eæ disjectæ ſunt. *a* Battevilla Præfectus oppido fuit, qui nihil omnium omittebat, quo opera noſtra tardaret, ſæpiùs eruptionibus, prætereà alia ipſe, dein alia objiciens opera, prorſus ut in externis munitionibus capiundis multum laboris, periculique fuerit : poſtremò muſculus in ipsâ arcis foſsâ factus, quo Cuniçularii ad propugnaculi latus traducti, atque appliciti ſunt: dein tormentorum operâ diſrupto, disjectoque ab hoſtibus muſculo, contrà tormentis noſtris hoſtium tormenta perfractis rotis, axibus, trabibus ita corrupta fuêre, ut ne his ampliùs uti poſſent: itaque refecto muſculo cuniculi in arcis propugnaculum, atque aliò longiùs acti, ac pulvere tormentario oppleti ruinas edidere, in quibus acriter utrimque pugnatum, ac tandem Battevilla ſibi, ſuiſque deditione conſulere coactus eſt: hujus leges ab Thomâ quàm honeſtiſſimæ dictæ, pro Præfecti, atque militum virtute, dein Hiſpani oppido, atque arce diſceſsêre. Turonenſis Legio eò cum aliis præſidii causâ relicta, Amboſius oppido Præfectus fuit. Id Pado haud procul ſex ſuprà Caſalium paſſuum millibus, mille ſuprà Sturæ-pontem poſitum eſt, muro, turribuſque lateritiis, profundâ, atque paludoſâ foſsâ, propugnaculis novem, atque aliis operibus munitum, cum arce firmiſſimâ. Caminum Caſtellum intereà dum Trinum oppugnabatur *b* Covongius Caſalio Præfectus pugnando ceperat, ac poſt paulò Pralinopleſſius *c* Sturæ-pontem recepit, ut ne quis ad Padum locus Trinum inter, & Caſalium in hoſtium poteſtate eſſet. In oppugnando Sturæ-ponte haud minor propè labos, quàm apud Trinum fuit, niſi quòd caſtra vallo munire opus non fuit, equitatus omnis quà adventus hoſtium erat, præſidium agitabat, nam apud Valentium cum copiis erat *d* Velada Marchio, qui nuper Inſubres Provinciam, ſeu Mediolanenſem agrum obtinebat, ſi fortè quid auxilii ad Sturæ-pontem mittere ex propinquo copia foret: nihil tamen eſt tentare auſus, atque adeò oppidum ab eo qui Præfectus erat poſtremò deditum eſt.

a Batteville.
b Couvonge.
c Pont de Sture.
d Le Marquis de Velade, Antoine Sanche d'Avila.

Uti res Philippi in Italia proſperè cedant, neceſſe eſt in primis, ut eò ab Hiſpaniâ commodè navigetur, ſubvehendis militibus, atque pecuniâ ad uſum belli: hæc numeratur Genuenſibus Publicanis, dein ab his ubicumque in Italiâ, Germaniâ, Belgio, atque aliò opus eſt Hiſpanis, nonnullâ acceptâ mercede perſcribitur. Hæc ut iis conturbetur ratio, Maſſiliæ, atque in aliis Provinciæ noſtræ, quæ inter Hiſpaniam, & Italiam media eſt, portubus navium copiam habere noſtri ſtudent: quæ ubi tempore anni mare claſſibus patefactum eſt, Hiſpanos quo minùs ab alterâ, in alteram commeent, prohibeant. Eâ gratiâ *e* Armandus Maillæus Brezæus rei navali in Galliâ Præfectus claſſem in mari Gallico inſtruxerat, navium actuariarum novem, viginti grandiorum quæ velis modò aguntur, duarum ejuſdem generis minorum, Incendiariarum duodecim. Hoc navium numero fretus ad mare Belearicum curſum intendit. Tarraconem, & Rhodam Hiſpani ad Cataloniæ oram tenebant, cætera cum omni propè provincia penes Gallos fuêre, quam

e Le Duc de Brezé.

1643. obtinebat Mottæus Hodencurius Equitum Tribunus. Cum eo collocutus apud Barcinonem Brezæus hoſtibus metum fecit, ut ipſe mari, Mottæus terrâ Tarraconem oppugnare vellent, cui tuendo *a* Toraltus oppidum cum copiis eſt ingreſſus.

a Toralte.

Metuebant & Rhodæ Hiſpani, ob rei frumentariæ inopiam, cui ſublevandæ ſex navibus eò commeatus ſupportabatur: hæ majore Baleari ſolverant, cùm è Barcinonis ſpeculâ, quæ ad Jovis montem eſt, datur ſignum, dein noſtri naves hoſtium ab ſuis ipſi ſpeculis, quæ in ſummis malis ſunt, animadvertêre. Adversùm illas totidem è ſuâ claſſe naves Brezæus emiſit, nequedum comperto hoſtiles eſſe, nam longiùs aberant, quàm ut dignoſci poſſent, has ad Prætoriam de more adduci jubet, ſimul actuarias novem grandioribus ſi quid duriùs accideret, ſubſidio eſſe, paratus ipſe, intentuſque cum reliquâ claſſe, ſi uſus veniret, ſubſequi. Ventus erat noſtris rectâ tendentibus iniquior, adeóque viſum paulùm flectere curſum, & naves grandiores à totidem actuariis remulco trahi, uſque dum aliquantùm progreſſæ vento ſecundo ad procurrendum in hoſtiles naves uti poſſent. Harum una erat Hiſpanica ad Belgicarum normam fabricata, tormentis viginti octo inſtructa, alia Indica ad Cantabricarum normam duodeviginti tormentis, tertia oneraria longior (fiſtulam appellant) pane nautico, & vino onuſta, quarta Polonica genus in his maribus vectorii navigii, cui nomen id inditum eſt, vino item, & farinâ onuſta, quinta Dunkercica, leve navigium excurrendis maribus idoneum (fregatam appellant) ſexta vectoria major erat. Ubi eò ventum eſt, undè tormentum adigi poſſet, utrimque eminùs pugnari cœptum, dein noſtri propiores facti Polonicam, & vectoriam majorem ad deditionem redegêre, reliquæ aliquandiù propugnavêre, donec labefactatæ omnes & ipſæ deditionem fecêre. Poſtridie captivæ naves quinque ſub Prætoriæ vexillum adductæ, nam vectoria poſtpaulò deditionem vulneratâ tormentorum pilis carinâ, atque per ejus vitia majori aquæ vi quàm quæ exhauriri poſſet, ſubeunte, depreſſa fuerat, ita hoſtes & ſex navium, & omnis qui Rhodam ſupportabatur commeatûs jacturam fecêre.

Sed id nondum Brezæo operæpretium videbatur, Hiſpanicam omnem claſſem ſibi dari in conſpectum, atque hanc oppugnare geſtiebat: quæ quoniam nondùm adventabat, huic ad fretum Herculeum, quin & ad *a* Sacrum (ſi uſus foret) Promontorium obviam conari decrevit. Eo conſilio XIV. Calend. Sept. Barcinone ſolvit, relictis eò navibus actuariis, prætervectuſque Tarraconem ad Sucronenſem ſinum, Valentiam versùs, naves quatuor præmiſit: hæ in Britannicam navim incidêre, quæ Hiſpanos milites ducentos Tarraconem vehebat. Eâ captâ, ab vectoribus de Hiſpanicâ claſſe percunctando cognitum eſt, hanc viginti quinque navium grandiorum eſſe, atque ad *c* Calpem ſtare, quod continuò Brezæo nuntiatum ſpe, & cupidine gloriæ egregium adoleſcentem implevit. Igitur ſuperatis *d* Ferrariæ, & *e* Scombrariæ promontoriis, cùm in *f* Carthaginis novæ conſpectum ſub veſperam veniſſet, in eo portu bellicas naves quatuor, actuarias ſex, cum aliquot onerariis eſſe compertum

b Cap Saint Vincent.
c Gibraltar.
d Cap Martin.
e Cap de Palos.
f Carthagene.

1643.

tum eſt, quas oppugnare, aut incendere Brezæus conſtituit. Id uti poſtridiè faceret, ad fauces portûs jactis anchoris eam noctem agitavit: dein ubi illuxit, tota Claſſis in cornua, & mediam aciem diſtributa impetum in portum factura videbatur, cùm repentè ſævior ab terra ventus coortus hoſtibus præſidio fuit, Brezæumque altum petere coëgit. Is tamen quò intenderat curſum tenens ad *a* Charidemum promontorium navigavit, quò claſſem venti adverſi biduum tenuêre. Eò ab nave Batavâ ad Prætoriam de more adductâ fit certior, claſſem Hiſpanicam etiamtùm ad Calpem eſſe: ſed tertiâ denique die ſub veſperam ab ſummis malis conſpecta eſt, & qui eò in ſpeculis erant, viginti quinque naves quæ grandiores videbantur, numeravêre: quod diei reliquum fuit, id apparandis ad craſtinam pugnam navibus conſumptum eſt. In vtraque Prætoriâ, noſtrâ, atque hoſtili, de more ignis ab puppi noctu conſpicuus quàm longè inter ſe eſſent, indicio erat: præterea miſſæ ab Brezæo per omnes noctis vigilias ſcaphæ quid apud hoſtes fieret, exploravêre, neque hi noſtræ claſſis erant ignari, nam fortè navis vectoria biduò antè in Sucronenſi ſinu ab noſtris capta eâ nocte deerraverat, ignem Hiſpanicæ Prætoriæ pro noſtro ſecuta, atque adeò in poteſtatem hoſtium venerat.

a Cap de Gate.

Poſtridiè cùm luceſceret, Gallica claſſis gubernatorum arte eo loco eſt conſtituta, unde in Hiſpanicam quæ quatuor millia paſſuum aberat, ſecundo vento ageretur. Prætoria Hiſpanorum ingentis magnitudinis fuit, Viceprætoria paulò minor, Neapolitana Prætoria tertiâ parte minor Hiſpanicâ Prætoriâ, duæ aliæ mediâ parte minores; ejuſdem magnitudinis Belgicæ ſex, & Dunkercicæ quatuordecim, ſingulæ triginta, quadraginta, quinquaginta tormentis erant inſtructæ: quidquid firmum & egregium, cùm navium, tùm nautarum, & militum Gadibus, aut Dunkercæ, quò celeberrima Philippi Regis in Hiſpaniâ, & Belgio navalia fuêre, in hac claſſe erant. Igitur III. Non. Sept. horâ diei ſeptimâ Brezæus tormento ab Prætoria dat pugnæ ſignum, atque omnibus velis ad hoſtes contendit: reliquæ prout quæque velis apta celeritate præſtabat, ſequebantur. Hoſtibus ea maximè cura, ut ne qua navis ab claſſe disjungeretur, atque adeò ſingulæ ad Prætoriæ exemplum velis moderabantur: una fortè venientibus noſtris ab cætera claſſe procul fuit, hæc Viceprætoriæ Hiſpanicæ ſubſidiaria erat, ſed hujus præſidio tunc indigebat, quæ huic præſto cum unâ Dunkercicâ fuit: Prætoria his tribus navigiis metuens vela ſua curſui tardando miſcet, idem cæteræ faciunt, uſque dùm tria illa navigia advenirent, quod eſt ex ſententiâ factum, atque adeò præmiſſæ adversùm hæc quatuor ab Brezæo naves cum incendiariis duabus fruſtrà fuêre. Intereà hujus Prætoria ad hoſtium Prætoriam rectâ properabat, comitabantur ſubſidiariæ quatuor, queis præerant *b* Montadius, Baiardus, Marſacus, Rupealardus, & *c* Lalandius, jamque eò progreſſæ erant, undè tormentis agi poſſet, cùm hoſtes crebras in noſtros tormentis pilas mittere, qui contrà neque pilas remittere, neque aliud quidquam facere, quàm tenere curſum, atque ad

b Montade, Baiard, Marſac, Rochealard.
c Lalande.

1643. hoſtes contendere : princeps in eos incidit Prætoria Brezæi, neque procul ab Hiſpanica Prætoria aberat, cùm una ex hujus ſubſidiariis Dunkercica Prætoriæ noſtræ occurrit, objectoque de more latere, hanc omnibus ſuis, quæ in eâ parte erant, tormentis petitura erat: at Prætoria prior ex omnibus, quæ multa, atque ingentia latus ſuum muniebant tormentis, maximam pilarum vim emiſit : hæ uſque ad interiora Dunkercicæ penetravêre, atque pulveris tormentarii locum fortè nactæ totam navim momento incendêre, cum horribili fragore, atque ſtrage: in hac viginti quinque tormenta, trecenti milites fuêre, quæ omnia cum ipſâ navi aut incendio, aut naufragio periêre. Montadius dùm hæc ab Prætoriâ geruntur, paulùm erat progreſſus, atque inter hoſtium Prætoriam, & Dunkercicas, quæ huic ſubſidiariæ erant, naves verſabatur, tormentis, atque ſclopetis quaquà versùm petens, petituſque: poſtpaulò cæteræ quæ Prætoriæ noſtræ ſubſidiariæ erant naves, eòdem progreſſæ ſunt. Vicepraætoriam hoſtium, & quæ huic ſubſidiaria erat navim *a* Leſchaſſerius, & Luceraius cum duabus navibus noſtris impigrè ſequebantur : ſed quia celeriùs hæ duæ, & aliæ hoſtium naves fugam capeſſebant, quàm ut eas aſſequi poſſent, Luceraius ad Prætoriam noſtram rediit, Leſchaſſerius Neapolitanam Prætoriam quæ ab ceterâ Hiſpanicâ claſſe recedebat conſpicatus hanc inſequitur, oppugnat, jamque in eam parabat tranſcendere, cùm incendiaria quam ipſe adduxerat Neapolitanæ applicita eam incendit : tormentis æneis quinquaginta, quingentis militibus inſtructa erat. Vicepraætoriam Hiſpanicam quam Luceraius, atque Leſchaſſerius omiſerant, tres aliæ naves noſtræ poſteà erant ſecutæ : ſed hæc velis egregia poſtquam uti ſubſidiariæ ſuæ præſidio eſſet, tantiſper reſtiterat, ac noſtras inſtare videt, poſtremò hanc deſerit, quam noſtri expugnavêre, hæc quadraginta ſex tormentis, trecentis, & quinquaginta militibus inſtructa fuit. His navibus fugatis, captis, incenſis, tum demùm Prætoria Hiſpanica cum ſubſidiariis cæteris omnia ad fugam vela intendit, tantuſque inceſſit omnibus pavor, uti funes quibus ſcaphæ ad majora navigia religatæ erant, ne quid indè moræ eſſet, præciderent, atque has deſererent. Tunc noſtris, atque in primis Prætoriâ Brezæi haud ſegniùs quàm hoſtes fugiebant, inſequentibus, alia navis ex Hiſpanicâ claſſe, quæ cæteris tardior fuerat, capta, tormenta triginta, trecentos habebat milites, ſed inclinatâ ad noctem die, ſimul corruptis navium noſtrarum propè omnibus armamentis, ut hæc ſarcire copia eſſet, Brezæus reſtitit. Id & facturos hoſtes rebatur, eumdemque ipſis fugiendi, quàm ſibi inſequendi finem fore : ſed hi minùs incerta noctis, quàm noſtros veriti nihil intermiſêre curſum, atque omni velorum vi Carthaginem novam contendêre.

a Leſchaſſerie, Luceray.

Poſtridiè ubi luceſcere cœpit, Brezæus hoſtes perſequi geſtiebat, at vento remittente impetus adoleſcentis tardatus eſt, dein poſtpaulò exortus ab mari claſſem noſtram ad Carthaginis novæ portûs fauces impulit: eò venêre noſtris obviam actuariæ naves quindecim, quibus *b* Ferrandinus Dux præerat: harum præſidio tuta hoſtium claſſis intimum portum

b Le Duc de Ferrandine.

tenuit: ſed eò naves Hiſpanorum octo alveos vulneratæ aquâ ſubeunte 1643.
depreſſæ ſunt, ac recenſitis militibus, nautiſque tria millia deſiderati.
Brezæus portum ſicuti conſtituerat ingredi ab actuariis navibus prohibitus, & ipſe viciſſim has egredi prohibebat: ſed eò morari diutiùs periculoſum videbatur, quia ventus plerumque in eâ regione ſævior eſt, quo poſt paulùm increbreſcente primùm altum petere, dein ad *a* Ebuſum, & *b* Ophiuſam tendere coactus eſt: eò refectæ naves, & captivi amplius mille per has omnes æqualiter diſtributi cuſtodiæ causâ, inter quos centum & viginti inſignes fuêre. Saucii, atque ægri è claſſe Gallica cum duabus navibus bellicis, quæ in pugnâ labefactatæ fuerant, & fiſtulis duabus *c* Tauroëntum dimiſſi. Brezæus per hæc maria porrò navigare, atque hoſtium naves ſi portubus egredi auderent, quærere inſtitit: ſed nihil poſthàc tametſi aliæ naves ipſi ab Oceano venerant, operæpretii fecit, hoſtibus abnuentibus pugnam, ac furtim, cautè, & exploratò, nec niſi procùl ab claſſe noſtrâ navigantibus.

a Yviqne. *b* Fourmentiere. *c* Toulon.

Sed quoniam in Hiſpaniæ maria nos Gallica claſſis adduxit, quid in Cataloniæ finibus Philippus per hæc æſtiva aut geſſerit, aut moverit, commemorare haud abs re fuerit. Is menſe Sextili ubi copiæ noſtræ æſtatem in his præfervidam regionibus ſub tectis agerent, Cæſarauguſtam venit, quæ ad Iberum flumen in Hiſpaniâ Tarraconnenſi poſita tunc Aragoniæ Regni caput eſt. Eò cives res ſimul diverſiſſimas, Regem habent, & libertatem, hujus ſtudioſiores: ſi cui cum Rege controverſia intercedit, is apud ſummum Magiſtratum (Juſtitiam vocant) æquo cum illo jure agit, eumdem Magiſtratum ſi quid his ab Rege graviùs accidit, appellant. Philippo advenienti Cæſarauguſtani ſicuti Regi decebat, obviam prodiêre. Sed ſi is cum militibus quos ſecum cuſtodiæ causâ habere ſolet, urbem ingrederetur, eò libertatem ſuam minui rati, hos ſubſiſtere jubent, atque ipſi ſeſe Regi cuſtodes adhibent. Inter vulgi acclamationes exaudita ſunt in Gaſparem *d* Guſmanum Olivarem maledicta, qui nuper apud Philippum gratiâ pollebat, ab Aulâ paulò antehac ſecedere juſſus. Id Philippus afflictis in rebus magis ut uxori quæ Olivari infenſa, & plebi, quæ huic iniqua erat, morem gereret, quàm judicio ſuo, atque voluntate fecerat, atque etiam tùm Olivarem de omni republica ab eo per litteras conſuli fama erat, quod utrùm verè, an falsò creditum, ſubſecutâ brevi Olivaris morte parùm compertum eſt. Cæterùm huic & animi magnitudo, & rerum peritia inerat: ſed omnia benè conſulta omni prudentiâ potior fortuna ſubvertebat, quod eò maximè eveniſſe reor, quòd ex peſſimâ quorumdam diſciplinâ qùod utile, id & rectum eſſe ſentiret: quò factum eſt, uti potiundi per injuriam in Italiâ Caſalii Philippo antehac autor eſſet, unde bellum in ipſa Italia exortum, dein totâ Europâ geſtum, quò Philippi, atque Ferdinandi II. Imperatoris qui huic adjutor in illa injuria fuerat, opes contuſæ. Documentò mortalibus eſſe humana Deo curæ, atque hæc non ex Principum potentiâ, atque opibus, ſed ex ejus modò voluntate proſperè, aut ſecùs cedere.

d De Guſman Comte, Duc d'Olivares.

1643. Antequam Philippus *a* Mantuâ Carpetanorum (hæc Regni caput eſt) diſcederet, Ludovico ſicuti Regi, & ſororio decebat, juſta magnificè fecerat, nihil prohibente quod inter ambos intercedebat bello: nam neque id inter affines, & Chriſtianos Reges internecinum, neque publicis de cauſis privatum odium erat. Porro Philippus peditum millia ſeptem, equites mille quingentos ab Luſitaniæ finibus evocaverat, quibus præerat *b* Joannes Garaius, quatuor millia ab Valentiæ veniebant Regno, omnibus copiis præeſſe debebat accerſitus ab Italiâ Picolominius, at peregrini hominis imperium Hiſpani abnuêre. Igitur his Philippus Torrecuſam, & Philippum Sylvam præfecit, queis legavit Garaium: Singillatim equitatui præfecit Mortaram: qui ex Equitum diverſis in Hiſpania Collegiis in eo exercitu fuêre, eis Alvarus Quignones præfuit. Hæ omnes copiæ apud Balbaſtrum quo Varus amnis Cingam ſubit, recenſitæ ſunt. Peditum millia quatuordecim, equitum quatuor millia, prætereà quingenti fuêre. Recenſito, luſtratoque exercitu Philippus quid fieri placeret edicit: *c* Ilerdam ad Sicorim, aut Flixium ad Iberum amnes hoſtes ituri videbantur: quò factum eſt, uti Mottæus rursùm coacto exercitu Flixium *d* Roſſilonii, & *e* Rupelauri, ſuam verò, atque Angiani Cohortes Ilerdam properè mitteret, ipſe loco idoneo ut utrique ſubſidio eſſet, conſedit. Flixium hoſtes pars terrâ, alii ſecundo Cingâ, dein Ibero navigantes petiêre: nec eò tamen omnis ierat exercitus, nam pars maxima Ilerdam versùs tendebat, quò Mottæum ab Flixio averteret, ſed hic fraudem ſentiens Flixium movit. Eò cùm hoſtes navibus adveniſſent atque exſcendiſſent, haud procul oppido poſt vicinos colles taciti conſedêre, donec Garaius cum reliquis copiis adveniret. Tùm Roſſilonii & Rupelauri Cohortes, ſimul Ludovicus Ricardelus, & Jacobus *f* Erillus Catalani cum ſuâ quiſque Cohorte hoſtes adorti quadringentos cecidêre: quod ubi Garaio nuntiatum, atque Mottæum haud procul abeſſe, incœptum omiſit, & qui navibus venerant, eos ad ſe iis incenſis properare jubet, quibus id quod juſſi erant molientibus intervenêre ab oppido noſtri, & quod reliquum erat illîc hoſtium fudêre, pars cæſi, alios fugiendo amnem ingreſſos gurgites hausêre, pauci hujus cladis nuntii ad Garaium evasêre.

a Madrit.

b Jean de Garai.

c Lerida.

d Rouſſillon.

e Roquelaure.

f Erille.

Mox Balaguieram, & Ilerdam versùs hoſtes movent, utrobique ſpem proditionis nacti: poſtremò cùm horum conſiliis omnibus maturè Mottæus occurreret, eò denique res rediit, uti Monſonem, qui procul in hoſtico erat, oppugnare aggrederentur: ſed tantus fuit ab Mottæo metus, uti duplici vallo, duplici foſsâ caſtra munirent: eò ſtrenuè ab *g* Salicæo propugnatum, qui omni auxilii ſpe damnatâ, rem tamen in hyemem extraxit. Cùm tanta eſſet Hiſpanis caſtrorum firmitudo, uti munitiones perrumpere nulla copia eſſe videretur, Mottæus hanc eis conditionem tulit, ſcilicet ſeſe his Monſonem protinùs dediturum, ſi de pugna item protinùs faciunda fidem dare vellent, ſed hanc Hiſpani conditionem abnuêre. Id eò factum ab Mottæo, quòd & ipſi eâ ſe modò gratiâ Monſonem oppugnare aggreſſos dixerant, uti Mottæum ad prælium faciun-

g Du Sauſſay.

dum adigerent: itaquè ad gloriam, & famam pertinere eſt arbitratus, omnibus palàm facere, id Hiſpanos contra quàm ſentirent, & auderent, per vaniloquentiam prædicaſſe. 1643.

In Germania Rex per Joannem *a* Budam Hirellum Guebrianum Comitem, Equitum Tribunum bellum adversùm Ferdinandum III. gerebat, atque id ex Suecorum ſententiâ adminiſtrari volebat: nam cum his nobis & fœdus, & belli ſocietas dudùm intercedit: ita bellum adversùm Hiſpanos Gallis, adversùm Ferdinandum Suecis proprium eſt, atque ab nobis potiſſimùm geritur, ut horum commodis ſerviamus, quæ & profectò noſtra ſunt: nam Ferdinandus bello impeditus Hiſpanis opitulari nequit.

a Bude du Hirel Comte de Guebrian, Mareſchal de France.

Ferdinando in eo bello Socius eſt Maximilianus Baioariæ Dux, atque Imperii Septemvir, ſcilicet qui Ferdinandi ſororem habet uxorem. Is & milite, & pecuniâ validus maximam hujus belli ſuſtinet partem, quem adeò labefactare Gallis, & Suecis viſum. Sed hujus omnis ager opimus is quidem, & fertiliſſimâ ſoli regione ultra Danubium latiſſimum, atque rapidiſſimum flumen jacet, cui appropinquare Guebriano conſilium fuit, atque in Suevia Danubium proximâ locum hybernis deligere, nam id ſub finem æſtivorum moliebatur. Haud facile erat in Suevia hybernare, nam Mercius cum exercitu cui præerat Baioarico, item Lotharingicis quas Carolus quondam Lotharingiæ Dux miſerat copiis, quid Guebrianus moliretur ſedulò explorabat, quò id omni conatu prohiberet.

Poſtquàm Angianus de quo ſupra memoravimus, inſigni partâ victoriâ, dein Theodonis-villâ ad Moſellam amnem, ac poſtremò Circo oppido paulò infrà captis in Aulam redierat gloriæ, & famæ plenus, tanta huic apud milites & fides, & gratia fuit, uti quocumque ducere vellet, eò ſecuturi Imperatorem lubentiſſimi viderentur: neceſſe autem erat exercitum cui Guebrianus præerat, augere, quò ſatis validus ad hyberna Danubium versùs capiunda foret, fine autem æſtivorum eò copias ægrè ituras conſtabat. Igitur optimum factu viſum, Angianum Rhenum versùs mittere cum exercitu victore, ſicuti huic Germania decreta in annum proximum provincia eſſet. Eâ ſpe freti milites alacres ad Rhenum contendêre, dein traditâ Guebriano copiarum parte Angianus in Aulam rediit: huic ſeſe haud ſatis dignum viſum fuiſſe aiunt, ducendis modò Germaniam versùs copiis iterùm ab urbe, & Aula paludatum proficiſci, atque ut id faceret vix adductum, quod eſt tamen deniquè Reginæ obſecutus.

At Guebrianus traducto Rhenum exercitu, diverſis itineribus ut hoſtem falleret, copias Friburgum versùs, & Rotveillam ducit. Baioari qui in Badenſi agro ſtativa habebant, nondum ſatis compertò quid Guebriano conſilii eſſet, in iis morabantur, ſatiſque habebant Franconienſem, atque Vitembergenſem agros tegere. Intereà Guebrianus multùm itineris ad Rotveillam anteceperat, ac tandem circùm oppidum poſuerat caſtra. Ad Nicrum haud procul hujus amnis fonte poſitum eſt, edito, atque prærupto loco, profunda foſſa mœnia circumdat, cujus latus

1643. ad hoſtes verſùm muro ſuffultum eſt, ſuburbium eodem munitum erat modo. Primùm id oppugnari cæptum, acto in foſſæ latus cuniculo: quod ubi disjectum hoſtes videre, in oppidum diſceſsêre. Dein Guebrianus eâdem ratione in oppidi foſſæ latus cuniculum agi jubet, atque admoveri tormenta, quibus mœnia, & turres quateret: ſed ad hæc dùm attentior eſt, pilâ ab oppidi tormento emiſsâ brachium graviter vulneratur, neque tamen diſceſſit ab opere, quin quæ porrò faciunda eſſent, ea præcepiſſet. At cùm ſub veſperam hæc animis ex vulnere Imperatoris anxiis ſegniùs adminiſtrari nuntiatum eſt, Legatos, atque Tribunos advocat, atque eos per amicitiam, perque rempublicam obſecrat, & pro imperio jubet, uti ſi ſe ſalvum, & honeſtum velint, quæ imperaverit, ea maturè fieri curent, *Alterum quidem ex periculo vulneris in dubio, alterum in eorum manu poſitum eſſe: ſi hanc poſtremam Imperatori navent operam, ut oppidum victor ingrediatur, id ſaucio, & poſt paulò ſi fors ferat interituro ſatius eſſe, quàm incolumem re infectâ diſcedere. Poſtremò gloriæ, quàm vitæ ſuæ magis ſtudeant, huic certos fines, illi nullos eſſe conſtitutos.* Hujuſcemodi oratione paulùm arrectis Legatorum, atque Tribunorum animis, quæ juſſerat Imperator, ea naviter faciunt. In muro denique ruina editur, quæ ad impetum in oppidum faciundum ſatis idonea viſa, quo is ordine, & ab quibus fieri debeat, qui ad ſuccedendum principes, qui ſubſidio forent, qui malogranata, qui materiam portarent, quis cuique rei præeſſet, poſtremò totius rei gerendæ ſeriem ipſe Guebrianus è lectulo conſtituerat. At hoſtes ubi noſtros ad impetum faciundum paratos, intentoſque vidêre, tùm demùm acceptis quæ ferebantur conditionibus, oppidum dedidêre, & ſicuti per conditiones poteſtas facta fuerat, abſceſsêre. Poſtridiè Guebrianus victor oppidum introiit, atque huic Vitembergum Principem virum cum idoneo Gallorum, Germanorumque præſidio præfecit, ſed is VIII. denique Calend. Decemb. ex vulnere, nam diſruptum brachium fuerat, interiit. Huic clarum in Britannia noſtra genus, animus ingens, res familiaris (ſcilicet cui frater natu major fuerat) haud ſatis ampla, adjuvit *a* Renata Dubeca Vardia uxor, cui item genus clarum, divitiæ honeſtæ ſunt: his fretus, ſed maximè uxoris virtute, atque ſolertiâ, perpetuiſque dùm ipſe ab Aulâ procul eſſet, officiis, quæ ſe digna eſſent, aſſecutus eſt. In Prætorianorum Legione Centurio primùm fuit, dein Caſtrorum Præfectus, poſtremò Equitum Tribunus, Franciæ Mareſcallos vocant: hujus virtuti, ac rebus geſtis tributum ut in majori Urbis Templo pro concione laudaretur, corpuſque humi mandaretur.

a Renée du Bec de Varde.

Guebriano mortuo ad *b* Ramſavium Legatum ſumma imperii redibat, qui poſthàc pro Prætore in eo exercitu fuit. Huic clarum in Holſatia genus, & rei militaris ſcientia, tamen quia pleriſque ducibus junior erat, pigebat eos huic parere, *c* Tubatelem videlicet, Roſam, Keimbecum qui Germanicis bellis inveteraverant, quæ res magnæ poſt paulò cauſa cladis fuit. Rotveillâ captâ ad Danubium ire viſum: apud Dutlingam Ramſavius cum peditibus, tormentiſque habuit caſtra, omnibus circùm

b Ranſau.

c Tubatel, Roſe, Keinbee.

locis equites quibus hi veterani Duces præerant, diverſi agitavêre: per 1643.
hæc loca hoſtibus Dutlingam venientibus iter erat futurum, atque adeò ex improviſo adventuros haud erat vero ſimile. Sed hos quid inter noſtros eſſet ſimultatis, non fugiebat, quarè omnia negligentiùs agi haud falsò arbitrati, ſimul Maximiliani Baioariæ Ducis terris impenſiùs tùm metuentes, ſibi aliquid conandum eſſe ſtatuêre.

Igitur tacito agmine profecti, interminatique ut nequis ab ordinibus diſcederet, aut uſpiam vagaretur, inter media equitum noſtrorum præſidia tranſeunt, neque quiſquam omnium tantum hoſtium numerum aut oculis, aut auribus (nam ſine ſtrepitu, atque tumultu tanta multitudo incedere nequibat) animadvertit, ita ad Dutlingam Ramſavio omnia magis quàm hoſtes expectanti intervenêre, cui ſimul & hos adeſſe, & oppido potiri nuntiatum eſt; ipſe & qui cum eo erant Tribuni, atque Duces ſigna, tormenta, impedimenta, omnia denique capta, plerique milites dùm ad prædam hoſtes attentiorès ſunt, ad viciniora equitum præſidia diffugêre. Tubatel, Roſa, aliique ſibi iniquum cum Baioaris eo ſucceſſu præclaris certamen forè ſentientes, quantum fieri poſſet, itineris antecapere, dum ad Dutlingam morantur, ipſi conſtituunt, atque continuò alius ab alio diverſi abſcedunt, pedites equitum ſequi veſtigia, atque adproperare juſſi. Ita Baioari re apud Dutlingam confectâ incerti quà potiſſimùm hoſtem inſequerentur, ad Rotveillam movêre, ſi fortè Vitembergus ſuorum clade perculſus ad deditionem impelli poſſet, quam mox poſtquàm egregiè propugnaverat, III. Non. Decemb. ob annonæ, & pulveris tormentarii inopiam facere coactus eſt. Equites noſtri pediteſque ad Rhenum contenderant, quo tranſmiſſo, in Alſatia, Suntgovia, viciniſque locis hyemandi causâ diſtributi ſunt. Ita quod ab Guebriano benè, feliciterque cœptum fuerat, ejus morte, Tribunorum ſimultatibus, prætereà eorumdem, & Ramſavii ipſius negligentiâ corruptum eſt, noſtri hyemare cis Rhenum coacti, Maximilianus metu liberatus, nam eò noſtris in Germaniâ hyemare conſilium fuerat, ut huic terrore oblato ad pacem denique animum adjiceret, atque idem Ferdinandum facere cogeret.

Eâ tempeſtate Carolus antehàc Lotharingiæ Dux rursùm ſe velle cum Rege redire in gratiam ſimulavit, quâ de re miſſus ad eum clam fuerat *a* Albericus Maurerius, cum quo ex ingenio ſuo egerat, peſſimo *a Aubery du Maurier.* ſcilicet, & infideliſſimo: at poſtpaulò *b* Malgironum Dutlingæ cum *b Maugiron.* cæteris captum, atque Vormatiam abductum, quò Carolus hyemabat, ipſe datâ ab eo de reditu fide in Galliam dimiſit, atque abeunti quas Reginæ ferret conditiones tradidit. Eæ haud iniquæ viſæ, quamobrem paucis modò immutatis per eumdem Malgironum ad Carolum remiſſæ ſunt, cui eſt adhibitus *c* Pleſſius Beſanſonus, nam per hominem capite minutum *c Pleſſis Beſançon.* rem tantam agere, aut tranſigere minus ex Regis dignitate videbatur. Sed quoties de pace cum Carolo actum, toties fruſtrà fuit, quam planè confectam, & jurejurando firmatam antehàc infringere, atque violare nihil penſi habuerat, tanta homini levitas, atque ingenii mobilitas eſt.

1643. Accepto per Legatorum, Tribunorumque ſimultates in Germaniâ incommodo, res monebat uti tali dignitate, atque virtute quempiam eò Regina mitteret, cui facilè omnes & concederent, & parerent. Nuper ob multa egregiè, atque fideliter acta, ſummamque rei militaris ſcientiam multis, magniſque in rebus ſpectatam, Henricus Turrius Turenæ Vicecomes Equitum Tribunus, ſeu Franciæ Mareſcallus creatus fuerat, hunc in Germaniam mittere placuit, uti rem corruptam reſtitueret, quò ſub finem anni profectus eſt.

Eâdem tempeſtate & Equitum Tribunus creatus fuerat Gaſſio, homo militaris, Caſtrorum quàm Aulæ magis gnarus. Is ubi apud Rupem-regiam benè pugnatum, litteras ad Reginam dederat, quibus de ſe ita magnificè prædicabat, uti victorem omnem exercitum paratum eſſe diceret Reginæ genua advolvi, atque huic ſupplicare, uti ſibi Tribunatum Equitum daret: ſed Imperatoris commendatio hâc hominis de ſeipſo magniloquentiâ potior fuit, nam Angianus ſibi ipſi præclarum arbitratus, quam Gaſſio in hac pugnâ impenderat operam, ſi ex eâ maximum fructum caperet, ipſi Tribunatum Equitum ab Reginâ petiverat, atque impetraverat. Cæterùm vix cuiquam uſquè adhùc hæc mandata Poteſtas fuerat, niſi cujus auſpiciis reportata victoria, aut urbs inſignis capta fuerat, Gaſſio longè aliâ belli parte ſolertiſſimus erat, ſcilicet equitatum longiùs ducere, ex improviſo intervenire hoſtibus, procul ab agmine, aut caſtris agentes intercipere, cædere, prorsùs apud eos nihil tutum, aut quietum pati, quam belli gerendi rationem in Germaniâ prima ſub Guſtavo Adolfo Sueciæ Rege ſtipendia faciens didicerat: præthereà huic militia ſicuti in Germania ſolet, quæſtui fuit, collationum quæ aut captis, aut malè pacatis, aut finitimis imperantur peritiſſimo.

Bellovacenſis Epiſcopi gratiam apud Reginam debilitatam ſuprà diximus, ſimul Belfortius qui ex ejuſdem benevolentia ingentia præceperat animo, id ſe denique fruſtrà ſperaſſe animadvertit. Nam ubi Mazarinus apud Reginam frequens eſſe, atque hunc ipſa ſatis noſſe cœperat, incredibile memoratu eſt, quanta hujus apud illam gratia, quanta autoritas fuerit, prorsùs uti cæteri planè negligerentur. Quod ubi intelligit Belfortius, ſuaſque ſpes corruptas videt, ibi verò Juvenis ferox indignari miſerè, & quam ſibi ab Mazarino fieri rebatur injuriam, eam tolerare violentiùs, poſtremò in hunc manu vindicandam conſtituiſſe ferunt. At eâ de re non ita ſecretò inita conſilia ſunt, ut ne quâ ad Mazarinum manarint. Is proximè Regiam in a Clivianis Ædibus habitabat, quò poſt meridiem nuntiatum parari inſidias, aut eunti ſicuti ſub veſperam ſolebat in Regiam, aut ſub noctem redeunti: has ut effugeret continuò Regiam properè petit, quâ horâ neque ſolebat, neque tùm uti peteret quidquam cauſæ eſſe poterat, nam aberat Regina, nequedùm uti diei tempus erat, domum reditura videbatur; moniti intereà, atque accerſiti amici, qui præſidio eſſent, frequentes in Regiam circùm Mazarinum convenêre. Eò fortè, ſeu conſultò venit & Belfortius, qui ſolito majore

a L'Hoſtel de Cleves.

majore per Reginæ abſentiam frequentiâ animadverſâ patefacta conſilia ſenſit : nihilo tamen ſeciùs quod ſibi faciundum eſſe decreverat, id patrare certus, per homines fidos itinera, egreſſuſque Mazarini, poſtremò loca, atque tempora cuncta explorat, dein compertò Longolii Maiſonii rus nobile profecturum, eò ſibi conficiundæ rei caſum dari arbitratus in paternis quibus & ipſe habitabat ædibus, & quâ Mazarino iter erat, inſidias tendit: nihil magis ex ſententiâ, nihil opportunius fore videbatur, ſed rhedam conſcendere paranti Mazarino intervenerat Gaſto, qui hunc in ſuam conſcendere juſſerat, atque unâ rus pergebant: ubi ad Vindocini ædes perventum, Gaſtonis verecundia ut ne quid Belfortius adversùm Mazarinum inciperet, prohibuit : reſtabat uti redeunti hanc machinaretur perniciem, atque is ab Gaſtone diverſus in rheda ſua ad Urbem redire decreverat, qui rursùm hunc propè invitum unà ſecum redire juſſit: ita bis eâ die ignarus quid ſibi mali pararetur, id Gaſtonis operâ effugit. Sed hæc Reginæ ſeu vera, ſeu falſa eſſent, nuntiata hanc impulêre denique, uti Belfortium in Vincennarum arcem altero ab Urbe lapide deduci, atque aſſervari juberet. 1643.

Cæſar Vindocinus pater eâ tempeſtate Aneto ſuo bidui ab Urbe itinere commorabatur, ſeu ut ne talium filio conſiliorum conſcius eſſe videretur, ſeu nihil horum ſcibat. Eo tamen in cuſtodiam conjecto ſicuti de filio æquum erat, rem eam ægerrimè tulit. Qui tantum facinus perpetrare unà cum Belfortio voluiſſe crediti, ii ad patrem confugerant, quò ſe fore in tuto ſunt arbitrati: ſed ea fuit rerum capitalium in Inſulâ Franciæ Præfecti ars, atque induſtria, uti clàm Anetum profectus hos compoſito dolo Vindocini Caſtello excitos comprehenderit, abduxeritque : adversùm *a* Belputeum quem maximè comprehenſum Mazarinus voluiſſet, parum proceſsêre Præfecti doli: is poſtpaulò in Italiam profûgit, nuſquam iis penes quos gratia, & potentia fuit, æquus, priùs Richelio, dein Mazarino infenſus. Eò potiſſimùm metuendus videbatur, quòd regiorum levis armaturæ equitum turmæ vexillarius erat, atque ei circùm Regem domo egredientem armato eſſe jus erat, quibus equitibus fretus peſſimum quid pro lubidine patrare poterat. At Vindocinus eo ſe moneri ratus, uti longiùs abſcederet, Genevam primùm, dein Florentiam Etruſcorum abiit, fato quodam & ipſe iis qui gratiâ, & potentiâ pollerent adverſus, & ab his malè habitus. *a* Beaupuy.

Belfortio in carcerem conjecto, atque Vindocino patre pulſo haud difficile fuit Mazarino, & Bellovacenſem pellere. Primùm quas Rex de Bellovacenſi Cardinale creando ad Pontificem dederat litteras, ut ne iis ampliùs haberet fidem, cautio fuit: poſtremò III. Id. Septem. in ſuam Bellovacenſem Diœceſim ſecedere juſſus eſt: huic regendæ erat aptiſſimus, quæ res ei laudi eſſe debet: bonâ, fidelique ejus operâ Regina difficillimis ſuis temporibus uſa erat, quò minùs dignus omnibus viſus, qui poſtquam ſecunda fuêre, ex alienâ lubidine pelleretur, atque de Cardinalatu huic petendo ſententia mutaretur, quem perpetuâ erga Reginam fide ſatis promeruerat: cæterùm ab omni republicâ facilè prohiberi

1643. poterat, ſi in hac adminiſtranda ejus opera Reginæ parùm placebat. In Mazarino, ſicut humanæ ſe res habent, nemo reprehendere jure poſſit, quod Bellovacenſem Aulâ pulſum voluerit, qui idem adversùm ſe fuerat molitus: ſed in Reginâ non item, cui nulla hujus pellendi cauſa fuit. Sed Mazarinus profectò fortunatiſſimus eſt, cui inimici, atque æmuli abigendi ſui, aut labefactandi tam brevì, ac propè vltrò copiam fecêre.

Eâ tempeſtate Avauxius, & Chavignius Monaſterium Veſtfalorum propediem ituri profectionem adornabant, nequedùm tamen hic ſatis certus erat, utrùm in rem ſuam magis foret, domi, an foris eſſe. Illud ſuadebat conſueta vivendi ratio, prætereà tædebat alienâ magis, quàm ſuâ voluntate diſcedere. Multa in Aulâ quæ non expectes evenire, ab qua ſi procul fueris, nullam abſentis rationem haberi, præſentibus omnia potiora. Id ubi ſenſit Mazarinus, ſeu quidquid hujus feciſſet, Chavignii causâ feciſſe videri vellet, ſeu ſeſe tùm ita Reginæ probaſſet, uti nullius virtutem ampliùs, aut dolum domi metueret, hunc in Aulâ manere æquo animo ferre viſus eſt. Fuêre qui ita exiſtimarent Mazarinum de Chavignio Monaſterium Veſtfalorum legando tunc mutaſſe ſententiam, veritum ſcilicet ut ne illîc rempublicam ſatis ex ſuâ voluntate gereret, eò ſpem huic opportunè obtuliſſe Quatuorviratûs recuperandi, quâ tùm, atque poſthac ſæpiùs hominis hujus rei cupidiſſimi animum lactaſſe ferunt, ut ne ſibi planè adverſaretur.

Sed neceſſe erat Mazarino uti placidè rempublicam tractaret, Gaſtonem qui Regis patruus eſt, æquum habere: huic Cancellarius erat Chavignius, ſed in poteſtate Rivieræ tùm eſſe videbatur, quem Mazarinus ſicuti ſuprà diximus tergiverſante Belfortio ad ſuas partes adduxerat. Riviera primùm Ludimagiſter ad Urbem fuerat, ſtipem ab adoleſcentulis quos artem Grammaticam docebat, colligens, quò vitam toleraret, dein ad Petrum *a* Habertum Mommortium Cadurcenſem Epiſcopum qui ſacris apud Gaſtonem præerat, applicaverat ſeſe, cujus ſtudiis ſerviret, quod munus altero haud fermè diſſimile, neque adeò nobilius fuit. Is dum Patronum ad Gaſtonem ſacrorum causâ ſæpiùs euntem comitatur, brevì huic notus, & ut erat ſolerti, audaci, vario, ac multiplici ingenio, quale aptiſſimum eſt iis, qui ab tenui fortunâ ad ſummam nituntur, nec quæ Principis tum adoleſcentis ætas ferebat, ab iis uſquam alienus, ipſi etiam carus, acceptuſque fuit, primùm levium, dein graviorum negotiorum quandoque conſcius, ac particeps. Ex Ordine Eccleſiaſtico eſt, atque opima habet ſacerdotia, at majora, ipſumque exoptabat Cardinalatum, ad quem capiundum tametſi omnia huic deeſſe videbantur, tamen una modò, quæ profectò in omni re dominatur fortuna defuit. Hunc hominem Mazarinus ſibi opportunum ratus, uti Gaſtone ex voluntate uteretur, magis, ac magis ſibi adjunctum voluit, atque uti ſibi tantò majori uſui foret, hujus gratiam, & fidem apud Gaſtonem auxit. Id ipſi pronum, atque facile fuit, cuncta quæ aut grata, aut utilia eſſent, per Rivieram Gaſtoni ſignificando, aut quæ per illum ab ſe peteret, ea protinùs effecta reddendo, quibus rebus brevì perfecit, uti

a Habert de Montmor.

Gaſto in dies magis in Rivieræ, atque adeò in ſuâ poteſtate eſſet, illi omnia conſilia crederet, & cuncta ſua ſicuti antehàc aliis, permitteret. 1643.

Sed Rivieræ importunum erat, neque fortaſsè minùs Mazarino, Chavignium ſibi offenſum Gaſtonis diutiùs Cancellarium, aut Procancellarium eſſe, ex quo illi nonnulla apud hunc autoritas, præterea ex virtute, atque priſtinâ dignitate porrò futura videbatur: ad hoc pudebat Rivieram, qui dicto audiens eſſe, & cuncta fermè Chavignio antehàc obſequi conſueverat, ſeſe huic tali viro deinceps anteferre, atque ſicuti futurum fuiſſet, ſæpiùs obniti, aut clàm hunc facere apud Gaſtonem omnia. Igitur dolum probus talium artifex componit, quo Chavignius ad abdicandum Procancellariatum adduceretur, quem poſt amotum Cogneuxium Gaſtonis Cancellarium de quo ſupra memoravimus, uſque geſſerat. Eo Riviera Cogneuxium impellit, ut ab Gaſtone ſibi Cancellariatûs munia ſicut antehàc obeundi copiam fieri poſtularet, quem videlicet nuſquam abdicaſſet: ſperabat enim hujus rei metu Chavignium facilè adductum iri uti Procancellariatum acceptâ in æſtimationem pecuniâ abdicaret; nam ſi Cogneuxius Cancellariatum gereret, nullæ Procancellarii partes erant futuræ: Rivieræ tamen non fuit conſilium, ut iterum apud Gaſtonem Cancellariatum Cogneuxius gereret, ſed ut & ipſe aliquantâ acceptâ pecuniâ hunc pariter deponeret. Intereà Riviera Joannem Choiſium è Conſilio regio hominem locupletem, atque amicum paraverat, qui Cogneuxio, ſimul & Chavignio pecuniam in Cancellariatûs, & Procancellariatûs æſtimationem numeraret, quâ acceptâ lubentiſſimi ſuum quiſque Munus abdicavêre. Sed hoc Procancellariatu Chavignius ſicuti antehàc Quatuorviratu ſpoliatus nihil præter virtutem quo dignitatem ſuſtentaret, reliquum habuit, quæ certè, ac cætera corporis, atque animi bona ſi nihil præterea fuerit, quo benè, aut malè hominibus facere poſſis, parùm æſtimantur. Quo magis adducor ut credam Chavignio ſatius fuiſſe obtruſam antehàc ab Mazarino de pace Legationem obire, quod unum ipſe primùm cupiebat, ut illum aliquandiù ab Aulâ procul haberet, quàm in eâ manendo hujus technis, atque inſidiis opportunum eſſe: nam & iſthuc de Procancellariatu Riviera Mazarini voluntate machinatus fuerat.

Sed in illâ Legatione Chavignio ſuffectus eſt Abel Servianus, qui antehàc in Gratianopolitanâ Curiâ Cognitor regius, dein Magiſter Libellorum, ac poſtremò Quatuorvir fuerat. Is per Richelii tempora ab Aulâ ſecedere juſſus procul ab negotiis tantiſper agitaverat, cui neſcio quo fato frequentes cum collegis lites fuêre, primùm cum Thoiraſio Equitum Tribuno, ubi in Italiâ Legati ambo paci inter Ludovicum XIII. & Philippum Hiſpaniæ Regem operam dabant, dein ubi ab Italiâ redierat, & Quatuorviratum gerere cœperat, conſimiles huic cum Chavignio lites intercesſêre, quin & cum ipſo Quæſtore ſummo Bullione, quibus apud Richelium annitentibus Aulâ pulſus fuerat. Sed ubi cum Thoiraſio unà in Italiâ Legatus agitabat, eodem fortè Mazarinus Pacificatoris Gallos inter, Hiſpanoſque partes pro Pontifice ſuſtine-

1643. bat, atque ex eo orta inter hunc, & Servianum amicitia, cujus Mazarinus in ſuis ſecundis memor hominem ab otio ad negotia revocavit. Primùm uti Servianus Romam ab Rege legaretur cenſuerat, dein Chavignio Legationem apud Monaſterium Veſtfalorum abnuenti ſufficiundum. Is igitur cum Avauxio menſe Octobri profectus, ſecundo Moſâ ad Batavorum Inſulam navigavit, ſubitóque inter ambos exortæ ſimultates mox in graves contentiones erupêre.

Ubi apud Hamburgum Ludovici XIII. Galliarum Regis, Ferdinandi Imperatoris, ac Sueciæ Reginæ Legati quando, quove in loco de pace ageretur, & quorum Principum operâ in re tantâ uti vellent, convenerant, Sueci uti Chriſtianus Daniæ Rex è Pacificatorum numero eſſet, ſingillatim poſtulaverant, quia Luteranorum ſectam ſicut illi profitetur: ſed poſteà ſententiam mutavêre, nam hunc adversùm ſe facere ſedulò quæ clàm poſſet omnia ſibi perſuasêre; ubi Ferdinando militum inopia eſſet, dimittere conſultò, atque exautorare equites, pediteſque, qui huic militarent; cum Moſcovitis, atque Polonis agere de fœdere; dictitare ſibi in manu eſſe Suevici maris aditum, quo prohibere quoſvis poſſet; portoria contrà quàm fœdere cautum eſſet, ab Suecicis navibus Danicum transgredientibus fretum exigere, aut harum tardare curſum, donec moram pretio redimerent; inter ſanciundam pacem prædicare ſe pro virili daturum operam, ut ne quid ſoli in Germaniâ Sueci retinerent, ſed his partim præſenti, cæterùm certis penſionibus curandâ pecuniâ fieret ſatis. Hæc maximè Axelium Oxenſtiernam Regni Sueciæ Cancellarium impulêre, uti bellum adversùm Chriſtianum Daniæ Regem gerendum eſſe Chriſtinæ Reginæ perſuaderet. *Id facilè fieri poſſe, ſi Tortenſonus ab Germania Holſatiam, Guſtavus Hornius ab Sueciâ Scaniam cum ſingulis exercitibus invaderent: id hyeme incipiundum, quo anni tempore congelato mari, fluminibuſque, Dania fretis conciſa ubicumque pervia ſit, proximâ hyeme debellari poſſe.*

Hujus conſilii pleni Sueci ſi fortè diutiùs opinione bellum adversùm Danos duraret, ut ne intereà Ferdinandus Imperator in Germaniâ quæ illi occupaverant, recipere poſſet, decrevêre cum Racocio Tranſſylvaniæ Regulo fœdus, ac belli utrimque gerendi ſocietatem ſancire, ab Racocio videlicet in Pannoniâ finitimâ. Id ab Tortenſono factum ex ſententiâ: ſed quoniam Racocius quæ Regis potentia, atque opes ſunt, ſatis noverat, ut hic in illius fœderis ſocietate cum Suecis eſſet, ab his poſtulavit, quod adeò ſuo, Regiſque ipſius nomine pepigêre. Iſthuc vero Regi, ac Reginæ matri ſcilicet injuſſu ſuo, neque ſatis ex ſuâ dignitate factum nequaquam placuit, nec tamen quid eâ de re ſentirent, Suecis ſignificandum exiſtimavêre, ſed quod offenſum ab his fuerat, id miſſo ad Racocium qui cum eo de fœdere ex tanti Regis majeſtate ageret, mox correxêre. Poſtremò Tortenſonus Holſatiam opimam, atque omni rerum copiâ refertam provinciam eſt ingreſſus, in quâ quid molitus fuerit, haud ſatis ad nos attinet, ut id ſingillatim perſequi debeamus, neque quid Racocius & ipſe

per hyemem Hungariæ fines armatâ manu ingreſſus eò geſſerit. 1643.

Tum Nucerium quem Ludovicus XIII. nuper ab Aulâ ſecedere juſſerat, aut volenti ut id faceret lubens conceſſerat, ruris, & otii ſatias cepit. Fortè accidit uti Regina Eſiæpontem Joannam Monialem de quâ ſuprà memoravimus, viſura peteret. In eodem quo Joanna Monaſterio Nucerii filia virgo & ipſa Monialis agitabat: eò Joannæ præterea pietatis, & priſtinæ dignitatis famâ notiſſimus ad eam miſerat litteras, quas Reginæ redderet. Id ab ea factum ex ſententia, quæ præterea haud vulgarem litteris addidit commendationem. Earum litterarum ſententia hæc erat. *Seſe ab viris qui pietate, & doctrinâ prædìti ſint, monitum ſedulò, ut ne diutiùs in otio ætatem ageret. Cùm ipſe ſibi conſcius eſſet quàm pulchrè ſua antehàc opera reipublicæ proceſſiſſet, peccaturum graviter, ſi non hanc Reginæ exhiberet, quod uti faceret eò ſe modò, non ullâ ambitione adductum, quam procùl ab ſe eſſe anteacta vita ſatis oſtendat.* Mirum omnibus fuit, novam hanc religionem hominem qui ſapientem, ac ſanctum audiret, inceſſiſſe: cæterùm nihil omnium poſthàc omiſit, quo rursùm aliquam reipublicæ partem attingere copia eſſet, eâ gratiâ frequens apud Mazarinum eſſe, opperiri in porticu, omnem ejus adeundi, atque conveniundi indignitatem, atque moleſtiam perferre, ſervilibus in ejus ornandis ædibus, aut re quâpiam faciundâ, aut reficiundâ officiis ex ingenio ſuo operam dare, quibus rebus quantum ſibi eſſet otii tædium, quanta rerum gerendarum lubido, fruſtrà oſtendit. Eò certè quorumdam opinionem confirmavit, qui hunc ab Aula tantiſper modò, non in perpetuum ſecedere voluiſſe aiebant, ubi ab Rege Ludovico XIII. ut id ſibi liceret, Mazarini operâ poſtulaverat, ſcilicet metuentem ut ne cum cæteris Adminiſtris in proximâ mutatione Principatûs offenderet, ſed huic conſilium fuiſſe mox integrâ ſuâ apud Reginam gratiâ quam promereri maturè ſtuduerat, in Aulam redire, ubi Regni Procurationem eſſet adepta, in qua gerenda ſuâ operâ opus habituram credebat. Id eò ſibi perſuadebat faciliùs, quòd non abdicaverat Quatuorviratum, ignarus quàm ſubitò abſentium memoria ex Principum animis effluat, in tantâ hominum qui horum oculis obverſantur copia.

Exeunte anno creati ab Pontifice Cardinales duo Achilles *a* Valancæus Stampæus Gallus, & Joannes Lugo Hiſpanus è Jeſuitarum Societate; ille genere, & bellicâ laude, hic pietate, & doctrinâ clariſſimus, utriuſque opera Eccleſiæ, aut Pontifici bona, utiliſque fuerat, hanc enim Valancæus fortem nuper adversùm Venetos, Etruriæ, Parmæ, & Mutinæ Duces Pontifici navaverat, cui bellum intulerant, Lugo nonnulla Eccleſiæ profutura ſcripſerat.

a Valencey d'Eſtampes.

Mortem hoc anno obiit Maſſiliæ Joannes Baptiſta *b* Gualtius, vir magnâ ſanctitatis famâ, qui primùm ex Oratorianorum Collegio, dein hujus urbis, atque Diœceſis Epiſcopus fuit. Præterea Joannes *c* Vergerius Hauranius Sanciranus Abbas, pietate, & doctrinâ clariſſimus, Epiſcoporum potentiæ defenſor acerrimus, de quâ librum inſignem ſub Petri Aurelii nomine edidit, conſcripſit præterea Epiſtolas, atque alia tanto homine digniſſima.

b Gault.

c Du Verger de Hauranne Abbé de S. Cyran.

JOAN. LABARDÆI

MATROLARUM AD SEQUANAM MARCHIONIS DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM

LIBER SECUNDUS.

EPITOME.

1644. *DE Antonio Arnaldo, & Barcoſio juſſis ire Romam ad cauſam dicendam. Robanæ Mombaſonæ, atque Avaucuriæ cum Margaritâ Mommorantiâ, & Annâ Condæâ lites. Inter Guiſium, & Colinium certamen. Avaucuria Rupefortium viri rus, Robana Mombaſona Cæſarodunum abire juſſæ. Avauxius, & Servianus Hagam Comitis adveniunt. Quæ cum fœderatis Ordinibus egêre. Almerici conatus ut ab locupletioribus in Urbe pecuniam cogeret. Gaſtoni Septimania, Angiano Campania Provinciæ decretæ. Gaſtoni cum exercitu Belgium, Angiano in finibus Campaniæ decretus exercitus. Philippus per Sylvam Ilerdam oppugnat, atque ad deditionem redigit. Gaſto in Belgio Gravelingam item ad deditionem redigit. Angianus in Germaniam ducit, huic Turena conjungitur. Baioarorum caſtra loco edito ſita oppugnat, hos abſcedere cogit, proſequitur, atque oppugnat iterum. Philippiburgum oppugnat, atque ad deditionem redigit. Moguntia, ac Vormatia ad Rhenum huic deditæ. Thomas in Italiâ Aronam ad Verbanum lacum fruſtrà tentat, Iacobiſanum oppugnat. Fruſtrà Finalem tentat, cum Brezæus nondùm cum claſſe adveniſſet. Mottæus Tarraconem oppugnat fruſtrà. In Galliam redire juſſus. Elizabetha Hiſpaniæ Regina moritur. Henrica Britanniæ Regina in Galliam profugit. Mazarini apud Fontembellaqueum quò Aula agitabat morbus. Bicchii Cardinalis operâ pax inter Urbanum Pontificem, & Odoardum Parmæ Ducem conciliata. Mors Pontificis. In hujus locum ſuffectus Innocentius X. Pamphilius antehàc appellatus. Buillonius Regis injuſſu abiit in Italiam. Compreſſa plebeculæ ad Vrbem ſedi-*

tio. Fine æſtivorum Ellebovius cum Gaſſione unà exercitui in Picardiæ finibus præfuit. Inter ambos ortæ ſimultates. Thuillerius ab Rege extrà ordinem ad Chriſtianum Daniæ Regem, & Chriſtinam Sueciæ Reginam legatus, paci inter ambos conciliandæ. Roncallus ab Vladiſlao Poloniæ Rege ad Ludovicum miſſus de pace inter hunc atque Imperatorem. Viciſſim miſſus ab Rege ad Vladiſlaum Bregius. 1644.

NIHIL magis ad rempublicam pertinet quàm Sacra, atque Divina, neque hanc præclariorem, atque fortunatiorem ulli habuêre populi, quàm qui hæc diligentiùs coluêre. Nam religione plenas mentes facilè recti ſtudium tenet, quod Deo cordi eſſe ſciunt, atque eo beatam immortalitatem parari. Quamobrem Principibus Sacra magnoperè curæ eſſe decet, ſcilicet uti rectè fiant, ac ne quis de his ſecùs ſentiat, loquatur, aut ſcribat. Nulla autem divinæ Majeſtatis verior, atque dignior apud nos imago eſt, quàm ipſa Principis Majeſtas: neque quiſquam omnium eſt, qui non hanc ab illâ profectam, ac derivatam ſentiat, atque id nos credere & nobis, & ipſi Principi utile eſt. Hâc igitur permota de Sacris curâ Regina principio hujus anni de ablegandis Romam Antonio [a] Arnaldo & [b] Barcoſio conſilium cepit. Arnaldo ſingillatim crimini dabatur, quod homines ab Euchariſtiæ Sacramento arcere velle videretur, multa quæ difficilia factu ſunt, proponendo, ut ad id Sacramentum accedamus: utrique verò fraudi erat, quod cum Joanne Vergerio Hauranio cui Barcoſius ſororis filius erat, de Gratiâ Chriſti ſentirent, ſeque id Auguſtino autore facere prædicarent. Ambo denique Romam abire juſſi, quæ res utrique, ac pleriſque aliis gravis viſa. Nam præter morem, ac Regni leges eſt, homines Gallos ad cauſam dicendam Romam dimitti, quò eâ gratiâ ablegabantur: ſed in rebus ſacris ſicubi de his cauſæ cognitio ad Pontificem attinet, Recuperatores Gallos in ipsâ Galliâ dare debet, apud quos noſtrates aut agant, aut vocentur in jus, quod quidem Reginam edocere, ac monere Senatui viſum, cujus haud dubiè partes ſunt, ut ne quid contra leges Regni fiat providere. Poſtremò ſeu valuit apud Reginam Senatûs autoritas, ſeu ubi locorum Arnaldus, & Barcoſius laterent, reſciſcere difficile fuit, ea de re agi deſitum.

[a] Arnaud Docteur de Sorbonne.
[b] Barcos Abbé de S. Cyran.

Mariam Rohanam Mombaſonam Reginæ cariſſimam antehàc fuiſſe diximus, atque illam Caſtronovano amiciſſimam eſſe. Utrique ægrè erat Reginam in Mazarini poteſtate, neque ſibi apud eam gratiæ, ac potentiæ aut locum, aut omninò ſpem ullam reliquam eſſe. Id ipſis, ac maximè Rohanæ Mombaſonæ eò iniquius videbatur, quòd per difficilia Reginæ tempora hanc diligentiſſimè coluerat, atque obſervaverat, atque eâ cauſâ & Ludovico XIII. & Richelio inviſa, Aulâ pulſa, in cuſtodiam conjecta, poſtremò fugâ ſibi conſulere, atque in Hiſpania, & Belgio exulare coacta fuerat, pro quibus meritis æquum cenſebat Reginam in ſuis ſecundis ſibi gratiam referre, neque unum modò reſpicere Mazarinum, cujus arbitratu, judicioque diceret, faceretque omnia, cæteros omnes negligeret, atque nihili penderet. Quæ cum fruſtrà ſentire ſe probè intelli-

1644. geret, Aulam omnem conturbare conſtituit, ſi fortè quas excitaret turbas in eis quid proficere, aut pro ſe, aut pro amicis poſſet. Eadem ſæpiùs moliri per Richelii tempora tentaverat, formâ tùm elegantiſſimâ, & quæ multorum animos pelliceret, quibus ex voluntate utebatur. Sed nunc florentem ætatem prætervecta, tamen ad ſolitas artes revoluta eſt: quæ quoniam parùm validæ in ipſa erant, alienâ operâ indigebat. Huic erat Noverca Maria *a* Avaucuria, quam Hercules Rohanus Mombaſonus pater dudùm uxorem duxerat, eximiâ per adoleſcentiam pulchritudine, tantaque vis boni in ipſa erat forma, ut ne hanc quidem ætas extingueret: quò fiebat, uti multi domum ejus frequentarent, mulieris amore capti, atque inter hos Henricus *b* Guiſius vir è Lotharingica gente Princeps. Prius Henricus Aurelius Longavilla apud hanc multus fuerat, frequenſque: Sed is nuper *c* Annam Borboniam Condæam Henrici Borbonii Condæi filiam, atque Angiani ſororem uxorem duxerat: hæc autem ætate florentiſſima erat, quod quidem ad pulchritudinem addebat plurimùm: rem Avaucuriæ moleſtam, pro more mulierum, inter quas perpetua formæ certamina ſunt, eò huic gravius fuit Condæam nupſiſſe Longavillæ. Prætereà hæc, atque Rohana Mombaſona iniquo ferebant animo Carolam Margaritam Mommorantiam Condæi uxorem, & Condæam filiam unas ab Regina magnifieri, ac benigniſſimè haberi: quamobrem utrique ac maximè Condææ inſigne aliquid facere decrevêre. Affingunt mulieri adoleſcenti amatorem, atque ut id veroſimilius videretur Mauricium *d* Colinium eſſe aiunt, qui ob affinitatem frequens apud Condæum, Mommorantiam uxorem, Angianum filium, atque adeò Condæam jamdiù erat: datas prætereà ab illo ad Condæam litteras confingunt, ſparguntque in Aulâ, atque hanc fabulam ſcitè adornant. Continuò Mommorantia de illata filiæ ab Avaucuria tam inſigni injuriâ, apud Reginam graviter queri, atque poſtulare, ut ne id illi impunè ſit. Ea res ad Henricum Patrem, ad Ludovicum fratrem, atque ad ipſum Longavillam virum magnoperè pertinebat: ſed hic nihili ſe iſthuc pendere oſtentavit, ſicuti mulierum rixam haud ſatis dignam deputaret, cui admiſceretur. Sed Mommorantia haud quietura erat, donec ulta eſſet injuriam, qua de cauſa omnis Aula in partes diſceſſura videbatur. Propter Mariam Rohanam Mombaſonam quæ Guiſii Caproſi uxor erat, omnis Guiſiorum gens Avaucuriæ favebat, ac maximè Henricus Guiſius hujus amore captus: hi omnes negabant ſeſe quidquam adversùm hanc fieri, quod eâ indignum eſſet, paſſuros. Contra Condæi è regia gente haud ceſſaturi videbantur, ni quod Avaucuria contumelioſè in Condæam fecerat, id pro rei gravitate corrigeret, ſarciretve. Ita Borbonios inter, & Guiſios ut ne ſimultates, & odia ſicut olim fuerant, iterum forent, metuendum fuit: quò ſi res rediret, haud fermè dubium erat, quin Gaſto Guiſiis qui è Lotharingicâ gente ſunt, fautor futurus eſſet, propter uxorem Margaritam, quæ ex eâdem gente eſt. Certè eâ tempeſtate Gaſtonem, & Condæum neque magnoperè concordes, neque magnoperè diſcordes eſſe uſui erat: quorum alterum ad Reginam, & Mazarinum, & alterum

a d'Avaugour, Ducheſſe de Montbaſon.

b Le Duc de Guiſe.

c Mademoiſelle de Bourbon.

d Coligny Chaſtillon.

ad

ad rempublicam pertinebat: nam ſi inter ſe congruerent, his rerum ſummam ad ſe trahere haud difficile; ſi magna diſcordia intercederet, ex hac bellum civile futurum videbatur: Sed tùm alterum cum altero planè congruere vix ſuſpicêre, prohibente utriuſque ut ne alter plus æquo creſceret, ſtudio: magnæ diſcordiæ cauſas procul habere viſum. Eò Regina pervicit, uti Mommorantia quam Condææ filiæ ab Avaucuria illatam fuiſſe rebatur injuriam, de ea ſibi ſatisfieri ab ipſa Avaucuria vellet, ſicut illa ipſa ex amicorum ſententia æquum cenſeret. Id ubi eſt ab Mommorantia impetratum, convenit ut apud Reginam Avaucuria Mommorantiæ diceret, *Quod eſſet adversùm Condæam dictum, factumve, id nuſquam ab ſe ortum, neque dictum, factumve uſquam voluiſſe, quod ſi dixiſſet, feciſſetve, ſe quavis pœnâ dignam deputaturam fuiſſe, & quam Regina decreviſſet, eam ſe lubentem fuiſſe ſubituram, ac maximè ut hujus culpæ veniam ab ipsâ peteret Mommorantia, cæterùm huic ſupplicare uti crederet nunquam ſe commiſſuram, ut ab ea quam habere debeat de Condææ virtute opinione diſcedat.* Iſthuc factum ab Avaucuriâ ex ſententiâ, reſponditque Mommorantia: *Quæ illa diceret, iis ſe lubentiſſimè fidem adhibere, atque adeò quod in ea re fieri Regina voluiſſet, id huic ſe planè obſequi, ut ne illius rei poſthàc meminerit.* Aula ubi hæc utrimque ex ſcripto ab utrâque recitata ſunt, frequens fuit: dein Avaucuria paucis cum Mommorantia commutatis quæ ad humanitatem pertinerent, verbis, ita diſceſſit, uti gratiam inter ambas haud conciliatam facilè diceres: nam hæc fuerat in eo negotio omnis Avaucuriæ ratio, uti ſe magis Reginæ morem gerere voluiſſe oſtentaret, quam Mommorantiæ de illata filiæ injuria ſatisfacere: cò Mommorantia ſibi dandam operam eſſe conſtituit, ut ne in Avaucuriam incideret, aut ullo in loco cum illa eſſet. Poſtpaulò Rohana Mombaſona Reginam in ſuburbanas Renardi ædes ad merendam invitaverat, quò & Avaucuria fuit: cò Reginam comitata eſt Mommorantia, quæ ubi Avaucuriam adeſſe reſcivit, abeundi ſubitò conſilium cepit, ni Regina attinuiſſet, atque hanc adduxiſſet unà ſecum in hortum propinquum ædibus, intercà dùm Avaucuriam ſuis verbis rogari jubet, ut honoris ſui causâ aliò tantiſper divertere vellet: quæ ubi id ægrè facere viſa denique eſt, Regina & ipſa inde ſtatim abiit, indignata tantam mulieri impudentiam fuiſſe, uti quod ipſa vellet, ac magis rogaret, quàm juberet, id facere propè recuſaſſet. Igitur per Guenegualdum Quatuorvirum hanc Urbe faceſſere, atque Rupifortium rus viri nobile ſecedere jubet: ſed hæc id ultrò, ac ſponte ſuâ jam fecerat: quò factum eſt, uti quod reliquum erat, hanc eò manere Regina præciperet, ita finem Condææ negotio impoſuiſſe videbatur. Sed Colinius quem Avaucuria huic affinxerat amatorem, ea de re Guiſium ex mulieris quam deperibat lubidine locutum ſæpiùs fuiſſe reſcivit, quò ſibi cum eo ferro decertandum exiſtimavit, uti fœminæ Principis cui propinquus erat, injuriam ulciſceretur. Eſtrada vir fortis, ac ſtrenuus miſſus ab Colinio Guiſium adit, & quid illi conſilii eſſet, aperit, ſimul poſtulat ut utroque decertante ſibi cum quo Guiſio videbitur idem facere de more liceat. Guiſius latam ab

1644. Eſtrada conditionem accipit lubens, & qui cum eo depugnaret, Brideum delegit, haud ſecus ſtrenuum, fortemque. In Regia Platea diſtrictis gladiis res utrimque primò acriter geritur, ſed vulneratus graviter eſt ab Guiſio Colinius, atque adeò victus. Hic animo, quàm corpore validior fuit, nam id ob valetudinem infirmum erat, quâ integrâ certè is opus habet, cui depugnare conſilium eſt. Eſtrada, atque Brideus qui unà cum his alter alteri ſocius decertabant, ambo vulnerati graviter, eorum qui his intervenêre, operâ quominùs alter alterum necaret, prohibiti ſunt. Guiſium ſumma laus ex hoc certamine ſecuta eſt, cujus virtutem, comitatemque omnis nobilitas celebravit, qui tametſi vir princeps eſſet cum illius Ordinis viro non abnuiſſet decertare. Sed Regina ut ne quid ampliùs Rohana Mombaſona turbarum in Aulâ moveret, hanc *a* Cæſarodunum abire juſſit.

a Tours.

Antehàc quotannis cum ſociis Belgarum Civitatibus Rex Ludovicus XIII. agebat, quid utrimque per æſtiva proxima gerendum videretur, quid copiarum ipſe, atque ſociæ Civitates, quid hæ navium in ora maritimâ habituræ eſſent, nam hæc pars belli ad eas maximè pertinebat, utri oppidum quoddam hoſtium oppugnarent, ad Oceanum, an ad Moſam? qui oppidum eſſet oppugnaturus, is tardiùs moveret ex hybernis, intereà dùm alter adversùm ſe propè omnes hoſtium copias avertiſſet: poſtremò ut ne iſthæc quidquam fœderibus antehàc ſancitis obſtarent cavebatur, ac ne ab his uſquàm diſcederetur. Sed hæc inter Ludovicum XIII. & ſocias Civitates fuerant inſtituta, cujus adeò morte deſiiſſe videbantur, quæ res ſollicitum habuerat Mazarinum, jure dubitantem utrùm hæc ſociæ Civitates ſibi cum Ludovico XIV. filio etiamtùm intercedere ſentirent, cujus ætas haud eamdem in re publica gerenda virtutem, quàm quæ in patre fuerat, oſtentabat, ſed omnia contra per hujus pueritiam infirma, atque incerta. Cùm tamen ſummâ vi bellum ab nobis anno proximo geri vidiſſent, ac Principem modò mutatum, fortunam verò eamdem eſſe, de fœderibus ſicuti cum Ludovico XIII. unà interiiſſent, nihil dixerant, quò quidem Mazarino nonnulla ſpes fuit, ab his ſocias Civitates nequaquam diſceſſuras. Sed iſthîc animadvertendum videtur, eò nos in his fœderibus ſanciundis offendiſſe, quòd cautum non fuerat hæc & inter Regis poſteros, ac ſocias Civitates valitura, quod quidem in omnibus conſimilibus fœderibus nuſquàm omitti velim. Cæterùm quid iniquius excogitari poteſt, quàm ſi ſociæ Civitates in medio belli curſu, quod unà cum Ludovico XIII. adversùm Hiſpaniæ Regem ex fœdere gerebant, illo mortuo Ludovicum XIV. filium deſeruiſſent, atque hoc poſthabito pacem cum Hiſpanis hoſtibus feciſſent, cauſantes fœdus Ludovici XIII. morte deſiiſſe? Id tamen ſibi jus eſſe contendebant, quod certè ſummum, atque adeò ſumma injuria fuiſſet, quam denique Ludovico XIV. facere ipſis religio fuit.

Quæ fœdera inter Ludovicum XIII. & ſocias Civitates antehàc icta fuerant, iis cavebatur, uti bellum utrimque adversùm Hiſpaniæ Regem gereretur, uſque dùm hic pelleretur omni Belgio: ſi tamen ut ſunt huma-

na, rectiùs intereà videretur pacem fieri, de hac ab utriſque unà, atque conjunctim ageretur, neque alteri alteris in hoc negotio properantiùs quidquam facerent. Sed hæc ubi Avauxius, & Servianus Sociarum Civitatum Senatui, qui apud Hagam Comitis haberi, atque agitare ſolet (Fœderatos Ordines appellant) unà cum Gaſpare Cogneto Thuillerio, qui apud hos Regis Legatus erat, redegêre ad memoriam, ut & ipſi Monaſterium Veſtfalorum quoſpiam de pace legarent, & quid eò utrimque ex fœdere faciundum eſſet, quove modo Regis, ac Sociarum Civitatum Legati ſeſe alteri adversùm alteros gererent, convenire vellent: ibi verò quid Fœderatis Ordinibus ſententiæ de fœderibus eſſet, palam fuit, hæc videlicet Ludovici morte ſoluta eſſe, neque ſe horum legibus porrò teneri. Delecti ab Fœderatis Ordinibus ſunt, qui cum Legatis Gallicis agerent: hi aut fœdera nuſquam renovanda cenſebant, aut ſi renovarentur, id in ſuas leges ſeſe facturos arbitrabantur, ac multum de priſtinis detracturos: Regi enim ſuam in bello porrò gerendo, aut in pace faciundâ operam tantoperè neceſſariam eſſe ſibi perſuadebant, ut hunc ad quaſvis conditiones adigere ſe poſſe confiderent, ut ne illâ careret. Quod uti corrigerent Legati, atque Delectos ab hac ſententiâ dimoverent, his ſeriò edixêre, Regi perindè eſſe fœderibus Sociæ Civitates ſtare vellent, necne, id modò poſtulare, uti quid ſibi ſententiæ eſſet, expromere vellent, quo ex illâ ſibi conſilium caperet. Iſthæc homines obſtupefecêre, neque quidquam ſatis certi primum reſpondebant, ac denique ſibi fœdera porrò placere dixêre. 1644.

Hæc igitur Legatis renovari viſum, quà in re haud levis interceſſit difficultas: nam Regi pacem cum Hiſpanis facere placebat, Fœderati verò Ordines Inducias modò paciſci voluiſſent: ſeu dubitabant Hiſpanos adduci poſſe, uti ſecum pacem facere vellent, ſeu ad rem ſuam publicam pertinere credebant, bellum modò interrumpi, quo hanc uſque tam præclarè auxiſſent. Si pax utrimque cum Hiſpanis fieret, certa, & expedita erant omnia, quæ ab Rege, & ab Sociis Civitatibus faciunda forent, ſicubi hanc Hiſpani violarent: ſed ſi pax Regi, Induciæ autem Sociis Civitatibus eſſent, has quidem hunc iis præſtare debere dubium non erat, ac denuò bellum ſumere ſicubi has item violarent, ſed ubi dies earum exiſſet, Fœderati Ordines ibi Regem operam dare æquum cenſebant, uti prorogarentur, atque item adversùm Hiſpanos bellum ſumere denuò, ſi id ſe facturos negarent. Legati hujuſmodi quidquam fœderum legibus cautum negabant, ſed eò rem redire aiebant, uti Rex Socias Civitates integrâ ſuâ quam cum Hiſpanis ſanxiſſet pace, quantâ poſſet ope ſuſtinendo adverſum hos bello juvaret, ſicut ante fœdus, ac belli ſocietatem cum Sociis Civitatibus initam Ludovicus XIII. pater, atque Henricus IV. avus liberaliſſimè, atque munificentiſſimè feciſſent.

Sed cùm iſtuc Fœderatis Ordinibus haud ſatis placeret, viſum denique renovare fœdus, ſicuti utriſque pax, aut utriſque Induciæ futuræ eſſent, ita tamen ut ſi has modò cum Sociis Civitatibus paciſci Hiſpa-

1644. ni vellent, Regi nihilo ſeciùs cum his pacem ſancire copia eſſet, quod ſi fieret, quæ ſibi Regem Fœderati Ordines gratificari cuperent, de iiş commentarium Legatis noſtris tradidêre, quem ad hunc, & Reginam matrem mitterent; ab quibus intereà dum reſponſum veniret, poſtulavêre, utne in pacis negotio quidquam Legati apud Monaſterium Veſtfalorum ſe facturos reciperent.

Ita igitur tum renovatum fœdus eſt, uti quædam huic addere, aut detrahere ſecundùm Fœderatorum Ordinum commentarium copia eſſet, neque tamen irritum, ſed contrà ratum, ac firmum foret, tametſi nihil in eo mutari Regi, ac Reginæ matri placeret. Præter hanc quam diximus de pace ab alteris ſanciunda, ab alteris vero Induciis paciſcendis, controverſiam nihil fermè in Fœderatorum Ordinum commentario ſatis dignum erat, quo in fœdere renovato quidquam mutaretur. Sed horum omnis ratio Legatos noſtros edocuit, quid ab illis Regi ſperandum porrò foret, aut in bello gerendo, aut in pace faciundâ, aut poſt hanc confectam, quidquid videlicet ipſis uſui eſſet, facturos, nullâ planè fœderis habitâ ratione. Induciis favebat Henricus Naſſauvius Arauſius, cui ſatis placuiſſet omne pacis negotium diſturbari, quod noſtrâ cum Sociis Civitatibus ſi nos pacem, ipſæ Inducias modò vellent, controverſiâ fieri poſſe arbitrabatur: poſtremò bellum quo uſquè claruerat, poteſtatem, atque Imperium tenuerat, paci anteferebat. Fœderati Ordines multam impenderant operam, uti Legatis perſuaderent, æquè Inducias Regi, ac ſibi proceſſuras, qui intereà adoleſceret, & ad ætatem imperio maturam perveniret: neque id diſplicebat Mazarino, quo faciliùs adducti ſunt Legati, ut ne Fœderatorum Ordinum commentarium reſpuerent: ſed ad famam pertinebat omnibus pacis avidis oſtentare hanc Regi, atque Reginæ matri cordi eſſe.

Præter fœdus renovatum ab Legatis, de proximis æſtivis ab iis cum Fœderatis Ordinibus, ſicuti quotannis fieri ſolebat, actum eſt. Sed Cognetus Thuillerius ſingillatim Regis, ac Reginæ Matris verbis cum Henrico Naſſauvio de Dunkercâ ab ipſo oppugnandâ egit, cui ex propinquis Galliæ finibus commeatûs copia foret, ac prætereà huic quatuor peditum millia conjungerent: ſin id ipſi haud ſatis placeret, eâdem conditione ſcilicet ſi Arauſius quatuor peditum millia mittere ad Regem vellet, hunc Dunkercam oppugnaturum: ſed neutrum ſe facere poſſe Arauſius docuit, alterum quia ſi terrâ ad Dunkercam duceret, acie ſibi cum hoſtibus decertandum foret, cujus rei neceſſitatem effugere ſapientis ſit, mari verò longiùs eſſe Dunkercam poſitam, quàm ut eò navibus devehi omnis Sociarum Civitatum exercitus poſſet, citrà pericula maris, ac varios, incertoſque caſus, poſtremò ubi longiùs abeſſet ab Sociarum Civitatum finibus, hos fortaſſe invadendi ſtudium Germa-

nis fore, rem ipſis ubi nullæ copiæ prohibere poſſent, factu facilem: ſi verò quatuor millia peditum ab exercitu ſuo ſejungeret, hunc tùm infirmiorem fore, quàm ut quidpiam quod rei publicæ prodeſſet, incipere poſſet. Cæterùm Cognetus quid de Gravelinga ab Rege oppugnanda ſentiret, ab eo quæſivit, quod quidem ipſi maximè probatum eſt, ac ſe intereà quidpiam operæpretii facturum recepit, ſeu ad Oceanum versùs, ſeu ad Moſam amnem, quò Cognetus maluiſſet hunc ducere, diverſiſſimâ ſcilicet ab Gravelingâ parte, quo longiùs hoſtem diſtineret: ſed illius conſilia ad Oceanum tendebant, quò factum eſt, ut & contra ipſe diverſiſſimâ parte hoſtem ab Rege diſtineri vellet, & Cogneto perſuadere niteretur, nihil illum quod ad rempublicam magis pertineret, incipere poſſe, quàm Namurci, quod oppidum ad Moſam amnem poſitum eſt, oppugnationem, hoc enim ſi potiretur, Germanos Moſæ tranſitu prohiberi, quâ maximè Hiſpanis opitulatum in Belgium venire poſſint: ſed Cognetus Carolimontem priùs ab Rege capiundum docuit, qui propiùs Galliæ fines ſit, Hiſpanis opportunum, commeatibus prohibendis, qui ab Galliâ ad Gallorum Namurcum longiùs in hoſtico oppugnantium caſtra veherentur: Ita Gravelingæ inceptum cæteris omnibus antepoſitum. 1644.

Sed Avauxio unà cum Serviano, atque Cogneto de cæteris negotiis agenti, & cum Fœderatis Ordinibus colloquenti venit in mentem iſthuc adjungere, ſcilicet uti quæ in Catholicos uſque decreviſſent, ea clementiùs, ac molliùs poſthàc facta vellent, quæ oratio omnium animos ita offendit, uti qui Senatum habebat, is continuò Fœderatos Ordines id facturos Avauxio in os negaret, prætereà id ab Catholicis ortum arbitrati hos ſolito aſperiùs tantiſper habuêre.

Fuêre qui ita exiſtimarent Avauxium magis pietatis oſtentandæ, quàm rei impetrandæ aut ſtudio, aut ſpe iſthuc deſignaſſe: nam Cardinalatum dudùm affectabat, vir ingens animi, ac ſe dignum deputans, cui res omnis publica ſicuti antehàc Richelio, ac tùm Mazarino quandoque permitteretur, neque ipſi fermè deerat quidquam præter hunc dignitatis gradum, quem ad id eâ tempeſtate neceſſarium homines arbitrabantur. Cæterùm Servianus ſeu injuſſù ſuo de Catholicis Avauxius Fœderatis Ordinibus locutus fuerat, ſeu ut apud hos, atque apud Regem, Reginam Matrem, & Mazarinum hujus rei offenſionem ab ſe amotam vellet, illam omnem quia ſecùs ceſſerat, illi uni attribuit, atque ex eo inter utrumque auctæ ſimultates, dein lites, atque turbæ, quæ ambos in magnâ, diuturnaque contentione habuêre.

Intereà quos in bellum ſumptus uſque dùm pax ſanciretur, facere neceſſe erat, eos ſuppeditare difficile videbatur: prædia regia, atque poſſeſſiones omnes dudùm divenditæ, eâ tamen lege ſicuti moris eſt, ùti reſtituto emptoribus pretio domino redderentur. Quæ Tributa à populo annua pendi ſolent, ſectiones appellant, ea in annos aliquot Publicanis permiſſa: reſtabat modò pars aliquanta eorum Portoriorum, quæ ſubſidiaria vocant, intacta, atque integra: hæc ex divendendis in Urbe,

1644. atque in aliis oppidis cùm mercibus quibuſvis, tùm ruſticorum prædiorum quibuſdam fructibus, exigi ſolent, & Publicanis locari annuis penſionibus. Sed majores erant in rempublicam ſumptus faciundi, quàm ut his ſuſtinendis hujuſcemodi penſiones, cæterique annui fructus Regni ſufficerent. Viſum igitur Adminiſtris, qui locupletiores in Urbe eſſent, ab iis grandem pecuniam fœnore ſumere, quod ex his penſionibus annuatim penderetur. Utrùm autem hanc ſponte crediturı eſſent, meritò dubitabatur, nam Rege, aut ærario fœnus hujuſcemodi ægrè exolvere ſolito, ſed uti crederent, Reipublicæ cujus ſalus ſuprema lex ſit, causâ, cogi poſſe cenſebant. Id fortè aliâ tempeſtate ab Regis Conſilio nihil conſulto Senatu factum fuiſſet, tunc verò Rege ob pueritiam per Matrem imperitante, Senatum conſuli placuit, ut ne hoc inconſulto fruſtrà foret. Vocatur eâ gratiâ in Regiam Senatus, quò primarius Præſes Molæus, aliique Præſides, atque delecti ex Claſſibus iêre: his Regina quid ſibi conſilii eſſet, per Cancellarium aperit: Molæus quidquid in rempublicam eſſet, id ſtudioſè Senatum facturum reſpondet.

At quibus Ærarii rerum cura, quorum potiſſimus erat Almericus, nam Bailleulius Quæſtor ſummus vir placidi ingenii de his haud magnoperè laborabat, iis conſilium erat, ut ne Publicani quorum operâ ad Rempublicam ſuſtentandam quotidiè utebantur, ad pecuniam Regi fœnore ſicuti diximus dandam cogerentur: contrà Senatus hos modò cogi æquum cenſebat, quos difficillimis temporibus adjuvare Rempublicam deceret, ab qua tantæ divitiæ dum faciliora eſſent, ad eos pervenerant. Almericus uti quoſdam Regina ex Patribus deligeret, qui ea de re cognoſcerent, decernerentque, contendebat: Senatui ut ab ſeſe deligerentur placebat. Itaque in majus conclave frequens convenit, aderant Gaſto, & Condæus, Andreas Potierus Novio per Molæi abſentiam Senatum habebat: ubi Cognitor regius per Actorem regium quid ageretur Senatum edocuerat, rogabanturque Patres quos deligi placeret, ſi fortè quos ex Aulæ ſententiâ minus idoneos nominarent, ibi verò Condæus obturbare, interloqui, monere, prorsùs conturbare rem, neque per otium ſententias dici ſinere. Tum Senatum habere ſe, atque huic moderari Novio dixit graviter, nulli niſi ſibi qui roget, aut huic qui ſententiam dicat, loqui fas eſſe: Condæo verò ſciſcitanti nùm ſe è regiâ gente Principem virum eſſe ignoraret, quo nemo Regi propinquior eſſet, hujus fratre, & Gaſtone patruo exceptis? ita reſpondit uti pigeret hominem iſthuc ab illo quæſiviſſe, ac magis tacito ſibi opus fuiſſe ſentiret. Bellovacenſis Epiſcopi de quo ſuprà memoravimus Novio frater erat, cui tùm fratre Aulâ pulſo haud magnum Reginæ morem gerendi ſtudium fuit. Cæterùm ubi Senatum probiores viros deligere eſt animadverſum, quàm qui ex Almerici lubidine, fœnoris de quo diximus ſpecie, ab quibuſvis ingentem pecuniam extorqueri ſinerent, alia denique hujus rei conficiundæ inita ratio eſt.

Eâ tempeſtate viri Principes, quæ opimiores erant in Galliâ Provinciæ, eas obtinere ſtudebant: quod per Regis pueritiam, quàm ubi hanc

egreſſus foret, facilius erat: nam his explere animum, ut ne initio Prin- 1644.
cipatûs res novas molirentur, Regina neceſſe habebat: Regibus verò
ubi per ætatem licet, cautio eſt, ut ne viri Principes aut in Aulâ, aut
in Provinciis plus æquo potentes ſint. Jam anno proximo Vindocinus
de obtinenda Britannia conſilium ceperat, ſicuti ſuprà memoravimus,
quod quidem ob ea quæ in Aulâ tùm accidêre, huic fruſtrà fuit. At Hen-
ricus Condæus pridem Septimaniam magnam, atque opimam Pro-
vinciam ſibi expetebat: hæc Henrici Mommorantii fuerat, cujus ſoro-
rem Carolam Margaritam Condæus uxorem habebat: Ubi de illo ſup-
plicium ſumptum, atque hujus publicata fuerant bona, hæc fermè om-
nia Rex Condæo dono dederat, inter quæ *a* Piſcena oppidum in Septi- *a* Pezenas.
maniâ fuit, cum amœnis ædibus, agriſque compluribus. Quæ Mom-
morantii fuerant in Provinciâ avitæ, atque paternæ clientelæ, eæ ad
Condæum tranſituræ videbantur: nam jam diu Septimania penes Mom-
morantios fuerat. Sed hanc tùm obtinebat Carolus *b* Schombergius *b* De Schomberg.
Equitum Tribunus, cujus Patri Henrico ab Ludovico XIII. Rege data
fuerat, opimum Mommorantii quem devicerat, ceperatque ſpolium.
His proximis annis Condæus in Septimaniâ exercitum ductaverat, bel-
lum Ludovici XIII. juſſu adversùm finitimos Hiſpanos gerens: quo exer-
citu fretus Schombergium ſatis illiberaliter habuerat, ægrè quantùm
poſſet faciens homini, ut hunc ſibi Provinciâ cedere, pecuniâ in æſtima-
tionem acceptâ cogeret: ſed is nihil iſtis rebus permotus Provinciam per
Richelii tempora porrò tenuit: nam neque hac Condæum, neque Mom-
morantii qui ſibi inimicus fuerat, clientelis augeri Richelius volebat,
coërcendæ virorum Principum ambitioni natus: ſed in novo Principatu
Condæus rem ſe ex ſententiâ confecturum ſperabat. Britanniam Ri-
chelii morte, dein Melleraii abdicatione vacuam Gaſto ſibi dari æquum
cenſebat. Regina Septimaniam dare maluit: Campania, atque Bria An-
giano Condæi filio datæ, ut ne de Septimaniâ patri ægrè eſſet: qui has
priùs obtinebant Provincias, Schombergius videlicet, atque Halierus
Hoſpitalius, ſicuti ſuprà memoravimus, ii in his Legati Gaſtoni, atque
Angiano poſthàc fuêre: prætereà Montipeſſulo oppido, atque Arci,
& Breſcovio in Septimaniâ Gaſtonem, Satenaio item oppido, atque Arci
in Campaniæ finibus Angianum Regina præfecit. Id maximum viris
Principibus ſtudium eſt, ut oppida, atque Arces in iis quas obtinent
Provinciis habeant, quò Regibus, ac popularibus formidoloſiores ſint,
atque adeò pro lubidine agitent, & ab utriſque quod ſibi bonum ſit at-
que commodum, id extorqueant: pro Montepeſſulo, cui Schomber-
gius præfectus fuerat, dati huic Mediomatrices, cum Divioduro op-
pido, atque Arce, *c* Lamberto qui huic præerat, pecuniâ in æſtimatio- *c* De Lambert.
nem curatâ: *d* Theobaldus qui Satenaio Præfectus fuerat, Quintiniſano *d* De Thibaud.
in Veromanduis præeſſe juſſus: cæterùm Campania Angiano opportu-
niſſima Provincia erat, ſcilicet quæ Æduis, quos pridem Henricus pa-
ter obtinet, finitima eſt. De Britannia nihil tùm Regina decrevit, quam
ſibi mox ſumere conſilium erat, ut ne tunc de Septimaniâ, atque Cam-

1644. paniâ adverſùm Gaſtonem, Condæum, & Angianum ingratum eſſet, ſicuti & habendæ ipſa Provinciæ exemplum quæſiiſſe videretur, eò res in poſterum dilata.

Principiò hujus anni gravis in Urbe annona fuit, cùm proximi anni infœcunditate, tùm crebrâ ex Provinciis quæ in Regni finibus ſunt, frumenti avectione: hanc ab Batavis factam aiebant, dùm vile hujus pretium eſſet, quo mox ob inopiam aucto, id omne, aut majorem partem revexêre: præterea Regina Batavo cuidam Publicano negotium dedit, ut ab uſque Gedano, quod ad Venedicum ſinum, & Viſtulæ oſtia eſt, frumentum iſthùc comportari curaret, quod plebi levi pretio venum datum eſt, atque hoc pacto ſublevata præſens inopia.

Quanquam Regina ad Pacem animum adjecerat, atque eâ gratiâ Avauxium, & Servianum Monaſterium Veſtfalorum legaverat, nihilo ſegniùs per hyemem cuncta quæ ad bellum pertinerent, ſummâ curâ, atque diligentiâ apparabat. Quæ anno proximo geſta ea Ludovico XIII. magis, quàm Ludovico filio, aut Annæ Matri videbantur tribuenda, quoniam illius operâ tametſi per graviſſimam valetudinem, quam mors erat conſecuta, omnia quibus freti duces exercituum undequâque rem publicam benè, feliciterque geſſerant, proviſa fuerant: at in novo principatu quid nobis animi, aut conſilii eſſet, hoſtes ex proximis æſtivis exiſtimaturos: quæ pro ut nobis ſecunda, aut adverſa forent, ita hos ad pacem, aut ad bellum pronos fore: Igitur nihil omiſſum quo rempublicam perinde atque antehàc adminiſtrari ſentirent. Gaſtoni in Belgio, Angiano ad Moſam decreti exercitus, Thomas ut in Italia, Turena in Germaniâ, Mottæus in Hiſpania iiſdem quibus antehàc copiis bellum adminiſtrarent viſum: Gaſtoni Carolus Portæus Melleraius, & Gaſſio Equitum Tribuni; Angiano *a* Gramontius, & ipſe Equitum Tribunus; Thomæ Pralinopleſſius Legati fuêre: veteribus exercitibus ſupplementum, complures copiæ in Santonas miſſæ, uti per Petrocorios, Ruthenoſque haud ſatis pacatos ab nupero tumultu populos iter haberent, metumque facerent belli, prædarum, atque cædis, ſi iterùm rebellarent: has ducere juſſus eſt *b* Villaregius Neovilla, quæ per Foxenſem agrum, & Pirenæos ſaltus Cataloniam ingrederentur, nam ipſe ab Regni finibus in Aulam rediturus erat.

a Le Maréchal de Grammont.

b Le Marquis de Villeroy.

In Hiſpaniâ Philippus Rex apud Cæſarauguſtam erat, atque eò complures coëgerat copias, nuper Monſonem receperat, atque in Cataloniam venienti Ilerda, & Balaguiera utrumque ad Sicorim oppidum obvia quæ in Gallorum eſſent poteſtate, loca erant: horum igitur alterum oppugnare velle videbatur: ſed huic conſilium fuit, totam ſi quâ fieri poſſet, recipere Cataloniam, eò præteritorum gratiam Catalanis oſtentabat, præterea fidem dabat, ſi in viam redire vellent, Civitatem ſicuti antehàc immunem juſto, atque clementi imperio habitum iri, neque tamen id ad Joſephum Margaritum, Fontanellam, atque alios tres pertinere ſignificabat, qui Catalanis defectionis autores fuerant. Sed hi poſtquàm Ludovico XIII. dediderant ſeſe, ſemper boni, fideleſque manſere.

manſere. At ubi Philippus ſeſe eo pacto parùm proficere ſentit, neque flectuntur Catalanorum animi, vim ſicuti conſtituerat, adhibendam cenſuit. Exercitum habebat & numero hominum, & virtute egregium: huic Philippus Sylva Luſitanus præerat, cui Mortara Legatus fuit, caſtrorum Magiſtrum generalem appellabant, Joannes Viverus equitatui, Franciſcus Totavilla rei tormentariæ præfecti fuêre. Nonis Maiis, atque VIII. Id. Nogueram amnem traductæ copiæ ſunt, quæ res indicabat omiſsâ Ilerdâ Balaguieram peti, quo factum eſt, ut octingentos milites eò Mottæus mitteret: tres in oppido Cohortes ✱ uêre, quibus hic numerus militum additus, ad propugnandum ſatis eſſe viſus. At poſtridiè hoſtes converſo itinere, ac traductis rursùm Nogueram copiis, ad Ilerdam ex improviſo acceſsêre, junctoque ratibus Sicori amne, oppidum circumvenire undique, caſtra vallo, foſsâ, turribus, caſtelliſque, quò adversùm exteriorem hoſtem tuti eſſent, munire properabant. Haud ſatis firmum in oppido præſidium, atque id augere ad ſuſtinendam hoſtium vim neceſſe fuit. Itaque priuſquàm munitiones caſtrorum perfeciſſent, Mottæus eò ſibi milites introducendos eſſe conſtituit. Igitur ad hoſtes propiùs accedere, & fortunam quâ ſæpè proſperè uſus fuerat, tentare decrevit. Per ſpeculatores erat cognitum Sicorim immensùm creviſſe, atque hoſtium interruptum fuiſſe pontem, quo ſibi maturandum ratus quingentos equites præmittit, qui tumulum hoſtium caſtris proximum occuparent: nam qui cis amnem erant, eos ab cætero exercitu interrupto ponte ſecluſos deprehendere ſe poſſe, atque adeò faciliùs militem in oppidum introducere confidebat. Sed ubi ipſe cum reliquis copiis advenit, & vis aquarum dilapſa, & pons hoſtium refectus erat: nam quibus tempeſtatibus Sicoris creſcere ſolet, eæ haud diuturnæ plerúmque ſunt, prout proximis in montibus exortæ momento temporis ſæviunt, deſæviuntque. Diei tunc medium erat, neque multò antè Philippus ab caſtris Fragam receperat ſe. Mottæus nihil territus hoſtium multitudine, quâ parte auxilium Ilerdam introducere decreverat, eò directis opportunè tormentis magnam ſtragem edere, atque illâc quos paraverat, eos ad oppidum pervadere jubet, intereà pluribus ſimul partibus hoſtem aggreditur, ac diſtinet. Magna in congreſſu facta cædes, commeatus, ac milites in oppidum introducti, ex quo noſtri eodem tempore eruptionem fecêre. Primùm ancipiti malo perculſi hoſtes noſtris utrimque inſtantibus, neque animo, neque conſilio ſatis competere: mox & numero freti, & paucitatis noſtrorum memores conglobati inter ſe, atque adhortati ultrò procurrêre: pedites noſtri tametſi multis partibus pauciores, tamen cum pluribus egregiè pugnare: Mottæus qui in ſiniſtro cornu cum Boiſſaco, & Baltaſare erat, in dextrum hoſtium cornu impetum facit, atque id propellit, ita ut effuſo curſu equitatus fugiens peditum qui ſubſequebantur ordines perturbaret, atque hi abjectis armis ſeſe victos faterentur, noſtri pro victoribus agerent, cùm his ſiniſtrum hoſtium cornu profligato noſtro dextero nec opinantibus intervenit: protinùs in fugam conjiciunt ſe, ne-

L

1644. quicquàm uti reſiſterent, ac propugnarent hortante Mottæo, qui cum paucis equitibus ægrè ad pedites recepit ſe. Hi etiamtùm ſtrenuè rem gerebant, ſed ab equitatu deſtituti, neque tanto hoſtium numero uſquàm pares partim per medios hoſtes Ilerdam petunt, alii quà copia fuit dilapſi: ita multò plures quàm Mottæus decreverat, oppidum introiêre, is verò Cerveram contendit. Eò pudebat hominem vinci inſolitum, ignaviâ equitum qui in dextro cornu fuiſſent, rem noſtram uſque florentem, tam fœdè labefactatam fuiſſe, atque ægrè ſibi temperabat, quin tam ignominiam eorum qui in noxâ eſſent, ſupplicio expiaret: ſed exercitûs ſui reliquias circumſpiciens, has nequaquàm ſibi minuendas eſſe conſtituit. Igitur graviter increpitis iis quorum vano terrore res ab ſe tam benè cœpta poſtremò corrupta fuerat, tantus his inceſſit pudor, uti de ſarciundo incommodo ubi primùm Imperator pugnandi poteſtatem faceret, fidem darent, atque is tùm demùm ipſis ſe delicti gratiam facturum pronuntiavit. Quâ parte equites prælium abnuerant, eâ curabat Terralius, qui cùm hos in hoſtem procurrere juſſiſſet, unicus filius ejus adoleſcentulus patri dicto audiens fuit, atque in hoſtes impetum fecit, quindecim omnino equitibus ſimul procurrentibus, neque plures adoleſcentis exemplum movit, uti decertare vellent: ſed is multitudine hoſtium oppreſſus egregiè dimicans occidit: Patre, majoribuſque quorum nomen per Petri a Terralii Baiardi bellicam virtutem celebre eſt, ſoboles digniſſima. Duobus muralibus, octo campeſtribus tormentis hoſtes potiti ſunt, ampliùs duo millia peditum noſtrorum aut cæſa, aut capta, quingenti ſparſi fugâ per agros ad Mottæum mox rediére, quod reliquum fuit Ilerdam ſeſe receperat: nec ea victoria hoſtibus parvò conſtitit, compluribus item ex eorum numero cæſis, captiſque. Poſtridiè recenſitis apud Ilerdam ducibus, militibuſque, centum & quinquaginta fuêre Tribuni, Centuriones, Procenturiones, Vexillarii, tria militum millia quingenti ſeptuaginta quinque, præter oppidanos, & agreſtium qui eò ex agris confugerant duo millia, qui & ipſi bonam, fidelemque in propugnando navabant operam.

a Baiard du Terrail.

Ubi reſcitum eſt in Aulâ, quantùm apud Ilerdam offenſum eſſet, ibi verò Adminiſtri Mottæum accuſare, quod ab hybernis ſeriùs moviſſet, nam huic conſilium fuerat maturè Tarraconem oppugnatum ire, atque eâ causâ Claſſem eò mitti poſtulaverat, quæ jam in Balearico mari navigabat, intereadùm is apud Barcinonem morabatur: nam ſi ad Tarraconem moviſſet, Hiſpanorum planè de Ilerdâ, atque Balaguierâ conſilia diſturbaſſet, aut ſi nihilominùs alteram oppugnaſſent, hujus jacturam, ac damnum Tarracone captâ Mottæus compenſaſſet: ſed hoc incœpto poſthabito ad Sicorim moverat, prohibendis ab Ilerda, aut Balaguiera hoſtibus, quod ipſi de Ilerdâ poſtremò ſecus ceſſit.

Intereà copiæ quas Villaregius ad Regni fines duxerat, in Cataloniam pergebant iter facere, quibus Mottæum fretum Rhodâ, aut Tarracone haud difficulter potiturum Rex, & Regina crediderant, atque ad eum ſcripſerant id ſibi magis probari, quam Ilerdæ, aut Balaguieræ

ferri ſuppetias, his quas diximus de cauſis. Sed Mottæum ſimul cum Nucerio Patrono fortuna deſeruerat, nam ſicuti hominis ad Ilerdam venientis mora pontis interrupti qui hoſtium exercitum ſeparaverat, opportunitatem corruperat, quâ ſi uſus fuiſſet, quæ pars citrà Sicorim erat, eam facilè fudiſſet, ac profligaſſet, ita ubi oppidum obſidebant, prohibendis commeatibus, aut quærendæ caſtrorum oppugnandorum opportunitati tempus fruſtrà conſumpſit, neque priùs ad Tarraconem animum adjecit, quàm hoſtibus Ilerda dedita eſt, qui ab hoc negotio vacui ut ne illud Mottæo ex ſententiâ procederet, operam dedêre. 1644.

Igitur poſtquàm apud Ilerdam noſtri quoties hoſtes appropinquaverant mœnibus, toties egregiè propugnaverant, crebras eruptiones fecerant, multa loca procul ab mœnibus tenuerant, poſtremò tamen rerum omnium inopiâ compulſi Sextili demùm menſe fecêre deditionem. Philippus cui ea res præter ſolitum proſperè evenerat, tantò magis lætari, in oppido recepto complures dies morari, feſtos dies, ludoſque agitare, quàm diverſa ſibi aliò fortuna eſſet, nuſquam ſentire.

Ad Regni fines Belgium versùs Portæus Melleraius, & Gaſſio primùm, dein Gaſto menſe Maio profecti ſunt: apud Ambianos Melleraius, apud Peronam Gaſſio habuêre caſtra, eò Gaſto advenit, uti quod oppugnare decreverat oppidum, ab eo quàm maximè diverſus conſilium ſuum hoſtibus occultum haberet: Ramſavius cum cæteris copiis ad Abbatiſ-villam ſtativa habuit. Præmittere placuit Almontium Villequierum, is Bolonienſi Civitati præerat, qui cùm pleraque hujus Civitatis nobilitate ad bellum exercitatiſſima, atque alio equitatu Gravelingam ad Aæ amnis oſtia properaret. Haud inſolitum erat Villequiero, atque huic nobilitati excurrere in hoſtium fines, prædas agere, loca vaſtare, atque alia hoſtilia facere: datum Villequiero negotium uti quibus locis opportunum judicaret, ſtationes, atque cuſtodias collocaret, ut ne quid aut commeatûs, aut militum Gravelingam introduceretur, intereà dum Melleraius, dein cum Gaſſione ipſe Gaſto oppidum oppugnaturus adveniret. Is per Atrebates eò maximis itineribus contendebat, atque inter Audomariſanum, quod oppidum eſt in hoſtium ditione, & Arderam Gallicæ ditionis habebat caſtra, cùm ei redditæ ab Melleraio litteræ ſunt, quibus ſignificabat, pontem ſuper Aâ amne faciundum, quo traduceretur exercitus, Baietam prætereà Caſtellum ab hoſtibus communitum capiundum, ut ne ab Audomariſano ad Gravelingam commeare poſſent, ad id ſibi peditum millia quatuor, equites mille opus eſſe, quos ſi videretur, ad ſe mitteret, hi poſtridiè miſſi Gaſſione duce. Gaſto caſtris apud Marcam haud procul a Icio portu poſitis illîc ipſe pernoctavit. Eò nuntiatum eſt & pontem perfectum, & Caſtellum captum eſſe, prætereà alia duo Caſtella ad Aam amnem: dein noſtri caſtra circumquàque Gravelingam poſuêre, atque munivêre. Priuſquàm id omninò factum eſſet, Gaſtonem venire in caſtra tali loco virum haud ſatis dignum, aut tutum videbatur: ſed is omnis moræ impatiens non modò advênit, ſed ab finibus noſtris diverſiſſimâ parte

a Calais.

1644 Dunkercam verſùs, quà hoſtium, ſi quid conari conſilium ferret, adventus erat, Prætorium tendi juſſit. Triginta majores naves ex fœdere ab ſociis Belgarum Civitatibus eò miſſæ in hac omni ora Belgica, ac tùm maximè ante Gravelingæ portum ſtationes habebant, atque omnibus navigiis quibus è Galliæ portubus commeatus, & alia quæ uſui eſſent in caſtra ſupportabantur, præſidio erant. Batavis navibus præerat Martinus Herpers Tromp, vir magnâ rei navalis ſcientiâ, atque famâ multis hoſtium claſſibus fuſis clarus. Præſidium in oppido haud ſatis amplum erat, quod hoſtes quadringentis militibus eò miſſis auxêre, qui navibus in oppidum introducti ſunt: neque id ubi ventus ab Oceano ſecundus eſt, facilè prohiberi poteſt: nam ab oppido ad mare foſſa pertinet, in eam altitudinem depreſſa, quâ & majora navigia ad oppidum decurrere poſſint: ſecundùm hanc paribus intervallis turres, atque æquo inter oppidum, & mare ſpatio Caſtellum probè munitum erat: hæ protegendæ foſſæ munitiones extructæ, ut ne ab mari, & navigatione oppidum ſecluderetur. Caſtellum Gaſtoni oppugnare viſum, quod Philippicum appellabant, atque intereà Melleraius ex his turribus, quæ ab Caſtello ad oppidum pertinebant, quinque deditionem facere coëgerat: quæ res metum fecit iis qui Caſtellum defenſabant, ut ne omninò ab oppido interclusis ubi res moneret eò recipere ſeſe copia eſſet. Itaque ſibi maturè conſulere decreverunt, nactique obſcuram noctem quarto poſtquàm oppugnari cæperant die dilapſi ſunt: miles unus in Caſtello reſtitit, qui ubi noſtros ingreſſos videt, cuniculo ad id præparato ignem admovet, quo disjecta ſupernè humus, ſaxaque paucos qui propiùs erant, læſit, unus modò Primipilaris necatus eſt. In Caſtello tormenta ſeptem, omnia præter unum corrupta, commeatus, atque armorum aliquantùm reperta: Gaſto in eo Caſtello donec Gravelinga dedita eſt agitavit, reliquæ turres, quæ ab Caſtello ad mare pertinebant, & ipſæ deditæ ſunt, ubi noſtrorum vim, & Batavarum navium quæ tormentis inſtructiſſimæ fuêre fulmina ſeſe diutiùs ſuſtinere poſſe defenſores diffidunt. Nocte unâ Tribunus, atque Centuriones aliquot, quos ab proxima Dunkerca hoſtes Gravelingam parvo navigio miſerant, & Batavorum cuſtodias in tranſgreſſu fefellerant, ab Oceano foſſam ingreſſi ſecundo vento, atque æſtu ad oppidum ferebantur, ni deprehenſi ab noſtris forent. Ibi verò Tribunus ſeſe dejecit in foſſam, atque nando ad turrim propinquam appulit, captuſque eſt, captum item cum Centurionibus, vectoribuſque omnibus navigium, in quo quinque nummûm millia reperta, captaque.

Trina circùm Urbem caſtra fuêre, una Gaſtonis ad Aam amnem, Galliam verſùs, quod denique magis tutum, magiſque ex hominis dignitate, quàm quà hoſtes advenirent, viſum: nam Imperatoris partes non ſunt, uti princeps prælium manu faciat, verùm uti quæ aguntur iis circumſpectis, atque cognitis, quod optimum factu ſit, id imperet, & ſummæ rerum per otium, quantum belli tumultus fert, ipſe conſulat. In his caſtris Ramſavius Vicelegatus (id ipſi novum Imperii nomen, quoniam

Equitum Tribuni Gaſtoni Legati erant, datum fuerat) *a* Potus Fargius, 1644.
Magalottus vir Italicus, & *b* Foliadæus caſtrorum Præfecti curabant. Altera caſtra Melleraii fuere Dunkercam versùs, & mare, in quibus ipſe, præterea *c* Jacobus Stampæus Fertimbaltius, Lambertus, Ruſſellus Granſæus, Hoquincurius caſtrorum Præfecti. Tertia demùm Gaſſionis Burburgum versùs, in quibus *d* Manicampus, Brichantæus Nangius, & ipſi caſtrorum Præfecti curabant.

a Pot du Fargis.
b La Feuillade.
c D'Eſtampe, Ferté-Imbaut, Lambert, le Rouſſel-Granſay, Hocquincourt.
d Manicamp, Nangis, Brichanteau.

Junio menſe in ea regione ſcilicet quæ ad Oceanum eſt, fœdæ coortæ ſunt tempeſtates, quæ hanc humilem, atque depreſſam aquis complevêre. Omnibus campis profundæ interjacent foſſæ, aquarum receptacula: hæ ubi per vices Oceanus æſtu creſcit, & ipſæ creſcunt, tunc & pluviis auctæ erant plurimùm, eò pontes paſſim totis caſtris ſtruere, uti pervia eſſent, neceſſe fuit: præterea perpetuis imbribus ſublutus munitionum queis caſtra cingebantur agger pluribus locis erat dilapſus, cui reficiundo data eſt opera: dein duæ ad oppidi totidem propugnacula foſſæ duci cæptæ, cujus rei cura penes Melleraium, & Gaſſionem fuit. Quâ parte hic, & quâ alter curabat, Præfecti caſtrorum cum ſingulis Cohortibus per vices ad opus excubabant, hoc illi promovére, ac maturare, qui in opere eſſent milites, eos tutari, ſi hoſtes prohibituri accederent, propulſare, prorsùs omni rei ſuâ quiſque die præeſſe, atque hanc ſedulò adminiſtrare. Eadem apud Gravelingam munitionum ratio, atque ſeries erat, quàm aliò diximus, præterquàm quòd circùm mœnia foſſa duplex eſt, quam & Aæ fluminis aquæ, & Oceani æſtus ſubeunt: quæ extrà mœnia munitiones erant, eas Italici, Oppidum Belgæ, Arcem Hiſpani milites defenſabant, cuncti numero duo millia quingenti, præterea oppidani, & qui ex agris eò confugerant, ex quibus nonnulli ad propugnandum ſatis idonei fuêre, Oppido Ferdinandus Solis Hiſpanus Præfectus fuit.

Ubi aliquantùm foſſæ ad oppidum versùs promotæ, inter utramque ducta alia foſſa eſt, præterea vallum ponè quem viginti tormenta locata', queis hoſtium munitiones inter duo propugnacula disjicerentur. Apud Dunkercam, Burburgum, & Bergam Fani-Vinoci quæ Gravelingam propiora hoſtium oppida ſunt, Picolominius copias diſtribuerat, ſi quâ parte ad hanc terrâ, aut mari pervadere copia eſſet, quin & caſtra noſtra tentaturum fama erat: quo fiebat uti Gaſto qui hanc ſibi potiſſimùm ſumpſerat provinciam, uti caſtra ab omni externâ vi tuta præſtaret, ad vallum, & munitiones frequens, multuſque adeſſet, quâ parte hoſtes venturos ſæpiùs nuntiabatur, cum equitatu obviam aut ipſe procederet, aut alios mitteret: neque tamen omittebat quid ad oppidum versùs operis promoveretur, ipſe coràm cognoſcere, ut id maturarent milites hortari, atque his eâ gratiâ de ſuo largiri, poſtremò quaſi nullo impoſito omnia providere. Quâ tantâ Imperatoris ſedulitate effectum, uti noſtri brevi ad primam oppidi foſſam opera promoverent. Eò hoſtibus fruſtrà prohibere conantibus captus, munituſque locus, & ſtationes locatæ, quà Melleraius, & quà Gaſſio cu-

1644. rabant. Sed hanc primam oppidi foſſam pertranſire operæpretium erat: nam ex adverſo hoſtes munitionibus, atque vineis tecti propugnabant, ponteſque fieri prohibebant: tres tamen ex utraque parte confecti ex virgultis, & cratibus inter ſe colligatis, atque ex alia levi materiâ, quæ ne igni corrumperetur, bubulis coriis recèns detractis integebatur: hoſtium vineæ, cæteræque in adversâ ripâ munitiones tormentis noſtris diruebantur, neque ceſſabat intereà miles ex his locis quos captos, munitoſque ſuprà diximus, ſclopetis qui ſe in adverſis munitionibus oſtenderent, vel qui iis disjectis, aut labefactatis ad ictus paterent, eos infeſtare, quæ res & damno hoſtibus, & noſtris qui pontes perficiebant, præſidio erat: ubi primùm unus confectus fuit, ita ut ſatis tutò ſuperſtare miles, atque ad hoſtem pergere poſſet, qui id primi tentavêre, eorum pars malè mulctati ſunt: nam dùm cæteri cupidiùs ſubſequuntur, majori quàm ferre poſſet onere pons depreſſus, dein interruptus eſt, quo caſu qui ſuperſteterant in foſſam præcipitavêre, ac miſerè periêre: pauci ad hoſtem tranſgreſſi, quorum audaciâ qui declive defenſabant inter utramque foſſam ſpatium, perterriti id deſerere velle videbantur, cùm caſu pontis, & paucitate noſtrorum animadversâ reſtitêre: at brevì refecto ponte, noſtri ultrà primam foſſam locum cepêre, atque munivêre, neque indè maximâ hoſtium vi depelli poſthac quivêre.

Inter hæc cognitum ex perfugis, de primâ vigiliâ milites trecentos ex oppido conſcenſis ſcaphis ſecundo amne profectos, atque ad dextram fluminis exſcenſione factâ, eò quàm occultiſſimè ſtationem humi jacentes habere, id jam triduum fieri, eà venturos ſubſidio hoſtes, quò hos exciperent, & ad oppidum iiſdem ſcaphis perducerent: continuò Gaſto mittit ad Ramſavium, qui hunc de hoſtium adventu moneret, nam quà venturi dicebantur, in eâ Caſtrorum parte curabat. Ramſavius quadringentos è Pedemontanâ Legione pedites, equites ducentos è Magaloti alâ ſtatim ducit, quò hoſtes ab oppido egreſſi ſtationem habebant, quos non modò, ſed & eos qui ſubſidio ab Picolominio miſſi veniebant, reperit. Multorum ſtipendiorum viri erant, Centuriones, aut qui ordines duxerant trecenti ſexaginta, cujuſmodi hominum operâ Hiſpani ſi quid operæpretii faciundum ſit, ſæpiùs utuntur: hi aut dilapſis, aut dimiſſis quos ductare ſolebant, militibus, ſub diverſa ſigna diſtributi, aut ſub eodem unà vexillo militum vicem fungi haud abnuunt, cæterùm idem qui priùs militiæ honos, eadem aut paulò minora ſtipendia ſunt. Igitur ubi in noſtros incidere ſtrenuè capeſſunt pugnam, neque his virtute ceſsêre, ſed numero victi, atque undique circumventi poſtremò dedidêre ſeſe, quadraginta modò in congreſſu cæſi. Eodem tempore quidam ex oppido egreſſi uti ſuis laborantibus auxilio eſſent, crebrâ glandium ab noſtris emiſſione regredi coacti ſunt. Porrò hoſtes furtim modò, & clàm auxilia ad oppidum mittere, neque omnibus copiis caſtra noſtra oppugnare velle, Gaſto, cæterique ſatis intellexêre: præterea Picolominius ſicuti jam de Gravelingâ conclamatum eſſet, ab Mardico, ad Bergam Fani-Vinoci foſſam, vallumque du-

cebat, & per intervalla turres, atque caſtella ſtruebat, noſtros ſi Gravelingâ captâ Dunkercam peterent his munitionibus objectis facilè prohibiturus: neque tamen eò ſegniùs qui in oppido erant, propugnabant, opera quæ ab noſtris fiebant igne, ſed maximè aquâ corrumpendo, nam maris æſtum bis in die foſſam ſubeuntem apertis omnibus cataractis excipiebant, dein iiſdem clauſis quominùs recederet, impediebant: eò fiebat, uti pontes, locaque ab noſtris inter utramque oppidi foſſam munita magnoperè labefactarentur, dein noſtris inter hæc mala verſantibus armati, infeſtique interveniebant, quæ omnia Imperatoris, Legatorum, atque militum virtute ſuperata, nam nullæ uſpiam tantæ aſperitates, tantaque pericula fuêre. 1644.

Ubi ad ſecundam foſſam ægrè perventum, alia tùm laboris facies obverſabatur oculis, atque tùm primùm oppugnatio incipere viſa, nam cætera oppida unâ modo foſſâ munita ſunt, at iſthîc duplici foſſâ conduplicatus labos, inter propugnacula duo, ad quorum latera noſtri omne opus ex diſciplina intenderant, ſemiluna erat ex aggere, cæſpite veſtita, prominente circùm ſumma palorum ordine; eâ potiri primùm erat neceſſe, ut ad propugnaculorum latera, & ad murum quem tegebat, aditus eſſet. Pons adeò factus ſuprà foſſam eſt, applicitoque ad ſemilunam cunicolario brevi disjectus eſt effoſſo, atque accenſo cuniculo agger, occupatuſque, & munitus ab noſtris in ſemiluna locus, poſtquàm ſemel ab hoſtibus pulſi, acriores, atque infeſtiores redierant; huic rei præfuit *a* Geſvræus frater hujus quem apud Theodoniſ-villam interemptum memoravimus, ille glande inter dimicandum leviter brachium ictus eſt: ei ſucceſſit qui operi ſtationibuſque die ſuâ præeſſet Potus Fargius cum Ramburica Cohorte, quæ occupata loca muniit accuratiùs, factoque altero cuniculo amplior eſt disjectus agger, & aliquantùm perrupta interior hoſtium in ſemiluna munitio, ad ejuſdem ſemilunæ formam. In hanc interiorem munitionem impetum facere viſum, quâ in re Guiſius, fratreſque ejus duo, & ex eâdem gente Harcurius adoleſcens Ellebovii filius, præterea è primâ nobilitate plerique principes eſſe geſtiebant, ni prohibuiſſet Gaſto virorum principum ſaluti conſulens. Qui juſſi fuerant milites, ii impetum in munitionis ruinam fecêre, jamque in eam propè evaſerant, cùm ſummâ vi ſubeuntes hoſtis dejecit, atque adeo in imâ modò ruinâ locum tenuêre, atque munivêre. Illîc Gaſſio dùm hortando, pugnandoque, ſtrenuè rem gerit, ſaxo brachium afflictus eſt. Quincæus caſtrorum Præfectus eâ quæ ſubſecuta eſt nocte cum Pedemontanâ Legione quæ in ſemiluna excubaret in Fargii locum ſucceſſit. Tribunus Legioni erat Vaſſæus, qui unà cum Quincæo, & Gaſſione munitionem hoſtium expugnavit; hos cùm Gaſſio haud diù reſtituros intelligeret, mittit ad proximam foſſæ munitionem, quò tormenta aliquot noſtra locata erant, qui ſuis verbis juberet, hæc in pontem quò hoſtibus ab ſemiluna in murum oppidi receptus erat, dirigi, quibus brevì pons perfractus, atque interruptus eſt. Eò Præfectus oppido ſcapham ab muro demitti juſſit, quò ſuos reciperet,

a François Potier, Marquis de Gévres.

1644. hæc nimio ſimul, & incerto onere depreſſa eſt, quo caſu plerique eorum qui conſcenderant interiêre: tanta autem horum in abeundo properantia fuit, uti cuniculum in ſemiluna inſtitutum, atque in noſtrorum perniciem paratum incendere nequiverint.

Poſtquàm ſemilunâ noſtri potiti, eò tormenta advexêre quatiundis ex propinquo propugnaculorum lateribus, atque humeris, ac maxime corrumpendis quæ in humeris erant tormentis, ut ne pontes quos ab ſemilunâ ad propugnaculorum latera ducere neceſſe erat, perfringerent: hi pontes facti properè, atque appliciti hinc, & illinc ad propugnaculorum latera, & ad murum qui medius eſt cunicularii ſunt, qui dum ſaxis, atque aggeri ſubducendis operam dant, intereà loci Fertimbaltius quâ Melleraius, & Foliadæus quâ Gaſſio curabant, utriuſque juſſu hoſtes ab ſtationibus, quas propiùs noſtros habebant, in eo quod inter utramque oppidi foſſam eſt ſpatio, pellere aggreſſi ſunt, quæ res tametſi egregiè propugnarent, tranſverſis quas objecerant munitionibus tecti, tamen ex ſententiâ confecta eſt.

Ad unum ex Pontibus quos ſuprà ad propugnaculorum latera, murumque medium inſtitutos eſſe demonſtravimus, quò Gaſſio curabat, Brichantæus Nangius caſtrorum & ipſe Præfectus excubabat, atque operi ſuâ die adminiſtrando, ſtationibuſque præerat, qui dùm fidelem Regis, atque reipublicæ navat operam, glande ictus occubuit, Juvenis egregius, neque ſuâ minùs, quam majorum virtute clarus.

Ubi cunicularii & ad propugnaculorum latera, & ad murum appliciti cuniculos illîc egêre, atque quantùm loci neceſſe erat, pulvere tormentario complevêre, ibi verò certa hoſtibus pernicies, noſtris oppidi capiundi ſpes aderat: nam tùm cuniculis eſt admotus ignis, atque utrimque ruinâ editâ, noſtri impetum faciunt: ſed ab hoſtibus prohibiti in ſumma ruina locum capere, in ima poſtremò pulſi reſtitêre, locumque munivêre, dein ulteriùs acti cuniculi ſunt, neque dùm tamen oppido Præfectus adduci potuit, uti deditionem faceret. Igitur his eſt admotus ignis, tantaque edita ruina, uti noſtri ad utriuſque propugnaculi ſumma evaſerint: hoſtes inter ruinas egregiè propugnavêre, poſtremò tamen pulſi ſunt ab noſtris, qui in utroque propugnaculo locum ampliſſimum tenuêre, atque munivêre. Tùm demùm Ferdinandus Solis Gravelingæ Præfectus ad deditionem animum adjecit, miſitque poteſtate factâ ad Gaſtonem, qui eâ de re cum eo ageret. Gaſto huic quàm honeſtiſſimas deditionis conditiones tulit, quibus acceptis Ferdinandus VI. Calend. Sextiles deceſſit oppido. Ita Ludovicus XIV. Gravelingâ munitiſſimo oppido, atque Arce, præthereà commodiſſimo, atque tutiſſimo ad Oceanum portu Gaſtonis patrui operâ potitus eſt. Nullamdùm maritimam Urbem per hæc bella oppugnaveramus, cùm hujus rei difficultate, quoniam mari, quàm terrâ præſidia, & commeatus introducere facilius eſt, tùm vicinorum Britannorum qui tenui modò freto dirempti ſunt, æmulatione deterriti, quos id iniquo animo laturos fuiſſe pro comperto habebatur: ſed his tùm domeſtico bello implicitis, quid foris ageretur, nulla cura fuit.

Non

Non iſthîc omittendum arbitror, quanta, quàmque exitialis multis, 1644.
ac tandem propè omni exercitui Melleraii, & Gaſſionis æmulatio in hac urbis oppugnatione fuerit: nam dùm hic eâ parte belli ſeſe Collegæ æquiparare ſtudet, cuncta quà curabat, plus æquo adproperare, quæ ſpatio ut ex diſciplina fierent, indigebant, ea maturiùs, vel cum multorum capitum pernicie conficere, poſtremò nihil penſi habere, modò ut collegam anteveniret, atque maturato opere hoſtes ad deditionem redigeret: ita Melleraium tot per Ludovici XIII. tempora captis urbibus clarum, & cum omnibus quos prior, aut noſtra ætas tulit, Imperatoribus in urbium expugnationibus comparandum, in ſuâ ipſius arte adæquare, quin & ſuperare geſtiebat. Sed hic tantùm arrogare ſibi novum hominem tolerare violenter, atque invitus item ſuâ ex parte feſtinare, neque hanc contumeliam pati poſſe, ut ab Gaſſione potiundi oppidi initium fieret: quò factum eſt, ut inter hanc Ducum properantiam multi temerè in hoſtem miſſi alienæ ambitionis pœnas darent. Deditione denique ab hoſtibus factâ Melleraius Prætorianos, atque Helvetios è Legione quæ ad Regiæ cuſtodiam centuriatim adeſſe, ſicut & Prætoria Gallorum ſolet, ducebat ad expugnata Propugnacula, Portamque vicinam, cùm in Navarricam Legionem, & in Geſvræi Cohortem incidit, quas Gaſſio ad expugnatum ab ſe propugnaculum præmiſerat, ignarus in urbe captâ, aut deditâ Prætorianos, atque è Regia cuſtodiâ Helvetios præſidium agitare ſolere, donec huic quiſpiam Præfectus ſit, atque certum ab Rege decretum præſidium. Eo Melleraius Legionem Navarricam reſtare, neque ultrà progredi jubet: qui hanc ductabat, is enimverò ſe quod ab Gaſſione juſſus fuerat, facturum reſpondet: Melleraius vi hominem uti pareret, cogere parabat, cùm Gaſſio qui haud procul aberat, diſtricto gladio cum amicis, & clientibus advolat: Melleraius & ipſe cum ſuis item diſtricto gladio fiebat huic obviam, & uterque integras Cohortes appellabat, quæ ſibi auxilio forent, cùm intervenit Lambertus Caſtrorum Præfectus, cui maxima ex virtute, ac multis ſtipendiis apud milites fides, & gratia eſt: is eos eſt hortatus, uti magis ceſſare, quàm ex utriuſvis Tribunorum Equitum lubidine agere vellent, quando id ſine gravi rei publicæ damno fieri nequiret, expectandum videri Gaſtonis, qui ea de re cognoſceret, judicium: is verò ab Lamberto certior de hac Tribunorum Equitum contentione factus, hos ad ſe venire juſſit, atque in gratiam ſtatim redegit, monito benignè Gaſſione quod Melleraius feciſſet, id rectè, atque ordine feciſſe, neque ab ſe diſturbatum oportuiſſe.

Ubi Nucerius res in Aulâ quæ ad bellum pertinebant, procurabat, Gaſſioni fautor fuerat, hunc omnibus modis ornare, augere, celebrare, atque ab eo viciſſim coli, atque obſervari ſuetus, quem adeò Aulâ pulſum ægrè ferebat Gaſſio, paratus omni ope, ut in priſtinæ dignitatis, & potentiæ locum reſtitueretur, hominem juvare. Itaque cùm ipſi ubi Gravelinga oppugnabatur, magna cum Gaſtone colloquendi copia eſſet, ſtatuit ejus animum tentare, ſi fortè Nucerio favere vel-

1644. let. Igitur de eo crebram apud Gaſtonem facere mentionem, uti ſe in rebus bellicis procurandis antehàc gereret, quanta hominis ſedulitas eſſet, demonſtrare, virtutem, pietatem, atque alia bona commemorare: quod ubi ſenſit Riviera, in cujus poteſtate Gaſtonem eſſe ſuprà diximus, ipſe uti Mazarino gratificaretur, Gaſſioni adverſari ſedulò, neque Gaſtonem huic ſeſe admiſcere rei ſinere, cæterùm utrùm id ſuâ ſponte, ac Nucerii injuſſu Gaſſio fecerit, parùm compertum habeo. Gravelingæ deditæ ad Aulam nuntio perlato ob eam rem ab Gaſtone benè, feliciterque geſtam, decreta ſupplicatio eſt, atque in majori Urbis templo Deo immortali Rege, & Regina Matre coram, Senatu, atque aliis Curiis, Urbaniſque Magiſtratibus honos habitus.

Angiano ad Moſam exercitum decretum fuiſſe ſuprà memoravimus, quem ut in Germaniam duceret, conſilium erat. Jam eò ipſe fine anni proximi ad Rhenum uſque copias ductaverat, atque Guebriano Equitum Tribuno qui hanc provinciam obtinebat, tradiderat, quo mortuo ea Turenæ cum exercitu permiſſa fuerat. At tùm majori conatu bellum in Germania gerere Regina decreverat, atque adeò Angianum cum majori copiarum numero eò mittere, qui imperii ſummam haberet. Quæ copiæ in Campaniâ Sequanam inter, & Moſam hyemaverant, eæ Angiano datæ circùm Virodunum convenerant, quò profectus ipſe poſt paulò cum octo peditum, tribus equitum millibus Meſieram versùs deſcendit:

Id fiebat duabus de cauſis, primùm uti Gaſtoni tunc cùm maximè Gravelingam oppugnanti uſui eſſet, aliquas in Lucemburgenſi agro in cujus finibus erat, hoſtium copias attinendo: prætereà novæ apud Eburones copiæ quæ Ludovico mercede militarent, conſcriptæ ab Marſino fuerant, quas ſub Trajecti ad Moſam mœnibus in ſtativis habebat, pedites octingenti, equites mille ducenti fuêre: hos ſæpiùs in proximos hoſtium fines miſerat, qui plures captivos, magnamque interdum prædam in caſtra redeuntes adduxerant. Angianus has copias ſuis adjungere decreverat, quæ res haud facilis, atque expedita videbatur: nam ab Moſæ Trajecto, ad Galliæ fines multùm hoſtilis agri intereſt, ſaltuoſi, & continentibus ſylvis impeditiſſimi, tramites anguſti, nec agmini ſatis pervii, loca omnia, atque itinera ab hoſtibus obſidebantur. Eò Angianus Meſieram uſque proceſſerat, quò propior Marſinum exciperet: ſed ubi ne id quidem ſatis eſſe intelligit, omnes copias apud Meſieram Moſam amnem traducit. In propinquo eſt Lucemburgenſis ager, cui Beccus cum exercitu præſidebat: hujus fines ingreſſus Angianus, quâ parte Beccum habere caſtra nuntiatum, eò ducere properat, ſicuti prælio decertaturus, ratus ſcilicet quod res monebat, Beccum præſidia quæ habebat in ſylvis deducturum, quò validior capeſſeret pugnam, aut ſi hanc abnueret, iis opus habiturum, quæ in oppida diſtribueret, atque adeò Marſino iter expeditum in Galliam fore, quæ res ex ſententiâ ceſſit: nam Beccus deductis ab ſaltu præſidiis, pedites omnes in Montem-Medium, Arlonem, & Lucemburgum oppida diſtri-

buit, poſt hæc oppida equitatum agitare jubet, ut ne Angiano opportunus foret: quo factum eſt, uti Marſinus quietum ab hoſtibus iter haberet, quem Eſpenanus caſtrorum Præfectus cum copiis obviam miſſus excepit, atque unà Meſieram petiêre. Arlonem versùs moverat Angianus, atque haud procul oppido ſtativa habuit: eò cùm pergeret, caſtella duo Villamontem, & Mariæfanum ex itinere ceperat: mox ubi Marſinum adveniſſe nuntiatum, Meſieram reverſus *a* Turnonum Comitem Præfectum caſtrorum cum copiis aliquot capiundis, diruendiſque Mortavio, & Lavalle Caſtellis dimiſit, quæ Caſtella in finibus Lucemburgenſis agri poſita hoſtibus qui in Galliæ fines prædatum ventitabant, receptaculo erant, quibus dirutis minor ipſis poſthàc prædandi copia fuit. 1644.

a Le Comte de Tournon.

Eâ tempeſtate Friburgum in Briſgavia ab Baioaris hoſtibus acriter oppugnari Angiano nuntiatum: quò maturiùs in Germaniam jam omnibus quæ huic decretæ fuerant, copiis in unum collectis movit. Menſe Januario Baioari Uberlingam ad Acronium Lacum, quâ noſtri nuper potiti, obſidere cæperant, præſidiis circumquáque diſpoſitis, ac mox oppidum arctiùs habuêre, atque oppugnavêre. At *b* Corvallius Vicecomes oppido Præfectus egregiè propugnare, hoſtium ſtationes perturbare, pellere, mox ubi propiùs acceſſerant, eò frequentiùs crumpere, quæ incipiebant opera prohibere, deſtruere, ubi cuniculos in murum, atque aggerem moliebantur, eos adverſis cuniculis excipere, atque irritos reddere, denique magnâ muri, atque aggeris parte collapsâ, impetum hoſtium inter ruinas, ac rudera ſuſtinere, ac propulſare: prorsùs ab eo propugnatum ſuprà quàm dici poteſt egregiè, reſque ad VI. Id. Maias producta, quâ die denique ſubveniente nullo deditionem facere coactus eſt. Ex hoſtibus complures eò cùm hyemis, tùm noſtrorum ſæpiùs erumpentium ſævitiâ periêre. Uberlingâ receptâ Baioari fruſtrà Hoentuielem in Vitembergenſi Agro tentavêre. Caſtellum eſt in prærupti montis vertice, cui Præfectus erat *c* Viderholtius, homo callidus, magnâque rei militaris ſcientiâ: hoſtes caſtella quatuor circùm exſtruxerant, prohibendo commeatui, nam locum oppugnare difficile videbatur. Quod cùm Baioari ſatis intelligerent, varias Præfecto tulêre conditiones, uti Vitembergo Duci arcem permitteret, nam ante hæc bella Vitembergi Ducis fuerat, qui mox Auſtriacorum armis oppreſſus Fœderatorum Germaniæ Principum partes deſerere coactus fuerat, atque tunc in Auſtriacorum erat poteſtate: at Viderholtius nihilo ſeciùs eaſdem partes ſequi, quibus Ludovicus favebat, cujus opibus adjutus arcem porrò tenere, & ſi vis adeſſet, defenſare decreverat.

b Le Vicomte de Courval.

c Viderholt.

Sed ubi primùm Baioari Caſtella circùm Hoentuielem muniverant, procul erant Ludovici copiæ, & auxiliorum ſpés longinqua videbatur: quò factum eſt, ut hoſtem arte tractare Viderholtius in rem ſuam eſſe duceret. Eò deditionem ſuadenti auſcultare, quæ ferebantur conditiones, eas neque omninò probare, neque planè abnuere, induciæ

1644. eâ gratiâ uti fierent poſtulare, atque intereà tempus procedere. Poſt ubi aderant æſtiva, atque Turenam cum copiis appropinquare, Angianum in Germaniam venire accepit, ſimul induciarum tempus exibat, tùm nihil ſimulationis indigens, ſi Imperator Vitembergum Ducem in integrum reſtituere, & in eodem quo ante bellum ſtatu eſſe velit, ſeſe ab Ludovico impetraturum confidere, uti per eum liceat qui Hoentuielem teneant, eos neutri parti ſtudere, aut adverſari, ſin aliter Imperatoris ſententia ſit, ſeſe Arcem adversùm quorumvis conatus defenſurum declarat: dein tormentis caſtella hoſtium inceſſere, eruptionibus pugnare, excurrere longiùs, donec ii ubi vident fruſtrà inceptum, poſtremò abſceſsêre.

Sed neque Uberlingæ, neque Hoentuieli ſubſidio Turena venit, primùm quoniam anni tempeſtas prohibebat, dein copiis multò quàm quas Baioari habebant, paucioribus rem in diſcrimen adducere periculoſum eſſe intelligebat. Nec tamen intereà quietus fuerat, nam per hybernorum tempus Balmium, Veſulium, atque alia oppida; caſtellaque Luxeulium, & Falconoium in Sequanis ceperat. At ubi hoſtes Friburgum contendere nuntiatum, IV. Non. Jun. ex hybernis profectus quatuor equitum, totidem peditum millia, eòdem properè ducit, Rhenum apud Briſiacum copias traducit, & celeriùs hoſtium ſpe Friburgum advênit. Haud procul duobus in vicis erant duæ Baioarorum equitum alæ, alteri Gazelquius, alteri Volfius præerant: has uti Roſa improvisò aggrederetur Turena jubet, qui cum duobus equitum millibus, & peditibus ſclopetariis trecentis eò profectus hoſtem conſilii ſui gnarum, atque acie inſtructâ opperientem invênit. Tres gravioris armaturæ equitum alæ erant, duæ Illyricorum equitum, ſeu Croatarum, atque Draconum una: in has tametſi numerus ſpe amplior erat *a* Betſium Tribunum cum quatuor equitum alis impetum facere Roſa jubet: nec mora Gazelquii equites pellunt, quos ubi inſequuntur, in Draconum alam incidêre, ab qua viciſſim pulſi, ſuis Roſa Margravii equitum alam ſubſidio mittit, quæ rata omnem hoſtium equitatum ad ſe versùm tendere, nihil conata retroceſſit, fruſtrà uti reſiſteret nitente Roſâ, qui ipſe tunc pugnam excipere coactus duas equitum alas hoſtibus objecit, aliis duabus prælio abſtinere juſſis, quas ad incerta pugnæ integras, atque paratas eſſe ex diſciplina erat: ſed his opus non fuit, hoſtibus in fugam conjectis, quos noſtri tria paſſuum millia ſubſecuti, poſtremò Friburgum rediêre: ducenti ex hoſtibus cæſi, quingenti capti, ipſe Gazelquius Tribunus, duo Draconum duces, turmarum duces duo, Vicarii, vexillarii, atque alii, impedimenta omnia, vexilla ſeptem, præterea octuaginta Galli milites, qui anno proximo apud Dutlingam capti fuerant, tùm forte recepti ſunt. Captivi equites facilè in Germanorum qui Ludovico merebant, turmas ſeſe adſcribi ſivêre, nam ubi Germani militiam ingreſſi, id modò iis curæ eſt, ut in eo vitæ genenere ætatem agant, cui militent modò ſtipendium detur, parum ſolliciti.

a Betz.

Ab hâc expeditione Turena poſtquàm hoſtes ſtativa habere cognovit, nequedùm in eo eſſe, uti Friburgum oppugnare aggrederentur, cis Rhenum reducit copias, interim dùm iis ab Gallia ſupplementum, & novas prætereà copias expectat. Hæ ubi advenére rursùm Baioaros Friburgum versùs tendere nuntiatum eſt, de quibus uti certiùs cognoſceret, Roſam præmittit, ipſe cum omnibus copiis ſubſequitur. Septem equitum, quatuor peditum millia ſub ſignis habebat, prætereà pedites mille è finitimorum oppidorum præſidiis deductos, cum quibus copiis ultrà Rhenum caſtra ponit. At hoſtes circùm Friburgum poſitis, munitiſque probè caſtris, oppidum oppugnabant: noſtri quod unum reſtabat, commeatus, & pabulationes prohibere ſunt aggreſſi, atque eâ gratiâ Turena equites quoquò versùm dimittebat, itinera ſuccisis, atque ex transverſo poſitis arboribus impediebat: dein cùm haud procul ab hoſte haberet caſtra, hujus quæ extrà vallum erant ſtationes invadere viſum: qui illîc fuére, ii ſubitò pulſi in caſtra profugiunt, ea tumultu, & terrore complent, ad vallum concurritur, omnis equitatus protinùs in unum conductus erumpit. Iam noſtri cujus rei gratiâ venerant, eâ confectâ recipiebant ſeſe, *a* Almontius qui agmen cogeret, atque hoſtium impetum ſi uſus foret, ſuſtentaret, lentiùs abſcedebat: is omnem hoſtium equitatum ducentis modò equitibus fretus eatenùs eſt moratus, uti cæteris in caſtra ſeſe recipientibus tutum, & quietum iter præſtaret: triginta è noſtris equites in eâ expeditione cæſi, at ex hoſtibus multò plures. Dies viginti quatuor Turena haud longiùs ab hoſtibus ſtativa habuit, quàm tormentum adigi poſſet: dein pabuli inopiâ, & quia oppidi obſidione eximendi nulla ſpes erat, ad Gotſingam retroceſſit: poſtremò *b* Canofſchius qui Frigurgo Præfectus erat, ubi duobus locis mœnia diruta, atque ingentem ruinam editam videt, neque ſibi militum ſatis eſſe, ut impetum hoſtium ſuſtineret, V. Calend. Sext. deditionem facit: hujus conditiones ab Mercio qui Baioaris Imperator erat, latæ quàm honeſtiſſimæ, octingenti pedites, equites centum ſaucii, aut morbo impliciti, ducenti cum armis, impedimentis, & tormentis tribus Friburgo egreſſi Briſiacum petiére.

1644.

a Le Marquis, cy-devant Chevalier d'Aumont.

b Canofski.

Sed hujus rei nondùm gnarus Angianus ad Rhenum intereà loci properabat, quò ubi advenit de Friburgi deditione certior factus, tamen traducere amnem copias, & ad hoſtem versùm ducere conſtituit, ſi fortè pugnandi copiam faceret, & quæ facta erat Friburgi jactura, eam inſigni aliquâ victoriâ ſarcire ipſe poſſet, hâc aditum in Germaniam intimam, & ultrà Rhenum hyemandi, quod operæpretium videbatur, facultatem fore: ſi hoſtes prælium abnuant, oppugnanda caſtra eſſe, neque committendum uti fruſtrà eò ſe veniſſe fama ferat: ingens animi adoleſcens, neque dùm adverſi quidquam expertus omnia virtuti ſuæ prona eſſe arbitrabatur. Sed priuſquàm Rhenum traduceret copias, hoſtis quid capto Friburgo, aut quò agitaret, æquis, an editioribus locis haberet caſtra, ea uti munita eſſent, ſibi cognoſcendum eſſe decrevit. Eâ gratiâ Legatos, & caſtrorum Præfectos unà ſecum venire jubet,

1644. Briſiacum pergit, quò ipſi è caſtris Turena obviam profectus, hunc quæ ad hoſtes attinebant, omnia edocet. Tunc ab Angiano cum omnibus Ducibus quid optimum factu eſſet conſultatum, de quâ re & Erlacum Briſiaco Præfectum in conſilium adhibere placuit. Hic locorum ſciens, atque omnis bellicæ Germanorum rationis prudentiſſimus, autor erat, ut ne veteranum horum exercitum, cui præeſſent duces præclariſſimi, edito loco poſitum, foſsâ, valloque munitum Angianus oppugnare tentaret, quod periculoſiſſimum videbatur, ſed S. Petri vallem occupandam cenſebat, intercipiundis qui eâ maximè ad Baioarorum caſtra vehebantur, commeatibus, quibus prohibiti brevì aut deditionem facere, aut æquis ſeſe locis permittere, atque pugnare cogerentur. Hæc ſententia Gramontio probabatur Equitum Tribuno: ſed Turena contra ſuadebat, caſtra hoſtium oppugnanda, neque id tam difficile eſſe, quàm Erlaco videretur: ſatis ſcire ſe aliquâ parte haud ita munita eſſe, ut ne foſſa, ac vallum tranſcendi poſſent, ſi aliis partibus diſtineretur hoſtis. Id conſultò hominem ſuaſiſſe Angiano ferunt, feroci, atque præclaro adoleſcenti, quò per hujus virtutem, atque copias Baioarorum rebus ſub æſtivorum finem labefactatis, ſibi proximorum initio per Angiani abſentiam, omnia adversùm hos expeditiora forent, poſtquàm intereà hyberna in ipsâ quemadmodum ſperabat, Germaniâ exegiſſet, quod & ad rem publicam ex ſententiâ gerendam magni momenti futurum erat. Sed id ſubtiliùs, quàm veriùs de Turenâ excogitatum, atque indè ortum, exiſtimo, quod neſcio quo fato accidit, uti qui cum hoc unà, atque pari Imperio rem publicam geſsêre, ab iis ſæpiùs ſit offenſum, ſalvis, atque integris quibus ipſe præerat, copiis, quod hominis prudentiæ, quàm calliditati tribuere malim.

Poſtridiè Angianus ad Turenæ caſtra venit, atque ambo quò hoſtes ſtativa habebant progreſſi, quamproximè fieri potuit acceſsêre: ſed eo loco poſita erant, uti vix quidquàm quod uſui eſſet, animadvertere poſſent: nam montes duos propinquos inter ſe occupaverant, ex quorum altero in alterum erat deſpectus: ille verò propior Angianum, & Turenam erat, atque his adimebat proſpectum: præruptus erat ad priorem hunc montem adſcenſus, præterea arbores, vineæ, atque arbuſta iter impediebant, utrumque montem munitionibus hoſtes complexi erant, turres, caſtellaque conſtruxerant, vias arboribus cæſis præcluſerant, atque ea materia pluribus locis, pro vallo objecta, pali quà neceſſe fuerat, affixi, nihil omnium quò ſeſe munirent omiſſum, atque adeò caſtrorum oppugnationem tentare res ardua, atque aſpera videbatur: qui hæc defenſabant ii continentibus per Germaniam bellis inveteraverant, pedites, equiteſque juxtà militiæ ſcientiſſimi, neque fermè uſquàm victi, ſæpiùs victores fuerant. Cum hujuſcemodi hoſtibus res Angiano futura erat, qui nihil his difficultatibus ab incæpto deterritus, ubi in Turenæ caſtra rediit, hoſtium ſtativa poſtridiè oppugnatum iri pronuntiavit, neque aliud quidquam militum auribus jucundius accidere poſſe viſum. Omnes Angiani copiæ ab Marſino quem in ſuis cis Rhenum caſtris pro

Prætore abiens reliquerat, amnem traductæ apud Briſiacum fuerant, atque in una caſtra cum Turenæ copiis collocatæ. 1644.

Hæ igitur III. Non. Sext. bipartitò ad hoſtium ſtativa ductæ, quorum quæ pars erat propior, eam ſibi Angianus oppugnandam delegit, partem adverſam Turena oppugnatum iit: de hac magis exploratum erat, quàm munita, quibus copiis deffenderetur, quoniam is haud ita excelſus mons, atque adeò facilior viſu ſpeculantibus fuerat. Quâ parte Angianus curabat, Perſana, & Angiana Cohortes ab dextrâ Eſpenano: Contia, atque Mazarina ab ſiniſtrâ Turnonio caſtrorum Præfectis attributæ: *a* Paliiavius & ipſe caſtrorum Præfectus cum Angiani equitum alâ in ſubſidiis locatus: gravioris armaturæ equites arctiſſimæ vallis fauces ut ne hoſtes ab latere noſtris aperto intervenirent, obſidebant: cum Angiano Gramontius Equitum Tribunus, Marſinus caſtrorum Præfectus, *b* Scalæus, & Mauvillius aciem inſtruere ſueti, præterea pleraque nobilitas, & Sclopetariorum equitum turma quam cuſtodiæ causâ habere ſolebat, ipſi aderant. Quas ſuprà diximus Cohortes quatuor, eæ ad hoſtium caſtra verſùm alacres iêre, perruptiſque qui objecti fuerant palis, propiùs vallum, turres, caſtellaque pervenêre: eò glandibus eminùs pugnatum eſt tantiſper, ac tùm Angiano nuntiatum, quâ parte Contia, & Mazarina Cohortes impetum facere juſſæ, eâ perrumpi poſſe munitiones. Ibi verò audaciæ, atque fiduciæ plenus adoleſcens omiſſo equo, diſtrictoque gladio, cum omni quæ comitabatur nobilitate, ante duas has Cohortes conſtitit. Duæ poſitæ erant ex adverſo turres, quæ à ſingulis Cohortibus oppugnari cœptæ: cùmque noſtri in conſpectu Imperatoris magnâ vi agerent, poſtremò expugnatæ ſunt. Qui has defenſaverant, ii in proximum caſtellum compulſi, quò hoſtes tormenta locaverant: ſed obſcurior ſolito nox ad quam turrium oppugnatio duraverat, ſimul imber effuſus, continuuſque hujus diei labos quominùs tùm caſtellum tentarent, prohibuêre, atque adeò in craſtinum res dilata.

a Palüau de Clerambaut.

b L'Echelle. Mauvilly.

Ab aliâ parte Turena ex Montalſeria, Meloduna, Mazarina altera, Turenia, Nettancuria, Albaterrea, & Chombecia Cohortibus Centurias aliquot, quæ ad hoſtes contenderent, delegerat, ſclopetarios qui pugnæ initium facerent Rupe-Serverio duce præmiſerat, Nettancurius cum Centuriis delectis eſt ſubſecutus. Quà iêre primùm ſaltus, dein ſylva fuit, ex quâ evadere ad proximam planitiem conſilium fuit: ſed objectæ erant opportunis locis in ſylvâ hoſtium ſtationes, multuſque peditatus erat in planitie, ex quâ progreſſi complures arbores cædere, viamque occludere parabant, cùm in eo conatu oppreſſi ſunt: egregiè tamen in ſylvâ, atque in planitie propugnavêre: ſed hanc ubi noſtri ingreſſi, ſubitò ſubſtitêre, ut ne æquo loco hoſtium equitatui opportuni forent. Inter hos, atque hoſtes exigua modò ſæpes erat, neque præter duas cum Roſâ turmas quidquam equitum aderat, qui multò majori hoſtium equitatui opponerentur: octo ampliùs horas utrobique pugnatum, uſquedùm prælium nox diremit. At hoſtes tantâ Angiani Impe-

1644. ratoris, Legatorum, militumque virtute, atque audaciâ territi ſilentio noctis caſtris egrediuntur, atque editum haud procul montem occupant.

Hoſtes totâ eâ die, & quæ ſubſecuta eſt nocte arbores cædere, eâ ſeſe materiâ munire, turres ex aggere fabricare, nihil ſatis firmum contra Angiani virtutem, atque fortunam arbitrari. Mons in quo conſederant, haud procul Friburgo eſt, intercedit planities, in quâ equitatum prælio inſtruxêre, huic oppoſitus Angiani equitatus eſt, prætereà Germanorum equitum alæ quatuor, atque eò Gramontius curabat. Angianus verò, Turena, Eſpenanus, atque Turnonius aliquantùm proceſsêre, uti de hoſtibus propiùs cognoſcerent, decretumque uti pedites ab tribus partibus eorum caſtris ſuccederent : ſed Eſpenanus properantiùs quàm conſtitutum fuerat, Turrim quæ ſub radicibus montis erat, oppugnare eſt aggreſſus, atque hâc noſtri potiti. Tunc hoſtes ab ſuperiore quem obtinebant loco, tantam glandium vim, tanto ſclopetorum ſtrepitu emisêre, uti qui ab dextra, lævâque collocati fuerant, eo ſtrepitu excitati, ut ferè fit, atque commoti vix ſibi temperarent, nequedùm ſatis quæ opus erant, iis conſtitutis, apud ſigna tumultuarentur, pars temerè progrederentur, alii ſubſiſterent, quid ſibi faciundum eſſet, atque pugnandi nec ne tempus adeſſet, incerti.

Intereà dùm ab his ceſſatur, eò acriùs qui prælium incæperant ab hoſtibus premebantur, quos uti ſublevaret Scalæus, mille ſclopetarios qui ſubſidio eſſent, adducit ex Albaterrea, & Totiâ Cohortibus, poſtremò eò ſtrepitus Angianum, Turenam, & Turnonium accivit: ille perturbatos noſtrorum ordines conſpicatus, Turenam cum Flekenſteini equitum alâ ſuſtentare rem, atque copias alias acceſſere optimum factu judicavit. Intereà Turnonium Albaterreæ Cohortis partem adversùm hoſtes immittere jubet, ipſe cum Rupeſerverii Cohorte ſubſequitur, nam quæ accerſitæ fuerant copiæ, eæ nondùm advenerant. Intereà Gramontius ubi videt hoſtium equitatum quietum eſſe, neque quidquàm moturum, ibi verò ſibi vacuum eſſe credidit ad Angianum properare, atque operam dare ut ne nimiâ adoleſcentis audaciâ quidpiam quod minimè opus eſſet eveniret : curriculo igitur ad hunc percurrit, neque procul ab eo erat, cum ipſi confoſſus equus eſt, cæterùm cùm Gramontius advênit, Angianus duobus ſibi item confoſſis equis tantiſper ceſſaverat, cauſatuſque Eſpenani properantiâ rem labefactatam, addidit hunc ſibi compertum eſſe dicere, aliâ parte iri ad hoſtes faciliùs, atque horum munitiones perrumpi poſſe. Gramontius Eſpenani conſilium reſpuere, cujus temeritate & pridiè, & tunc graviter eſſet offenſum, ſuadere uti receptui caneret, & quid porrò facto opus eſſet, conſultaretur. In hoc temporis veſtigio nuntiatum hoſtium equitatum ſeſe ad pugnam accingere videri, quò Gramontius ad planitiem redire, ubi noſter equitatus erat, coactus eſt. Intereà Angianus oppugnationem redintegrat, quâ nihil præter vulnera, ac cædes quæſitum eſt, hoſtibus è loco ſuperiore, atque arboribus cæſis probè munito,

egregiè

egregiè propugnantibus, donec Gramontius iterùm, præter opinionem, 1644.
ceſſante etiamtùm hoſtium equitatu, venit ad Angianum, qui denique adduci ſe ſivit, uti receptui caneret. Id ſibi primùm difficile, atque damnoſum fore crediderat, metuens ut hoſtes caſtris erumperent, aut equitatus in ſuos ſeſe recipientes impetum faceret, atque hos perturbaret, quod quidem haud facturos Gramontius probè judicavit, nam qui in caſtris propugnaverant, eos haud minùs hujus diei perpetuo labore fatigatos, quàm noſtros eſſe, equitatum verò, cui noſter erat oppoſitus, porrò quieturum, atque id juxtà ac ratus erat evênit. Mauvillius aciem ex præcepto Imperatoris inſtruere ſolitus egregiè dimicans, atque alii ad quingentos uſque, qui ordines ducerent, pridiè, atque eâ die cæſi, ac prope militum ſex millia, Scalæus Mauvillii Collega, permultique alii vulnerati, atque hoſtibus par clades illata: Haſſangius, ac Mirſia Tribuni, Gaſpar Mercius Mercii qui Baioaris Imperator erat frater, atque complures alii Tribuni, Centuriones, quique ordines duxerant, cæſi, vulnerati, capti.

Poſtremò Angiano tantâ militum jacturâ edocto Erlaci conſilium rectius, ac tutius fuiſſe viſum, quàm quod adoleſcentia ſuaſerat. Itaque placuit hoſtes commeatibus prohibere, atque eâ gratiâ ad S. Petri movere vallem: ſed triduum manere in ſtativis neceſſe fuit, ut intereà qui ſaucios Briſiacum, atque alia ab caſtris devexerant carri, quique ad commeatus petendos, atque alia neceſſaria advehenda eòdem ierant, reverterentur. Tùm iter ad S. Petri vallem inſtitutum eſt, quod ubi hoſtes ſenſêre, vaſis militari more collectis & ipſi movêre caſtra, ut Angiani conſiliis præverterent. Priùs ad Petriſanum advenêre quàm noſtri, quibus aliquanto circuitu, ac per ſaltus, & montes aſperos itinere facto opus fuerat, ita ut tertiâ demùm vigiliâ poſtremum agmen ad Angiani caſtra adveniret. Turena ad hoſtes versùm quid agerent, aut molirentur miſerat exploratum, quos primâ luce ad profectionem accingere ſe nuntiatum eſt.

Vix ſatis ab nocturni itineris labore milites refecti erant, cùm datum profectionis ſignum eſt. Mercius qui prælium effugere celeritate ſtudebat, tormentis in altiſſimas convalles ut ne his noſtri potirentur, dejectis, duo modò, atque ea levia, ac mortaria totidem cum cæteris impedimentis, carriſque, ac rhedis vehebat, hæc omnia deſerere certus, ſi noſtri priùſquam Filingam adveniret, hunc aſſequi poſſe viderentur. Roſa primum noſtrorum ductabat agmen, quem ad hoſtes properare Angianus juſſit: hi verò paucitate noſtrorum animadversâ Roſam, & quos ductabat equites, eos malè habuêre: dein advenientes noſtros conſpicati, tormenta, carros, rhedas, ac cætera quæ diximus, impedimenta deſeruêre, & dùm noſtri aciem inſtruunt, multùm itineris ad Filingam antecepêre, quò factum eſt, ut Angianus hos ſequendi, quando aſſequi non poterat, finem faceret. Fame, ac labore confecti milites erant, nam triduum jam pane caruerant: viſum igitur quò hoſtes carros, & impedimenta reliquerant, eò caſtra ponere, uti commeatu qui multus

1644 in carris fuit, reficerentur, dein direptis omnibus quæ facilè aſportari poterant, quod reliquum fuit, igne corruptum eſt.

Quanquàm Angianus in his audaciæ magis, ac gloriæ, quàm Reipublicæ commodis ſerviiſſe videretur, ac propè par noſtrorum, ac hoſtium clades in binâ caſtrorum oppugnatione fuiſſet, quia tamen detrectantes pugnam longiùs abſceſſerant, omnium opinione victor videbatur, neque in Aulâ diverſa ab exercitu ſententia fuit, atque adeò ſicuti re benè geſtâ decreta ſupplicatio eſt, atque pro more in majore urbis Templo gratiæ Deo immortali ſolemnes actæ. Sed quoniam Gravelingæ ab Gaſtone captæ, quàm rerum ab Angiano geſtarum major in vulgus fama erat, fuêre eâ tempeſtate qui crederent, datum precibus Henrici Condæi, uti pro Angiani filii rebus ſupplicatio decerneretur, cæterùm ſicuti Gaſto ad Oceanum, ita & mox Angianus ad Rhenum munitiſſimo, atque validiſſimo oppido potitus eſt.

Friburgum erat in propinquo nuper ab Baioaris receptum, at id oppidum haud ſatis dignum Angiano viſum, quod pulſis hoſtibus oppugnaret. Sed Philippiburgum ad Rhenum eſt, longè infrà Briſiacum, Udenheimum antehac appellavêre. Id oppidum & ab natura, & ab operibus munitum eſt: nam præter quàm quod palude undequaque cingitur, Philippus Soheternus Archiepiſcopus Treverenſis, atque Spirenſis Epiſcopus antiquis mœnibus vallum obduxerat, cum propugnaculis ſeptem, omne id opus factum ex aggere, ac ceſpite veſtitum, cui propè in ſummo additus eſt palorum procumbentium, atque extrà vallum magnâ ſui parte prominentium ordo, quò adſcenſus hoſti prohibeatur: moles ab oppido ad Rhenum pertinet, atque in eâ extremâ Munitio eſt quadrata, cum quatuor propugnaculis. Bambergum Philippus Soheternus oppido præfecerat: ſed hic ubi ſe antehàc Ludovico XIII. dederat in clientelam, & fidem, Bambergus ab eo defecerat neque eò minùs oppidum eodem præſidio tenuerat, Ferdinandi II. Imperatoris, dein Ferdinandi III. partes ſecutus, quibus Sacramento dicere milites coëgerat. Id oppidum Angianus oppugnare conſtituit.

Sed priuſquàm longiùs ab Friburgo diſcederet, Erlaco qui Briſiaco haud procul ſito Præfectus erat, negotium dat, uti Baioaris qui Friburgum tenebant, quantùm poſſet incommodi, atque detrimenti adferret, commeatus prohiberet, prædas circùm ageret, inſidias egredientibus tenderet, atque alia hoſtilia faceret. Ipſe copias quò faciliùs agerent, ſimul uti formido latiùs creſceret, Tubaltio, Roſæ, Almontio, Paluavio, qui diverſi eas ducerent, attribuit, quarum partem & ipſe duxit. Almontius traductis Rhenum peditibus mille, cum equitibus quingentis, & tormentis tribus, Germerſenem nullo negotio cepit, Caſtellum oppugnavit quatriduùm, dein ab Centurione qui præerat, deditum eſt: ipſe Centurio, Procenturiones duo, totidem vexillarii, atque alii, qui præſidio erant è Caroli Lotharingiæ quondam Ducis copiis, vitam modò pacti ſeſe Almontio permiſère, qui hos captivorum loco habuit.

Tubaltius cum Germanorum equitum parte, & mille ſclopetariis 1644.
equitibus, qui & pedibus pugnare ſolent, Ettingam, Bretſingam, Roſa
Badenam, Cupenem, atque alia in Badenſi agro oppida duo deditionem
facere coëgit, Lictenavium ab Paluavio triduò expugnatum, eò Rena-
tus Joſephus *a* Berardus Cruceus Paluavio caſtrorum adjutor egregiè *a Berard de*
dimicans eſt interfectus, poſtremò IX. Calend. Sept. cum omnibus quæ *la Croix.*
ultrà Rhenum erant, copiis, ad Philippiburgum Angianus acceſſit.

Bambergus qui ſcilicet nihil hujuſmodi ſuſpicatus fuerat, noſtris pro-
cul cum Baioaris bellum gerentibus, haud ſatis firmum in oppido ha-
bebat præſidium: quò factum eſt, ut hujus paucitati diffiſus molem, at-
que munitionem quæ ad Rhenum pertinet, omitteret, atque omni præ-
ſidio nudatam permitteret noſtris. Angianus quatriduò foſsâ, vallo, tur-
ribus, caſtellis circumquâque oppidum caſtra munit, ratibus jungit
amnem, Spiram in propinquo per Almontium ad deditionem redigit,
& V. Calend. Sept. foſſas ad oppidum ducere cæpit. Propugnacula om-
ninò duo, cum eo quod intercedit vallo, hoſtibus tuenda erant, nam
cætera ab palude invia ſunt, quò minori militum numero Bambergus
propugnare poterat: ſed eâ virtute ab noſtris actum, eâ diligentiâ opera
ſunt confecta, uti VII. Id. Sept. disjectis qui pro oppidi foſsâ poſiti erant,
palis, hujuſque perfoſſo latere, multo in foſſam aggere conjecto, mo-
lem ad tertiam uſque foſſæ partem perduxerint: quâ celeritate permo-
tus Bambergus, ſuorum paucitatem circumſpiciens, qui continuò ſta-
tionum, excubiarum, & vigiliarum labore fatigati, atque confecti erant,
ad deditionem adjecit animum, cujus conditiones poſtulanti latæ ab
Angiano quàm honeſtiſſimæ ſunt, qui mox oppidum victor ingreſſus
eò ſeptuaginta tormenta ænea reperit, neque quidquam & ad ſpeciem,
& ad firmitudinem melius viſum, quàm quæ circùm ſunt, ex aggere
modò, & cæſpite munitiones. Id oppidum tam firmum, atque muni-
tum, & ad Rhenum poſitum penes Ludovicum eſſe permagno uſui eſt
ad rempublicam in Germaniâ gerendam, ſcilicet quòd ſicuti Briſiacum
ad Rhenum poſitum eſt, ut amicis illîc præſidio, hoſtibus terrori ſit.
Vormatia, atque Moguntia infrà Philippiburgum ad Rhenum poſitæ,
appropinquante cum copiis Turenâ Angiano dedidêre ſeſe, ac præſidia,
Præfectoſque ſibi dari poſtulavêre. Moguntiam Mercius qui Baioaris
Imperator erat, Volfium miſerat, qui urbi, cum quadringentis equitibus,
& ſclopetariis equitibus ſexcentis præſidio eſſet: ſed Archiepiſcopus
Moguntinus Imperii ſeptemvir ubi Philippiburgum Angiano deditum
reſciverat, maturè diffugerat, ut ne tali dignitate vir Moguntiam, ac ſe
ipſum victori dedere cogeretur: cæterùm Capitulum Moguntinum pe-
nes quod per Archiepiſcopi abſentiam res publica in urbe fuit, atque
unà oppidani Volfium haud recipiendum mœnibus decrevêre, ſed ma-
gis dedendam urbem Angiano, ab quo ipſo conditiones accipere voluê-
re, quæ honeſtiſſimæ fuêre.

Cùm Turena Vormatiam peteret, per exploratores cognoſcit, Bec-
cum equites ſexcentos, Frankendalium versùs miſiſſe, queis Fle-

1644. kenſteinum inſidias tendere juſſit: hi in eas imprudentes præcipitavêre, trecenti cæſi, quinquaginta cum equis quadringentis capti. Oppenheimum, Landavium, Binga, Baccara minoris ad rempublicam momenti ſunt, quàm ſicuti quæque in poteſtatem noſtrorum venerint, fuſiùs commemorem. Poſtremò tot tantiſque rebus in Germaniâ geſtis Angianus in Aulam rediit, quæ tùm demùm, magnificæ, atque ampliſſimæ viſæ. Ubi Philippiburgum oppugnabatur, ictus glande Turnonius caſtrorum Præfectus occubuit, & genere, & bellicâ laude clarus adoleſcens, Turnoniæ gentis in Galliâ Narbonenſi nobiliſſimæ poſtremus, gentilitium prædium opimum, atque nobiliſſimum ad dextram Rhodani ripam infrà Lugdunum poſitum eſt, is Vivarienſem agrum obtinebat, atque in Allobrogibus Legatus erat: Idem ad Landavium Almontio fatum fuit, Equitem antehàc appellaverant, quoniam è Melitenſi Militiâ fuerat: Id oppidum duplici foſsâ munitum oppugnabat, Legati titulo nuper in exercitu Turenæ ornatus ab Rege, propter virtutem, quâ certè majoribus par, nondùm propter ætatem dignitate fuit.

Angiani diſceſſu ſumma imperii in his regionibus ad Turenam rediit, cujus una tùm cura fuit, ut oppidis cis amnem captis præſidio eſſet: nam haud ſatis firma eſſe cognoverat, nuntiabaturque Beccum in finitimo Lucemburgenſi agro, Carolum Lotharingiæ quondam Ducem, & Gleenem, qui in Veſtfalia quibuſdam Ferdinandi copiis præerat, varia moliri, prætereà Frankendalium munitiſſimum in agro Palatino oppidum Hiſpani firmiſſimo præſidio tenebant, Ferdinandi rebus favere ſoliti, atque ſuo ipſi nomine Galliæ hoſtes infenſiſſimi.

At Baioari ubi cis Rhenum Turenam eſſe cognovêre, Manheimum vaſtum, disjectum, ac fugâ incolarum propè vacuum, pluribuſque locis nudatum mœnibus oppidum occupavêre: eò leve præſidium ab noſtris relictum fuerat, faciliùs agitandi magis, quàm oppidi tuendi causâ: id ad Rhenum quò hunc Nicer influit, poſitum eſt in agro Palatino. Sed eo oppido hoſtes freti Spiram uti dolo reciperent, cum quibuſdam oppidanis conſilium inierant, atque adverſo Rheno navigantes oppidum petebant, ni Turena diſpoſitis in amnis ripâ ſclopetariis prohibuiſſet, naveſque ſecundo flumini permittere coëgiſſet: dein omiſſo Manheimo, apud Ladenburgum ad Nicrum Baioari habuêre caſtra, atque ad Mænum contendêre, & eò Hocſtâ quam Haſſo-Caſſellani præſidio tenebant captâ, ad Nicrum redière. At Gleen de quo ſuprà memoravimus, copias quibus præerat in Veſtfalia Rhenum traducere juſſus, atque has Caroli Lotharingiæ quondam Ducis copiis conjungere, ex itinere per Schnetterum Tribunum Baccaram oppidum ab noſtris deſertum nullo negotio cepit: dein Schnetterus ubi arcem oppugnat, quò noſtri ab oppido diſceſſerant, glande ictus occubuit, milites duce amiſſo oppugnationem omiſêre. Reliquum anni Turena parte copiarum Rhenum denuò traductâ Baioaros attinuit, quominùs Ferdinando Imperatori adversùm Suecos ſocios noſtros auxilium laturi proficiſcerentur: dein cis Rhenum reductis copiis cum Carolo Gleenem equitatûs noſtri hybernis immi-

nentem ad Moſellæ, & Rheni Confluentem ſeſe recipere coëgit: poſtremò copiæ utrimque in hyberna deductæ, quæ Baioari in Vitembergenſi agro, noſtri de more cis Rhenum habuere. 1644.

Principiò hujus anni Thomas vir è Sabaudicâ gente Princeps de quo ſæpiùs memoravimus, in Aulam venerat: huic primùm in Regia veteri, Luparam appellant, datus, ornatuſque locus, decretus ſumptus, delecti è familiâ regiâ qui viro Principi miniſtrarent: dein ut apud ſocrum divertere, atque agitare liceret poſtulavit: hæc fuit Anna Montafiera mulier pridem vidua, quæ Caroli Borbonii Sueſſionis uxor fuerat. Poſtquàm cum Regina, atque Adminiſtris de bello Italico uti gerendum videretur, conſultaverat, in Italiam rediit. Eò Hiſpani Sandovalium Caſtellum munitiſſimum, quod in finibus ſuis exſtruxerant, dùm Vercellenſis ager in ditione Sabaudiæ Ducum erat, prætereà Araſſipetram, & Annonem Caſtellum ſubvertêre, quò præſidiis inde abductis exercitum augerent; ad hoc Vercellis, & Jacobiſano metuentes, eò pedites mille, atque equites centum, Vercellas pedites quingentos, equites quadringentos, quò præſidium amplius eſſet, miſêre. Sed Thomas conductis in unum Gallicis, Sabaudiciſque copiis, Ponſonem in Montis-Ferrati agro per Neſtierum, & Paſſagium caſtrorum Præfectos ad deditionem redegit, poſt oppugnationem dierum decem, actumque ſub muro cuniculum: dein Bremam oppugnare ſe velle ſimulavit, intereà dùm apud Aronam de hac Regi dedendâ conſilia cum quibuſdam inita matureſcerent. Id oppidum Boromæorum eſt, in ipſis Verbani Laci faucibus, quà ab ipſo Ticinus amnis effluit, haud procul Mediolano poſitum. Sed ubi eò Thomas Bremâ omiſsâ movit, ſeſe denique deluſum ſenſit, atque Hiſpanos de re omni certiores factos: foſſas tamen ad oppidum duxit, tormenta idoneis locis collocavit, in mœnia miſſæ pilæ, ac ruina edita: Sed Hiſpani pro libito defenſores in oppidum mittebant, nam lacum habebant in poteſtate, in quo naves arcendis auxiliis, & commeatibus ſeſe habiturum Thomas ſperaverat, quæ ubi advênit, nullæ fuêre. Ubi igitur videt haud magis apertâ vi, quam priùs dolo rem procedere, aliò animum adjecit, atque Covongium Caſalio Præfectum ad Jacobiſanum properare juſſit, ac circùm ſtationes, & cuſtodias collocare, ut ne quid auxilii, aut commeatûs eò introduci poſſet, intereà dùm ipſe cum omni exercitu eòdem adveniret, universâ belli mole oppidum oppugnaturus. Id in campo ſitum opere magis, quàm loco munitum eſt, nullius idoneæ rei ad propugnandum egens, propugnacula novem, ſemilunæ ſex, foſſa lata, atque altiſſima oppidum cingunt, circumquâque planities ad propugnantium glandes, tormentorumque pilas, aut farragines patens, atque obnoxia: nihilo ſeciùs Thomas XIV. Calend. Sept. foſſas ad oppidum ducere cæpit, quæ poſteà continenti labore promotæ, tormenta idoneis locis poſita, cætera quæ ad oppugnationem pertinebant, ſedulò, atque maturè adminiſtrata. Neque intereà hoſtes quieti erant, ſed crebris eruptionibus peditum, equitumque noſtros in opere adoriri, qui in ſtatione erant;

1644. eos perturbare, prorsùs eminùs, & cominùs magnâ vi agere, & propugnare: noſtros tamen oppido potituros denique Hiſpani judicavêre, quò factum eſt, uti cùm ſeſe huic ſubſidio eſſe poſſe diffiderent, aliò animum adjicerent, atque damnum hoc ſarcire ſtuderent. Apud Aſtam quod eſt oppidum Sabaudicæ ditionis, Præfectus piſcandi causâ aquam Arcis foſsâ ſubduci juſſerat, & qui præſidio erant, magnam piſcium vim nacti, de apparando modò, celebrandoque convivio cogitabant, nihil de Hiſpanis ſolliciti, quorum omnes curas, cogitationeſque ad auxilium Jacobiſano ferendum converſas eſſe exiſtimabant, cùm hi ad foſſam clàm accedunt, quàm facilè aquâ vacuam tranſiêre, in munitiones, atque propugnacula evasêre, & eo pacto arce potiti ſunt.

Id ubi reſcivit Thomas, ab caſtris Aſtam advolat, quo tùm Hiſpanorum omnes copiæ properabant, nam paucis ad arcem capiundam opus fuerat, urbem præſidiis firmat, & adversùm Arcem communit, Santandream Mombrunum caſtrorum Præfectum oppido præficit, atque adeò re in tutum collocatâ in caſtra redit. Per ejus abſentiam Pralinopleſſius Legatus his præfuerat, neque omiſerat opus maturare: poſtremò ubi arctiùs haberi cœpti hoſtes, neque ulla Auxilii ſpes erat, V. Id. Sept. deditionem fecêre, poſt paulò & arx apud Aſtam ab Thomâ recepta eſt. Ubi Jacobiſanum oppugnabatur, Choiſeulius Comes Pralinopleſſii frater Protribunus omnium levis Armaturæ equitum dùm egregiam Regi ac reipublicæ operam dat, ſaxo ab vicinâ hoſtium munitione miſſo necatus eſt.

Poſteà loci Thomas Finalem versùs duxit, Oppidum Philippi Hiſpaniæ Regis in Ligurum Genuenſium finibus ad mare. Eò Hiſpanis in Italiam navigantibus prima ſtatio eſt, quæ antehàc ad Monæci portum fuit: Sed hujus oppidi Regulus Honoratus Grimaldus ante triennium ab Philippi Hiſpaniæ Regis partibus ſeſe in Ludovici XIII. Galliarum Regis clientelam, & fidem contulerat, pulſoque Hiſpanorum quod in oppido erat, præſidio Gallicum acceperat: Gallicæ autem ditionis portus attingere prohibet bellum, quod Hiſpanis nobiſcum intercedit, quamobrem continenti navigatione ab Hiſpaniæ orâ, ad Finalem, aut Genuenſium Ligurum portus contendere neceſſe habent: nam his perindè ac ſuis utuntur, quoniam Genuenſes ex publicis, privatiſque negotiis Hiſpanis obnoxii ſunt, atque adeò integras eorum claſſes portubus ſuis præterquàm Genuenſi accipiunt, copias per fines ſuos iter facere ſinunt in Mediolanenſem Agrum, quæ inde ſicubi opus eſt, per Rhœtos in Germaniam, atque in Belgium pergunt ire. Sed hanc Hiſpanis in Italiam, Germaniam, ac Belgium commeandi facultatem aut adimere, aut imminuere noſtris conſilium fuit: nam ſi Finali oppido potirentur, neque eò exſcenſuros Hiſpanos, neque ipſis hujus rei copiam tàm facilè poſthàc facturos in ſuis portubus Genuenſes, ob vicinitatem Gallorum, qui id correcturi forent.

Igitur Thomas ad Finalem accedere properavit, ſed quoniam eò tendenti itinera equitatui importuna erant, Villam Marchionem cum par-

te equitum Sabaudicorum ad Biſtanium reliquit, cæteros ad Carcheram Caſtellum, quæ duo loca ab his dirui juſſit, Gallicum equitatum cui Santandreas Mombrunus præerat, ad Calizzanum miſit, qui id occuparet, ac poſtremò Sabaudicam Alam ad Altare. Ita omnes ab terra ad Finalem aditus Hiſpanis clauſi fuêre, cæterùm Thomas, ac Pralinopleſſius cum omnibus peditum copiis Finalem propiores facti, quæ opportuniora ad oppugnandum loca circùm oppidum fuêre, ea continuò occupavêre: neque dubitavit quiſquam, quin propediem Regi dederetur, cùm pauci defenſores neque ſatis commeatûs in oppido eſſet. Sed Thomæ celeritas ſua fraudi fuit, nondùm enim Brezæus cum claſſe advenerat, quâ ab mari auxilia, & commeatus prohiberentur: quò factum eſt uti Velada Marchio qui Mediolanenſem obtinebat agrum, mille quadringentos pedites, atque commeatum in oppidum navibus introduceret: has in proximis Genuenſium portubus conſcenderant, ſummâ eorum voluntate, qui ſibi vicinos Hiſpanos, quàm Gallos malebant: Ita horum ſpe de habendo Finale poſtremò corruptâ, Thomas vaſis militari more collectis movit caſtra, ac vix diſceſſerat, cùm claſſis advenit, quæ ob tempeſtates paulò tardiùs quàm convenerat, curſum fecerat, prætereà pleræque naves quas ad Tarraconem versùs miſerat, ſeriùs redierant. Hæ Mottæo urbem oppugnanti magno uſui fuerant, quæ res tamen huic haud ex ſententiâ ceſſit, nam alieno tempore iſthuc incœperat, & contrà quàm ab Rege præceptum fuerat: viſum enim ad Tarraconem Mottæum ducere, atque oppidum oppugnare, intereà dùm Hiſpani Ilerdam propè otioſi obſidebant, opperientes uſque dùm qui hanc defenſabant, ii fame coacti deditionem facerent denique, quo ſpatio atque etiam breviori Tarraco expugnari, aut ad deditionem redigi poſſe videbatur, atque adeò Ilerdæ jactura compenſari: Sed iſthuc contra Mottæus ſibi priùs tentandum eſſe decrevit, quò factum eſt, ut utrumque huic fœdè, atque aſperè eveniret. Ubi igitur Ilerdâ deditâ hoſtes diuturnâ hujus obſidione fatigati variis circùm locis reficiunt ſe, Mottæus ad Tarraconem versùs movit. Terralius Caſtrorum Præfectus ad radices montis mare propiùs cum parte copiarum conſedit, Ferraciera alter Caſtrorum Præfectus in ipſo monte, ac denique Mottæus cum reliquis copiis advenit, atque cognitâ loci naturâ, quibus partibus ad oppidi mœnia foſſas ducere, atque opera moliri oporteret, ſubitò decrevit. Poſtridiè tormenta ab Barcinone ſunt advecta, ac Mottæo conſilium fuit, mole primùm quæ Tarraconis portui objecta eſt, potiri, quo pacto auxilia ab mari prohiberet, quod & claſſis haud procul ab ipſo portu jactis anchoris factura erat, atque omnem aliam operam huic incæpto neceſſariam datura. Non longè ab S. Antonii Portâ Munitio erat valida, cum idoneo præſidio, quam pedites quingenti ab Terralio miſſi acriter oppugnavêre, reliquæ quibus præerat Cohortes in ſubſidiis fuêre, quæ primis ubi opus foret ſubvenirent: utrimque acriter geſta res eſt, neque qui propugnabant hoſtes, ii virtute noſtrorum, ſed numero ſuperati Munitione deceſſêre, quâ noſtri poti-

1644. ti aquæ ductum ad oppidum interrupêre. Intereà tormentis in Molem frequentes pilæ mittebantur, quibus magna ſtrages edita, Franciſcus Torraltus oppido Præfectus erat, qui ſuos erumpere, atque ad noſtrorum opera properare juſſit, frequens tùm imber cœlo decidebat, quo fermè tempore homines ſegniores, ſocordioreſque ſunt, quod quidem noſtri de hoſtibus juxtà, ac de ſe falsò judicaverant: nam illi haſtis modò, atque gladiis inſtructi nec opinantibus intervenêre, ac cæſis pleriſque, cæteris pulſis tormenta corrupêre, quin & duo ad oppidum advehere conabantur, ni molientibus obſtitiſſet Schombergii Equitum Tribuni turma, atque Campanica Legio, ab quibus hoſtes intrà munitiones ſuas compulſi denique ſunt.

Nihilo ſeciùs Mottæus cuniculos duos ad Molis propugnaculum duci juſſit, ac Campanicam Legionem ad dextram, Nereſtanam Cohortem ab ſiniſtrâ paratas, intentaſque eſſe, ubi ignis cuniculo admotus ruinam in propugnaculo edidiſſet, eâ impetum facere, & in propugnaculum evadere, atque ultrà ſi copia foret pergere. Claſſis ab mari quæ Actuariarum navium quatuordecim quibus Balmius, majorum navium quæ velis modò agebantur viginti quinque quibus Garnerius præerat numero conſtabat, haud deſinebat tormentis munitiones hoſtium in mole magnâ pilarum vi quatere, verberare, ab quâ & pedites exſcendêre, ut & operam ſuam in oppugnando impenderent: omnes copiæ quæ in Mottæi exercitu fuêre, ſtabant in acie, Campanicæ Legionis, & Nereſtanæ Cohortis impetum adjuturæ ac ſecuturæ. Igitur ubi ruina in propugnaculo edita, quà patuit iter noſtri irrumpere, hoſtes aggredi, vallum, foſſas, munitiones, quæ multiplices fuerant, tranſcendere, poſtremò omni Mole pulſis hoſtibus potiri: ſed hi, ac maximè Jacobus Aquilera egregiè propugnaverant, neque incruenta noſtris hujus diei victoria fuerat.

Poſteà loci Mottæus Terralium, ac Ferracieram Præfectos Caſtrorum duabus partibus opera ad oppidum versùs incipere, ac promovere jubet, quæ Torraltus eruptionibus maximè nocturnis corrumpere, diruere, atque adeo tardare conabatur. Mottæus caſtra munire nihil opus eſſe crediderat, quæ undequàque aperta fuêre, ſatiſque fore, ſi cum equitatu Boiſſacum in Urgellarum planitie relinqueret: ſed & hunc denique accerſiverat, quò pluribus copiis res publica ad Tarraconem gereretur.

Intereà Philippo curæ erat, ut ne quod apud Ilerdam præclarè geſſerat, id Tarraconis jacturâ fœdaretur. Philippus Sylva poſt Ilerdam captam ex tantâ re invidiam Optimatum ut fere fit, in ſe concitaverat, qui ex ingenio gentis ſuperbiſſimæ atque alienæ virtuti iniquiſſimæ, conditiones Ilerdenſibus ab eo latas haud ſatis graves fuiſſe dictitabant: eâ causâ Sylva qui Luſitanus erat Hiſpanorum invidiæ cedendum, atque poteſtatem, & imperium ſibi dimittenda eſſe cenſuit, atque vitam in otio agendam, quod ipſi perhonorificum foret, poſt tantum operæ pretium, quo ſatis oſtentaverat nondùm Hiſpanos vincere dedidiciſſe.

Primùm

Primùm Philippus Rex ægrè adduci videbatur, ut hunc diſcedere ſineret, poſtremò victus illius precibus, hunc Burgos abire juſſit, atque eò mandata ſua opperiri. Cæterùm Andreæ Cantelmo viro ſtrenuo, ſed auſtero, ſeveroque exercitum permiſit, quem Tarraconem versùs duceret, atque indè Gallos pelleret. Res ardua, atque aſpera Cantelmo videbatur, quia paucæ Hiſpanorum copiæ erant, neque ſatis ex diuturnæ obſidionis apud Ilerdam labore refectæ, nulla, aut pauca, quæ Tormenta, atque impedimenta veherent jumenta, pleriſque equitibus deerant equi, ac poſtremò cunctis magis neceſſaria quies, quàm itineris ac militiæ labos videbatur: ea tamen Philippo Regi cura, diligentia, atque reipublicæ ſtudium fuit, uti brevì quæ deerant, ea exercitui ſuppeterent, carri, jumenta, equi, atque viginti dierum commeatus, quibus fretus Cantelmus Sicorim traducere copias decrevit, id factum apud Ilerdam: ſed haud procul ab oppido Sicoris immensùm auctus altero præter ſolitum alveo decurrebat, quem ubi tormenta vado tranſvehuntur leviora quædam vi fluminis abrepta ſunt, atque ægrè vadis quibus longiùs hæſerant extracta. 1644.

Sed in caſtra Mottæi perlatâ de Hiſpanorum exercitu Sicorim traducto famâ illum impulit, uti ſtatim abductis tormentis conclamatiſque vaſis Tarraconis incœptum omitteret, & ad hoſtes versùm duceret: hi verò ubi vident Tarraconis ſolutam obſidionem, nihil opus eſſe ſunt arbitrati, uti cum hoſte confligerent, ſed Ilerdam, atque ultrà Sicorim recepêre ſeſe, ſicut & Mottæus ad Cerveram, quò ſtativa habuit, explorans quid hoſtibus conſilii eſſet. Hi ad Balaguieram versùs movêre, quæ non pro numero defenſorum, atque oppidanorum hoſtes attinuit, ſed opinione celeriùs dedita eſt, ſicut & Agramons: apud Agêrem oppidani ad ultimum propugnavêre, loco edito, atque ad omnes Machinationes importuno: nihilò plùs Mottæus Balaguieræ, Agramonti, atque Agêri ad hoſtium caſtra accedendo profecit, quàm apud Ilerdam profecerat: dein alia in proximis montibus loca Hiſpanis dedita, quò factum eſt, ut in Cataloniâ poſthàc hyemare poſſent, quod anteà in Aragoniæ, atque Valentiæ finitimis Regnis fecerant, magno Incolarum incommodo.

At Mottæus rerum adverſarum inſolens, quæ proſperè uſque in Catalonia eveniſſent, ea ſibi uni arrogabat: quæ ſecus cecidiſſent ea Adminiſtris tribuebat, ac ſingillatim Mazarino, qui ſe Nucerii amicum, & affinem porrò egregium, atque florentem eſſe nollet eadem de causâ ſibi invidere, Tellierum, qui Nucerio in Quatuorviratu ſubrogatus fuiſſet: ambos parcè omnia quæ ad tuendam Cataloniam eſſent neceſſaria conſultò præbuiſſe, neque his curæ fuiſſe eâ parte ſicut aliò augere, ac ne ſuſtentare quidem rem publicam: ne ipſi quidem Annæ Reginæ matri parcebat, quam Philippo fratri Cataloniæ recipiendæ copiam facere voluiſſe dictitabat, id ultimum affirmare non auſim, ſed magis ab hujus obtrectatoribus inventum, ac fictum fuiſſe arbitrari lubet.

1644. Erat apud Barcinonem Petrus Marca vir & fide, & doctrinâ clarus, Viſitatorem generalem appellabant, cujus munus erat explorare quæ fierent ab aliis omnia, atque operam dare, uti rectè, atque ordine fierent: Is ab Hiſpanis inſtitutus fuerat in Catalonia Magiſtratus, cujus munia & noſtris haud inutilia viſa. Hic ſuâ ſponte, judicioque maledictis Mottæi utne rei publicæ nocerent, pro virili fidem adimebat: ſed prættereà Mazarino ad hunc ſcribere viſum, ac mittere Commentarium copiarum omnium, quæ proximo biennio in Cataloniam dimiſſæ fuerant, ac prætereà pecuniæ in belli ſumptus, ſimul quibus temporibus hæc eò advenerant, ut omnibus palàm eſſet, nihil accuratiùs fieri potuiſſe, neque Regi, Reginæ matri, atque Adminiſtris defuiſſe providentiam, ſed Mottæo aut prudentiam, aut fortunam.

Duæ erant apud Barcinonem factiones, una quæ Mottæo Proregi favebat, altera quæ huic contraria erat, multa fuêre Mottæi in Cataloniam merita, cujus antehàc virtute Hiſpanorum adversùm hanc conatus contuſi fuerant: ſed hæc plurimùm adjuta ab Nucerio affine fuerat, qui nihil huic deeſſe patiebatur ad rempublicam gerendam, quin & ad familiarem ſupereſſe quidpiam voluiſſe fama vulgaverat: ſed hoc Aulâ pulſo nuper, Mottæus nihil poſteà operæpretii fecit, ſeu hoc pacto factam ſicuti rebatur homini affini injuriam ſeſe in Mazarinum ulciſci arbitrabatur, ſeu fortuna ſicuti Nucerium, ita & Mottæum ſimul deſeruerat. Quomodocumque ſe res habeat, factio apud Barcinonem Mottæo adverſa in urbis Conſilio pervicit, uti mitterentur ad Regem, ac Reginam matrem, qui Barcinonenſes illi autores fuiſſe negarent Tarraconis incœpti, ſicuti prædicabat, omittendi, cæterùm docerent res Cataloniæ afflictiſſimas eſſe, quibus reſtituendis haud mediocri virtute opus eſſet, atque maximis adjumentis: hæc ſperare ſe ab Regis, ac Reginæ matris benignitate, ac maximè ſi his placeret Principem è regiâ gente virum Cataloniam obtinere: planè certum eſſe non alio majorem Hiſpanis inferri perniciem poſſe, cujus metu aut ad pacem brevi animum adjecturi ſint, aut omnem Hiſpaniam in Regis ditionem venturam, quò nihil ad Belgicarum urbium normam munitum, omnia propè niſi quà fluminibus, aut montibus clauduntur, aperta ſint. Iſthæc Legati Regi, atque Reginæ dixêre graviter, de Mottæo verò breviter, ac modicè locuti ſunt. Regina his pro innatâ benignitate reſpondit, atque his item dari juſſit Commentarium copiarum proximo biennio in Cataloniam miſſarum, ac prætereà pecuniæ, ut apud Barcinonem omnibus palàm eſſet, nihil quod ad Catalanorum præſidium pertineret, iſthîc omiſſum, quin & ad labefactandos hoſtes plus ſatis præbitum Mottæo fuiſſe.

Poſtremò Condæus non quidem Principem è regiâ gente virum in Cataloniam mittendum, ſed Harcurium è Lotharingicâ gente cenſuit ſummâ virtute virum, ac ſummâ gloriâ ex rebus præclare geſtis partâ: atque id ex Condæi ſententiâ Rex, atque Regina mater decrevêre: cæterum *a* Barrium Santaunenſium Equitatui in hac Provincia præfecêre,

a De Barri de S. Aunez.

hominem egregium, ſed inquieto animo, ac partium nimiùm ſtudioſo, 1644.
cui adeò Leucata oppidum in Septimaniâ ad mare haud procul Cataloniæ finibus nuper ademptum fuerat, ac tùm demùm Condæi operâ redditum, uti Regi poſthàc bonam fidelemque navaret operam: Mottæum Rex atque Regina mater juſsêre quamprimùm in Galliam redire, qui diſcedens Terralio Legato exercitum permiſit.

At Philippus Ilerdâ deditâ, ac Tarraconis obſidione ſolutâ poſtpaulò Mantuam Carpetanorum rediit, ob Elizabethæ uxoris morbum feſtinans, ac ſuprà modum de hujus ſalute ſollicitus: ſed hæc priuſquàm vir adveniret, obierat diem ſuum, quò factum eſt uti Rure regio (Pardum appellant) tantiſper commoraretur, Aulæ frequentiam fugiens, ac dolori indulgens, qui ſicuti res monebat, ingens fuit. Eliſabetha Regis Ludovici amita fuerat, atque adeò mors ejus, & ad eum, & ad Annam matrem ipſius Philippi ſororem attinebat. Igitur tametſi bellum Regi, cum Philippo intercederet, tamen in majore urbis Templo Eliſabethæ manibus parentatum, ipſa laudata publicè eſt. Rex, atque Anna mater veſte lugubri induta publici luctus dedêre ſigna, neque enim bella quæ plerumque pro gloriâ fiunt, propinquitatem, aut ſi quà alia neceſſitudo eſt, apud Principes extingunt. Cæterùm Eliſabetha Henrico magno Patre, Ludovico XIII. fratre digniſſima fuit, omnibus quæ fœminam principem, atque Reginam decerent virtutibus ornata: per Olivaris tempora nihil reipublicæ ab viro cum hac communicatum, poſteà verò quàm eo Aulâ pulſo omnis illius cura in Philippum reciderat, incredibile memoratu eſt, quam bonâ, atque utili uxoris operâ in illâ adminiſtrandâ uſus fuerit: prorsùs ut ad bellum Catalonicum proficiſcens hanc ipſi omnem per abſentiam ſuam rectè permitti exiſtimaverit, quæ res illi maximo uſui fuit, nam Eliſabethæ tanta apud omnes Hiſpanos virtutis fama erat, atque ex hac tanta collecta gratia, uti quidquid ab his in belli ſumptus poſtularet, id facilè impetraret, neque ei de ullâ re, aut ab Proceribus, aut ab plebe negaretur.

In Britannia Henrica Regina Eliſabethæ ſoror longè diverſis plebis animis utebatur, quæ ipſi, & viro Carolo Regi infeſta, hunc armis, illam maledictis perſequebatur: multi prætereà proceres cum plebe ſentiebant, pauci queis aliqua ſanctitas regii nominis reliqua erat, Caroli partes ſequebantur. Huic ubi omnia ſecus procedere cæperant, primùm uxorem in Batavos, ſicuti ſuprà memoravimus, dimiſerat, dein eâ in Britanniam regreſsâ, poſtquàm res ſuas nihilo ſecundiores eſſe videt, rursùm hanc plebis malevolentiæ, ſimul & belli periculis ſubducere viſum. Hujus anni principio Anna Regina per Henricum Harcurium Comitem quem extra ordinem in Britanniam legaverat, inter Carolum Regem, & Regni Conſilium, Parlamentum appellant, pacem conciliare tentaverat: nec Conſilium ſibi id ingratum eſſe ſimulabat, ut ne Galliarum Regem tantâ neceſſitudine cum Carolo conjunctum ſibi infenſum redderet: nam tametſi multiplici bello eſſet implicitus, poſtremò tamen ut ne pace cum omnibus factâ, de quâ apud Monaſterium Veſtfalorum pro-

1644. pediem actum iri fama erat, omnibus opibus bellum in Britanniam transferret, metuendum videbatur. Eò Harcurium arte tractare, pacem neque abnuere, neque polliceri, quod huic faciundæ Galliarum Rex, atque Regina mater operam darent, gratias agere, neque intereà quidquam omittere quod ad bellum pertineret, donec Harcurius omni pacis ſanciundæ ſpe damnata in Galliam rediit.

Poſtpaulò ex fœdere inter Anglos, Scotoſque nuper ſancito, hi ab illis accerſiti in Angliam venêre, quò factum eſt uti Carolus Rex rebus ſuis impenſiùs diffidens, iterùm uxorem dimittendam cenſeret. Hæc igitur tametſi ab partu recens, ab Excetere quò agitabat, Falmutium ad Oceanum petit, quò Batavam navim firmiſſimam, & tormentis egregiè inſtructam conſcendit: comitabantur minores Britannicæ duæ, ad pugnandum idoneæ, cæteræ erant onerariæ, queis jumenta, atque impedimenta vehebantur: hæ ubi cum regiâ naui altum tenuêre, in quatuor majores Conſilii, aut Parlamenti Britannicas incidêre, quæ nihil ſociarum Belgii Civitatum in Batava inſigne, neque Reginam in eâ navigantem reveritæ, quoniam ejus curſum ſcilicet velociſſimæ adæquare nequibant, hanc tormentis vulnerare, atque deprimere conabantur: ſed ea nihilo ſeciùs curſum tenuit, cæteræ perterritæ quò ſolverant, eò properè rediêre. At Regina poſtridiè ſub veſperam Mellonem Britanniæ noſtræ portum tenuit, quò ubi hanc adveniſſe vulgatum eſt, omnis quæ in eâ regione agitat nobilitas, eò confluxit, ſubitóque Breſtum in propinquo oppidum deducta ab Propræfecto, atque ab oppidanis lætiſſimis animis excepta eſt, reliquæ naves dilapſis quæ hoſtilia fecerant Britannicis, idoneam tempeſtatem nactæ, iterum Falmutio ſolvére, atque poſt quatriduum Breſtum appulêre. Cæterùm tali loco fœminæ fortunam eò rediiſſe mirari lubet, uti virum, gnatos, Regnum deſerere coacta, mari profuga ab his qui ipſi parêre debebant, oppugnata, propè in eorum poteſtatem venerit, qui patrum noſtrorum memoriâ Mariam Scotiæ Reginam ſupplicio affecêre. Documento Principibus ne ſuam quidem dignitatem ab humanis caſibus immunem, neque tantùm in hac ſibi quantùm in virtute, & æquitate præſidii eſſe.

Vergente in Autumnum æſtate Rex, atque Regina mater Fontembellaqueum iêre. Rus regium eſt, unius diei itinere ab Urbe: eò ædes luculentæ, atque amœniſſimæ, circumquâque Sylvæ, & ſaltus ferarum receptacula. His ædibus Nuccrius, ſimul & regiis Ædificationibus Præfectus erat, quam utramque Præfecturam ad id quod agitabat animo, ſibi maximo uſui fore dudùm erat arbitratus. Pecuniæ in ædificiorum regiorum reficiundorum, aut ornandorum ſumptum ipſi copia erat, quam in exornandâ apud Fontembellaqueum eâ ædium parte in quâ Regina agitare ſolebat, pleramque inſumpſerat: picta, atque inaurata laquearia, Galliæ conjuncta atque Hiſpaniæ inſignia ubique ſculpta, ipſa Reginæ effigies, prætereà compluribus locis regii nominis permixtæ litteræ, prorſus excogitata ab Nucerio, atque effecta, quæ Reginæ grata eſſent omnia, quò & ipſe gratus, acceptuſque foret, neque du-

bitabat quamdiù eò Aula commoraretur, quin ſibi cum Reginâ ſæpiùs colloquendi copia futura eſſet, multaque fortè eventura, quæ ad priſtinum dignitatis, & gratiæ ſtatum recuperandum conferrent, quod tamen fruſtrà fuit. Ædes ſunt regiis conjunctæ, ſeu potiùs regiarum pars, harum Præfecto dudùm attributa, in quâ tamen quoniam multa conclavia ſunt, locus quandóque datur, aut Principibus qui foris in Aulam adveniunt, aut Cardinalibus. Ipſe Richelius in his pridem ædibus agitaverat, quod & Mazarinus cùm hujus exemplo, tùm uti Nucerium abigeret, facere decrevit. Ita Cardinalibus, aut Principibus locus dabatur in his ædibus, uti reliqua quædam eſſent pro ædium regiarum Præfecto conclavia, quod etiamtùm futurum rebatur Nucerius. At ubi conclavia omnia Mazarino deſtinari ab eo qui eâ gratiâ præmiſſus fuerat, animadvertit, id non de induſtriâ, ſed per inſcitiam factum eſſe aut credidit, aut ſe credere ſimulavit, deditque operam uti quid fieri antehàc conſueviſſet, Mazarinus edoceretur. Sed huic neque hominem inviſum ſimul, & offenſum in eàdem ſecùm domo verſari, neque exploratorem in ſinu habere viſum. Quamobrem quòd Nucerius eò loci moraretur diutiùs, nihil eſſe, atque huic abire per Reginam licere reſpondit, quibus verbis perculſus Nucerius tùm demùm ecquid porrò de recuperandâ dignitate ſpei eſſet, planè intelligere cœpit, atque Danguſium ſuum rediit. Neque tamen etiamtùm adductus eſt, uti Quatuorviratum abdicaret, tametſi pecuniam ſatis grandem in æſtimationem ſibi curatum iri minimè dubitaret, nam in eo homine plus gloriæ cupido, quàm avaritia valebat. 1644.

Apud Fontembellaqueum Regina cum Rege, & Andium Duce filiis, Gaſtone, atque omni Aulâ quæ frequens fuit, tantiſper commorata eſt. Mimi, Comœdi, fidicines eo fuêre, Regis pueri oblectandi causâ, neque ea res prætereà cæteris diſplicebat. Poſt meridiem petebant ſylvas, quò priùs apri in locum perpetuis circùm telis ſeptum compulſi fuerant: ubi Rex, atque Regina mater eò advenerant, ſeptum ingrediebantur adoleſcentes nobiles in equis, qui feras gladiis confoderent, quod & ipſe Mazarinus factitabat, nihil ſe indignum ratus, quod Regi, atque Reginæ matri placeret.

Ubi ſe hoc venationis genere die quâdam oblectaſſent, atque adveſperaſceret, Rex, atque Regina domum rediêre. At Gaſto Mazarinum invitat, ut in denſiores abeânt ſylvas, viſuri Cervarum quæ eâ tempeſtate amori deditæ ſunt greges. Unicuique gregi grandior adeſt cervus, cujus juniores metuentes vim procul plerumque adſtant: ſi quis alter grandior cervus intervenerit, de gregis Principatu cum altero ſæpiùs decertat, cui prælio ubi cummaximè uterque intentus eſt, intereà loci cervi juniores ſeſe in deſertum immittunt gregem, furtimque lubidinem explent: id pleriſque viſu haud injucundum eſt. Mazarinus uti diei tempus erat, eò cum Gaſtone citato vadit equo, quò excitatus ſudor id cujus gratiâ venerant, per otium, & quietem adſpectanti poſteà refrixit, dein domum ſeriùs rediens primæ noctis frigus perpeſſus, iis de cau-

1644. ſis in febrim incidit. Fuêre eâ tempeſtate qui dicerent, ubi Gaſto, & Mazarinus ad cervas properarent, illum uti ſinguli modò ex ſuis ſubſequerentur juſſiſſe, ne feræ hominum multitudine perterritæ diffugerent, qui Gaſtonem comitabantur huic paruiſſe, at qui comitari Mazarinum ſolebant, porrò ſubſecutos: eò ab Gaſtone ubi feris appropinquaret, graviùs objurgatos tùm demùm reſtitiſſe, atque ibi Mazarinum deſertum ab ſuis metum cepiſſe inſidiarum, ex quo in febrim inciderit: ſed hanc ex Aulæ ingenio fabulam ortam exiſtimo, cui omnia quæ fortè accidêre, de induſtriâ facta fuiſſe ſibi fingere mos eſt, cuique dudùm eſt perſuaſum nulli Italico homini animum ab ſuſpicione, aut metu vacuum eſſe.

Mazarini febris ſatis diuturna fuit, per cujus tempus Regina de hominis ſalute cui rempublicam permiſerat, ſicuti par erat ſollicita ad eum ventitabat, & mittebat crebrò: ſed intereà ſi quid huic humani eveniret, Chavignium ſolito benigniùs, atque familiariùs habebat, ipſi verò ne id ſibi apud Mazarinum fraudi eſſet, cautio erat, atque adeò nihil, aut parùm rei publicæ attingebat, apud Mazarinum quàm apud Reginam tùm frequentior, quo pacto rursùm metuebat, ne ſe hic morbi ſui gravitatem explorare ſuſpicaretur: tam difficilis in Aulâ unicuique, ut nihil offendat, agendi ratio eſt.

Inter Urbanum VIII. Pontificem, & Odoardum Farneſium Parmæ Ducem bellum eſſe ſuprà demonſtravimus, ob publicatum ab illo Caſtrum prædium in agro Romano poſitum, Venetos prætereà, Etruriæ, & Mutinæ Duces in hujus belli ſocietatem cum Odoardo veniſſe, quæ res Barberinos ſollicitos habebat, quos videlicet Urbani patrui ætas monebat, ut id bellum aut hoc vivente conficerent, aut conditionibus quod breviùs fore videbatur deſinere vellent. Igitur ſummâ eorum voluntate Rex, atque Regina mater Bicchio Cardinali negotium dedêre, uti paci inter Urbanum, & Odoardum Parmæ Ducem, atque unà Venetos, Ferdinandum Etruriæ, Franciſcum Ateſtinum Mutinæ Duces conciliandæ ſuo nomine operam daret. Id ab homine ſolertiſſimo factum denique ex ſententia eſt. Odoardo Caſtrum, atque Monſaltus ab Urbano reddita ſunt, cujus rei causâ bellum motum fuerat: prætereà quæ loca Venetorum, Etruriæ, ac Mutinæ Ducum ab Pontificiis capta, atque occupata fuerant, ea his ab Pontifice reſtituta, dirutis primùm quæ in his exſtructæ per id bellum fuerant munitionibus, atque adeò pax inter eos firma ſancita eſt.

Id certè peropportunè accidit, nam poſtpaulò Urbanus mortem obiit, quem ubi in morbum incidiſſe, atque huic vitæ finem adeſſe reſcitum, Cardinales omnes de more, ac ſingillatim Alphonſus Pleſſius Richelius Cardinalis Lugdunenſis Archiepiſcopus Romam ad Comitia Pontifici creando properavêre. Sed hæc ubi haberi cœpta. Franciſcus atque Antonius Barberini id maximè ſtudebant, uti quos Urbanus Patruus Cardinales creaverat, ex eorum numero quiſpiam huic ſubrogaretur: Sachetum maximè cupiebant, hominem antiquâ virtute, ac fide, quem

adeò omnes dignum deputabant, qui Pontifex fieret. Duæ in Cardinalium Collegio factiones fuère, una Galliæ, altera Hiſpaniæ: ſed illa Antonii Barberini Cardinalis gratiâ nitebatur, quem Romæ Comprotectorem Regni Rex Ludovicus XIII. creaverat, quia tùm Mauricius Cardinalis Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis filius Protector erat, qui cùm plerumque ab Urbe abeſſet, viſum Antonium ſcilicet qui eò agitaret deligere, qui quotidiana Regni negotia ſuâ apud Patruum gratiâ, atque fide ſuſtentaret: ſed privatim id fiebat, prohibente Franciſco fratre, ut ne quid publicè hujus muneris, uſurparet, cauſatus haud decere qui Pontifici fratris filius eſſet, cum partium ſtudium præ ſe ferre: ſed ille ipſe Hiſpaniæ partes ſequebatur, ac Luſitaniæ Protector fuerat, quod munus uti fratri exemplo eſſet abdicaverat, at id non eſt ſecutus Antonius, Munus ſibi ab Rege mandatum retinens, quin & Protector poſteà creatus eſt in Mauricii Principis locum, qui id Muneris unà cum Cardinalatu abdicaverat, ut uxorem duceret. Igitur Antonius nulla Galliæ Protectoris munia obiit, quamdiù Urbanus Patruus fuit in Pontificatu, at ubi id per hujus mortem ipſi facere licuit, ibi verò graviter offendit, ſicuti poſteà dicemus. 1644

Franciſcus Barberinus primùm unum, aut alterum ex Cardinalium numero quos Urbanus Patruus creaverat, propoſuit huic ſubrogandum, uti quid ſpei ab clientibus, atque amicis, quid metûs ab Adverſariis habendum eſſet, periculum faceret: dein ubi id ſatis ſibi compertum eſſe credidit, de Sacheto mentionem facere cœpit. Huic adverſabatur altera factio, Hiſpaniæ videlicet, cujus Medicæus Cardinalis princeps erat Ferdinandi Etruriæ Ducis Patruus: nam privatæ Ferdinando cum Sacheto ſimultates erant, mirumque viſum in tanto negotio Philippum Hiſpaniæ Regem alienæ lubidini ſerviiſſe, ac tam idoneum Pontificatui gerendo hominem reſpuiſſe. Ubi igitur Cardinales in ſuffragium de Sacheto iêre, ne ipſi quidem Barberinorum clientes, atque amici omnes Sacheto ſunt ſuffragati, ita ut multa uti Pontifex crearetur ſuffragia deeſſent: rem tamen eamdem Franciſcus ſæpiùs tentavit, quæ toties ſecùs ceſſit. Igitur ad alium Franciſco diſcedendum neceſſe fuit, qui eſſet hujuſmodi, uti de hoc Pontifice creando adverſa factio cum eo concordare poſſet. Is fuit Joannes Baptiſta Pamphilius, qui ni Pontifex crearetur, alium ex clientibus Franciſci Barberini creari poſſe ſpes nulla reliqua erat. Sed illi privatæ cum Antonio ſimultates fuère, qui adeò vix adduci poſſe videbatur, ut hunc Pontificem creari vellet. Gualtierus quidam Pamphilio propinquus in Antonii Barberini familiâ fuit, ſicuti Romæ nobiles ſeſe ad Cardinales, ac maximè qui gratiâ, & potentiâ valent, plerúmque applicant. Is ab Antonio malè habitus fuerat, neque tamen ſine causâ, ac poſtremò faceſſere juſſus, quæ res & ad Mazarinum pertinuerat, Antonio tunc cùm maximè familiarem: dein Gualtierum in Germaniam militatum abiiſſe aiebant, atque eò ita cæſum, uti non nihil ſuſpicionis eſſet, iſthuc haud ab hoſtibus factum fuiſſe. Eò Pamphilius Antonio, & Mazarino infenſus videbatur, quam-

1644. obrem neuter hunc Pontificem creari volebat, atque hic dederat operam, uti Rex ſi eò res evaſura videretur, huic intercedere Legatum ſuum juberet: ſæpiùs Antonius palàm edicere voluerat, per Galliarum Regem Pamphilium Pontificem creari haud licere, qui ipſi ſuſpectus eſſet: Franciſcus tamen gratiâ, atque autoritate pervicerat, ut ne id facere vellet.

Poſtremò ubi Franciſcus eo loco rem eſſe ſenſit, uti ſi Pamphilium creatum nollet, Pontificatus ad Cardinalem alienum, ex numero videlicet eorum qui ab Paulo V. creati fuiſſent, tranſiret, ſeriò Antonium fratrem docere cœpit utriuſque fortunas, ac fortaſſe vitam ipſam in dubio futuram, ſi Pontificem ex ſententiâ creare nequirent, tanta in utrumque, atque in omnem Barberinorum gentem omnium Ordinum Romæ invidia, ac malevolentia erat. *Sibi ipſis igitur cavendum videri, quòd aliter facere nequeant, quàm ſi Pamphilium Pontificem creari curent: nam hunc unum eſſe ex omnibus quibus Cardinalatus ab Urbano Patruo mandatus fuerit, cui Cardinales ſuffragari velint: obſtare modò Galliam Antonii, ac Mazarini causâ, quoniam uterque Pamphilium ſibi infenſum putet: ſed iniri rationem poſſe, quâ utrique, atque ipſi Galliæ caveatur. Certè ſi Pamphilius ſenſerit utrumque nihil ſibi mox obſtare velle, quominùs Pontifex creetur, haud dubiè hunc tanti meriti gratiam utrique relaturum, nedùm in odio quod pertimeſcant permanſurum, quâ de re fidem ejus accipiundam, ac præterea de omnibus quæ ad eam rem pertineant. Cæterùm dandam ab ſe, ab Antonio, atque Thadæo Legato Gallico fidem, ſeſe omnes palàm Galliæ partes ſecuturos, cujus rei indicio hujus inſignia ædium veſtibulis appenſuros: ab Pontifice de Britanniâ, de Provinciâ, atque Metenſi, Tullenſi, ac Virodunenſi Diæceſibus impetraturos, uti Regi in his majora Sacerdotia perinde ac in cæteris Regni Provinciis poſthàc cui videbitur donare copia ſit, poſtremò uti Michaëlem Mazarinum Julii Cardinalis fratrem, ac Mancinum affinem Cardinales Pamphilius creet.* Melchior a Mites Sanchamondus Marchio Regis Romæ Legatus erat, vir genere, ac dignitate clarus, qui per Ludovici XIII. tempora tantiſper Adminiſter Regni fuerat, dein foris Legationis in Germaniam ſpecie dimiſſus: hæ ipſi conditiones latæ, ac præterea demonſtratum, *Si Pontifex ab Barberinis alienus crearetur, eorum gratiam, atque potentiam infringi, ac fortaſſe omnem familiam perditum iri, quæ adeò Galliæ nulli uſui futura eſſet: præſtare igitur Pamphilium habere Pontificem, qui his Pontificatûs gratiam debeat, quam his perditis quemvis alium. Thadæo fratri, atque Pamphiliis liberos eſſe, quorum connubiis affinitas contrahi inter utramque familiam poſſit, quarum altera alteri mutuam operam traditura ſit.* Sed Sanchamondus ægrè adducebatur, uti quæ ſibi ab Rege mandata de Pamphilio fuerant, ab iis diſcederet, atque adeò huic explendus animus fuit, quod ab Sanuito Marchione Theodoli Cardinalis fratre factum denique eſt: hic Regis partes ſequebatur, cæterùm Pamphilio amicus erat, quîcum & vetus amicitia Sanchamondo fuit, cœpta in Galliâ, quò Franciſcum Barberinum Urbani Legatum Pamphilius comitatus fuerat, ita ut Sanchamondo haud ingratum eſſet, eò rem rediiſſe, uti Pamphilio favere ſibi neceſſe eſſet: quin & hic in re tantâ haud ſibi defuit,

a Mitte Marquis de Saint Chamond.

deſuit, promiſſis hominem per Sanuitum onerando. Convenit igitur inter utrumque, uti Sanchamondus ad Regem, Reginam matrem, atque ad Mazarinum ſcriberet, atque hos doceret, *Fruſtrà ſe Pamphilio obſtare, quem nihilominùs Cardinales Pontificem creaturi ſint, quamobrem præſtare ut id Regis voluntate fieri videatur: ſeſe intereà de Provincia, de Britannia, & de tribus Diœceſibus, uti Regi ab Pontifice mos gereretur cum Pamphilii Interprete egiſſe, cujus rei ſpes ſibi facta ſit, ac præterea Cardinalatûs pro Michaële Mazarino, atque Mancino, ac denique tres Barberinos fratres ſeſe Regi daturos in clientelam, & fidem, atque Galliæ inſignia ædium ſuarum veſtibulis appenſuros.* Intereà Cardinales quos omnes in unis ædibus concluſos eſſe moris eſt, uſquedùm Pontificem creaverint, tædebat tamdiù eodem in loco ſicuti in carcere commorari, jamque morbi inter hos graſſari cæperant, ab quibus Bentivolius interierat nobilitate juxtà, ac virtute, dicendi, ſcribendique peritiâ inſignis, neque adeò ſpatium erat opperiundi, quid ab Galliâ Sanchamondo reſcriberetur: cùm jam de Pamphilii creandi conditionibus Sanuito Marchioni auſcultaſſet, de his modò, non de Pamphilii perſonâ agi viſum, quæ ſi Regi tàm inviſa eſſet, hujus Legatum nullas ferri ſibi paſſurum fuiſſe: poſtremò Franciſcus Barberinus uti Mazarino autore Rex de Pamphilio ſententiam mutare nollet metuere, quod ubi nuntiatum eſſet, hujus injuſſu Pamphilium Pontificem creare ſibi non fore integrum, quamobrem properandum exiſtimavit, atque Hiſpanicæ factioni quid ſibi eâ de re conſilii eſſet ſignificandum. Continuò plerique ad Pamphilii cubiculum advolant, Pontificatum in craſtinum, nam diei veſper erat, gratulantur, hujus rei fama primùm per Cardinalium cubicula, dein ad Urbem manat, res magna in expectatione eſt. Sed de hac Bicchius Cardinalis factus certior ad Antonium properat, orat, obſecrat, obteſtatur ut ne id factum velit, quod ipſo maximè autore, cæterùm aliis graviſſimis de cauſis Rex vetuerit. Antonius dictitare id primùm ſententiæ Regi fuiſſe, cæterùm hunc ab eâ denique diſceſſiſſe ſibi compertum eſſe: Bicchius poſtulare, uti ſe docere velit, quo pacto id reſciverit: quod cùm facere Antonius nequiret, continuò per omnia Cardinalium cubicula Bicchius volitare, clamitare, *Rem fieri inſolitam, Pamphilio Pontificatum invito, ac reclamante Rege mandari, ex quo in Republicâ Chriſtianâ, atque in Eccleſiâ lites, ac turbæ exoriri poſſint: non deeſſe alios qui Urbano ſubrogentur.* Sed hæc tardiùs dicebantur, quibus Antonius demebat fidem, prædicando iſthæc Bicchium dictitare prioribus Regis mandatis fretum, ab quibus poſteriora ad ſe miſſa diverſa eſſent, præterea Sanchamondus Legatus ceſſabat, quo factum eſt, uti poſtridiè Pamphilius Pontifex omnium propè ſuffragiis crearetur. Certè nemini dubium eſſe poteſt, Pamphilium Barberinorum fratrum operâ ad Pontificatum perveniſſe, qui & ab Urbano horum patruo Cardinalis creatus fuerat. Sed hic nihilo minùs hos perdere funditùs omni ope conatus eſt, ſicuti poſteà videbimus. 1644.

In Aulâ ubi quid Antonius Romæ deſignaverat nuntiatum, immane quot, quantaque in eum maledicta congeſta, quantus in Sanchamon-

1644. dum furor, ad quem ſubitò Rex ſcripſit, ut ab Antonio Reſcriptum repeteret, quo Galliæ Protector creatus fuerat, juberetque Regis inſignia quæ ad ædium ejus limen appenſa erant, detrahere, quod & idem Cardinali Theodolo, ac Sanuito Marchioni fratri eſt ab Dunoſeto imperatum. Sanchamondus triduò poſt acceptas ab Rege litteras Româ proficiſci juſſus, in Galliam redire, atque rure agitare. Sed hæc properantiùs decreta, ac facta fuiſſe quæ poſteà dicemus, ea ſatis oſtendent.

At Pamphilius aſſumpto ſicuti Pontificibus moris eſt, novo nomine, Innocentius eſt vocari cœptus, perbellè ſimulans ſe Barberinis æquiſſimum fore. Primùm huic conſilium fuit, omnes Italicos Principes quos Urbanus abalienaverat, ſecum in gratiam reducere, quod & cum Barberinis ſe factum velle ſimulabat: nam magno conatu de his cum Ferdinando Etruriæ Duce agere viſus, quibus denique poſthabitis, cum eo tranſegit, atque magna inter ambos amicitia conflata: ſubitò enim Carolum Ferdinandum hujus fratrem Cardinalem creavit, in quo hunc perinde, ac Camillum Phamphilium fratris filium habuit, quem & unà creavit Cardinalem. Cum cæteris Italicis Principibus haud ſecùs egit, tranſegitque, nullâ planè Barberinorum habitâ ratione. Urbanus Titulum Venetis glorioſiſſimum in Aulâ Vaticani regiâ parieti affixum detrahi juſſerat, quia & hi adversùm ſe, ac fratris filios bellum ſumpſerant, quem ſtatim Innocentius reponi juſſit, rem ſuprà modum Venetis gratam, quorum animos ita ſibi conciliavit, ut ultrò omnem Pamphiliorum gentem in Venetorum Nobilium Collegium cooptarent, qui honos hunc modò petentibus, atque optimè de Re eorum publicâ meritis haberi ſolet. Ubi primùm Pamphilius Pontifex renuntiatus fuerat, ſubitò ad Regem, Reginam matrem, ac Mazarinum ſcripſerat, ſummam erga hos benevolentiam, ac benefaciundi ſtudium oſtentans, cui & ipſi perbenignè reſcripſère: id quidem ex Michaëlis Mazarini ſententiâ factum, Cardinalatum ligurientis, atque haud ſatis gnari plura metu fieri, quàm gratiâ: nam hic tùm Innocentio ingens erat, uti ſua creatio Regi minimè probaretur, atque ex eo lites, turbæ, ac partes in Eccleſiâ forent, quibus uti præverteret, nihil quod Regi animum explere poſſe videretur, infectum voluiſſet.

Tadæus Barberinus Urbi Præfectus erat, cujus Magiſtratûs poteſtas cùm maxima per veterum Imperatorum tempora fuiſſet, Urbanus quæ ad hunc pertinerent Jura, atque ornamenta ea ſedulò ab vetuſtis, atque obſoletis rerum Romanarum monumentis repetierat, uti fratris filium antiquis Præfectis Urbis probè ſimilem redderet, ac præterea decreverat, ut in Solio (locus eſt in quo Pontifex ſacra faciens eſſe ſolet) ipſos Regum Legatos anteiret, qui eò honoris causâ Pontifici adeſſe ſolent, hi propterea jamdiù iſthuc intermiſerant: ſed Urbano mortuo ſibi ad Solium redeundum conſtituêre, quò locum priſtinum Innocentii voluntate recepère, rem Barberinis ſuprà quàm dici poteſt moleſtam, ac gravem, ſed alia poſthàc his multò graviora, atque acerbiora fuère.

Plerique tùm in Aulâ quoniam reſpublica in fœminæ peregrinæ, at-

que unà in hominis hoſpitis, & advenæ manu erat, ſi qua ratio rei familiaris per turbas, & bella civilia augendæ foret, circumſpectabant, pigebatque quietos eſſe: ſed præciſâ haud ita pridem omnium quæ antehàc in Galliâ fuerant, hujuſcemodi malorum radice, ubi Sectarios Ludovicus XIII. perdomuerat, jam vix quidquam ſatis firmi videbatur, quò novarum rerum ſtudioſi his moliendis niti poſſent. Ex horum numero Fridericus Mauricius Turrius Buillonius fuit, ob Sedanum ſibi nuper ademptum, cujus recuperandi ſpem fovebat animo, uſque modò quieturus dùm hæc eluceſceret. Intereà rectè ſe abfuturum ratus in Italiam cum conjuge, ac liberis profectus eſt, nihil de habendis quæ ab Rege danda erant in Sedani æſtimationem ſicuti convenerat prædiis ſollicitus: nam quamdiù hæc non accepiſſet, tamdiù ſibi oppidi recuperandi jus fore credebat, eò iſthûc rediturus ubi res moneret. Sed hic abiens ad Regem Reginamque Matrem ſcripſit, quæ profectionem horum injuſſu inſtitutam excuſarent, & quæ ſibi diſcedendi ratio fuiſſet, ſcripto in vulgus edidit. Rex atque Regina Mater litteras hujus reſpuêre, atque edixêre qui Sedanum, atque omnem circùm regionem incolunt, quibus finibus hanc Buillonius tenuerat, ii ut ne hunc poſthàc pro Principe habere vellent, ſed Regi jusjurandum polliceri, quod ab omnibus lubentiſſimè factum eſt. 1644.

In Urbe ſub anni finem quidpiam turbarum fuit: nam quæ in ſuburbiis ædes ab anno CIↃ. IↃ. LV. conſtructæ fuerant, àb earum dominis pro ſoli quod occuparent amplitudine, quidpiam pendi Rex edixerat: quò factum eſt ut omnes in ſuburbiis operæ ab ædificando ceſſarent, atque ad Almerici ædes aliquanto numero infeſtæ properarent: ſed Prætorianorum huic imperitæ multitudini objecta manus hujus impetum inhibuit, ac denique compreſſit: dein quæſitum in noxios, uti pœnarum metu plebes ab hujuſcemodi turbis, ac ſeditionibus deterreretur, quæ ſi neglectui Principibus, aut Magiſtratibus ſint, rei publicæ quandoque grave damnum adferunt.

Poſt captam in Belgio Gravelingam Gaſto, atque Melleraius ad Urbem redierant: Gaſſio qui nihil Urbem, aut Aulam curaret, is verò manſerat ad exercitum, quò ſumma imperii ad hunc redibat. Sed Ellebovius qui Belgio finitimam obtinebat Picardiam, poſtulavit ut & ſuâ unà operâ in eo exercitu per reliquum æſtivorum Rex uti vellet, quæ viro Principi data venia eſt. At hi parùm concordes (ut ferè fit) in imperio fuêre: cæterùm caſtella modò aliqua ad Aam flumen aut pugnando cepêre, aut redegêre ad deditionem: præcipuum fuit Vatta, Cœnobium celebre, atque munitum, quo poſthàc ut plurimum ſtativa habita, loco videlicet ad incurſiones in hoſticum faciendas peridoneo, dein copiæ in hyberna dimiſſæ. Sed ubi bellum cum hoſtibus tempore anni deſiit, id verò inter duces ex nuperâ ſimultate ortum eſt, utrique animus, atque virtus inerat, cæterum Ellebovio Principi viro æquum videbatur, Gaſſionem tametſi æquato ſecum imperio, ſibi tamen obſequi multa, ſeſe colere, atque obſervare, cujus rei inſolens vir militaris

1644. cum eo more ſuo ſuperbiùs quàm par erat, atque ferociùs egerat: quâ re offenſus Ellebovius talem ſui contemptum in Gaſſionem manu vindicandum eſſe conſtituit, ſibique eâ causâ cum eo decertandum. Igitur ad eum *a* Montejocum mittit Tribunum militum, & Spiritûsſano (Rutam aliter appellant) Præfectum, fortem virum, atque ſtrenuum, qui ſuis verbis hominem ad certamen provocavit. Id quidem Gaſſio nuſquàm abnuit: ſed enim ſe negat pedibus, ſicuti plerumque fieri ſolet, atque Ellebovio placebat, decertaturum, quoniam vulneribus pridem acceptis impediretur, verùm in equo brevioribus ſclopetis inſtructum, ſicuti equitibus moris eſt, de quâ re ubi agebatur inter eos qui utrique aderant, atque inter ſe decertaturi erant, intervenêre his ab vicinâ Ambianorum urbe plerique nobiles, qui ambos ad urbem diverſos reduxêre, dein Regis, ac Reginæ juſſu Lutetiam Pariſiorum iêre, quò Gaſtonis operâ in gratiam reducti ſunt, Ellebovio Regis verbis Gaſſionem amare, Gaſſione Ellobovium colere, atque obſervare juſſo.

a Montdejeu, Jean de Schulemberg.

Anno proximo Leonardum Tortenſonum qui Suecis in Germaniâ Imperator erat, cum exercitu cui præerat in Holſatiam transgreſſum memoravimus, uti Daniæ Regi Chriſtiano in cujus ditione pars hujus Provinciæ eſt, bellum inferret, his quibus diximus de cauſis. At intereà ex compoſito Racocius Tranſſylvaniæ Regulus Pannoniæ, ſeu Hungariæ fines cum copiis erat ingreſſus, ut ne Ferdinandus Imperator ubi ab Suecis otium habebat, oppida quæ in Germaniâ præſidiis tenebant, reciperet. Eâ gratiâ cum Racocio ictum fœdus ab Tortenſono diximus, non modò Chriſtinæ Sueciæ Reginæ nomine, cujus rei huic ab illâ poteſtatem factam credere poſſumus, ſed & Ludovici Galliarum Regis, planè hujus injuſſu. Neque tamen iſthuc Racocio Rex ſignificatum voluit, aut planè fœdus abnuere: ſed ad hunc mox Antonium *b* Fouquetum Croiſſium in Senatu Pariſienſi Conſiliarium ab Avauxio, & Serviano mitti juſſit Monaſterio Veſtfalorum, uti quod Tortenſonus & Regis injuſſu, & minùs ex hujus dignitate in eâ re fecerat, id ille corrigeret, ac prætereà Catholicis in Pannoniâ, aut Hungariâ caveret, ac denique Regem omnia ſedulò pro Racocio facturum reciperet, quæ citra Religiónis Catholicæ damnum fieri poſſent, quod ipſi Racocio probatum, Catholicis verò in Pannonia probatiſſimum, atque acceptiſſimum, atque ita fœdus utrimque ratum, gratumque fuit.

b De Croiſſy Fouquet.

Sed ab Tortenſono novum adversùm Daniæ Regem ſumptum bellum Suecos ab Germanico de quo Ludovico Regi cum Sueciæ Reginâ fœdus, ac ſocietas intercedebat, planè avertebat: quæ res utriſque fraudi futura videbatur, de Pace cum Ferdinando, atque hujus ſociis agere apud Monaſterium Veſtfalorum, & Oſnabrugam aggredientibus: nam Auſtriacis ab magnâ belli parte vacuis haud magnum pacis ſtudium fore, ac prætereà ſpem magnam ſibi Chriſtiani Daniæ Regis adjungendi, quo freti bellum majore quàm anteà conatu non ſuſtinere modò, ſed & inferre, Suecis poſſent: poſtremò haud æquum eſſe quos ſumptus ex annuâ pecuniâ Gallicâ in bellum Germanicum uſque feciſſent, eos in

Daniam transferri, adverſùm Principem qui nuſquàm Galliæ hoſtis eſ- 1644
ſet. Hæc Regem, ac Reginam Matrem impulêre, uti quempiam in Sueciam, & Daniam legare vellent, qui inter utrumque Regnum, Regemque pacem conciliaret, atque hanc Gaſparo Cogneto Thuillerio qui apud ſocias Belgarum Civitates Legatus erat, provinciam dedêre.

Hic poſtquàm Avauxius, & Servianus apud Monaſterium Veſtfalorum Regis Legati, Joannis Oxenſtiernæ, atque Adleri Salvii Sueciæ Legatorum, atque item qui Daniæ Regis apud Oſnabrugam negotia procurabat, ejus ſententiam ſatis exploraverant, Hagâ Comitis profectus eſt, atque Oſnabrugam venit, ut ab viſendis Sueciæ Legatis ſuam de pace Legationem ordiretur, quia priùs Daniæ Regem, quàm Sueciæ Reginam Chriſtinam adire decreverat: ille enim haud æquè procul, ac Regina aberat, atque adeò Thuillerium Copenhagâ, quo Chriſtianus agitabat, iter habere neceſſe erat, ut ad Stocolmiam Chriſtinæ Regiam proficiſceretur: ità quod locorum ſitus facere prohibebat, Reginæ videlicet quîcum Regi fœdus, ac ſocietas belli intercedebat, primas deferre, id cum hujus Legatis primùm agendo fieri viſum: dein ad Tortenſonum properavit, quem item ex itinere adire neceſſe erat, ac denique Copenhagam ad Chriſtianum.

Hic per juventutem gloriæ avidus, eadem quæ poſteà Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex in Germania egregiè geſſit, haud pari fortunâ tentaverat. Ingens illi animus, virtuſque, ſed ſicuti hæc nihil ſenectus, ita nec fortunam mutaverat, quæ ipſi ſemper adverſa fuit: contra hanc tamen invictum animum gerebat, neque primùm quid ſibi ſententiæ eſſet, expromere Thuillerio volebat, niſi priùs id Sueci facerent, dein omnes pacis conditiones abnuebat, niſi item priùs omnes ab finibus ſuis copias abducerent: ab quibus denique conſiliis hunc eſt Thuillerius dehortatus, dein Stocolmiam ad Chriſtinam Sueciæ Reginam excurrit, perfecitque, ut ad Sueciæ fines mittere vellet, qui de pace cum Danis agerent, quod & Chriſtiano Daniæ Regi poſtremò ſatis placuit.

Intereà terrâ, marique bellum acriter gerebatur, quod Chriſtiano plerúmque ſecùs cedebat: nam cùm in Regia navi, adverſùm Suecicam Claſſem, præclarus, ac ferox capeſſeret pugnam, graviter vulneratus eſt, neque eò minùs reliquo prælio adfuit, atque operam dedit, ita ut penes quos victoria eſſet, in incerto fuerit. At Tortenſonus in Holſatia, ac Jutiâ prædas ingentes egit, oppida occupavit, ac præſidiis tenuit, atque adeò potior viſus. Iterùm mari pugnatum eſt, perindè incerto, ac priùs eventu: ſed qui Suecicæ Claſſi præerat, is necatus eſt: aderat ipſe Chriſtianus, qui ubicúmque per id bellum fuit, eò rem egregiè ſuſtentavit, quæ hujus unius virtute ſtare viſa.

Sed hic ad Ferdinandum Imperatorem miſerat, qui ab eo auxilium peteret, neque eò magis fœdus ullum, aut belli adverſùm Suecos ſocietatem ſibi cum illo ſanciundam decrevit, quod tamen Ferdinandus futurum denique arbitratus eſt. Igitur Galaſſum copias cogere, atque in Holſatiam ducere jubet, ac denique eâ arte tractare rem, uti Chriſtia-

1644. num ad fœdus, & belli ſocietatem adverſùm Suecos adduceret. Haud ità properè Galaſſus movit, pecuniæ ad belli hujus ſumptus inopiâ, quæ tandem ab Hiſpanis curata eſt. Ita tum demùm Galaſſus in Holſatiam duxit, atque ubi eſt Tortenſono appropinquatum, ut ne prælium manu faceret planè cavit, ac eò redegit hominem, ut huic commeatûs inopia eſſet, neque cum Galaſſo pugnam facere auderet, editis, aut munitis ab naturâ locis caſtra habente, ita ut Tortenſonum undequâque clauſum putaret, neque elabi poſſe, abſque inſigni aliquâ clade, quæ inclinatam Ferdinandi rem reſtitueret.

Intereà Tortenſonus prædam, atque impedimenta pleraque aut vendi, aut igne corrumpi juſſit, ac virgultorum, & hujuſcemodi materiæ magnam vim cædi, atque in faſciculos colligi, quibus in paludem haud ità profundam conjectis, per hanc iter munire aggreditur, quo ſe ab Galaſſi cuſtodiis, ac præſidiis circumquâque, præterquàm ad paludem, quâ ſatis ille clauſus videbatur, poſitis expediret. Ita deluſâ hominis vigilantiâ ab Holſatiâ in Germaniam intactus regreditur, ac ſolito gravius in ea redintregrat bellum, quod Racocius intereà in Hungariâ nuſquàm intermiſerat.

Tunc Chriſtianus exoneratus alterâ belli parte in Scaniam pleraſque traduxit copias, quas plures habuit, quàm Guſtavus Hornius, qui eâ parte Suecicis præerat: ſed Sueci claſſe potiores fuêre, cùm pleraſque naves ab Batavis conduxiſſent, quibus aucti tertiò cum Danicis conflixêre atque expugnatâ, captâque Regiâ, in qua Chriſtianum eſſe exiſtimaverant, nave, & qui huic toti Claſſi præerat cæſo, pleriſque navibus incenſis, aut captis, inſignem de hoſtibus Danis victoriam reportavêre: neque tamen Chriſtianus deſpondit animum, ſed ampliùs muniendis inſulis, quibus tota propè Dania conſtat, omnem impendit operam.

Præter Thuillerium, Fœderatorum Ordinum Legati conciliandæ inter Suecos, ac Danos paci, & ipſi operam daturi venerant, non tàm rei publicæ causâ, quàm ut inter agendum rationem aliquam inirent, quò portoria ab navibus ſuis Danicum tranſgredientibus fretum pendi ſolita Chriſtianus imminuta vellet: nam hæc Gens omnia ad quæſtûs ſui normam dirigere ſolet: cæterùm Legati ut id ab Chriſtiano anguſtis in rebus ſuis extorquerent magis, quàm impetrarent cum gratiâ, quinquaginta naves ſecum adduxerant inſtructiſſimas, quas tamen brevi dimiſêre: ſeu puduit cui pacem ab Suecis datam vellent, ei bellum oſtentare: ſeu Chriſtiano ea muniendi Danici freti cura fuerat, uti vix hujus injuſſu in Suevicum mare pervadere ulla navis poſſet: cæterùm lubens eorum operâ in pace cum Suecis ſanciundâ uſus eſt.

Chriſtanus non modò ad Ferdinandum Imperatorem miſerat qui ab hoc auxilium afflictis in rebus ſuis peteret, ſed & ad Uladiſlaum Poloniæ Regem, qui ſe & Sueciæ Regem appellat, quam Sigiſmondo uni ex majoribus ſuis Poloniæ Regi ab Carolo Patruo ereptam ait: hanc uti ſeſe adjutore recipere vellet, Chriſtianus hortabatur: præterea fama erat, hunc ad Moſcovitorum Principem item miſiſſe, qui de fœde-

re ſecum unà, ac Poloniæ Rege ſanciundo adversùm Suecos ageret, 1644.
quibuſcum illi haud leves controverſiæ intercedebant.

Eâ tempeſtate in Aulâ erat Roncallus quidam, ab Uladiſlao Poloniæ Rege miſſus, Oſolinſco Poloniæ Cancellario autore, qui ſicuti priùs, Richelius, ac tùm Mazarinus in Gallia, rem omnem publicam tractabat, ita & ipſe hanc omnem gerere in Polonia debere ſe arbitrabatur: neque id Uladiſlaus planè prohibebat, quia Oſolinſco in Polonia multæ, magnæque clientelæ ſunt, quas ab ſe Uladiſlaus alienas nolebat eſſe. Is Roncallus igitur ab Oſolinſco idoneus habitus eſt, qui cum Mazarino ageret. Uladiſlaum magna cupido ceperat, pacis inter Regem, & Imperatorem conciliandæ, quod eò maximè fieri poſſe credebat, ſi Suecos ab Rege, Hiſpanos ab Imperatore ſejungere poſſet. Prætereà Uladiſlao nuper uxor mortùa erat: hæc Imperatoris ſoror fuerat, cujus affinitatis causâ Auſtriacis faverat impenſiùs. Sed ab his haud pro ſuis in eos meritis habitus, novas amicitias, atque affinitates meditabatur, quin & Roncallus fœdus inter Ludovicum, & Uladiſlaum fieri poſſe aiebat, libertatis in Germania conſtituendæ, & pacis conficiundæ, ac conſtabiliundæ gratiâ. Sed cùm id neque cum Pacificatione, quam Uladiſlaus inter Regem, & Imperatorem ſuſcipere vellet, neque cum fœdere, quod Ludovico cum Suecis intercedit, ſatis congruere reſponſum eſſet, ob controverſias quæ Uladiſlao cum Chriſtinâ Sueciæ Reginâ de ipſo Sueciæ Regno ſunt, Roncallus has facilè deſituras dixit, ſi Regi, ac Reginæ Matri placeret operam dare, uti Chriſtina Sueciæ Regina Uladiſlao nuberet. Iſthæc ſeriâ conſultatione digna res viſa, quâ habitâ Roncallo denique reſponſum. *Gratiſſimam eſſe Regi, atque Reginæ Matri Uladiſlai de pace inter hos, & Imperatorem conciliandâ voluntatem, cæterùm Gallos ab Suecis ſejungi non poſſe: obſtare enim fœderis religionem, quâ integrâ nihil eſſe quod non Rex atque Regina Mater Uladiſlai causâ facturi ſint. Jam uti Pacificatoris cum Pontifice, atque Venetis partes ſuſtineat, illis optatiſſimum eſſe, atque id ad pacem conficiundam magis profuturum exiſtimare, atque ad libertatem in Germaniâ conſtituendam, ac conſtabiliundam, quàm fœdus inter ambos Reges, quod Suecis nunc ſuſpectum foret: poſſe tamen id poſthàc fieri, ſi nuptiæ inter Chriſtinam Sueciæ Reginam, & Uladiſlaum procederent, quibus Rex, atque Regina operam ſeriò dare vellent; hæc eadem qui Uladiſlao nuntiaret quempiam brevì ad hunc miſſuros.*

Is fuit Nicolaus Flecellus Bregius, nam Rex, atque Regina metuebant, ut ne cum Ferdinando Imperatore, cum Chriſtiano Daniæ Rege, & cum Moſcovitis fœdus, ac belli ſocietatem adversùm Suecos Uladiſlaus faceret, ab cujus fœderis conſilio hunc deterrere magnoperè ad rempublicam pertinebat. Igitur Bregius Monaſterium Veſtfalorum properare juſſus, quò ab Avauxio, & Serviano eò de Pace Legatis quid cum Uladiſlao his potiſſimum agendum videretur, reſciſceret. Avauxius ſingillatim Polonicarum, ac Suecicarum rerum prudentiſſimus erat, diu multumque in Polonica, ac Suecica Aulis verſatus. Cæterùm Bregio uti de Reginæ Poloniæ obitu, Regis ac Reginæ Matris verbis Uladiſ-

1644. laum conſolaretur mandatum, dein uti ſummam utriuſque in hunc ſignificaret benevolentiam, ſtudiumque. *His ſupra quàm dici poſſit jucundum eſſe quòd eadem de republicâ ſentiat, de Pace videlicet ſanciundâ, ac de Germaniæ libertate conſtituendâ & conſtabiliundâ. Ad hæc Imperatorem adigi non poſſe niſi ſummâ vi quæ ab Rege, ab Suecis, & ab Racocio adhibeatur, & quam nuſquàm interpellari rei publicæ maximâ interſit. Eò Regem, atque Reginam in gratiâ habituros, ut ne quid Uladiſlaus deſignare velit, quod aut Suecorum, aut Racocii incœpta in Germania, Auſtria, Pannonia diſturbare poſſit. Regem verò, atque Reginam operam daturos ſedulò, ut nequid hæc Uladiſlao vel minimùm nocere, aut fraudi eſſe poſſint. Eò miſſuros ad Racocium, qui hominem in officio erga Uladiſlaum contineat: nihil enim his eſſe, aut fore poſthàc antiquius, quàm illius, ſicuti ſuis ipſorum ſervire commodis. Id omni ope facturos in Chriſtinæ nuptiarum negotio, quando ipſi cordi ſint, quod hujus conſilium jam Suecis cognitum ſit: & quamvis ipſis haud ita probari videatur, non tamen id adeò reſpuiſſe, ubi de hoc ab noſtris primùm mentio facta ſit, ut ne ſibi copiam eſſe credant, iterum eâ de re cum his agendi. Optatiſſimum quidem eſſe Regi, ac Reginæ Matri his nuptiis perpetuam inter Suecos, Polonoſque pacem conciliari, quos ambos amicos habeat. At ſi Suecicæ nuptiæ haud ſatis ex ſententiâ procedent, nihil Regi, atque Reginæ Matri jucundius futurum, quàm ſi Uladiſlaus ad aliquam in Gallia virginem animum adjiciat. Eſſe Gaſtoni Annam Ludovicam filiam unicam, quam illi nubere Rex, atque Regina Mater ſummoperè cuperent: ſed præter quamquòd adoleſcentior ſit, quàm Uladiſlai ætati conveniat, hanc patri longè cariorem eſſe quàm ut hanc procul ab ſe nubere patiatur: ſecundùm hanc principes virgines in Aula eſſe, Longavillam, Mariam Gonzagam, ac Mariam Lotharingam Guiſiam maturâ ad tales nuptias ætate, quarum una ſi Uadiſlao nubet, eam Regi, ac Reginæ Matri haud ſecùs quàm ipſa Anna Ludovica cariſſimam fore, atque hujus dotem uti regiis nuptiis tanto dignior ſit, aucturos.*

Iſthæc quidem in Aula rectè conſulta ac Bregio mandata fuêre. Ab Avauxio autem, & Serviano illi ſingillatim mandatum, ut Uladiſlaum in ſua, de pace inter Regem, atque Imperatorem conciliandâ, ſententiâ confirmaret, ita ut antiqua Principibus, ac populis Germaniæ libertas & redderetur, & conſervaretur. *Eò nihil magis neceſſarium videri, quàm poſthàc nullum Imperatori vivo deſtinari ſucceſſorem, atque adeò Regis Romanorum nomen de medio tolli, cujus qui poſthàc mentionem faceret, ſanciundum eum contra rempublicam feciſſe viſum iri: Septemvirorum numerum augendum, ita ut poſthàc Novemviri ſint, qui Imperatorem creent: unum ex his Carolum Palatinum, alterum Salisburgenſem Archiepiſcopum creandos, ita & Bavariæ Duci quò Imperii Elector porrò ſit cautum, atque uno Catholicos, ſicuti Proteſtantes auctum iri; ac denique imparem ſicuti neceſſe videatur, Electorum numerum porrò fore, ut ne ex ſuffragiorum pari numero quandoque Imperatoris creatio incerta ſit. Iſthæc ut ita ab Imperii Ordinibus in Monaſterienſibus, atque Oſnabrugenſibus Comitiis, atque alia omnia quæ in rem publicam erunt ſanciantur, Regi, atque Reginæ curæ futurum: cæterùm his gratiſſimum ac jucundiſſimum fore, Vladiſlaum tot, tantiſque virtutibus regiis ornatum Pacificatoris cum Pontifice, atque Venetis partes ſuſtinere apud Monaſterium Veſtfalorum, atque ut id Sociis, atque amicis*

amicis placeat, Regem atque Reginam omnem daturos operam. 1644.

Mihi quidem videtur Avauxium, & Servianum de Romanorum Regis creandi abrogandâ conſuetudine, Regis conſilium properantiùs Poloniæ Regi patefeciſſe, priúſquam hunc è Pacificatorum numero futurum ſatis ſcirent. Nam Imperator, neque Hiſpani uſquàm adduci potuêre, ut illius operâ in pacis negotio utendum cenſerent. Cæterùm poſthàc Gallici apud Monaſterium Legati hanc de Romanorum Rege creando conſuetudinem abolendam cenſuêre, quantùm ad Imperatoris modò filios, ac propinquos: quod quidem haud ſatis æquum videtur: nam hi quandóque cæteris digniores erunt, qui Reges Romanorum creentur, quos adeò durum eſſet virtutis ſuæ præmio privari, atque his fraudi eſſe ſuam cum Imperatore propinquitatem: Sed poſteà videbimus quid eâ de re magis Imperii Ordinibus placuerit.

Hoc anno fœmina Princeps Anna Montafiera mortem obiit. Huic ex primâ Nobilitate genus, nuptiæ ſupra genus fuerant: nam Carolum Borbonium Sueſſionem è regiâ gente virum habuerat, filiumque ex eo Ludovicum, ac filias duas: Altera Henrico Aurelio Longavillæ, altera Thomæ Principi è Sabaudicâ gente viro nupſerat: Ludovicus priuſquàm uxorem duceret mortem obiit. Anna antiquis moribus fœmina caſtitate, atque pietate inſignis, cæterùm tanta huic gravitas, ſeveritaſque fuit, ut hanc ſuperbam plerique eſſe dicerent, vitio humani ingenii virtutem alienam vix æquo animo ferentis.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER TERTIUS.
EPITOME.

1645. MOTTÆUS ab Cataloniâ rediens Lugduni in cuſtodiam conjicitur. *Bretellus Gremonvilla Romam proficiſcitur, qui Venetias deindè peteret eò Legatus ab Rege. Innocentius Pontifex Galliæ iniquus Barberinos fratres inſectatur. Hi ſe Regi dant in clientelam & fidem. Fiunt iſthic turbæ in Senatu. Jubentur quidam ex hoc Ordine ab Urbe ſecedere. Barillonus Præſes Pinarolum deducitur. Eſtrada Hagam Comitis de proximis æſtivis mittitur, ac præterea diſturbando quod Sueci moliebantur cum Sociis Civitatibus adversùm Danos fœderi. Harcurius Cataloniam Mottæi loco obtinet provinciam. Hippolitæ-Aragonæ cum Aquille, atque aliis de pellendis Barcinone Gallis conjuratio. Pralinopleſſius Rhodam oppugnat. Intereà Harcurius ad Sicorim ſtativa habet. Rhodâ deditâ Harcurius Hiſpanorum exercitum Balaguieram compulit, fame urget, atque ad deditionem cogit. Magalottus Mottam oppugnat, quæ hoc mortuo Villaregio deditur. Mardicum Gaſtoni deditum. Ramſavius Tribunus Equitum ab Rege creatus. Tortenſonus in Boiohemum movet. Racocius pacem cum Ferdinando ſancit. Hic Leopoldum Auſtrium cum exercitu in Boiohemum mittit, cui Hasfeldium legat. Tortenſoni, ac Suecorum cum Hasfeldio, Auſtriacis, Baioaris, & Saxonibus pugna, & victoria. Mercii, ac Baioarorum cum Turenâ, Gallis, Germaniſque pugna. Pulſi noſtri in Haſſiam conceſſêre. Angianus in Germaniam Spirâ haud procùl traducit exercitum. Coniſmarcus cum Suecicis, Geiſius cum Haſſorum copiis huic conjunguntur. Angianus cum Auſtriacis, & Baioaris haud procùl Norlingâ pugna, ac victoria. Norlinga huic dedita. Tortenſonus cum Suecis in Viadanæ conſpectu habet caſtra, intercedente Danubio, ac prohibente expugnatio-*

nem Urbis : cui rei confiſus Ferdinandus Leopoldum, ac Galaſſum cum parte copiarum mittit ad Maximilianum Baioariæ Ducem, cujus res in anguſto tum fuêre. Angiano morbo laborante ad Gramontium, & Turenam ſumma Imperii redit, qui Leopoldo ac Galaſſo appropinquantibus haud quaquam pares Nicrum, dein Rhenum copias traduxêre. Turena Auguſtam Treverorum recipit, ac Philippo Soëterno Archiepiſcopo, atque Imperii Septemviro reddit. In Italia Velada Marchio, qui Mediolanenſem obtinebat Agrum, redeunti ab Vigevano Thomæ Principi cum exercitu occurrit ad Moram amnem : eò pugnatur acriter, Hiſpani dilabuntur. Thomas pergit iter facere in Subalpinos. De pace apud Monaſterium Veſtfalorum agitur. Tancredi fabula ab Margaritâ Bethuniâ ſicut hunc ab Rohano viro filium habuiſſet ſcitè conficta. Herſenius quâ de causâ in carcerem conjectus. Rex cum Regina Matre promulgandis Edictis in Senatum venit. Pax inter Chriſtinam Sueciæ Reginam, & Chriſtianum Daniæ Regem Thuillerii Regis Legati operâ conciliata. Fœdus ab eodem Regem inter, & Chriſtianum ſancitum. Maria Gonzaga Uladiſlao Poloniæ Regi nupta ad virum deducitur. 1645.

ANNO proximo Mottæum Hodencurium qui Cataloniam obtinebat, in Galliam redire juſſum memoravimus: plenus erat fiduciæ, nec quidquam hujus quod ipſi accidit, ſuſpicabatur, homo imperio in provincia, quam jamdiù rexerat aſſuetus, nec ſibi tùm Nucerii gratiam deeſſe memor. Invidiam augebat redeuntis cultus propè regius, ſejuges rhedæ complures, carrorum quibus impedimenta vehebantur, magnus numerus, equi ad belli uſum egregii plus centum, qui loris nullo ſeſſore trahebantur. Qui inimici erant, Sociorum, qui amici, hoſtium ſpolia eſſe veriùs dicebant: prætereà familia ingens, prorsùs iter triumpho ſimile videbatur, neque indigna tanto honore in provincia geſſerat. Sed ubi Lugdunum advenit, ibi verò non modò ſe in ordinem coactum, ſed ne liberum quidem, quo nihil in vita durius, atque aſperius, ſenſit eſſe: nam ſubitò in carcerem, cui Petræ Inciſæ nomen, conjectus eſt: prætereà quorum indicio quæ deliquiſſe aiebant, palàm eſſent, ii & in vincula conjecti Lutetiæ Pariſiorum fuêre: res enim in invidia erat apud eos, qui tùm gratiâ valebant. Hunc ad fratrem Rhedonenſem Epiſcopum Principatûs hujus initio ſcripſiſſe aiebant, uti ſe certiorem faceret, ſi qui res novas moliri vellent, quibus ſe lubens adjungeret: prætereà negotiorum Curatori quem habebat in Aula, miſiſſe folia ab ſcripturâ vacua, cum nomine ſuo, ac ſigno appoſitis, in quibus foliis quid videretur perſcriberet, atque ſic fidem ſuam obſtringeret his, quibus belli civilis ſtudium eſſet. Poſteà de his, atque aliis hujuſcemodi quæſtio eſt in hunc exercita acriter, ex lubidine eorum quos Mottæus offenderat: cæterùm nulla quæ contra rempublicam eſſent, admiſiſſe videtur: quæ verò de re familiari auctâ objectabantur, ea adversùm hunc tali loco, tali virtute virum, tantis rebus geſtis, levia, atque jejuna videbantur: ſed quid Mottæo factum ſit, poſteà memorabimus.

Intereà Mazarinus cùm ſe invito Pamphilius Pontifex eſſet creatus, nihil ſibi reliquum eſſe conſtituit, quàm ut hunc beneficiis vincere ag-

1645. grederetur, uti non modò quam molitus erat adverſùs hunc repulſam, ejus dolorem leniret, ſed & ab eo Cardinalatum Michaeli fratri impetraret: nam quæ hominis eâ tempeſtate gratia, atque potentia erat, eam reputanti Pontifici in mentem nuſquàm venire poſſe arbitrabatur, ut odium ſuum, quàm amicitiam mallet. Eâ gratiâ principio hujus anni Nicolaum *a* Bretellum Gremonvillam ad Venetos ab Rege legatum voluit, qui priùs Romam, quàm Venetias proficiſceretur. Is quid facto opus eſſet apud Pontificem ab Mazarino probè edoctus, nihil tamen niſi ex voluntate Michaelis fratris qui Romæ erat, facere juſſus eſt. Ubi Romam advênit, Innocentio Pontificatum Ludovici, & Annæ Matris verbis gratulari, ab his perſcriptas eâ de re litteras reddere, Olympiam atque hujus filium Camillum nuper Cardinalem factum colere, poſtremò nihil omnium omittere, quò Pontificatum Pamphilio mandatum Regi, Reginæ Matri, atque Mazarino tùm jucundum eſſe ſignificaretur. Eò Innocentius, & Olympia ſuprà quàm dici poteſt lætari, neque eò minùs utrique Mazarinum ludificari conſilium fuit, atque homini gratiam aliquam pro his quæ erga eos commeruerat, referre decrevêre. Opimum Sacerdotium conſultò Mazarinus abdicaverat, uti Rex id Camillo Cardinali, qui & Olympiæ filius, & Pontifici fratris filius erat, dono daret, atque eâ mercede utrumque ad Cardinalatum Michaeli fratri dandum impelleret. Sed neſcio quo pacto accidit, uti priuſquàm eâ de re facta ſatis, aut firmata ab Pontifice, aut Olympiâ fides eſſet, Gremonvilla Reſcriptum quo Ludovicus Sacerdotium (Corbiæ Abbatia erat) Pamphilio dono dabat, Innocentio traderet, quò factum eſt ut ingratiis datum eſſet, Camillus Sacerdotio potiretur, Michaël Cardinalatum non haberet. Sunt qui Gremonvillam ſi quid in eâ re offenderit, eo purgatum velint, quod Reſcriptum ex Michaëlis modò ſententiâ tradiderit, neque enim mihi ſit veriſimile, hominem haud imperitum id temerè feciſſe, ſed magis Michaëlis autoritate adductum, & coactum, ut ne ſi ſecùs faceret, rem ſuâ culpâ corruptam ille diceret.

a De Bretel de Gremonville.

Innocentius Barberinos fratres non modò cum Italicis Principibus reducere in gratiam velle videbatur, ſicuti ſuprà memoravimus, ſed & cum ipſo Galliarum Rege, atque adeò cum Mazarino, quibus ſi id ſatis placeret, eò ſe faciliùs adductum iri ſignificaverat, uti Michaëlem Mazarinum Cardinalem crearet: prætereà Nicolai Bagnii ſui apud Ludovicum Nuntii operâ uſus fuerat, quò Regi, Reginæ Matri, atque Mazarino perſuaderet, ut Antonio Galliæ Patrocinium ſeu Protectionem redderent: ſed id per ſimulationem faciebat, & cauſas quærebat, quamobrem & Michaëli Cardinalatum negaret, & Regi nihil benignè faceret: nam Regem, aut Mazarinum nunquam Antonio placatum iri arbitrabatur. Intereà Hiſpanis obſequebatur omnia; primùm enim Joannem Carolum Ferdinandi Etruriæ Ducis fratrem non modò hujus honoris cauſâ, ſed & ut Hiſpanis rem gratam faceret, Cardinalem creaverat, probè ſciens eò Romæ horum augeri Sectam, quam & pluribus ſtatim poſteà clientelis reddidit auctiorem, octo Cardinales qui ipſis amici uſque fuerant,

præterea creando: quæ res denique Regem impulit, uti Gremonvillam abire, Româ, atque Venetias proficiſci juberet, ac Pontifici priùs ſignificare, ſe poſthàc nihil ipſi gratiæ debere velle; ſi quæ juſta, atque æqua eſſent negaret, ibi verò ſe quid ſibi facto opus eſſet, uti ſtatum dignitatis tueretur, viſurum, ac decreturum. 1645.

Cùm Veneti, atque Ferdinandus Etruriæ Dux Barberinos malè odiſſent, indignè videlicet ab Urbano, atque ab his habiti, nihil prius tùm habuêre, quam ut id in eos ulciſcerentur, cujus rei ſpem ſibi ereptum iri providebant, ſi Regem inter, & Innocentium ſimultates intercederent: nam apud illum certum Barberinis perfugium, neque adeò ſibi vindictæ in hos locum, aut copiam fore. Eò Pontifici ſuadebant, uti Mazarino de Michaëlis fratris Cardinalatu animum expleret, quod ſi faceret certam inter Pontificem, ac Regem gratiam fore, neque Mazarinum facilè cum Barberinis concordaturum. Sed Innocentius nuſquàm adduci potuit, ut id faceret, fretus recenti in Antonium Regis irâ, majorem hanc arbitratus, quàm ut tàm citò ſedari poſſet, ſimul Regi, atque Mazarino ob repulſam quam ſibi fruſtrà moliti fuerant ægrè facere jucundum erat.

Præter Cardinalatum quem Mazarinus fratri petebat, Belputeum de quo ſuprà memoravimus Regi tradi poſtulabat, in quem lege ageretur: nam cædis in Mazarinum paratæ Belfortio conſcius fuiſſe dicebatur, quâ de causâ ab Galliâ profugus dùm Romæ agitaret, in Molem Adriani Innocentii juſſu conjectus antehàc fuerat, nam tùm incertus quid Regi, aut potiùs Mazarino conſilii foret ſuper Pontificatu ſibi mandato, huic gratificari ſtudebat: dein ubi ab hoc, atque ab Rege ipſo, ac Reginâ Matre gratulationes adfuerant, omni metu denique ſolutus Belputeum emiſerat cuſtodiâ: nam Vindocinus quem ejuſdem paratæ cædis Belfortio filio conſcium fuiſſe aiebant, apud Florentiam Etruſcorum erat, qui per Ferdinandum Etruriæ Ducem, ut ne quid Belputeo mali, damnive Romæ eveniret, ſedulò caverat.

Sed Barberini ex injuriâ, quam Thadæo fratri factam arbitrabantur, ubi Legatis priſtinus in Pontificis ſolio reſtitutus fuerat locus, quem illi huic ex Urbis Præfecturâ debitum aiebant, præterea ex Cardinalatu Camillo Pamphilio mandato, quò ſpes nuptiarum Lucretiæ Thadæi filiæ cum illo interciderat, ac denique ex multis aliis quæ ab Pontifice quotidiè fiebant, aut dicebantur, ſe non pro merito in hunc ſuo haberi ſentiebant: metuendumque videbatur, ut ne pro beneficio maleficium denique redderet, more hominum qui plerumque quibus plus debent, quàm præſtare poſſint, eos perditos quàm ſalvos, & honeſtos malunt. Sed in Barberinis perdundis haud exigua merces futura erat: nam per diuturnum Patrui Pontificatum egregiè conlocupletati fuerant, atque adeò horum ſpolia ampliſſima fore videbantur. Poſtremò ſeu odio, ſeu avaritiâ, ſeu utroque impulſus Pontifex, ac præterea quotidianis plebis Romanæ in Barberinos maledictis, atque omnium Italicorum Principum odio permotus, ſeu quæ ſuâ ſponte judicioque in Barberinos facturus fuiſſet, ea ſummâ omnium voluntate ſe facturum tùm ſentiebat, illos labefactare, ac peſſumdare denique decrevit.

1645. Haud deerant quorum accuſari poſſent multa, bellum adversùs Odoardum Farneſium Parmæ Ducem perperàm ſuſceptum, pecunia ingens è ſanctiore Sixti Pontificis ærario eâ gratiâ extracta, atque alia in tres fratres compluria: prætereà in Antonium ſingillatim nonnulla, quæ per adoleſcentiam deſignaſſe ferebatur. Nam penes quos aliquandiù reſpublica fuerit, vix in eos fruſtrà Quæſtionem inſtitueris. Quæ ubi Barberini adversùm ſe parari intellexêre, primùm Philippi Hiſpaniæ Regis animum tentavêre, ſi ſe in clientelam, & fidem accipere vellet: ſed hic Italicorum Principum, ac maximè Ferdinandi Etruriæ Ducis lubidini in Barberinos, quàm horum commodis ſervire maluit, tametſi multa, magnaque illorum in hunc merita eſſent; ſed Hiſpanis animum explere difficile eſt. Igitur ad Ludovicum Galliarum Regem neceſſariò confugiendum fuit, qui tametſi Barberinis jure iratus, atque adeò infenſus erat, tamen eò placari poſſe videbatur, quòd quæ Hiſpanis ægrè ſunt, ad ea ſuſcipienda Galli facilè impelluntur: prætereà Mazarini naturam, atque rationem omnem pernoverant.

Pigebat quidem eò ſibi rem rediiſſe, quò alienæ opis egerent, ac maximè hominis, qui hos diù multùmque ſed fruſtrà coluerat, atque obſervaverat, nihil ab his, ſed ab Galliâ modò ornatus, auctuſque. Igitur Valancæum Cardinalem obſecrant, atque obteſtantur pro amicitiâ, atque grato in Patruum de Cardinalatu animo, ut in Galliam proficiſci, cauſamque ſuam apud Regem, Reginam Matrem, ac Mazarinum ſingillatim agere vellet, doceretque. *Nihil ab Franciſco, nihil ab Antonio in Pontificatûs negotio dolo malo factum, ſed Galliæ, atque Mazarino, juxtà ac ſibi conſultum voluiſſe, quibus ſuâ de Pontificatu, atque clientium ſuffragatione Innocentii gratiam quæſitam oportuerit: rem hujus perfidiâ, non culpâ ſuâ aliter cecidiſſe, qui ſibi, atque aliis abundè cautum ſint arbitrati.* Valancæus denique de hoc omni negotio probè ab Barberinis edoctus Româ clam egreditur, dein Pontificem de ſuâ in Galliam profectione per litteras edocet, quæ res huic moleſta, quia præter morem, nec ſatis ex Pontificis, ac ne Valancæi quidem qui Cardinalis eſſet, dignitate fiebat: cæterùm quandò quò ipſi iniquus eſſet, aliud nihil erat, ità nec in eum quidquam graviùs conſuluit.

Sed Valancæus linguâ procaci, valido ingenio, jocis, atque facetiis ſeria miſcere ſolitus, prorsùm Aulæ quæ tunc cummaximè fœminis conſtabat, idoneus erat: huic vetus neceſſitudo, atque familiaritas intercedebat cum Caſtronovano, qui fœminarum operâ multa movere ſolitus fuerat, ſicuti nuper uti ſibi in Aulam redire liceret, per Rohanam Mombaſonam tentaverat, atque ambo vix quieturi videbantur, quin turbas in Aulâ excitarent, quod quidem Valancæum Mazarino æmulum opponendo ſcitè fieri poterat, ille enim genere, virtute, ac rebus geſtis clarus erat. Sed Mazarinus ab Bicchio Cardinale de Valancæi in Galliam profectione factus certior, huic obviam mitti ab Rege, atque Reginâ Matre curavit, qui hominem juberet Romam ſtatim, regredi, ac ſi quid dicendum haberet, quod his ſcito opus eſſet, id aut

ſcriberet, aut mitteret ad eos hominem fidum, qui hoc officio vice ſuâ fungeretur. At ille ſuſpicatus id futurum, hujuſmodi occurſum vitabundus iter fecerat, ac ſecundo Ligeri ab Roanâ ad Briaram diù, noctúque navigans devectus, ad Urbem denique improvisò advénit. Continuò ad hunc miſſus ab Rege, ac Reginâ matre eſt Carolus Crequius nobilium Regis Cubiculariorum Princeps, cujuſmodi quatuor huic annuam per vices navant operam. Is hominem eâ ipsâ die Urbe faceſſere, ante viginti dies Regni finibus egredi jubet. 1645.

Sed Valancæus moram deprecatus haud abiturus videbatur: quamobrem Rex, atque Regina Bagnium Pontificis Nuntium accerſunt, ac monent, *Sibi conſilium eſſe Valancæi audaciam coërcere, hunc in cuſtodiam ſi manere pergat ad Urbem, conjiciendo, quod ſibi apud Pontificem fraudi eſſe nolint, neque apud Cardinalium Collegium, quos etiam in Galliâ ſibi ab naturâ ſubjectos ſalvâ Majeſtate regiâ, atque republicâ, quàm honorificentiſſimè haberi velint, cæterùm ſibi ytraque hæc curæ eſſe, ut ne quid detrimenti capiant.* Bagnius ad Valancæum adit, & quæ ſibi Rex, atque Regina dixerint, hominem edocet, qui denique paucorum dierum moram Bagnii operâ ab Rege impetrat, rei familiaris conſtituendæ ſpecie, cæterùm quæ ipſi de republicâ dicenda haberet, ea cui Regi videretur, homini fido dicturum. Miſſus eſt eâ gratiâ ad Valancæum Brienna Comes Quatuorvir, cum quo vix quidquam quod ſatis ad rempublicam pertineret, diſſeruit, ſeu ſpatium quærebat Aulam qualis tunc eſſet omnem pernoſcendi, ſeu cum Mazarini cliente aliquo, quàm cum Regis Adminiſtro, cujuſmodi Brienna eſt, agere malebat: nam ad eum mox Lionnus miſſus eſt, cui denique Barberinorum conſilia patefecit, qui Regis patrocinium adversùm Pontificis injurias expeterent, & quò ſuum in Galliam ſtudium certius foret, prædia in Regni finibus commercari, unum ex Thadæi filiis eódem poſthàc agitare vellent, ac denique ſeſe totos Regi dedere, quin & per connubia inter fratrum, ac ſororum filios, filiaſque ſeſe cum Mazarino conjungere: dein quanto uſui Barberini in Aulâ Romanâ, ac maximè in Pontificalibus Comitiis futuri eſſent, demonſtravit: ſed noviſſimorum memoria recens erat, nequedùm ſatis ira in Antonium deferbuerat: quò factum eſt uti Lionnus negaret Regem adduci poſſe, uti Barberinos in gratiam tùm reciperet, neque enim Mazarino ſpes adempta erat, omnem Pontifici ex repulſâ quam huic molitus fuerat dolorem abſtergere, atque hujus benevolentiam promereri, malebatque ſicuti cæperat hunc beneficiis vincere, ut ne quod in Camillum contulerat, id fruſtrà eſſet, quàm metu territare.

Sed ubi mox Innocentium verba dare Regi, ſibique, Hiſpanis verò non modò in rebus ſuis, ſed & in alienis planè obſequi Mazarinus animadvertit, poſtremò ſententiam mutavit, ac Pontificem metu, ut æqua noſceret, adigendum denique conſtituit. Nam Innocentius gratiæ ſibi apponi volebat ab Rege, quod Buillonio Duci Celſitudinis Titulum negaſſet; jure id quidem, quandò & injuriâ hunc eumdem Urbanus Carolo Borbonio Sueſſioni Principi è regiâ gente viro negaviſſet: prætereà

1645. quòd Vindocinum Ducem ab Galliâ profugum Agrum Romanum ingredi vetuiſſet; quod certè Pontificem facere decebat, adversùm hominem cædis in Cardinalem paratæ ſuſpectum: quòd Legatos adeſſe ſibi in ſolio poſthabito Thadæo Urbis Præfecto porrò voluiſſet; quòd per Galliæ Legati abſentiam fecerat, ut aliis Legatis gratificaretur: quòd Camillum fratris filium Cardinalem creaverat, uti ſpes Thadæi Barberini filiæ nuptiarum cum illo intercideret; ab quibus videlicet ipſe Pontifex abhorrebat, neque in eo Regem, aut Galliam reſpexerat: quòd Avenionis Cavarum Legationem Antonio abrogaverat; uti videlicet hanc propinquo traderet.

Pontificem igitur ſic Regem ludificari intolerandum viſum: quamobrem cum Valancæo qui Caroli Neovillæ Rus nobile, (Villaregium appellant) haud procul ab Urbe conceſſerat, de Barberinis in fidem Regis, & clientelam recipiundis ſeriò agere viſum, quod factum denique ſic ab Lionno eſt. *Primùm omnium quòd de Galliæ Patrocinio ſeu Protectione ut hæc Romæ Antonio redderetur, nihil eſſe quod porrò poſtularet, quia cùm huic abrogata fuerit eam continuò Rex Odoardi Farneſii Parmæ Ducis fratri, ubi Cardinalis foret, habendam promiſerit. Ab Antonio quò ſuum in Galliam ſtudium clarius ſit, quidpiam innato ſplendore dignum faciundum videri: de conſcribendis ſumptu ſuo copiis actum antehàc, quod jam fieri magnâ cum hujus gloriâ poſſit. Hujus in Aulam profectionem Regi, & gratam, & jucundam fore, ex quâ major, atque illuſtrior de reconciliatâ ſecum gratiâ fama futura ſit. Ubi de Pace inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges agetur, quæ Sacerdotia, bonave Barberini in hujus finibus habeant, iis atque horum fructibus uti poſthàc fruantur, ac de præteritis ſi qui intercepti fuerint, ipſis ſatisfiat, cautum iri. Regem Pontifici per litteras ſignificaturum Barberinos in ſua fide, atque clientelâ eſſe, quos in gratiam Pontificis hortatu receperit. Quas propoſuerat Valançæus conditiones, ad eas ſi hæ adderentur Barberinorum negotium facilè confici poſſe, quamobrem Valancæum ſubitò Romam redire neceſſe videri, uti Barberinorum ſententiam exquirat.* Poſtremò Mazarinus ipſe Villaregium ad Valancæum iit, uti cum eo de hac omni re colloqueretur.

Sed intereà Barberini, ac maximè Franciſcus dubius, atque adhuc incertus hærebat, uti facilè crederes hunc nunquàm niſi omni ſpe ſalutis Romæ damnatâ Galliæ partes ſecuturum, ad quas invitiſſimus acceſſurus eſſet: eò primùm Antonio fratri, qui his jam antehàc addictus fuerat, uti Rex quod in Pontificalibus Comitiis offenderat, id condonare vellet, poſtulabat, atque ut huic Galliæ Patrocinium, ſeu Protectio redderetur, quod quidem Rex denique haud abnuit, per menſes modò tres, quibus elapſis hanc abdicaret, quam Odoardi Parmæ Ducis fratri promiſſam tradere poſſet. Sed id Franciſco, ac ne Antonio quidem haud ſatis placebat: prætereà ſibi perſuadebant Thadæo fratri qui Præfectus Urbi eſſet, præcipui honoris quidpiam in Galliâ deberi: poſtremò de affinitate cum Mazarino jungendâ tergiverſabantur, ætatem in fratrum, ſororumve liberis opperiundam dictitantes, quæ matrimonio idonea eſſet. Ita nihildùm ſatis certi firmive in Barberinorum

negotio

negotio erat: neque id Mazarino ingratum, nam & ipſe haud ſatis expediebat, utrùm ſatiùs eſſet Pontificem, atque Pamphiliam Domum colere, an Barberinos tueri: illud æquius eſſe, ſi ſatis Innocentius intelligere vellet, quanto id ſibi uſui futurum eſſet, atque adeò ſeſe regiâ benevolentiâ dignum oſtendere. Intereà qui Barberinos oderant, atque perditos volebant, ii ſatis intelligebant Mazarino explendum de fratris Cardinalatu animum, ut ne hos regiâ potentiâ tegeret, ac tueretur, quod ſi fieret, omnis in eos ultionis ſpes intercidebat. Sed Innocentius tàm alienus ab Mazarino erat, ac tàm perſuaſus ab Sforzâ Cardinali neque Regem, neque Reginam Matrem, neque Mazarinum cujus conſilio, judicioque cuncta in Galliâ fiebant, Antonio placari poſſe, uti Barberinos ſeſe impunè peſſumdaturum arbitraretur. 1645.

Igitur adversùm Antonium jure agere parat, & qui ex hujus familiâ erant duos in vincula conjici jubet: qui ad hujus ædes commeabant, eos Ludoviſii, atque Camilli Pamphilii operâ circùm diſpoſiti lictores quid adferrent, auferrentve illiberaliter inveſtigabant: poſtremò edictum ab Pontifice eſt, uti pecuniæ in Parmenſe bellum impenſæ ante aliquot dies rationem Barberini redderent, qui ubi exiſſent, in ſingulos quibus poſteà in morâ forent, ſatis gravis mulcta dicta.

Cuncta hæc Antonium coëgêre denique uti de ſuâ ſalute ſeriò cogitaret, de quâ re apud Grimaldum Cardinalem, Franciſcum fratrem, Valancæum qui ab Galliâ redierat, ac Tiquetum in conſilium adhibuit. Grimaldo ſingillatim Mazarinus ſuam de Barberinis ſententiam crediderat, & quibus conditionibus denique agi, ac tranſigi cum his æquum cenſeret, atque hujus rei conficiundæ dederat facultatem. Inter has conditiones iſthæc præcipua fuit, uti videlicet Barberina Domus omnis in Regis clientelam, & fidem conferret ſe palàm, ac publicè, quò cavillandi poſthàc Franciſco locus nullus eſſet. Grimaldus iſthuc omne clàm omnes atque adeò Hiſpanos agere juſſus erat, atque ſimulare rem Barberinorum Regi haud magnoperè curæ eſſe, ut ne Hiſpani hujus conſiliis præverterent. Ubi Antonius qui conſilio aderant, eos docuit, quantum ſibi ab Pontifice periculum impenderet, quod unâ fugâ, atque eâ maturatâ poſſet evitare, Grimaldus illius fortunam miſereri, qui apud Regem ſibi haud ſatis placatum præſidium quærere cogeretur: cæterùm quid Regi, Reginæ Matri, atque Mazarino de Barberinis conſilii eſſet, hos tùm celatos voluit, quia Franciſcus uſque intactus ab Pontifice, nondùm adduci poſſe videbatur, uti conditiones quas ſuprà diximus acciperet.

Intereà Antonius ab Urbe profectus haud procul conſcendit navim, atque ad Ligurum oram curſum tenuit, quò ubi appulit, tantiſper in villâ littori propinquâ reſtitit: eò litteras ab Franciſco fratre accepit, timoris plenas, quem de Pontificis odio, atque irâ denique ceperat, ubi cum eo de Antonii fugâ fuerat collocutus, cujus autorem Franciſcum fuiſſe haud dubitabat, ex hac perindè huic, quàm illi infenſus: ſimul Franciſcus ſcripſerat ad Aulam litteras, quibus maturato opus eſſe, ſi

1645. ſe, ac fratres Rex in clientelam, & fidem recipere vellet, ſignificabat. His permotus Mazarinus ad Grimaldum ſcribit, uti nihil cunctaretur cum Franciſco negotium conficere, modò ut Barberini palàm, & publicè ſeſe Regis partes ſequi demonſtrarent, appenſis Galliæ ad ædium ſuarum limina Inſignibus, ſimul Pontifici litteras Regis redderet, quibus certior fieret, hunc omnem Barberinorum Domum tueri decreviſſe; quam Pontifici cùm ex Cardinalatu ſibi mandato, tùm ex Pontificatu hujus operâ adepto, cariſſimam eſſe non dubitet, atque hanc non modò ſalvam, & honeſtam, ſed & florentem velle, quod quidem ſatis intellexerit frequentibus per Bagnium Pontificis hortationibus, ac precibus ut Antonium in gratiam recipere, & huic Galliæ Patrocinium, aut Protectionem Romæ reddere honoris ſui causâ animum induceret.

Sed priuſquàm hæ Regis litteræ Romam perlatæ fuiſſent, tantus de Pontificis odio metus Franciſcum inceſſerat, ut haud ſatis æqui in Galliam uſque animi, neque multùm in Mazarinum propenſi planè immemor, quas Grimaldus ferebat conditiones, eas cupidiſſimè acceperit, ac de prædiis ab Thadæo in Galliâ coëmendis, atque eòdem mittendo hujus filio fidem ſcriptò dederit: dein palàm ac publicè Inſignia Galliæ liminibus Barberinorum ædium appenſa ſunt. Id quàm ægrè Pontifex tulerit, vel ex eo exiſtimare facile eſt, quòd ubi Gueffierus cum eo de hac re collocutus eſt, hic Galliæ negotia Romæ tùm procurabat, negavit ſe credere id omne ab Rege profectum, ſed ab Grimaldo, ac cæteris Barberinorum in Urbe amicis: ſeſe hos ſicuti par eſſet diligere, atque confidere ſibi obedientes fore, quemadmodùm jus, & æquum poſtulet, adversùm quod Regem hos tueri velle nequaquàm exiſtimet.

Barberinus & ipſe Pontificem adiit, ac docuit, *Datam ab ſe in proximis Comitiis Sanchamondo fidem, fore ut ipſe, fratreſque Galliarum Regis Sectam poſthàc ſequerentur, quò hujus voluntate, atque Galliæ Clientium ſuffragatione, aut certè nihil his obſtantibus, Innocentius Pontifex crearetur, atque adeò hanc ſolvendam fuiſſe, appenſis ad ædium ſuarum, ac fratrum limina Galliæ Inſignibus, quod huic probari non dubitet, cum ex eâ re tantum fructum ceperit, ipſum videlicet Pontificatum.* Innocentius quod Barberini ſibi bonum, atque commodum eſſe duxerint, id æqui ſe, bonique conſulere reſpondit, quibus ex animo factum vellet, atque idem Grimaldo de eâdem re colloquenti dixit, ac multa de ſuâ in Regem benevolentiâ addidit, nihilominùs Barberinos perſequi, ac peſſumdare certus. Nam ubi Franciſcus Antonium Urbani Bullâ fretum, ſibi Magiſtratum (Camerlingi ſanctæ Eccleſiæ Munus eſt) permiſiſſe ait, quem per abſentiam ſuam gereret: Ibi verò Innocentius ut ne id Franciſcus facere vellet edixit, ac Procamerlingum Sforzam Cardinalem Barberinis inimiciſſimum creavit, fructuſque omnes Camerlingatûs huic attribuit. Sed nihil Romæ Galli quod ſibi illìc utilius foret, unquàm fecêre, quàm ubi Barberinos tueri adversùm Pontificis injurias decrevêre: nam his multæ clientelæ ſunt, quibus Rex fretus, ſaltem qui ſibi ſuſpectus erit, eum Pontificatu prohibere poterit, atque alia interea in Urbe moliri, quibus Pontificis in ſe malevolentiam infringat, aut coerceat.

Qui res novas in Aulâ, atque in Urbe cupiebant, earum ſemina jacere hoc anno cæpêre. Antehac per Ludovici XIII. Regis pueritiam, hujuſcemodi homines operam dederant, uti Senatus ab Aulâ rei publicæ ſpecie diſſentiret, quam ex omnium ſententiâ gerere difficile eſt. In Senatu plerique adoleſcentes fuêre, bono, egregio, ſed acriori, quàm par erat, ſicuti ea fert ætas, ingenio: hi rerum humanarum nondùm ſatis gnari, dùm eas fortè ex Philoſophorum præceptis adminiſtrari æquum cenſent, in fraudem incidêre, eorum dolis opportuni, quibus rempublicam perturbare conſilium fuit: ſed his majores natu pauci in Senatu conſcii, atque fautores fuêre. Id primùm illis conandum fuit, ut ne Senatus in Matthæi Molæi Primarii Præſidis, atque aliorum Præſidum, prætereà majoris Claſſis, quæ Seniorum eſt, poteſtate eſſet, ex quorum ſententiâ, judicioque frequens ubi opus erat in a majus Conclave & vocari, & haberi conſueverat: Id & ſui judicii cæteræ Claſſes quas Inquiſitionum appellant, eſſe contendebant, pernegante cum Præſidibus majore Claſſe: poſtremò eò res rediit, uti cæteræ Claſſes ab Primario, dein ab uno quoque ex Præſidibus, prout quiſque prior eſſet, uti Senatum frequentem convocaret, atque haberet ex formulâ poſtulandum eſſe conſtituerent, qui ſi abnuerent, omnes Claſſes in majorem ultrò conventuras, & ſi Præſides etiamtùm Senatum habere detrectarent, hunc Gaianum antiquiorem Inquiſitionum Præſidem habiturum. 1645.

a La grande Chambre.

Igitur Inquiſitionum Claſſes in majus Conclave, aut majorem Claſſem ex compoſito conveniunt, tametſi vocatæ non fuerant, atque illic agi cæptum; quo pacto Senatus rectè, atque ordine eò poſthàc vocaretur, atque frequens haberetur, uti more majorum, ſicuti Juniores aiebant, de republicâ conſultaret, prætereà quis abnuentibus Primario, ac cæteris Præſidibus, item rectè, atque ordine Senatui præeſſe poſſet? Sed Primarius Præſes, atque alii cum Inquiſitionum Præſidibus, atque Senatoribus litigare, conturbare rem, & altercationibus tempus trahere, donec poſtremò hora quâ excedere Curiâ moris eſt, adeſſet, atque tùm re infectâ diſceſſum. Continuò Reginæ nuntiatum eſt, quid in Senatu ageretur: *Coercendam juniorum licentiam, nec hanc ipſis impune eſſe debere, acerrimos in eâ fuiſſe* b *Petrum Gaianum, & Ioannem Iacobum Barillonum Inquiſitionum Præſides, prætereà Nicolaum Quelainum, & Carolum Comitem Montoglanum homines maturâ ætate, qui Juniorum facilitate abutantur: Senatum uti civibus jus dicat, inſtitutum: omnis rei publicæ curam penes Regem modò eſſe, cujus ullam partem attingere Senatui niſi ab Rege conſulatur fas non ſit.* Digna res viſa de quâ in Regis Conſilio referretur: adfuêre de more Gaſto, Condæus, Mazarinus, Seguierus Cancellarius, atque alii, ex quorum ſententiâ Gaianum, Quelainum, & Montoglanum Regina ſecedere, Barillonum Pinarolum concedere jubet: in hunc quoniam Belfortii conſiliorum particeps habebatur, graviùs conſultum, miſſi ſatellites qui cum Pinarolum abducerent, uxori uti virum comitaretur poſtulanti negatum, cæteri uti cuique rus Urbi proximum fuit, eò abiêre.

b Gaian, Barillon, Quelain, le Comte de Montauglan.

1645. Ubi hæc Patres accepêre, tùm de Collegarum diſceſſu ſolliciti in majus Conclave univerſi conveniunt, & quid facto opus ſit, inter ſe conſultant: dicuntur ſententiæ graves, multi ab omnibus judiciis, atque negotiis abſtinendum cenſent, uſque dùm Collegis in Urbem, atque in Senatum redeundi poteſtas fiat: hæc fuit Petri Bruſſelli ſententia, in quam Juniores frequentes iére: majoribus natu aliter viſum, Reginam modò adeundam, atque uti Collegas redire juberet, commonefaciundam: qui ubi ſententiam ſuam valere ſtudent, pluresque in eam diſceſ-ſiſſe contendunt, negantibus Junioribus, rursùs omnes ordine ſententiam rogari placuit: ſed ubi ad Bruſſellum ventum, quam priùs dixerat, eam mutavit, ſeu permotus eorum oratione, qui contra ſenſerant, ſeu veritus ne quid ab Aulâ ſibi graviùs accideret, nec poſt hunc quiſquam omnium ejus ab qua ipſe diſceſſerat ſententiæ prærogativam affectavit. Ibi verò ſe Juniores deſertos clamitare. *Qui in Aula gratiâ polleant, iis proditam ab Præſidibus, & Senioribus Senatûs autoritatem, quâ per eorum ſocordiam, aut avaritiam imminutâ hos ipſos ludibrio habitum iri, atque Juniorum fidem nequicquàm imploraturos. Senatus conſenſu nihil Aulæ terribilius eſſe, in cujus corruptelâ, avaritiâ, aut prædandi lubidine id modò reliquum bonis perfugium, atque præſidium ſit: eò qui hujus Ordinis dignitatem, atque potentiam minuant graviùs peccare.* Nihilo ſeciùs Senatûs decretum fit ſicuti Præſides, ac majores natu cenſuerant: dein Patres Reginam de Collegarum in Urbem, atque in Senatum reditu adeunt: de Senatu negatum, de Urbe Gaiano, Quelaino, ac Montoglano poteſtas facta: Barrilloni cauſam ab aliis diverſam eſſe reſponſum, neque quod de eo ex Conſilii ſententiâ decretum ſit, id tunc minui poſſe.

Ubi hæc Senatui nuntiata, Juniores dictitare, *Hanc eſſe Seniorum ignaviæ, atque obſequelæ mercedem: Senatûs autoritatem in Aula nihili pendi, quoniam aliùs alio, nec omnes ad id quod ex uſu ſit, uno animo tendant. Antiquam experiri libertatem ſi cui bono lubeat, ipſi fraudi eſſe. Adeſſe exilium, carcerem, vincula ſi quid de republica more majorum referri velis: aut ſicubi ab Rege Senatus conſulatur, quod nunquàm niſi de Edictis ad corrogandam pecuniam fiat, rectè cenſueris. Regem inter, & Populum medium uſque Senatum fuiſſe. Si ille imperium per lubidinem, hic libertatem per licentiam exerceret, adfuiſſe qui prohiberet Senatum, apud Regem monendo, precandoque, queis precibus ſua tamen vis, atque autoritas ineſſet, apud populum decernendo, coercendoque. Hæc tunc imminuta, corruptaque, dùm Præſides ſi diis placet, & Seniores Aulæ, & rei familiari ſerviunt. Imperium adeò in lubidinem, libertatem in licentiam verti: quæ uti ſuâ ignaviâ contracta poſteritas credat, nuſquàm commiſſuros. Igitur tametſi judiciis pro more operam dari Senioribus placeat, nequid de ſolito decedat quæſtu, aut quid adversùm Aulam offendant, nihil ſe tamen rerum facturos, donec Collegis omnibus in Senatum redire copia ſit.*

Contrà Seniores. *Neque Regem, neque Senatum* aiebant *quidquid poſſit, experiri ex uſu eſſe. Hoc tamen inter utriuſque potentiam intereſſe, quod hanc Rex ſuo, Senatus alieno, atque ab Rege conceſſo jure teneat. Præclara igitur eſſe Juniorum de Senatûs potentia, atque autoritate verba, quæ dùm magnificè jactant,*

haud ſatis meminiſſe hanc ſe ab Rege non depoſitam, ſed permiſſam habere. Ubi Senatui Reges morem gesſerint, id ſuâ voluntate, & quia recta eſſent, quæ Senatus monebat, feciſſe: ab invitis autem exſculptum quidpiam, perinde Senatu, ac Regibus indignum fuiſſe: Cæterùm in Regno unum Regem imperare, parere verò cæteros omnes, nihil medium videri. Ipſum Romæ Senatum, Conſilium Orbis terrarum, ipſos Conſules plebi Romanæ paruiſſe. Quod Senatus juris ſit in cæteros cives, non tàm ſuum, quàm Regis eſſe, cujus in ea re ipſius voluntate vices agat. Senatum ſi cum Rege ſentiat validum, ſi diſſentiat, infirmum fore. At enim avaritiæ, atque ambitioni eorum qui apud Regem gratiâ valebunt, ſerviundum erit? Minime. Sed ſi quid ex eorum lubidine Rex edicat, jubeatque in acta Senatûs referri, aut ſi quid ea res more majorum ad ampliſſimum Ordinem pertineat; ſtandum iis quæ ipſi majores noſtri ſapienter, & moderatè fecêre: ſcilicet commonefaciundum Regem, & quæ æqua ſint, edocendum, cæterùm ampliùs quidquam facere fas non eſſe. Quæ Senatus ab Rege, aut Reginâ Matre de Collegis poſtulaverit, eorum partem maximam impetraſſe, ſcilicet ut ad Urbem redeant, quod difficilius erat: eò magnam ſpem eſſe, ut & brevì in Senatum veniant (quod quidem facilius videtur) impetraturos. At de Barillono negatum? quem ſcilicet gravibus de cauſis amandatum, & in cuſtodiam conjectum aiunt: hujus tamen rei curam Seniores neutiquam omittendam cenſere, ſed ita ſuſcipiundam, ut ne ſibi Senatus ſubitò obtemperari velit, qui mos jubentis magis, quam ſupplicantis ſit. Patres mox poſſe rurſum de Barillono Reginam adire: Interea ſi ab judiciis ſe abſtineant, nihil illi profuturos, & populo, ſibique damno fore. Nihilo ſeciùs Inquiſitionum Claſſes judiciis abſtinuêre. Poſt paulò Patres rursùm Reginam de Barillono, ut & hunc ad Urbem, & in Senatum redire vellet, adiêre: quod ubi acriùs urgeri ſenſit, priùs edocta quid reſpondendum eſſet, Barillonum ait ex Gaſtonis, Condæi, totiuſque Conſilii regii ſententiâ in cuſtodiam conjectum, & quoties ex Senatu quis peccaverit, in eum ex delicti gravitate pariter animadverſuram. Sed nec ea oratio Juniorum fregit, aut flexit animos, uti luberet magis judiciis operam dare, donec moræ, atque otii tædio, cùm nihil ſuâ pertinaciâ proficerent, ad conſueta munia rediêre. 1645.

Per id tempus in Urbe hujuſmodi incidit res, cujus gratiâ propè ad ſeditionem ventum. Templum B. Euſtachii celebre eſt, cui plebis multitudo ingens, quæ in eo ſacris operam det, dudùm eſt attributa: hujus Antiſtes erat Tonnelierus, Curionem appellant, aut Paſtorem, ab curâ Gregis quem verbo Dei paſcere debet, is in gravem incidit morbum, ex quo cùm ſe refici poſſe diffideret, complures è grege ſuo, ſcilicet ex eâ multitudine, quæ ſibi ſacrorum causâ attributa erat, quos non modò in his, ſed & in anguſtis rebus ſuis & conſilio, & re juverat, ad ſe vocari jubet: dein ſingulos appellando, percunctatur quam pecuniam his mutuò dediſſet, num eam abſque rei familiaris gravi incommodo reddere poſſent? qui bonâ fide ſe negarunt poſſe, eorum chirographa conſcîdit, cæterorum ſervavit: cujus rei fama ubi ad omnem pervaſit multitudinem, incredibile memoratu eſt, quantam gratiam addiderit homini. Sororis filium habebat in eodem Templo ſacris operantem, quem ubi ipſe deceſ-

1645. ſiſſet, in locum ſuum Curionem fieri percupiebat: ſed priùs diem ſuum obiit, quam cuncta ad eam rem neceſſaria ab Româ venirent: quamobrem alius Curio eſt creatus. At ea quam ſuprà memoravimus multitudo attributa Templo negavit ſe quemquam in eo ſacris præeſſe paſſuram, præter Tonnelieri ſororis filium, quod quanquàm minùs æquum eſſet, neque dandum plebi exemplum erat, ſibi Templorum Antiſtites deligendi, mos tamen huic gerendus fuit, cùm certum eſſet non aliter quieturam.

Intereà quæ ad bellum proximis æſtivis porrò gerendum pertinebant ſummo ſtudio, atque diligentiâ parabantur; quod idem ut ab Sociis Belgarum Civitatibus fieret Regina Eſtradam Hagam Comitis miſit, ſimul uti quid hoc anno utrimque conandum eſſet potiſſimùm, cum his & cum Arauſio conſultaret, quantis copiis, quanto navium numero res communis gereretur: nam his Civitatibus ſcilicet ad Oceanum, atque Inſulas, quò Vahalis mare compluribus oſtiis ſubit, poſitis, major quàm cæteris omnibus gentibus navium copia eſt: hæ nobis in Belgii ora quidpiam molientibus magno uſui futuræ erant, atque adeò ut ne aliò abducerentur, cavendum fuit. Bellum nuper ab Chriſtina Sueciæ Regina adversùm Chriſtianum Daniæ Regem ſumptum fuerat, ſicuti ſuprà memoravimus, quod non modò terrâ, ſed & mari gerebatur: eò apparatæ utrimque claſſes, atque eâ parte belli Sueci fœderatos Belgii Ordines in ſocietatem vocabant. Sueci, atque Dani mare Suevicum accolunt, quo Batavi ac cæteri Sociarum Civitatum Populi navigare plurimùm, atque in hujus portubus commercari ſolent. Sed id ingredi niſi per ſubjectum Arci Danicę fretum nequeunt, quâ de causâ Danię Rex maxima ab his exigit portoria, quæ uti planè tolleret, aut imminuere cogeretur, proni ad fœdus, & ſocietatem cum Suecis faciundam omnium animi videbantur, quod ſi fieret neceſſe erat bellum ab Sociis Civitatibus in Belgio adversùm Hiſpanos ſegniùs geri, ac pleraſque naves in mare Suevicum duci. Præterea Suecis ad bellum Danicum intentis neceſſe item erat, hos Germanicum ſegniùs gerere, atque ita novum illud adversùm Danos bellum utrobique nobis fraudi futurum erat, quibus cum Suecis, & Sociis Civitatibus belli adversùm Auſtriacos, & Hiſpanos ſocietas intercedit. Eâ causâ Eſtrada juſſus erat Socias Civitates ab Danico bello avertere, uti Belgico quantam ex fœdere debebant, nobiſcum operam darent, ac maximè ut eorum naves nobis ad mare quidpiam molientibus uſui forent. Impetratum denique ab Sociis Civitatibus eſt, ut ne ſe Danico implicarent bello, ſed magis paci inter Suecos, Danoſque conciliandæ ſtuderent, quod denique naviter fecêre.

Sed ut æſtivorum tempus in Hiſpania maturum eſt, eò de more priuſquàm aliò bellum cœpit. Decreta hæc fuerat provincia Henrico Lotharingo Harcurio, qui hanc Prorex cum exercitu obtineret: nam ad rem adversa Mottæi fortunâ corruptam in Catalonia reſtituendam magis idoneus erat nemo, cujus rei patrandæ incredibili ſtudio flagrabat, non modo rei publicæ causâ, ſed & odio in Mottæum, qui cum Harcu-

rii inimicis, ac ſingillatim cum Longavillâ congruebat. Mottæo Margaritus cum omni factione ſuâ amicus fuerat, nam duæ apud Barcinonem ſunt, hæc una, altera Joſephi Dardennæ, quam adeò Harcurius prætulit, ſibique adjunxit. Margaritus per Proregis abſentiam apud Barcinonem, atque in omni Cataloniâ pro Prætore eſt (Gubernatorem appellant) cujus Magiſtratûs etiam Prorege provinciam obtinente, atque præſente quædam munia ſunt. Priuſquam Harcurius adveniret, ex adverſâ apud Ilerdam Mottæi pugnâ, atque irrito apud Tarraconem incæpto Hiſpani ſpem nacti Barcinonis, atque omnis Cataloniæ recipiundæ, non tàm apertâ vi, quod plerúmque feliciùs Gallis cedebat, quàm arte, atque fraude quibus maximè valent, ſibi agendum decrevêre. Erat apud Barcinonem mulier primaria formâ luculentâ, atque ingenio valido, quorum alterum ad pelliciundos animos, alterum ad ingentia quæque patranda uſui fore videbatur. Hæc ex Aragonia claris majoribus orta, viro item in Catalonia clariſſimo nupſerat, Hippolitam Aragonam, virum Albi Baronem appellavêre. Sed his nihil ſimile præter genus, alia omnia diſſimilia, atque contraria fuêre. Vir Gallis, uxor Hiſpanis ſtudebat, quò facilè Toralto qui in propinquo Tarraconi Præfectus erat, venit in mentem, Hippolitæ operâ uti, ut apud Barcinonem grande quidpiam atque Hiſpaniæ Regi utiliſſimum moveret, neque ad id patrandum mulier quidquam abnuitura erat. Hanc Onufrius quidam Aquilles dives, ac nobilis in urbe amabat dudùm, nequedùm huic illa copiam ſui fecerat, non quòd pudicitia obſtaret, nam huic alia omnia cariora fuêre, ſed quòd juvabat nobilitare ſcelus, ita ut non ad ambos modò, ſed & ad rem ipſam publicam prodendam pertineret. Igitur ex Toralti ſententia qui Aquillis amorem noverat, hunc Hippolita edocet, quid facto opus ſit, ſi potiri velit: ſcilicet deſertis, ac proditis Gallis ad Hiſpaniæ Regis partes tranſeundum, atque operam dandam, uti Barcino, atque omnis Catalonia in hujus ditionem, ac poteſtatem redeat. 1645.

Hic primùm averſatus, deprecatuſque facinus, quod utrique ac fortaſsè Civitati omni perniciem allaturum videbatur, poſtremò ubi mulieris animum nec rationibus, nec precibus, obſecrationibuſque flectere poteſt, hujus amore, atque blanditiis victus, non priùs tamen ex voluntate reſpondit, quàm illa rem nefariam grati Aquillis in Philippum Hiſpaniæ Regem animi ſpecie cohoneſtavit, dictitando hujus beneficio, ita enim ſe res habebat, Aquillem nobilem antehàc factum, fortunamque ejus viris genere in provincia clariſſimis æquatam, pro quo gratiam Philippo referendam, quem Principem ab natura ſortitus eſſet: ita tùm demùm Aquilles in Hippolitæ, hæc autem in illius poteſtate fuit. Aquilli Toraltus ſatis grandem pecuniam curavit, quam ex Hippolitæ ſententia largiretur iis, qui alicui ad rem quam moliebantur, uſui eſſe poſſent. Ambo ſibi Gallicanſium Abbatem totius Cleri Catalanici facilè principem haud difficulter adjungunt, nunquàm ab Philippo, Hiſpaniſque abalienatum, ſed tempori ſicuti complures ex ordine Eccleſiaſtico ſervientem: dein pleroſque alios ad Philippi partes adducunt. At poſt-

1645. quàm Harcurius Barcinonem advenerat, tanti fama viri, copiæ, atque alia inſtaurando bello idonea maximam Catalanis de libertate porrò conſervandâ ſpem fecêre, quam Harcurius his quæ poſthàc dicturi ſumus præclarè geſtis confirmavit. Is profectionem ad exercitum adornabat, cum in rem ſuam conjuratis eſſe viſum, Hippolitam inter & Chabotum amorem conciliari, ut illius operâ quid Harcurius per proxima æſtiva moliretur, ac faceret, reſciſcere poſſent. Hippolita haud difficulter Juvenis animum ad ſui amorem pellicit, itaut planè in hujus eſſet poteſtate: dein Aquilles qui Chaboto familiaris erat, atque homini plus nobilitatis, quàm pecuniæ eſſe ſatis ſcibat, ſeſe huic mutuam ſi ita videretur daturum inter colloquendum dixit, quod quidem gratum acceptumque Chaboto fuit. Sed ut hunc ſibi magis, magiſque adjungerent, ſimul ut hujus, atque Harcurii cui affinis eſt, operâ Joſephum Margaritum ampliùs labefactarent, Chaboto perſuadent ut huic Magiſtratum abrogatum, ac ſibi ipſi mandatum velit: id illi & Harcurii Proregis affinitate, & ſuâ virtute freto haud difficile futurum, ſeſe intereà apud populares operam daturos, uti Civitate donetur, quandò hic magiſtratus nulli niſi qûi civis ſit, mandari poſſit: ita bonæ ſpei plenum, atque Hippolitæ blanditiis, & conſuetudine devinctum dimittunt, qui cum Harcurio proficiſceretur.

Is juſſus erat ad Sicorim habere caſtra, ut Hiſpaniæ Regem quem apud Cæſarauguſtam venturum ferebant, aut qui copias ejus ductaret, eum fluminis tranſitu prohiberet, intereà dùm Pralinopleſſius cum altero exercitu Rhodam oppugnaret. Oppidum eſt ad mare opportuno loco ſitum, muro firmiſſimo, & quinque propugnaculis munitiſſimum: mare foſſam ſubit, atque adeò cujuſvis auxilii eâ parte copia eſt. Id modò oppidum, & Tarraco ab Iberi oſtiis ad mare Gallicum adhùc in Philippi erant ditione, cætera Ludovicus tenebat. Tarraco ſæpiùs fruſtrà tentata, Rhodæ quia propior Galliam eſt, facilior oppugnatio viſa, majorque ex hac oppugnatâ fructus.

Igitur Pralinopleſſius IV. Non. Apriles circumquàque oppidum caſtra ponit, munitque. Eò ab Barcinone, quæ Proregum ſedes eſt, Harcurius venit, & quò quæque Cohors, aut equitum Ala tenderet, agitaretve, & quâ quiſque Caſtrorum Præfectus curaret, ipſe pro Imperio conſtituit: dein eâ nocte quæ profectionem ejus anteceſſit, foſſæ ad oppidum duci cœptæ. Peditum millia novem, equites mille in caſtris erant: ante portum naves bellicæ majores quindecim, incendiariæ ſex, actuariæ decem, aliæ prætereà eò venire juſſæ nondùm aderant. Reliquum Aprilis ducendis ad oppidum foſſis, turribus ædificandis, collocandis tormentis conſumptum; nec intereà noſtris quies ab hoſtibus fuit. Oppido Præfectus erat Jacobus Cavalierus propugnandi inter Hiſpanos peritiſſimus: is quotidie equites, peditesque qui noſtros operibus intentos perturbarent, emittebat. Sed hos qui ad hujuſcemodi impetus ſuſtinendos in ſtationibus fuêre, tuebantur, atque hoſtes propulſati, quoties eruptionibus pugnavêre: nullum tamen intermittebant diem, quin ſemel, at-

que

que iterùm quid pugnando prodeſſe poſſent, periculum facerent. 1645.

Nihilo ſeciùs opera noſtri promovêre, in quibus occupatiſſimi erant, cùm tempeſtas coorta, quæ uſquè fecerant cuncta corrupit: nam ab imbre flumina quæ ab proximis Pirenæi jugis defluunt, atque Oceanus ab fluminibus immensùm auctus omnia repente caſtra necopinatò complevit: præthereà vento militum tuguria, atque tabernacula proſtrata, homines unà, jumentáque his involuta fœdiorem quàm pro periculo ſpeciem hoſtibus è ſummo muro ſpectantibus præbuêre, omnes propè copiæ ſtationes, atque caſtra ipſa deſerere coactæ in proximos vicos dilapſæ ſunt, cùm vim tempeſtatis, atque frigoris niſi ſub tectis perferre nequirent.

Helvetii tamen ad omnem duritiem aſſueta gens nuſquàm ſe loco movêre editiore fortè conſtituti. Item Pralinopleſſius quas circùm Prætorium habebat copias, eas haud dilabi paſſus eſt: hoſtes intereà omni circùm oppidum regione aquis completâ incertis ſeſe vadis committere non auſi, nihil priùs quàm paulùm dilapſæ fuiſſent tentavêre. Tùm verò eruptione factâ ab ipſo Pralinopleſſio de more in oppidum compulſi ſunt: dein copiæ in caſtra rediêre, atque opera refici cæpta. Triduùm ea tempeſtas ſæviit, in mari, quàm in terrâ multò ampliùs: hâc duæ ex claſſe noſtra naves actuariæ periêre, altera vadis impacta, altera fluctuum vi diſrupta, qui huic præerat, is innixus tabulæ ad proximum littus ejectus eſt, paucis aliis eadem fortuna fuit, cæteros milites, remigeſque mare hauſit: reliquæ naves diù multúmque cum fluctibus conflictatæ, poſtremò tamen incolumes permanſêre.

Sedatâ denique tempeſtate noſtri maturare, hoſtes tardare opera, crebrò erumpere, atque ipſi longiuſculè ab oppidi foſſâ contra munire, nulla uſpiàm oppugnando, aut propugnando majora virtutis exempla edita: nihil ſoli ab noſtris quàm quò hoſtis cominùs pugnando pulſus eſſet, occupatum, atque id ni properè muniretur hoſtis quandoque, & pugnando recipiebat, ac ſic duplicabatur in abigendo rùrsùm labos, periculumque: quin & quædam jam munita loca ab hoſte recepta ſunt, foſſæ completæ, turres exciſæ, omnia opera corrupta, quæ refici magno militum labore neceſſe fuit: poſtremò tamen ad foſſam oppidi perventum, cujus latere perfoſſo in hanc deſcenſus patuit: ſed eò aqua ſeptem alta pedes erat, quam adeò Cavalierus haud ita facilè tranſiri poſſe credidit, ſeque aliquandiù prohibiturum, donec aut terrâ, aut mari quid auxilii adveniret, cujus ipſe Philippus ſæpiùs per litteras ſpem fecerat. Sed hæc Præfectum fruſtrata eſt, Harcurius enim cum exercitu ad Sicorim, claſſis noſtra ab mari prohibebat, neque id ab Hiſpanis uſquàm tentatum. Intereà noſtri maturare rem, cunicularios ad propugnaculorum latera duo applicare, horum alter pellitur, alter opus incipit, ac promovet, pontes in foſſâ inſtituuntur, quos incendiariis navigiis hoſtes corrumpere tentant, ſed hæc accedere prohibita longiùs quàm ut nocere poſſent, arsêre: rurſùm quò pulſus erat alter cunicularius, eò mittitur: at ea ſaxorum queis murus conſtabat durities, atque hujuſmodi colligatio fuit, uti perpetua rupes eſſe videretur, quod quidem ut ne perfringerentur,

1645. aut avellerentur magnoperè obſtabat: ſummo tamen cunicularioꝛum labore eſt effectum, uti VI. Calend. Junias ad Sangeorgiani propugnaculi latus cuniculus pulvere tormentario compleretur, atque igne admoto ingentem ruinam ederet: continuò noſtri irrumpunt, locumque occupant, ac jam munire ſicut erat imperatum incipiebant, cùm pleraque nobilitas laudis avida prætergreditur, atque ad propugnaculi ſumma contendit. Ibi vero hoſtes haud quaquàm ſui diſſimiles, prætereà neceſſitate compulſi, quæ & fortiſſimis virtutem addit, poſtremò loco freti noſtros inter muri rudera per acclive ſubeuntes excipiunt: prælium fit quàm pro numero hominum acrius: noſtros ſi paulùm anniterentur oppidi expugnandi ſpes, atque gloria, hoſtes & fortunarum, & ſalutis cura quæ in eo temporis veſtigio agebatur, ſtimulabat: primo tamen congreſſu pulſi aliquantùm, dein juſſu Præfecti extrema metuentis eò omne præſidium oppidi accurrit, miſſiles ignes, malogranata, atque id genus alia quæ ab editiori loco magno uſui ſunt, affatim ingerunt, quibus atque alio omni telorum genere petiti noſtri, prætereà cùm hoſtes per declive procurrentes eos inter muri ruinas acriùs urgerent, loco ceſsêre, pedemque pugnantes retulêre: ſed hos cupidiùs hoſtes inſecuti numero ſexdecim cæſi ſunt, cæteri regredi properantiùs quàm venerant coacti. In eo certamine Sampaulus Tribunus militum qui uni præerat Cohorti viginti vulneribus adverſo corpore acceptis, altero modò genu ſubnixus, gladio uſquè rem ſtrenuè geſſit, donec ab hoſtibus oppreſſus eſt, cui dum ſpolia detrahere conantur, quidam è noſtris ſubſidio venêre, atque hunc ab eorum manibus eripuêre: nihilo ſeciùs noſtri locum priùs in propugnaculi ruina occupatum tenuêre, atque munivêre: dein eâ quæ ſubſecuta eſt nocte cùm dextrâ, lævâque ampliùs loci occupaſſent, Cavalierus deditionem fecit, & poſt quatriduum cum omni præſidio oppido diſceſſit, navibus in ulteriorem Hiſpaniam devectus. Tanta res ab Pralinopleſſio ſumma cum laude, & bellicæ virtutis famâ ab ineunte Aprili ad exitum Maii confecta eſt. In eo negotio [a] Auſſonvilla Valbecurius, Uxellus, Sammegrinus, & Hardius Truſſæus caſtrorum Præfecti egregiam Regi operam navavêre, multaque per oppugnationis tempus militaria facinora edidêre. Ubi hæc Reginæ nuntiata, continuò decreta ſupplicatio, atque Deo immortali in majore Urbis Templo honos habitus eſt. Trinitatis Arx altero ab Rhodâ lapide, & ipſa tormentis petita brevi in deditionem venit.

[a] Vaubecour-Auſſonville, le Marquis d'Vxelles, le Marquis de Saint Mégrin, Hardy de la Trouſſe.

Dùm hæc apud Rhodam geruntur, Harcurius ad Belpuchium ſtativa habebat, id modò ſollicitus, ut ne ab Philippo copiæ Sicorim traducerentur, quæ Rhodæ auxilio forent, ſed eâ deditâ ſibi & quidpiam conandum eſſe conſtituit. Ilerda, atque Balaguiera oppida duo ab Hiſpanis anno proximo recepta in adversâ Sicoris ripâ poſita ſunt, quorum altero ſi potiri poſſet, id magni ad rempublicam momenti fore intelligebat. Primùm igitur ut ne quid cis flumen in ditione Philippi eſſet, Agramontem Caſtellum in Urgellarum planitie poſitum per Chabotum caſtrorum Præfectum ad deditionem redigit, dein locum traducendis

Sicorim copiis circumſpicit. Hoſtes ab Camaris, quod oppidum paulùm ſupra Balaguieram ad Sicorim eſt, ad Iberum uſque cuncta ad amnem oppida, vicos, atque vada præſidiis tenebant, ſupra Camaras nulla ad Sicorim habebant præſidia. Igitur illâc copias equitum, peditumque, quot ſatis viſum eſt, ab Barrio Santaunefio, & Pleſſio Beſanſono amnem traduci jubet, quod nullo negotio factum: ſuperandus erat præterea Noguera amnis, qui propiùs Camaras Sicorim ſubit, ſed & hujus vada omnia ponteſque hoſtes tenebant, præterquàm Trempam verſùs, quò per montes propè invios eundum erat, eò hoſtes nihil de noſtrorum in hanc regionem profectione ſuſpicati ſunt: præterea Harcurius quò magis falleret, cum majori copiarum parte, quæ ſpeciem univerſi exercitus præbebat, infrà Camaras locum quò tranſiret amnem, quærere videbatur. Ubi Santaunefius, & Pleſſius Beſanſonus eò pervenêre, quò Nogueram pedites traducere conſtituerant, ab Trempâ lintrem omninò unam habuêre, quâ freti funes quatuor validos ab alterâ ad alteram amnis ripam extendi juſſêre, quibus vice pontis plerique, cæteri lintre ſæpiùs commeante traducti ſunt, ac ſubitò editiora ultrà flumen loca occupavêre. Poſtquàm Pleſſius Beſanſonus unâ cum peditibus Nogueram tranſierat, Santaunefius ad equites rediit. Vadum erat paulò infra eum locum quò pedites traducti fuerant cuſtoditum ab hoſtibus, quos pellere, ut illâc & equites amnem tranſirent, neceſſe fuit. Eâ gratiâ convenerat inter Santaunefium, & Pleſſium Beſanſonum, ut hic cum peditibus ultrà flumen adoriretur hoſtem, intereà dùm ille cum equitibus vadum tranſiret, quod cùm utrimque fieret, hoſtes dilapſi, noſtri ſuperato ab equitibus vado jam uno agmine ad Camaras contendêre. Eò pons ad Sicorim eſt, quem ut hoſtes tenerent huic, atque oppido ſatis firmas munitiones addiderant, nam rati penes quem pons eſſet, ei magnam ad alia patranda facultatem fore, ſibi quidem ad Cataloniam omnem recipiundam, nobis verò ad Ilerdam, aut Balaguieram potiundam. 1645.

Intereà Harcurius ſeſe Sicorim Balaguieram verſùs tranſire velle porrò ſimulabat, quò factum eſt, ut eò hoſtes adeſſent, atque adeò apud Camaras pauciores fuêre, cùm Santaunefius, & Pleſſius Beſanſonus advenêre. Pugnatur utrimque acriter, noſtri ſtrenuè rem gerunt, neque ſegniùs hoſtes propugnant, poſtremò caſtello uno capto, cæteræ munitiones deduntur. In hac pugnâ centum & quadraginta ex hoſtibus centuriones, procenturiones, vexillarii, præterea nongenti ampliùs milites cæſi, captive, quadringenti è noſtris cæſi, aut vulnerati ſunt.

Pons eò ab hoſtibus antehàc interruptus fuerat, quem brevì reficere quia difficile videbatur, Harcurius amnem ratibus jungere maluit, quà traductæ quæ cis Sicorim erant, copiæ ſunt. Poſtridiè relicto apud Camaras idoneo præſidio, atque omnibus impedimentis, tormentis, carriſque, Baltaſarem cum equitibus quibus præerat, præmittit ad montes, dein pedites ſubſequi jubet, poſtremò ipſe cum reliquo equitatu movet. Iter erat difficile, aſperum, ac maximè equitibus, qui ſæpiùs equis exſcendere, atque hos loris trahere cogebantur. Poſtquàm in unum con-

1645. venit omnis exercitus, Harcurius bipartitò ad hoſtem ducit: ab dextrâ Merinvilla, ab ſiniſtrâ Chabotus ſuum quiſque præibat agmen: Santaunеſio ut equitum, Sammegrino uti peditum curam ſingillatim haberent, præceptum: Pleſſius Beſanſonus Harcurium comitabatur, qui inter hæc agmina duo cum equitibus ſclopetariis quos cuſtodiæ causâ habebat, item ſuâ gravioris armaturæ equitum turmâ medius incedebat: agmen claudebant turmæ queis Aleſius Baro præerat, atque Helvetiorum Cohors, cui Tribunus erat Rhonn, ſed hi quieſcere ubi prælium fieret, juſſi, ad quos ſi quid durius accideret, cæteris receptus eſſet. Inter montes quà noſtris deſcenſus erat, & Balaguieram planities intercedebat, in quâ hoſtes inſtruxerant aciem, noſtros itinere feſſos, atque incompoſitos ſicuti exiſtimabant, aggreſſuri. Sed ea monte deſcendentium incitatio fuit, ut ne primum quidem eorum impetum hoſtes ſuſtinuerint: primo congreſſu Harcurius cum equitibus cornu illorum dextrum fudit, fugavitque, cujus ſtrage perterrita media acies, noſtroſque ab montibus procurrentes conſpicata fugam capeſſit, hæc ad notum Sicoris vadum ferebat, ſed Harcurius id fore ſuſpicatus eò præſidium collocaverat, quo fuga inhibita, hoſtes reliquam ſpem in virtute poſuêre, atque adeò propugnavêre acriter: ſed ab Harcurio cum equitibus, ab Catalanorum equitatu, ab Santaunеſio cum Campanica Legione ſimul oppugnati, poſtremò cæſi omnes, captive. Siniſtrum cornu, & quod reliquum hoſti copiarum fuit, ad Balaguieram recepit ſe, atque pro mœnibus conſedêre, ut ab tormentis oppidi protegerentur. Parvo ea victoria conſtitit, nam pauci duces, equites, peditesve trecenti omnino deſiderati, *a* Charnius Comes qui Harcurii, Caſtelardus qui Armaniaci hujus filii turmis præfuerant, inter cæſos inſigniores fuêre. Andreas Cantelmus qui Hiſpanis Imperator erat, ad Balaguieram retroceſſerat, Mortara Legatus fuſis quæ circùm ſe fuerant copiis, cum equitibus triginta ſecundùm amnem profugit, & mox ab ſclopetariis Harcurii equitibus oppreſſus, captuſque eſt. Trecenti cùm Legati, ac Tribuni, tùm Centuriones, procenturiones, turmarum duces, ac vexillarii, præterea duo peditum, equitumque millia capta, mille ſexcenti cæſi, aut in amnem compulſi periêre.

a Le Comte de Charni, Chaſtelard.

His ex ſententia geſtis Harcurius Hardium Truſſæum caſtrorum Præfectum cum parte copiarum quæ ad Rhodam fuerant, ad ſe venire, & apud Termas, qui locus ad Sicorim eſt, ſtativa habere jubet, ipſe Menargas in adverſâ occupat ripâ, atque eò amnem ratibus jungit, uterque locus infrà Balaguieram poſitus eſt: Camaras jam ſuprà firmiſſimo præſidio tenebat, atque item eò Sicorim ratibus junxerat: Ita hoſtibus qui apud Balaguieram erant, clauſum flumen ſuprà, atque infrà erat. Præterea circùm oppidum cuncta loca peditum, equitumque præſidiis complet, ut hoſtem commeatu, atque pabulatione prohiberet: nam id oppugnare difficile videbatur, quoniam Cantelmus ad prælium quidem iterùm faciundum minùs quàm par erat copiarum, ad oppidum verò defendendum plus ſatis habebat. Loci natura Harcurii inceptum plurimum adjuvabat, nam ab Camaris ad Menargas Sicoris, ſuprà Camaras Noguie-

ra in hujus erat poteſtate: ab Noguierâ ex adverſo Sicoris montes ſunt, ab quibus amnis infrà, & propiùs Menargas Sicorim ſubit, ita tribus ex partibus flumina, cæterà montes parvam hanc in quâ Balaguiera poſita eſt, regionem claudebant, atque adeò neque foſſis, neque munitionibus, uti quaquà versùm venientem ſubſidio hoſtem arcerent, noſtri opus habuêre. 1645.

Ubi primùm Philippo nuntiatum eſt, profligatos ſuos ab Harcurio fuiſſe, atque in anguſtum copias Cantelmi apud Balaguieram coactas, per omnem Hiſpaniam delectum haberi jubet. Intereà Philippum Sylvam ab Tarracone cum tribus peditum millibus evocat, quos antehàc navibus ad Rhodam dùm ab noſtris oppugnabatur, auxilio mittere conſilium fuerat: his adjuncti mille quadringenti qui Rhodâ per deditionis conditiones exierant, atque Tarraconem advecti fuerant, præterea Valentiani mille: cum his copiis intereà dùm aliæ ex novis delectibus advenirent, juſtumque exercitum efficerent, Sylva ad Ilerdam ſtatiua habuit: huic Legatus fuit Toraltus, Totavilla rei tormentariæ præfuit. Hi nihil omnium omittere juſſi, quo ad Balaguieram commeatus duci poſſent, intereà dùm plures coguntur copiæ, quibus & pellatur hoſtis, & in Cataloniâ quidpiam operæpretii fiat: nam & in adverſis præclara, atque magnifica loqui Hiſpanis moris eſt: ſed omnes quos eò miſêre commeatus, ii noſtrorum, aut virtute, aut inſidiis interiêre, & quæ adversùm præſidia noſtra Cantelmus ab Balaguiera, Sylva ab Ilerdâ tentavêre, ea ipſis aſpera, fœdaque evenêre.

Eò factum eſt, uti Sylva quidpiam diverſiſſimâ ſibi ab Balaguiera parte conandum eſſe arbitraretur. Sæpiùs jam Hiſpani Flixium ultrà Iberum amnem fruſtrà tentaverant: ſed hujus expugnandi ſibi magnam opportunitatem dari credidêre, intereà dum noſtri ad Balaguieram planè intenti eſſent. Res erat in celeritate poſita, ſi antequàm noſtri ſentirent, Hiſpani proficiſcerentur, & Flixium advenirent: miſſi pedites, equiteſque ad hanc expeditionem quot ſatis viſum, tardiúſque id per exploratores Harcurius cognovit. Brevius iter erat Hiſpanis ab Ilerdâ, quàm noſtris qui circùm Balaguieram erant Flixium tendentibus: quo factum eſt, ut illi oppidum priùs expugnaverint, quàm noſtri appropinquarent: namque hos idoneo numero Harcurius Chaboto duce eò miſerat, ipſe aliquantùm ab ſtativis Iberum versùs proceſſerat cum equitatu, ſi fortè quid ab Chaboto eſſet offenſum, Pleſſio Beſanſono in ſtativis pro Prætore relicto. Apud Flixium trecenti è præſidio ab hoſtibus oppidum expugnantibus cæſi, cæteri in Arcem egregiè propugnantes receperant ſe, atque in eo erant hoſtes, inſtituto in murum cuniculo, ut hunc brevì disjicerent, cùm nuntiatum eſt Chabotum adeſſe. Tùm mutata utriuſque partis fortuna eſt, & qui Flixium oppidum tenebant hoſtes, arcis omiſsâ oppugnatione, quo pacto ipſi ſuæ ſaluti conſulerent, magnoperè laborabant: poſtremò eò res rediit, uti vitam modò pacti Chaboto dederent ſeſe, qui omnes numero mille captivos abduxit.

Poſtquàm nihil ex ſententiâ ſatis Hiſpanis procedebat, neque Har-

1645. curius de ſolitâ præſidiorum cuſtodiâ remittebat quidquam, eò rerum omnium inopia apud Balaguieram creſcere, graves in vulgus militum morbi graſſari, ipſe Cantelmus animo, & corpore juxtà æger oppido diſceſſit, ſeu uti valetudini daret operam, ſeu Philippus ob rem corruptam infenſus hominem objurgandi causâ accerſiverat, qui ubi Balbaſtrum advênit, morbo ſuprà modum ingraveſcente mortem obiit. In oppido ad Simonem Maſcarenam rei tormentariæ Præfectum ſumma imperii per Cantelmi abſentiam redierat: is pro opibus ſuſtentare rem, ſcrutari abdita, ſi quid fortè frumenti oppidani occultaverant, repertum eſt aliquantum, quo militi paucis diebus ſubveniretur: quæ in oppido erant copiæ, eæ veteranorum fuêre, quò magis eorum ſaluti Philippus ſibi conſulendum eſſe intelligebat: eò Philippum Sylvam perpetuis litteris urgebat, uti ſi quo modo fieri poſſet, commeatus ad Balaguieram mitteret: ſed cùm id ſemel, atque iterùm Toraltus, & Totavilla fruſtrà tentaſſent, Maſcarena ſibi denique deditionem faciundam eſſe conſtituit. Hujus conditiones quantùm præſens rerum ſtatus monebat, æquiſſimæ ab Harcurio latæ: id modò durum, quòd hoſtium copiæ inediâ propè confectæ, & ad quietem magis, quam ad itineris laborem idoneæ longiſſimo circuitu per Cataloniam, Ruſſinonenſem agrum, Septimaniam, & Aquitaniam, alteram Hiſpaniæ ad Oceanum Cantabricum partem petere jubebantur, cùm ad ſuos redire per Aragoniam proximum eſſet. Sed Harcurius omnem partæ nuper victoriæ, atque diuturnæ obſidionis fructum in eo poſitum intelligebat, ut hæ veteranæ copiæ, ſicuti poſt tanti itineris laborem futurum videbatur, Philippo quàm minimo poſthàc, aut nulli uſui eſſent. Ita Balaguiera quartum jam menſem ab Harcurio obſeſſa huic ab Maſcarenâ X. Calend. Novemb. dedita eſt: nongenti Tribuni, Centuriones, Procenturiones, Vexillarii, prætereà equitum, peditumque quatuor millia, exiguæ Hiſpanici exercitus reliquiæ Balaguierâ diſceſsêre, quod ampliùs fuerat ad millia ſexdecim, id inediâ, morbique conſumpſerant, aut apud noſtros captivi fuêre. Per Cataloniam ibat languidum, & miſerabile agmen, equi, virique macie confecti, ac tametſi lentiſſimè procederet, tamen itineris tædio, atque labore plerique fatiſcentes interiêre, ipſe Maſcarena Martorelli mortem obiit. Harcurius his in Cataloniâ præclarè geſtis Barcinonem caput gentis victor, atque triumphanti ſimilis rediit.

Sed hinc ubi primùm æſtivorum causâ abierat, conjurati de quibus anteà memoravimus, multâ moverant, pleroſque largitione, alios religione, ſicuti grande ab Philippo deficiundo facinus admiſiſſent, atque id ipſis non modò impunè, ſed & ſi in viam redirent, quæſtui futurum fidem dando, atque firmando, ſibi adjunxerant: poſtremò cæteros promiſſis onerando, factionis opes haud mediocriter auxerant.

Sed ubi hoſtes ab Harcurio profligatos acceperant, ibi verò ingens illos ceperat metus, ut ne fruſtrà eſſent, atque ſua patefierent conſilia. Hiſpanis vix quidquam ex tanto incæpto ſpei reliquum erat, tamen ab mari claſſem oſtentare Toraltus decrevit, tametſi nihil ab terrâ copia-

rum ſicuti convenerat, Urbi admovere poſſet: nam ubi eâ parte Barcinonenſes diſtinerentur, tùm navalia invadere conſilium fuerat, quò multi Hiſpani milites bello capti cuſtodiebantur, qui ſi liberarentur magno uſui fore videbantur, ſed nihil ad conſpectum claſſis conjurati movere ſunt auſi. Apud Barcinonem tùm erat Pleſſius Beſanſonus miſſus ab Harcurio, qui de conjuratione, ſi quà fieri poſſet, incertis rumoribus vulgatâ certiùs cognoſceret: ſed cùm is quærendo, atque inveſtigando nihil ediſceret, poſtquàm Hiſpanica Claſſis infectâ re abierat, & ipſe ad Harcurium rediit. Iterum Claſſis ante Barcinonem viſa, nihilo plus profecit. 1645.

Sed conjuratis in dies augebatur metus, ut ne redeunte Harcurio quæ primùm inceſſerat, dein Hiſpanicæ Claſſis adventu ſemel, atque iterùm confirmata fuerat de conjuratione ſuſpicio, ea diligentiùs quæreretur, ac tandem fieret palàm: quò ſibi omnium conjuratorum conſilium habendum cenſuere. In eo Aquilles vir clementis, ac placidi ingenii poſtquàm nihil in Hiſpanis eâ tempeſtate auxilii, aut ſpei eſſe oſtendit, quorum res afflictæ, ac propè perditæ videbantur, tempori ſerviundum eſſe ait, atque ab incæpto planè diſcedendum. *Id quæ conjuratorum omnium fides, atque conſtantia ſit, fortaſſe Gallos clam futurum: ſin pateſiat, quando ſe reſipuiſſe reſciverint, veniæ, atque gratiæ locum fore, neque commiſſuros uti tot viros qui cæteros omnes Barcinonenſes propinquitate, affinitate, aut aliâ neceſſitudine contingant, in ſui modò invidiam, odiumque perditum eant, cùm ab reſipiſcentibus nihil tùm ipſis, aut huic quam conſtituêre reipublicæ periculi ſit.* Contra Gallicanſius Abbas, *Aut patrandum incæptum aut omnibus fœdè pereundum dixit. In hujuſcemodi negotiis conſultare perinde capitale eſſe, atque exequi, reſipiſcentiam ſibi nequaquàm ſaluti fore, quam Galli coactam, neque aliundè quàm ab florentibus ſuis, Hiſpanorum autem perditis rebus ortam rectè exiſtimaturi ſint. Nullam igitur delicti gratiam ab his ſperandam, ſed crudeliſſima omnibus ſupplicia, quibus cæteros poſthàc ab ſimilibus conſiliis deterreant. Quamobrem ſibi certam peſtem adeſſe ſi palàm conjuratio fiat, cuncti ſciant, neque effugere hanc niſi audendo, atque incæpta patrando copiam eſſe.* Hæc vicit ſententia, accerſitaque tertiò Hiſpanica claſſis eſt: ſed huic defuêre commeatus, quibus petendis cùm naves plures in vicinos portus dimiſſæ eſſent, ad eam quæ dicta fuerat diem non adfuit. Ibi verò ſpes omnis ab conjuratis abjecta, atque eò res rediit, uti fidem ſibi darent invicem, acciperentque nihil ſe de conjuratione indicaturos, quod de more ubi tormenta adfuêre, fruſtrà fuit: de Aquille more majorum ſupplicium ſumptum, Gallicanſius Abbas, atque alii Eccleſiaſtici Rhodam, ac Salſas abducti. Hippolitæ forma, genus, cum Joſepho Dardennâ affinitas, cum Chaboto conſuetudo ad ſalutem profuêre. Hæc ſe Aragonenſem dictitabat eſſe, nihil ſe eo jurejurando quod Ludovico Catalani polliciti fuerant, teneri, atque adeò ſeſe quidem ut hoſtem, ſed non ſicuti civem quæ rebellaverit, ream habendam. Harcurius hanc Tarraconem abſcedere juſſit, proſecutuſque eſt abeuntem Chabotus, ut ne quid temporis utrique dùm copia eſſet, ab ſcelere vacuum foret: ita mulieri peſ-

1645. ſimæ, quod incæptaverat facinus impune fuit. Sed quæ dudùm Cæſar Choiſeulius Pralinopleſſius præclare in Italiâ, Cataloniâ, atque aliò geſſerat, iis Rex, atque Regina mater honorificentiſſimam mercedem poſuêre, hunc Tribunum Equitum creando, Mareſcallos Franciæ vulgò appellant, qui & Rege coram, & per hujus abſentiam exercitus ductare ſolent, neque majus, aut dignius imperii nomen eſt, poſtquàm per Richelii tempora ut ne quis deinceps Magiſter equitum crearetur, Edicto cautum fuit, is unus modò erat, Tribuni Equitum, aut Mareſcalli Franciæ plures ſunt.

Nunquam aliàs ab noſtris tot tantaque uno anno incæpta, atque patrata: exeunte anno proximo Magalottus caſtrorum Præfectus vicinis Mottæ locis in Lotharingia cum aliquot equitum, peditumque copiis hyemabat. Motta haud procul Moſæ amnis fontibus oppidum erat in tumulo poſitum, naturâ, atque opere munitiſſimum, unus ad oppidum aditus difficilis, atque aſper, una porta quæ commeatibus pervia eſſet, altera diversâ parte ad eruptiones ſicubi opus foret idonea, aut ad explorandum quid hoſtis in tumulo moliretur. Mottam Ludovicus XIII. jam antehàc bello ab ſe captam, ſicuti alia cum omni regione oppida, Carolo Lotharingiæ Duci per conditiones pacis reddiderat: ſed is ingenio mobili, atque infido rursùs bellum ſumpſerat adversùs Ludovicum, quod latrocinio magis ſimile, quoniam ad juſtum bellum opes deerant: oppido namque præerat Clicotus quidam, is in finitimis Æduis, atque Campanis itinera obſidere, qui commeabant, eos ex inſidiis aggredi, ſpoliare, capere, quandoque cædere, ex proximis collationes exigere, ex longiùs agitantibus agere prædas, prorsùs omnibus procul, juxtàque ſitis gravis, atque terribilis eſſe. Sed incredibile memoratu eſt, quantus ex hujuſcemodi latrociniis Carolo quæſtus acceſſerit: is tantus fuit, ut ne in ſecundis quidem, & florentiſſimis rebus uſquàm tantum auri, atque argenti habuerit. Quæ omnia rapto ex Galliâ quæſita fuiſſe Regi, atque Annæ Matri ægrè erat: eò ad Mottam versùs miſſus fuerat Magalottus, qui Clicoti, atque eorum qui in præſidio erant, excurſiones, & populationes cohiberet, eoſdem pabulationibus, atque commeatibus quoad fieri poſſet, prohiberet, intereà dum ad oppidi obſidionem plures copiæ, atque alia primo vere mitterentur. At quoniam haud fermè minor in oppido, quàm foris equitum, peditumque numerus erat, Magalottus hyberna munire aggreſſus eſt. Tres erant vici haud longiùs ab Mottâ quàm quò tormentum adigi poſſet poſiti: in his pedites, equites paulò longiùs collocati, dein una cura fuit, ut horum præſidiorum metu hoſtes oppido ne egrederentur, quod ſi facerent, continuò noſtri hos aut egredientes, aut regredientes perſequebantur, prætereà ut ne commeatus ad oppidum ſupportarentur, quantùm poterant, prohibebant.

Inter hæc hyeme exactâ, cùm æſtivorum tempus appeteret, tùm verò eam rem agi ſeriò Clicotus ſenſit: nam eò miſſæ copiæ complures, atque ex agris vicinis multi qui in operibus faciundis adjutores eſſent.

Caſtra

Caſtra properè magna ex parte munita, cætera rivus claudebat: dein 1645.
foſſæ ad oppidum duci cœptæ, atque alia quæ ad urbium oppugnationes fieri ſolent, magno ſtudio adminiſtrata, nuſquàm aliò tantus labos, periculumque oppugnantibus fuit. Nam ab oppido deſpectus erat in caſtra, nec quidquam moveri in occulto poterat, quò facilius hoſtibus erat, omnibus locis occurrere, quò noſtri tenderent, eò munire, & quæ idonea erant ad propugnandum maturè parare: dein ubi erumperent, quod fiebat quotidie, majori incitatione, atque impetu per declive decurrebant, quàm ut eodem ſuſtineri, aut propelli ab noſtris per acclive nitentibus poſſent: prætereà omnis generis tela ab loco ſuperiore emiſſa noſtris eò graviùs accidebant, ac maximè ſaxa ingenti cum hominum, tabernaculorum, caſarum, atque ipſorum operum ſtrage per præceps devolvebantur: ſed has omnes aſperitates, & Imperatoris, & militum virtus ſuperavit. Ad foſſæ latus perventum eſt denique, quo perfoſſo cuniculi in propugnaculo, & mœnibus proximis inſtituti, poſtremò hoſtes poſtquàm egregiè propugnaverant deditionem fecêre. Hujus leges ab Neovillâ Villaregio latæ hoſtibus ſunt, nam Magalottus editâ in propugnaculo, ac mœnibus ruinâ, dùm hanc propiùs inſpicit, glande ictus occubuerat. Vir erat Italicus, claris majoribus, nec eâ fortunâ ad quam hunc Mazarinus deſtinabat indignus, nam inerat virtus, atque peritia rei militaris: ubi mortem obierat ſubitò miſſus ab Aulâ Villaregius, qui rem conficeret. Clicotus cum copiis quæ oppidum defenſaverant, Nonis Iuliis abſceſſit, altero poſtquam oppugnari cœperat menſe. Magnam per finitimas civitates de Mottâ captâ lætitiam agitavêre, quibus vicinitas hoſtium graviſſima fuerat.

Anno proximo Gravelingam ad Oceanum poſitam ab Gaſtone captam in Belgio memoravimus. Haud procul & ad Oceanum poſita eſt Dunkerca, portu, & civium multitudine celebre oppidum: his magna navigandi peritia, quâ freti damna Gallicis, Bataviſque navibus ingentia attulerant. Gravelingam inter, & Dunkercam caſtellum eſt Mardicum, quod Albertus, & Eliſabetha uxor condidêre, nam navibus ab Hiſpaniâ, atque Galliâ venientibus ad meridiem littus legendum eſt, quoniam eò mare altius quàm ad ſeptemtrionem, quò multa vada cæca, atque ubi æſtus decedit periculoſa ſunt: ut id littus eſſet in poteſtate, eò Mardicum Caſtellum conditum ex aggere, nec plura quàm quatuor habet propugnacula: in ipſo mari Munitio alia eſt ex materiâ paulùm ab aquâ extans, arcendis hoſtium navibus. Caſtellum id expugnare Gaſtoni conſilium fuit, uti ſibi ad Dunkercam iter patefaceret: ſed ea res aſpera videbatur, quoniam Colmiam amnem traducendæ erant copiæ, cujus vada hoſtes partim corruperant, alia cuſtodiis tenebant. Ultrà amnem omnis erat humilis, atque depreſſa ad Oceanum uſque regio, atque adeò paludoſa, aut crebris ad exhauriendas aquas foſſis interrupta: Picolominius ad Bergam Fani-Vinoci, quod eſt oppidum ad Colmiam, Lamboïus ad Caſſeli-Montem æquo Colmiam inter, & Legiam ſpatio, uterque cum idoneo copiarum numero ſtativa habebat.

1645. Apud Dunkercam, Burburgum, & Mardicum, hæc ad lævam oppida ſunt, & apud Audomarifanum quod ad dextram eſt, valida præſidia fuêre: ita quoquò ſe verteret Gaſto, eò hoſtes aderant. Primùm ad Vattam duxit, ſicuti aut ad Legiam amnem, aut ad Audomarifanum versùs iter intenderet, dein flexit ad lævam, atque ad Lobregam venit, is ad Colmiam locus eſt, hoſtes in adversâ ripâ vallo muniti, ac tormentis inſtructi, noſtri ſe item in ſuâ ripâ munivêre, advectiſque tormentis utrimque emiſſæ pilæ nihil, aut parum profecêre. Gaſto eò ſe veniſſe præ ſe ferebat, ut hoſtes ſtativis eliceret, atque prælio ſi poteſtatem facerent decertaret: ſed hi propugnare ſatis habebant, neque his rem in diſcrimen adducere conſilium fuit.

Gaſto ubi nihil ſatis ex ſententiâ procedit, neque ſe Colmiam apertâ vi ſuperare poſſe ſatis intelligit, iter ad Legiam ſibi ſimulandum eſſe conſtituit. Tres apud Vattam Cohortes reliquerat, Villequierum Almontium quid ſibi conſilii ſit, certiorem facit, is Bolonienſi Urbi atque agro præeſt, qui & Caſtrorum Præfectus, & unius turmæ Cuſtodum Regii Corporis Dux eſt. Hunc ex Bolonienſi agro quàm plurimos poterit pedites cogere jubet, hos ad Vattam adducat, & quas Cohortes eò Gaſto reliquerat, agmini ſuo conjungat, cum his omnibus, quo huic edixit loco, Colmiam tranſire conetur: ubi id factum fuerit ſignificationem igne faciat, quâ conſpectâ idem in editâ apud Vattam turri fiat, prætereà tribus tormentis ſonitus edatur: ipſe ut hoſtes ab Colmiâ averteret, & in cuſtodiendo negligentiores faceret, multa palàm imperat, quibus univerſus exercitus hunc conſilium mutaſſe animum induceret, dein ad Peênem movit. Ubi noſtri ab Lobregâ digreſſi, Fuenſaldanius, ac Cimaius mouêre, ut ex noſtris noviſſimos carperent. Claudebat agmen Gaſſio, qui converſo gradu hoſtes Lobregam uſque repulit: hi dùm in Templo quodam propugnant, noſtroſque attinent, Fuenſaldanius, & Cimaius in tutum recepêre ſeſe: trecenti ex hoſtibus cæſi, ducenti qui in Templo erant, diffiſi loco deditionem fecêre, captivique abducti ſunt.

Intereà Gaſto progreſſus in planitiem, quæ haud procul Peêne eſt, inſtructâ acie ſtetit, ſi fortè hoſti pugnandi conſilium foret: quo ceſſante pergit ad Peênem, atque eò caſtra habuit. Poſtridiè copias in aciem educit, nam hoſtes apud Caſſeli-Montem erant, tribus ab Peêne paſſuum millibus. Sed ubi hos ſuis ſe caſtris continere videt, cum duobus Sclopetariorum millibus, & equitibus mille, ad Foſſam-Novam contendit, eò Munitionem quam hoſtes Rubeam appellant, oppugnaturus, ſed qui præſidio erant, ii loco diffiſi maturè abſceſſerant. Ad hanc foſſam Fertimbaltius Stampæus ab Arderâ copias, quæ eò relictæ ab Gaſtone fuerant, adduxit: quæ res fidem majorem hoſtibus fecit, Gaſtonem ad Legiam versùs ducere. In his rebus magnâ parte diei conſumptâ, ad a Stapelem modò, qui haud procul aberat, progreſſus eſt: poſtridiè eódem eſt commoratus, ſed ſub veſperam Ramſavium ad Haerbrucam, cum ſclopetariis mille, & totidem equitibus ire jubet, ſicuti omni exer-

a Eſtaple.

citū locum caſtris delecturus, atque ſuccenſis paſſim ignibus, & majori per milites, caloneſque, quàm pro numero ſtrepitu edito, totius exercitus ad Legiam properantis ſpeciem præbere. 1645.

Inter hæc ab Villequiero ſignificatio quam Gaſto juſſerat, facta, ignis ſuprà turrim apud Vattam viſus, atque exauditus triplex tormentorum ſtrepitus: nam vado Colmiam, præthereà paſſuum millia ſex, quæ hoſtes perruptis undequâque molibus, aquis compleverant, copias traduxerat, prorsùs uti miles capite, aut pectore modò ab aquis extaret, atque ægrè ad ſiccum perveniret. Continuò Gaſto Manicampum ad Colmiam præmittit, ut Abbatiſſæpontem refici properè curaret: ſubſequitur Fertimbaltius primum agmen ductans, dein ipſe in ſecundo agmine Gaſto, quem Gaſſio comitabatur: hunc ex itinere ad Abbatiſſæpontem properare jubet, uti Villequiero, quem ab hoſtibus premi non dubitabat, ſubſidio foret, quod ex ſententiâ ceſſit: nam Gaſſio refecto ab Manicampo Abbatiſſæponte, eò traduxit quod ducebat agmen, atque Villequiero ægrè jam adversùm hoſtes numero potiores ſuſtentanti rem in tempore adfuit. Intereà Gaſto quantùm per locorum, quà iter habebat, iniquitatem licebat, ad Colmiam properabat, atque aliquo intervallo Ramſavius, quem longiùs ad Legiam versùs progreſſum memoravimus ſequebatur. Gaſſio atque unà Villequierus hoſtes coëgerant ultrà amnem, qui ad Burburgum pertinet, recipere ſe, quò ſeſe obducto vallo ac foſſâ munivêre, atque tormenta Burburgo advexêre. Tres erant Cohortes, atque equites quingenti: ſed ubi nihil ſibi ab Picolominio auxilii veniebat, abductis noctu tormentis Burburgum abſceſsêre tanto cum ſilentio, uti nihil noſtri niſi adventante luce ſenſerint. Intereà Gaſto plures ad Gaſſionem copias miſerat, quibus fretus ad Lobregam quò Picolominius moverat, contendit, nam eò Ramſavius cum vltimo agmine, tormentis, atque impedimentis Colmiam tranſire conſtituerat, qui cùm ab unâ parte, ab alterâ Gaſſio, præthereà Gaſto inſtarent, optimum factu Picolominio viſum, ad ſtativa ſua apud Bergam Fani-Vinoci regredi, neque tanto cum periculo ſuo Ramſavium tranſitu fluminis arcêre conari: nullo igitur prohibente Ramſavius ſuper Colmiâ pontem inſtituit, quo traducta tormenta, impedimenta, atque cæteræ copiæ ſunt, atque adeò ad Mardicum via patuit.

Eò properè duxit Gaſto, ac circùm Caſtellum ita caſtra poſita ſunt. Ipſe Gravelingam, Gaſſio Dunkercam versùs, Ramſavius in medio tendit: hæc vallo, foſſâque, turribus, atque caſtellis munita, mare clauſit Batava claſſis, quæ haud procul portu in ſtatione fuit, his rebus conficiundis dies decem conſumpti. IV. Non. Quintiles foſſas ad Caſtellum ducere noſtri aggreſſi. Quà Gaſſio, atque Ramſavius curabant, brevì ad opera quæ hoſtes pro Caſtello objecerant, perventum: in hæc ubi noſtri impetum facturi videbantur, hoſtes propugnare poſſe diffiſi, & ea, & ligneam quæ in mari erat Munitionem, unà deſeruêre, atque hanc incendêre. Sed ubi Caſtello eſt appropinquatum, primùm ordo palorum objectus aditum prohibebat, dein Glaciarium, & via tecta, præ-

1645. tereà loca munita cum firmiſſimis ſtationibus, atque in his locis tormenta duo collocata, queis in ſubeuntes noſtros farraginem, aut glandium, aut ferramentorum propugnantes emitterent: ita foſſæ latus probè munitum erat, quod uti magnâ vi oppugnaretur, Gaſto juſſit. Cum hujus Cohorte *a* Vetipontius eâ die, atque eâ parte ſtationem habebat, Foliadæus Aubuſſonus item ex ejus clientibus caſtrorum Præfectus ſtationi præerat, ſumma rei gerendæ penes Ramſavium fuit. Tres Centuriones cum ſuâ quiſque centuriâ præire juſſi, reliqua Cohors in ſubſidiis fuit. Ubi primùm procurrere cœpêre, hoſtes eminùs telis, atque tormentis egregiè propugnavêre: noſtros objecta ad Glaciarii radices palorum ſeries morabatur, quod ubi Foliadæus, & Vetipontius animadvertêre, diſtrictis gladiis cum aliquot ſclopetariis eò advolant, atque detractis palis ad foſſæ latus ſuperato Glaciario evasêre: eódem Ramſavius cum Cohortis anteſignanis advênit, atque muniri locum juſſit, tormenta duo quæ eò advexerant hoſtes in poteſtate noſtrorum fuêre.

a Vieuxpont.

Quà Gaſſio curabat, item occupatus, munituſque locus in foſſæ latere, quò quia hoſtes haud æquè, atque aliâ parte propugnaverant, id minore negotio factum: utrobique noſtri tormenta advexêre, quibus vallum humilius, quod ad altioris valli radices erat, disjicerent. Id munitionis genus ſeu ex aggere cæſpite veſtito, ſeu ex ſaxo factum paulùm ab foſſæ ſolo extat, huic maximè defenſandæ: inter hunc humiliorem murum, & murum altiorem aliquid loci eſt, quo miles tectus commeare, & propugnare poſſit. Ubi hanc humiliorem munitionem hoſtes tormentis corrumpi vident, metuſque deditionem ſuadebat, hanc denique fecêre VI. Id. Quint. ſeptingenti atque triginta milites Caſtello diſceſsêre, tormenta in eo viginti quatuor, & quòd his tormentariæ rei ad plures annos ſatis eſſet, repertum: hoſtes dùm Mardicum oppugnaretur, parvâ manu ſemel, atque iterùm ad munitiones caſtrorum acceſſerant, toties ab equitibus, qui pro vallo in ſtationibus fuêre, pulſi. Ad amnem qui ab Bergâ Fani-Vinoci ad Dunkercam pertinet, ſtativa habebant, totumque muniverant amnem, id modò ſolliciti, ut ne hoc ſuperato noſtri Dunkercam oppugnarent. Ob hæc ab Gaſtone præclarè geſta, decreta ſupplicatio eſt, atque in majori Urbis Templo Deo immortali honos habitus.

Bonâ, fidelique operâ Joſiæ Ramſavii Legati apud Mardicum, atque anno proximo apud Gravelingam Gaſto uſus fuerat: quo factum eſt, ut ab Rege huic Tribunatum equitum peteret: datum id & commendationi Gaſtonis, & virtuti, rebuſque geſtis hominis, qui jamdiu Ludovico XIII. Regi, & tùm Ludovico XIV. filio merebat, poſtquàm Guſtavo Adolfo Sueciæ Regi militaverat, apud ambos Reges, atque adeò omnes magnâ bellicæ laudis famâ, niſi quòd largiùs vino, de more eorum qui ſeptentrionibus ſubjacent, uſus magnas ſæpiùs opportunitates rei benè gerendæ prætermiſit, patriâ Danus, domi nobilis, ſtrenuus magis, quàm fælix: huic Scipionem Tribunatûs inſigne Gaſto vice Regis ſolemniter dedit. Lincum deinde Caſtellum per Gaſſionem ad

deditionem redegit: unus ad id aditus erat, per molem in media palude poſitam, quam pluribus locis interruperant hoſtes: ſed eâ refectâ noſtri ad uſque foſſam Caſtelli poſt crebra in mole edita certamina pervenêre, applicitiſque ad mœnia cunicularíis, hoſtes dedidére ſeſe, neque quidquam pacti Gaſtoni permiſére, qui omnes captivos Gravelingam abduci juſſit: nam poſtulantibus uti cum armis, & rebus ſuis, inſtructis militariter abire liceret, nihil ex ſententiâ reſponderat. Eadem fortuna Burburgo fuit, quadringenti apud Lincum milites, duo millia apud Burburgum fuêre, præterea oppidani qui centuriati eſſent quingenti, neque Hiſpani uti Linco, aut Burburgo ſubſidio eſſent quidquam movêre, tametſi noſtri nuſquàm muniverant caſtra: ſed Gaſto ſtativa adversùm hoſtes haud procul Burburgo habuit, intereà dum Legati cum parte aliquâ copiarum oppidum oppugnavêre. 1645.

His ad Oceanum geſtis Gaſto flexit ad Legiam, captoque ex itinere Caſſeli-Monte ad amnem pervenit: qui accolunt, ii noſtros tranſitu arcere conati, fuſi fugatique ſunt: Eyterra, & Mervilla in deditionem acceptæ, atque eò traducto Legiam exercitu Bethuniam itum. Id parvum in Atrebatibus oppidum eſt, cæterùm omni operum genere, præterea majorem partem palude munitum, quo laboris minus in defenſando, atque minore præſidio opus eſt. Sed quoniam noſtri improvisò acceſſerant, tantaque belli moles tàm exiguo loco imminebat, triduò ad deditionem qui defenſabant hoſtes, coacti ſunt: acriter in ſuburbio propugnavêre, dein compulſi in oppidum, id Gaſtoni dedidére, qui eâ re confectâ in Aulam rediit.

Poſteà loci Gaſſio, atque Ramſavius diverſi Ilerſium, & Venantii-fanum cepêre, dein rurſùm conjuncti Armentariam ad Legiam venêre. Hanc ſex hominum milliaincolunt lanificio dediti, quingenti milites præſidio erant, Legia oppidum interfluit, atque ab alterâ parte ſubit foſſam, altera palude munita eſt. Poſtquàm caſtra circùm oppidum poſita, atque locata tormenta ſunt, nam anteà deditionem ſe facturos negaverant, diem unum inducias poſtulavêre, intrà quem ſi nihil auxilii ab Picolominio veniret, dederent ſe, atque armati agmine cum carris, atque impedimentis abirent, quod ceſſante Picolominio factum. Is poſt Gaſtonis ab Oceano diſceſſum, in iiſdem inter Bergam Fani-Vinoci, & Dunkercam ſtativis agitaverat, Lamboïum modò Bethuniam versùs ubi ab Gaſtone oppugnabatur, cum aliquibus copiis dimiſerat, ſi fortè ſubſidio eſſe poſſet, dein paulò ante Armentariæ deditionem ſtativis relictis ad Ypras moverat, quò deducti ſunt ii, qui Armentariæ præſidio fuerant.

Armentariâ deditâ Gaſſio, atque Ramſavius ad Inſulam versùs Urbem movêre, certiores facti complures hoſtium copias in ſuburbiis eſſe, quibus per oppidanos oppidum ingredi non licebat: eò ſpem nacti ſi parùm concordantibus intervenirent, rei benè gerendæ, appropinquant Urbi: ſed Inſulani ubi ab hoſte inceſſit metus, militem qui Urbem defenſaret, mœnibus recepêre. Itum deinde ad Menenem infirmum, at opportunò loco poſitum ad Legiam oppidum: id facilè captum, atque

1645. impedimenta, & quod gravius erat, eò cum idoneo præſidio relictum, agmen ſicuti neceſſe erat per media hoſtium præſidia expeditum Gandavum versùs proceſſit. Inter Gandavum, & Oceanum Henricus Naſſauvius Arauſiorum Princeps cum Sociarum Civitatum cui præeſt exercitu magnam æſtivorum partem triverat: ſeu regio foſſis, atque æſtuariis conciſa, præterea Beccus, atque Carolus quondam Lotharingiæ Dux quo minùs quidquam operæpretii faceret, impediverant: ſeu ſicuti uſque ab principio initæ ab Ludovico XIII. cum Sociis Civitatibus de bello adversùm Philippum gerendo ſocietatis plerumque fecerat, nihil movere voluerat, contentus ducto in eam regionem exercitu aliquam hoſtium diſtinere manum, ut ne Gaſtoni magna Dunkercam versùs ſicuti memoravimus molienti cuncti intervenirent, præterea navibus Batavis quæ in hac orâ fuêre, ejus conatus adjuvare, quod certè haud exiguum fuerat. Sed re ab Gaſtone, dein ab ambobus poſt ejus diſceſſum equitum Tribunis benè, feliciterque geſtâ, hi mutuam Henrico, ſicuti cum eo convenerat, operam dare juſſi ad eum expediti properavêre. Nuntiatum fuerat Carolum Lotharingiæ quondam Ducem haud procul Gandavo habere caſtra, cui noſtri de improviſo intervenire conati fruſtrà fuêre, nam itineris duces ab viâ quæ eò ducebat aberravêre: quo factum eſt, ut ille de noſtrorum adventu certior factus Brugas abſcederet, impedimenta Gandavum quò brevius iter erat, raptim adveherentur, ex iis tamen quidpiam noſtri carpsêre, ducentique in via morati milites capti.

Gaſſio, atque Ramſavius ubi ad foſſam quæ ab Gandavo ad Brugas pertinet perventum, eò ſtativa habuêre, atque miſere ad Henricum, qui certiorem faceret eos adeſſe cum omni exercitu regio, ut hujus commodis ſervirent. Ad Oſtekelôom tùm habebat caſtra, noſtri intereà ad foſſam quædam caſtella cepêre: dein ubi propiùs Henricus acceſſerat, Gaſſio, atque Ramſavius hominem tot rebus geſtis clarum, atque veterem Imperatorem adiêre, concilioque habito decretum, ut Henricus foſſam, dein Legiam, & utrumque Scaldim exercitum traduceret, atque in eo huic Gaſſio, atque Ramſavius cum exercitu regio adjutores eſſent. Ubi Henricus ad foſſam venit, ibi exercitus cùm regius, tùm Sociarum Civitatum conjuncti iêre, Legiam primùm, dein minorem Scaldim, haud procul Gavêre vico, Gandavum inter, & Aldenardam, poſtremò majorem Scaldim ad Vettêrem, & propinqua loca transiêre. Hîc major fuit labos, periculumque, nam hoſtes duce Becco aderant ex adverſo, atque acriter pugnabant: ſed vulnerato Becco, atque abſcedere coacto cæteri pulſi, aut dilapſi: ubi Henricus ad Vaëſem agrum quò intenderat, pervenit, ac nihil tùm noſtrorum operâ egebat, hi ad Menenem rediêre. Henricus Hulſtam oppidum oppugnare eſt aggreſſus, id & validum, & magnæ Henrico opportunitatis futurum erat, ſicubi vicinas Antuerpas, Urbem totius Belgii longè celeberrimam, atque opulentiſſimam, & venientibus ab Oceano navibus aditu facilem oppugnare conſilium foret. Ibi verò Hiſpani ſensêre, quàm pulchrè Gallia, atque

Sociæ Civitates toto hoc bello proceſſerant, quibus tùm id ſeorſim, 1645.
aut conjunctim porrò gerere copia foret, nihil deinceps prohibente hoſtili qui inter utroſque jacebat agro.

Poſtquàm copiæ ad Menenem redierant, Gaſſio id oppidum, Comenam, & Armentariam munire inſtituit, ut hîc Legiæ amnis tractus eſſet in poteſtate, atque noſtris porrò Sociarum Civitatum copiis conjungi copia eſſet, quod utriſque maximo uſui futurum erat. Intereà Ramſavius tametſi æſtivorum tempus exierat, Lenſium, Scluſiam, atque Arleuxium duxit, quæ loca huic haud difficulter dedita ſunt: dein nihil deinceps moturos hoſtes, neque quidquam ut anni tempus erat ſibi movendum ratus Regis voluntate ad Urbem rediit: Rex & Gaſſionem juſſerat eódem venire, uti de hybernis cum eo conſultaret, quove pacto per eorum tempus copias aleret, quàm minimo ſuo, ac ſi fieri poſſet majore hoſtium ſumptu.

Jam ab ſtativis quæ apud Varnetonem habebat, Gaſſio profectus Boloniam advenerat, cùm & ab Aulâ, & ab ſtativis nuntiatum eſt, hoſtes quidpiam moliri per ejus abſentiam: hic ad ſtativa maturat redire, quò ubi advênit, hoſtes ad Curtracum copias omnes in unum conducturos per exploratores cognovit, ut indè quæ noſtri ad Legiam amnem occupaverant oppida, ea tentarent, ac maximè Menenem. Carolus Lotharingiæ quondam Dux, atque Picolominius cum octo armatorum millibus ab unâ, Fuenſaldanius cum decem millibus ab aliâ parte eò properabant accedere, uti noſtros necopinantes in ſtativis opprimerent. De mediâ nocte Gaſſio Varnetone mouet, cum ſeptem armatorum millibus, atque ad planitiem quæ inter Ypras, & Curtracum poſita eſt, contendit, quà Fuenſaldanio tranſitus erat: eódem & properavit Quincæus maturè ab Gaſſione venire juſſus, is caſtrorum Præfectus Ramſavii copiis per ejus abſentiam præerat, & apud Marvillam atque Eyteram ſtativa habebat. Qui ubi poſt paulò Gaſſionem ad planitiem venit, ac ſpeciem ingentis exercitus, neque certè exiguus fuit, Fuenſaldanio præbuit: ibi verò hic qui ab Ypris aliquantùm proceſſerat, ſubitò eòdem versùs convertit iter, ac ſub ipſis Urbis mœnibus inſtruit aciem, ut ab ipſius tormentis tota protegeretur, ſuprà proximum collem Cohortes quinque, tormenta ſeptem collocat: quod ubi cognitum Gaſſioni, non fuit conſilium adversùm hoſtem iniquo loco prælium facere, atque adeò in ſtativa ad Legiam rediit.

Pigebat Gaſſionem nullam fermè ob rem ad exercitum rediiſſe videri, nam hoſtes ab incæpto quod ad Legiam moliebantur, prohibuiſſe pro nihilo habebat. Itaque Bergeræum fratrem unius equitum Alæ Tribunum, & qui omni equitatui in eo exercitu præerat, Ypras versùs ire jubet cum equitibus quinquaginta, & Sclopetariis item equitibus quadraginta, is ſtationes equitum qui haud procul oppido fuêre propellit, dein ultrà pergit, atque in alios hoſtium equites incidit: hi in inſidiis collocati fuerant, atque uti res occultior eſſet, equos dimiſerant, ſed hi nihilo ſeciùs ab Bergeræo cæſi, capti, aut fugati. Juſſus erat captivos

1645. adducere, uti Gaſſio de hoſtibus certiora percunctando cognoſceret: quos ubi variis locis diverſos agitare accepit, nihil admodùm quid ipſe moliretur ſollicitos, eò ſibi rei benè gerendæ occaſionem dari eſt arbitratus. Primùm non iis quibus apud Varnetonem præerat, copiis ſibi initium rei faciundum eſſe conſtituit: nam ſi quid in ſuis caſtris moveri hoſtes ſentirent, continuò ſibi conſilium capturos. Igitur quas copias Ramſavius ductare conſueverat, eas Villequierum Almontium ad hoſtes verſùm ducere jubet, huic viarum gnaros adhibet, ipſe cum Bergeræo fratre, atque omni equitatu ſubſequitur: ſeriùs Potierus Geſvræus Varnetone cum cæteris copiis movit, conſiſtere ante Ypras ubi eò adveniſſet, juſſus, ſi quid indè ſubſidii hoſtibus ſubmitteretur, prohibiturus, aut ſi quid noſtris durius præter ſpem accideret, iis præſtò adfuturus. Apud Alveringam, & alia circùm loca hoſtes agitabant, quibus quoniam noſtri ex improviſo intervenerant, magnum terrorem injecêre: ſex Cohortes erant, quinque equitum alæ, atque aliæ Lamboii copiæ, quibus Terlonus Marchio, & Ramſavius Tribunus præerant: pedites propè omnes cæſi, pauci in ſylvas, aut Ypras diffugêre, equites plerique ad Neoportum, & Hunſcotam intendêre fugam, Terlonus ad Caſſeli-Montem receptum nuper ab hoſtibus profûgit, milites quingenti, equi mille ducenti, novemdecim peditum, octo equitum vexilla, atque omnia impedimenta capta: quæ quoniam advehere importunum erat, atque difficile, pleraque cum ipſis carris igne abſumpta, cætera militibus prædæ fuêre, quâ bene multâ aucti ad reliqua militiæ munia alacriores fuêre. Qui è noſtris ad Caſſeli-Montem capti nuper ab hoſtibus fuerant, ii dum cuncti ad pugnam intenti eſſent, maturè dilapſi, unus modo Præfectus *a* Arquiemus Comes diligentiùs aſſervatus haud eâdem fortunâ uſus eſt. Ubi Menene ab noſtris capta fuerat, continuò Gaſſio apprimè gnarus earum rerum, quæ homini militari quæſtui eſſe ſolent, hanc permunire aggreſſus erat, quò factum eſt, uti brevì validiſſimum eſſet oppidum, quo fretus omnia circùm loca redimendis populationibus Curtracum, Brugas, Gandavum, Tornacum uſquè ſibi ſtipendiaria fecit.

a Le Comte d'Arquiem,

Sed hæc præclarè in Belgio geſta; gregarii unius militis proditione corrupta ſunt: is erat in præſidio apud Mardicum, cui fortè cum haſtato ejuſdem centuriæ jurgium fuerat, in quo indignè habitus ab eo, id factum tàm violenter tulit, uti privatam injuriam vel cum rei publicæ damno ſibi vindicandam decreverit. Nuper abierat per cauſam valetudinis *b* Clanlevius Mardico Præfectus, quò cuncta eo ſocordiùs agebantur: exiguum Caſtello præſidium, dilabentibus in dies ob ſtipendii inopiam, Præfectique abſentiam militibus: quò fiebat ut interdiù raræ ſtationes eſſent in his quæ foris erant munitionibus, noctu vix in Caſtello ad excubiarum vices milites ſufficerent: eò vigiliæ laxiùs, longiúſque inter ſe poſitæ locum dolo faciebant. Intereà gregarius quem diximus miles ad hoſtes Dunkercam transfugit, Præfectum quo loco apud Mardicum res eſſet, ordine edocet, nihil facilius eſſe, quàm Caſtello potiri. Hic primò rem incredibilem ratus, parvi pendere quæ ab perfugâ dicebantur,

b Le Marquis de Clanleu.

cebantur, dein ubi percunctando haud levem, & vanum eſſe videt, proximâ nocte rem aggreditur, atque ex ſententiâ conficit: tantiſper ab his, qui Caſtellum defenſabant, eſt propugnatum, mox per ea ſpatia quæ vacua defenſoribus erant ſubeunte hoſte, cæſi, captive omnes, qui quadringenti omninò fuêre. Ex Hiſpanis viginti modò milites deſiderati: ita quod fuerat magno ſumptu, ac labore per hæc æſtiva Caſtellum captum ab Gaſtone, id ab Philippo facilè unius nebulonis proditione receptum eſt. 1645.

Dum hæc in Belgio quod propiùs fines noſtros eſt, geruntur, Arauſius quà ad Batavos pertinet, Hulſtam de quâ ſuprà memoravimus, ad deditionem redegit. Hujus quas tulit conditiones acerbiores viſæ, quàm ut Ludovico, atque Annæ matri probarentur: nam Sacra poſthàc in oppido publicè Catholico-Romano ritu fieri vetuit, quò adhuc facta fuerant. Id igitur apud Arauſium, & Socias Civitates expoſtulavêre graviter, atque docuêre id contra fœdus eſſe, quo cavebatur nihil in Belgio quod ad Sacra attineret, mutatum iri: prætereà id Sociis Civitatibus fraudi futurum, nam omnes Catholicos pertinaciùs poſthàc propugnaturos, ubi ſe non minùs pro aris, quàm pro focis bellum adverſùm eas ſibi defendendum eſſe intelligerent. Sed neque fœderis religione, neque tanti Regis autoritate aut Arauſius, aut Sociæ Civitates ab ſententiâ deduci quivêre, rarò enim aut hæ, aut Sueci quæ ad Sacra pertinent, in iis fidem nobis præſtitêre, aut quod fœderibus cautum erat, eò ſtetêre.

In Germania initio hujus anni Turena varia ſeſe moliri ſimulans, Baioaros adducit, item Carolum Lotharingum, ac Gleenem, qui in Veſtfaliâ quibuſdam, ſicut antehàc diximus Imperatoris copiis præerat, ut ad Rhenum, & Moſellam propiùs accederent: hi duo qui cis Rhenum tùm fuêre, Baccaram in Agro Palatino oppugnare ſunt aggreſſi, ſed appropinquante Turenâ incœptum omiſêre. Turena verò Creutſnacum oppugnavit, arcem ſcilicet, nam oppidum haud ſatis firmum qui foris plus poteſt, facilè occupat: arx edito loco ſita, cui oppugnandæ decem dies conſumpti, importuno ad Tormenta, cæteraſque Machinationes moliendas loco: poſtremò cuniculo ſubtùs murum acto, qui in præſidio erant, deditionem fecêre: dein Arx & oppidum Philippo Ludovico Palatino Lautereno cujus dudùm fuerant, ab Rege reddita ſunt.

Anno proximo exeunte Leonardus Tortenſonus qui Suecis in Germania bellum gerentibus Imperator erat, Auſtriacorum copias quibus Ekenfordius præerat, ipſo Duce, atque aliis compluribus captis, cæſiſve fuderat: dein ipſum cum univerſo Imperatoris exercitu Galaſſum aggreſſus, atque acriter perſecutus, hunc Magdeburgum ad Albim compulerat, uti caſtra ſub ipſis mœnibus ponere cogeretur: nam qui oppidò præerat, id ingredi prohibebat, neque commeatu juvabat, metuens videlicet utne ſibi ipſi in Urbe deficeret. Tortenſonus omnia circùm occupaverat loca, atque hoſtem omnium rerum inopiâ ad deditionem redigere parabat.

16.5. Galaſſus ſub Magdeburgi mœnibus communiverat caſtra, tempus trahere certus, quod intereà terere Tortenſonus in ſegni obſidione cogebatur: ſed huic perſequendæ Coniſmarcum cum idoneo Suecorum numero, & Geiſium cum Haſſis auxiliaribus reliquit: ipſe majora agitans animo in Boiohemum duxit, captiſque per Legatos quos præmiſerat cum expeditioribus copiis Præſtnitzio, & Creuſenheimo, omni Boiohemi Regno imminere videbatur. Quod ubi Ferdinandus videt, ſibique in ſuo bellum defendendum, quod uſquè in alieno geſtum fuerat; ibi verò ſibi maturè conſulendum eſſe conſtituit. Eâ causâ ad Maximilianum Baioariæ Ducem mittit, qui auxilium peteret: datum eſt Joanne Vertio duce, qui cum tribus equitum millibus, paucioribus verò peditibus ad Ferdinandum contendit. Item ab Uladiſlao Poloniæ Rege uti ſibi neceſſario maximè tempore ſubveniret, enixè poſtulaverat, ex nuperæ affinitatis memoriâ: ſed ille ad ſecundas cum Gallicâ virgine primaria nuptias animum adjecerat, neque adeò conſilium erat, adversùm nos, aut Suecos bellum ſumere.

Racocium Tranſſylvaniæ Principem antehàc memoravimus adversùm Ferdinandum Imperatorem in Pannonia, ſeu Hungariâ bellum ſumpſiſſe, ſeu prædandi, ſeu quidpiam in hac regione adipiſcendi ſtudio, quam multis, ſed nuſquàm ſatis inſtructis copiis fretus longè, latéque populabatur. Ei rei idoneus erat Racocii miles, nam plerique equites erant, leviter armati, pedites inermes, neque ulli ad Urbium oppugnationes uſui: eò ſibi arma his peditibus, quin & equitibus danda, atque his veteranos aliquot adhibendos, ac propterea propiùs Racocium accedendum eſſe Tortenſonus conſtituerat, ut hominem in ſententia confirmaret, atque beneficentiâ ad gerendum porrò bellum accenderet. Sed huic tardiùs iſthuc in mentem venit: nam barbarus ingenio mobili, atque infido, de pace apud Ternavium in Pannonia regia cum Ferdinandi Legatis agebat, quâ denique ſancitâ Ferdinandus ab eâ parte belli vacuus, eò attentiùs id in Boiohemo deffendere aggreſſus eſt. Igitur *a* Goeutſium ab Pannoniâ cum aliquanto copiarum numero acceſſit, ipſe Pragam petit, Leopoldum omni exercitui præficit, huic *b* Hasfeldium legat Galaſſi loco, ſtrenui magis, quàm felicis. Hunc ex adverſarum rerum tædio, atque dolore apud Magdeburgum detinebat morbus, in ſtativis miles partim abſumptus inediâ, alii dilapſi quà hoſtium cuſtodias fallere copia fuit. Poſtremò ubi Albis per hyemem glaciem multam rapido impetu volvere cœperat, atque earum vi corruptis ſuprà, atque infrà Magdeburgum pontibus, Suecis amnem tranſire copia non erat, Galaſſus quod reliquum ſibi copiarum fuit, Albim traduci jubet, iis qui apud Urbem ſunt, pontibus. Trans Albim pauciores erant hoſtes, neque eà tranſituros Auſtriacos ſuſpicabantur, atque adeò cuſtodias agebant negligentiùs: præterea primâ nocte Auſtriaci profecti erant, quo tempore blandiùs obrepit oculis ſomnus, aut ſi qui fortè vigilarent, eorum obſtrepebat auribus flumen, quò factum eſt, uti nihil de hoſtium profectione, aut Sueci, aut Haſſi ſentirent, uſque

a Goeuts.

b Hasfeld.

dùm lux nudata defenſoribus caſtra patefecit. Continuò abeuntes ſunt proſecuti, qui cùm multum itineris antecepiſſent, incolumes Vitembergam primùm, mox in Boiohemum pervenêre. *a* Hoenſteinus ductabat agmen, ſimul duodecim Tormenta advehebantur, Galaſſus Magdeburgi cum ſauciis, ægriſque, ipſe corpore, atque animo æger reſtitit, major tamen Auſtriacis eâ caſtrorum obſidione, quàm prælio quantovis clades illata. 1645. *a* Hoenſtein.

His eo modo dilapſis, ad alia quæ uſui forent, Coniſmarcus atque *b* Geiſius qui Suecis, & Haſſis ſicuti ſuprà diximus duces erant, animum adjecêre, atque alius aliò movêre. At Tortenſonus in Boiohemo ad Moldam amnem magnis itineribus properabat, viginti hominum millia, majorem partem equites, Tormenta octoginta, commeatum affatim, jumentorum, atque carrorum ingentem numerum ductabat, atque id per hyemem fiebat, rem majoribus noſtris inſolitam, ſed hâc tempeſtate ab Suecis factitatam, queis ad Septentriones agitantibus remiſſiora in Germania frigora videntur. Is apud Orlicum copias Moldam traducit, atque in Moraviam ducere velle viſus eſt, cùm ut Olmutſii obſidionem ſolveret, tùm uti propior Racocium fieret, atque hunc poſthabitâ pace ad bellum denuò adversùs Ferdinandum gerendum impelleret, doceretque facilè futurum Viadanâ ipsâ validiſſimâ atque munitiſſimâ, & ipſius Ferdinandi ſede potiri, ſi ambo congruerent inter ſe, atque alter cis Danubium, alter trans flumen poneret caſtra, atque urbem ferro, ac fame urgerent. *b* Geis.

His uti præverterent Auſtriaci, ad Taborem oppidum caſtra habuêre, dein præmiſſo cum trecentis equitibus Sporkio, qui de hoſtibus cognoſceret, ad Miltzinium vicum, dein Janoviſium movêre. Eò Sporkius ab equitibus Suecis trecentis malè habitus rediit, atque hi viciſſim cùm in omnem hoſtium equitatum incidiſſent, malè habiti, pulſique. Ad tumultum, & clamorem ſuorum Tortenſonus cum omni exercitu accurrit, cumque eòdem adveniſſet omnis Auſtriacorum exercitus, utrique inſtruxêre aciem, atque intenti ſignum expectabant pugnæ, quæ tamen in craſtinum dilata eſt, nox curandis corporibus, atque quieti data.

Poſtridiè ubi illuxerat, Tortenſonus collem qui utrique exercitui ab latere erat, occupare conſtituit, idem Goeutzio in mentem venerat, atque equites qui in cornu dextro hoſtium erant, eò ducebat: ſed collem priùs occupavêre Succi, diſpoſitiſque in eo Tormentis, tantam in advenientes Goeutzii equites edidere ſtragem, ut ipſe maturiùs quàm decreverat, pugnæ initium facere cogeretur, ut ne ſui inulti, ac nullo operæpretio facto fœdè perirent. Igitur ſigno dato procurſum utrímque ab equitibus eſt, ita ut Auſtriaci magis impetum Suecorum ſuſtinerent, quàm ipſi facerent: conturbati tamen ſunt Suecorum ordines, & ſi inſtitiſſet hoſtis, vix reſtitui potuiſſent: verùm eo ceſſante, quoniam quod in animo habuerat, Suecos videlicet ſuſtinere, id egregiè perfecerat, ſpatium his ſeſe colligendi dedit. Hi tùm ferociores quàm an-

1645. tehàc, multo majore impetu in Auſtriacos decurrêre, qui tùm iis impares cæſi, fuſi, fugatique ſunt, ipſe Goeutzius Tormento ictus interiit, cujus corpore, ſpoliiſque Sueci potiti, præterea Tormentis novem, carriſque compluribus. Dein ſiniſtrum hoſtium cornu procurrit, Baioari, Saxoneſque auxiliares fuêre, illis *a* Mercius, *b* Vertiuſque præerant, atque in hoc cornu Hasfeldius erat, penes quem ſumma imperii in eo exercitu fuit. Ab dextro Suecorum cornu contrà procurſum, ſed quo in loco congreſſæ acies, is adeò fuit anguſtus, ut Auſtriacis pedites ſui nulli uſui eſſent, implente omne ſpatium equite, quos ſi in aciem educere copia fuiſſet, haud dubium eſt, quin dextrum Suecorum cornu eamdem, quam dextrum Auſtriacorum, fortunam fuiſſet habiturum, ac par utrimque clades extitiſſet: nam Vertii, atque Caſelſi alæ in duas Suecorum Cohortes invectæ, Tribunum unum, atque Centuriones aliquot ceciderant, & vexilla novem ceperant, Saxones item undecim, ſclopetarii equites Baioari duo Suecorum equitum vexilla, neque aliâ re Auſtriaci quàm crebris Tormentorum ictibus tùm peſſimè habiti magis, quàm victi receſſêre. Medium diei erat, cùm utraque acies velut ex compoſito quievit: dein Hasfeldius ordines reſtituit, cornu quod reliquum erat ſiniſtrum, in duas dividit partes, atque ex uno duo cornua facta: Sueci rursùm ab ſylvâ quæ ipſis pro munimento, atque caſtrorum loco erat, rursùm hoſtibus imminent: primùm animo pari, atque æquis viribus res geritur, dein plerique Suecorum cæſi, Tormenta omnia, atque impedimenta capta, reliqui Sueci retrò concedebant, cùm Hasfeldius ſuos ab prædâ continuit, utne ſolutis ordinibus ſeſe opportunos præberent hoſti, ac propè partam victoriam corrumperent.

a Mercy.
b Iean de Vert.

At qui in ſiniſtro Suecorum cornu pugnaverant, ubi aliquamdiù dextros hoſtes fuerant inſecuti, neque aſſequendi ulla ſpes erat, ad prælii locum redière, quod ubi ſuis adverſum vident, continuò ipſi pugnam excipiunt, datoque illis aciem reſtituendi ſpatio, poſtremò unâ omnes tantâ vi in hoſtes illati, ut hos in fugam conjicerent, quæ in proxima oppida fuit. Præter Goeutzium in eo prælio *c* Broaius Comes, aliique cecidêre. Captivi inſignes fuêre Hasfeldius ipſe, *d* Valdecus Comes, Mercius, *e* Saradeſquius, *f* Conigſecus Comes, Trautniſius, Meuter, equitum, atque gregariorum militum numerus ingens, Tormenta omnia, impedimenta, & commeatus capta, multa cæſorum ſpolia, multa militaris præda: nec parvo ea victoria Suecis conſtitit, *g* Mortanius, Vitembergus, *h* Golſteinus, *i* Duglaſius, multi præterea milites in re tam variâ atque aſperâ deſiderati: neque enim uſquàm tam anceps fortuna, aut quam in partem inclinaret, tamdiù incertum fuit.

c Le Comte de Broüay.
d Le Comte de Valdec.
e Saradeſqui.
f Le Comte de Coniſcec.
g Mortagne.
h Golſtein.
i Duglas.

Ab hac pugnâ victor Tortenſonus Danubium verſùs ac denique Viadanam duxit, quò ab Pragâ Ferdinandus maturè redierat: haud procul mœnibus Sueci ſtativa habuêre, intercedebat Danubius nivibus, atque hyemalibus aquis præter ſolitam altitudinem immenſùm auctus, quem adeò ſuperare Tortenſono nulla facultas erat, quæ res modò poſt tantam cladem Ferdinando ſaluti fuit. Sed quæ hoc anno Sueci in Ger-

maniâ præclarè geſsêre ea longiùs commemorare non eſt conſilium, id modò in tantâ copiâ viſum digniſſimum, quod ſcriberem, neque ab rebus noſtris alienum, quibus videlicet belli ſocietas, fœduſque cum illis dudùm intercedit. 1645.

Ubi Auſtriaci fuſi, fugatique apud Janoviſium ſunt, auxiliares Baioari duce Vertio in hyberna rediere: hæc in Vitembergenſi agro per vicos, & oppida habuêre, quibus hæc cura ſingularis fuit, ut ne Galli, & qui his conjuncti fuêre Germani quidquam ultrà Rhenum operæpretii facerent, aut quid ſibi agri, ſolive caperent, quò deinceps hybernare poſſent. Ita Baioari nequaquàm Auſtriacis in Boiohemum ſubſidio veniſſent, niſi Turenam nihil per hyemem moturum, neque Rhenum copias traducturum ſatis ſciviſſent: nam cis Rhenum hybernabat, neque noſtri ad hybernas expeditiones prompti, aut idonei ſunt. Sed exeunte Martio Turena Rhenum ratibus junctis Spirâ haud procul exercitum traduxit, dein per Badenſem in Vitembergenſem contendit agrum, uti Nicro amne ſuperato in Sueviam, & Franconiam veniret, quò Germanis auxiliaribus copias idoneo hominum, equorumque numero explere facultas eſſet. Intereà Mercius quem ab Suecis in nupero prælio captum diximus, pretio ab his dimiſſus ad Baioaros redierat. Qui ubi Turena Rhenum tranſierat, omnibus copiis in unum coactis itinera quà noſtris tranſitus erat, obſidere, dein metu deſerere, atque in montes abſcedere, poſtremò Nicri tranſitu prohibere conari: hunc ad Canſtatium Turena tentaverat, ſtabat ex adverſo Mercius acie inſtructâ, quâ re animadverſâ Turena haud ſatis tutum ratus in conſpectu hoſtis tranſire amnem, id paulò inferiùs apud Morbacum fecit, prohibente nullo, ſeu fefellerat hoſtem eà tranſituros noſtros, ſeu haud ita facilè fuit apud Morbacum, ac apud Canſtatium arcere noſtros amnis tranſitu: dein Turena Halam contendit, oppidum ſibi, atque hoſti juxtà opportunum: ſed eò Turena prior advenerat, quò factum eſt, uti primum hoſtium agmen, cùm jam oppidum in conſpectu eſſet, retrò iter flectere cogeretur.

Halâ prohibitus hoſtis ad Elvangam properat, quò & Turena Roſam Tribunum cum equitibus contendere jubet, ſi fortè antevertere poſſet. Sed hoſtis priùs advenerat, atque occupatâ Elvangâ communiebat caſtra, quæ res indicio erat, eò ſtativa habiturum, neque huic conſilium eſſe prælii fortunam tentare. Turena tamen relictis Halæ Tormentis, gravioribuſque impedimentis, levi, atque expedito agmine Roſam quem ad Elvangam versùs præmiſerat, eſt ſubſecutus, ut hoſti pugnandi poteſtatem faceret, aut abnuentis exploraret ſi quo modo caſtra oppugnare poſſet. Sed ea res viſa difficilior quàm ut hanc aggrederetur, itaque aliò movit, quò & feſſis itineris labore copiis quies, & equis quæ circùm Elvangam deerat, pabuli copia foret: cùm haud procul hoſte iter fieret, equites multa, & levia prælia inter ſe fecêre, capti utrimque aliqui: poſt ubi Turena in Franconiam diverterat, atque alter ab altero exercitus longiùs abfuit, per exploratores, atque captivos

1645. Turena reſcivit, Mercium reficiundo militi copias alias aliò dimiſiſſe, atque tunc cùm maximè hoſtes ſub tectis quietos agitare. Jam pridem auxiliares Germani ut idem ſibi facere, atque explendis copiis operam dare liceret, Turenam fatigabant, qui denique iis quoniam tùm opportunum videbatur, morem geſſit. Vnicuique igitur equitum alæ loca idonea, atque commoda decrevit, haud longè inter ſe diſſita, uti ſi opus foret, properè conjungi poſſent: ipſe cum peditibus, Tormentis, atque impedimentis, pauciſque equitibus apud Mariendalium oppidum inter ea loca medium caſtra habuit, uti quoquò versùm adveniret hoſtis, æquè obvios haberet equites, ab quibus ſignificatione factâ eò ab omnibus aliis locis concurreretur: ſed ea probè conſulta, atque conſtituta properantiùs quàm Turena ratus erat, adveniens hoſtis conturbavit. Is inter equitum præſidia nihil his ſentientibus ad Mariendalium accedebat, cùm Roſa fortè quid ageretur edoctus, ſuam, atque Vitgeinſtini equitum alam, ſimul & peditum manum Rotemburgo educit, Turenam quò hoſtis tendere videretur, certiorem facit, ad majorem equitum ſtationem adversùm hoſtes collocatam intereà procedit, illos paratos atque intentos eſſe, atque partem eorum ſe ſubſequi jubet: dein Creiſſheimum versùs progreſſus in colle quodam leniter in planitiem proximam declivi ſubſtitit: eò cunctos hinc inde adventantes ad hoſtis famam excipit, inſtruitque, donec Turena cum equitibus pedite ſubſequi juſſo eòdem advenit. Is ubi hoſtium curſores planitiem ingredi videt, optimum factu ratus ſylvam quæ ab dextrâ erat, occupare, eò peditatum omnem collocat, cum tribus equitum alis, id cornu dextrum fuit, unam modò peditum manum ſibi retinet cum cætero equitatu, quod cornu ſiniſtrum fuit, & quoniam locus haud iniquus videbatur, nequedùm omnes copiæ convenerant, eò opperiri hoſtem, atque rem ſuſtentare decrevit.

At Mercius ubi quos diverſos ſub tectis ſeſe facilè oppreſſurum crediderat, eos conveniſſe, atque in acie ſtare inſtructos videt, pauliſper ſubſtitit, atque aciem inſtruit: dein dato utrimque pugnæ ſigno Tormentis noſtros colle pellere tentat: quod ubi parùm procedit, ſenſimque Turenæ copias aliis aliò ex præſidiis quò fuerant dimiſſæ advenientibus creſcere animadvertit, veritus ut ne quo valebat majori numero, is denique æquaretur, adversùs collem aciem erigit: pedites, & quod firmiſſimum inter equites erat, in cornu ſiniſtro uti noſtros ſaltu dejicerent, collocat, cæteros equites in dextro, quod ubi propiùs noſtros acceſſit, Roſa cum ſuis è ſuperiori loco procurrens torrentis modo in eos præcipitavit, qui conturbatis ordinibus loco ceſsêre, & in eo congreſſu vexilla ſexdecim amiſêre, ex quibus duodecim poſteà recepêre: nam in ſaltu longè diverſa noſtris fortuna fuit. Principio pedites rem egregiè geſſerant, neque priùs ſclopetis miſerant glandes, quàm ex iis jam propinquo hoſti certam perniciem adeſſe intelligerent: ſed primis eâ peſte abſumptis, cæteri per eorum corpora vadere, acriter oppugnare ſaltum, atque vi tantâ agere, uti noſtri loco cederent: qui in ſubſidiis erant

equites, ii ſaltum ut impetum hoſtium inhiberent ingreſſi, primùm eos arcere, atque pellere, rati intereà pedites ab omni aliâ curâ vacuos ordines reſtituturos, ſibique viciſſim fore ſubſidio: dein ubi in his nihil erat præſidii, pluresque numero hoſtes acriùs inſtant, ipſi perindè, atque pedites abſceſsêre. Præter cornua duo, quibus plerumque apud Germanos acies conſtat, tertiam aciem Mercius inſtituerat, ad quam his qui in cornibus erant, ſi fortè quid durius accideret, receptus foret: id iis qui in dextro fuerant locati, planè accidit, qui ubi ad tertiam aciem confugêre, nihilo ſegniùs Roſa & eos qui fugerant, & qui ab ſe integri etiam tùm erant, acriùs urgere, ac penè victos dare, cùm hoſtes qui noſtros ſaltu dejecerant, atque fugaverant, ab latere, & ab tergo ipſi, atque his qui unà Mercium, & Baioaros eâ parte peſſimè habebant, intervenêre. Ibi vero mutata rei facies eſt, ac noſtri viciſſim malè habiti: ipſe Roſa dùm ſuſtentare ſuos, & propè jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab hoſtibus capitur, item Schmitbergus caſtrorum Præfectus, Lametus, atque Paſſagius, alii præterea capti, cæſique. 1645.

Inter hæc Turena more, inſtitutoque ſuo ſtrenui militis, & boni imperatoris officia ſimul exequebatur, quæ ubi fruſtrà eſſe, res afflictas, ſeque cum paucis relictum videt, memor eorum qui tardiùs ſtativis egreſſi non adfuerant pugnæ, horum ſimul, & ſuæ ſaluti conſulere optimum factu eſt arbitratus. Itaque per eum qui intercedebat ſaltum, ad Mariendalium contendit. At hoſtium equites id facturum ſuſpicati iter inſederant, quos per Mepaſium, qui Oiſonvillæ equitum alæ præerat, abigit: is cum centum modò equitibus hoſtes numero plures adortus, ad eum uſque collem, in quo malè ab noſtris pugnatum fuerat, pepulit, dein Turenæ aliquandiù ab hoſtibus quies fuit. Ubi Mariendalium advênit, omnibus copiis in unum conductis impedimenta præire, dein agmen ſubſequi jubet: tùm omnis hoſtium exercitus in proximis montibus viſus, unde ſibi periculum adeſſe ni provideret, probè ſciens, qui pugnæ non adfuerant, atque adeò integri, neque labore feſſi erant, eos in poſtremo agmine collocat, uti vim hoſtium ſuſtentarent: id maximè neceſſe erat, propter viarum anguſtias, quas dùm primi evadunt, poſtremi inſtructi, paratique ſtetêre in acie, atque hoſtem ſubeuntem tantâ vi arcuêre, vti ſegniùs poſthàc conſequeretur: Turena eâ parte curabat, ſibi res aſperiores ſumere ſolitus. In hoc poſtremo agmine Guidonis *a* Arbaleſti Meloduni Vicecomitis cohors fuit, qui dùm crebrò ad hoſtes ſe ſuoſque convertit, atque egregiè propugnat, ab illis cæſus occubuit. Tres horas Joannes Vertius haud ceſſavit carpere agmen, dein ubi magnâ vi noſtri reſiſtunt, finem denique ſequendi fecit: quo factum eſt, uti noſtri per otium Mænum amnem poſteà tranſirent, atque in Haſſiam pacatam Sociorum regionem pervenirent, nam eò uſque in hoſtico iter fecerant. Cum Turena equitum duo millia fuerunt, pedites aliquot, cum magnâ impedimentorum parte, namque aliâ parte, ac ſex Tormentis minoribus hoſtes potiti fuerant. Equites mille ducenti, &

a Arbaleſte, Vicomte de Melun.

1645. quadringenti equites ſclopetarii qui pugnæ non adfuerant, ſeſe Turenæ conjunxêre, ac denique pedites complures qui fortè longiùs aberant ab eo quo pugnatum fuerat loco, ubi rem noſtris ſecùs ceſſiſſe nuntiatum, Philippiburgum versùs iêre, dein ad Turenam reverſi ſunt.

At Baioari hoc operæpretio facto tantiſper quieverunt, dein Geinsheimum ignobile oppidum ad deditionem redegêre, præſidio quod in eo erat Oppenheimum dimiſſo. Poſteà loci Hoxtam ad Mænum amnem movêre, id Moguntinæ ditionis oppidum eſt, poſitum infrà Francofurtum, atque eò traductis Mænum copiis, cum Archiepiſcopo Moguntino Imperii Septemviro Mercius, atque alii duces de belli porrò gerendi ſummâ conſilium habuêre: decretum ut Haſſos qui circùm Ameneburgum habebant caſtra, atque oppidum commeatu prohibebant, quam primùm inde pellerent.

Amelia Elizabetha Haſſiæ Langravia quæ per filii pueritiam in Principatûs procuratione erat, ubi Turenæ, atque Gallorum cladem acceperat, neque in eorum reliquis, quæ apud ſe erant, copiis ſatis ſibi præſidii eſſe videt, adversùm Mercium, & victores Baioaros, Coniſcmarcum cum eo quem ſeorſim ab Tortenſono Suecorum ductabat exercitu, maturè accerſiverat. Hæc mulier ex Hannauvii Comitum gente eſt, omnibus quæ Principem fœminam deceant, virtutibus ornata, quæ ſola ex multis Germaniæ Principibus in fœdere, & belli ſocietate cum Gallis, Sueciſque permanſit, quam cæteri metu, aut fluxâ fide uſi deſeruere.

Baioari primùm Turenæ equites qui turmatim in locis Haſſiæ apertis alii aliò agitabant, improviso adoriri tentavêre. Sed hi maturè Caſſelem, & Zigenhainium ſeſe receperant, dein pulſis qui circùm Ameneburgum erant Haſſis Kirchaimum vetuſtis modò mœnibus, neque ex hodiernâ diſciplinâ munitum oppidum triduùm oppugnavêre: mox veriti ut ne Galli, Sueci, atque Haſſi ſubſidio venirent, incæpto deſtitêre, & ad Aſciburgum movêre: hic locus ad Mænum amnem eſt, quò ſtativa habuêre, pons flumini impoſitus traducendi copias, ſi hoſtis adveniret, facultatem dabat: dein hoc ſi opus foret interrupto flumen pro munimento habituri erant. Interea quæ ab Magdeburgo elapſæ ſicuti ſuprà diximus Auſtriacorum erant copiæ, eas cum Sparro qui his præerat, præterea alias aliò ex Franconiâ, Vitembergenſi agro, Veſtfaliâ, atque ex omnibus quæ haud procul aberant præſidiis, accerſere viſum: nam Angianum ab Galliâ cum novis copiis adventare fama erat, quo Imperatore nullus Germanis, atque Hiſpanis terribilior uſquàm fuit. Is coactis haud longè ab Viroduno copiis, iiſque centuriatim, atque turmatim recenſitis, queis numerus peditum, aut equitum defuit, eas cæteris ſupplemento eſſe juſſit; duces, & centuriones illarum exautorati, dein evocatos Nancio, atque aliis in Alſatia locis qui ſine rei publicæ damno, aut periculo præſidiis abeſſe poſſent, dùm exercitus in propinquo foret, ad Rhenum versùs ducit: quo haud procul Spirâ ratibus junctis tranſmiſſo, circa Lademburgum ad Nicrum amnem habuit caſtra.

caſtra. Eò omnes copiæ Turenæ, Coniſmarci, & Geiſii convenêre, atque Angiano conjunctæ ſunt. Huic Hailbronâ ad Nicrum potiri conſilium fuit, oppido ſatis firmo, ut aliqua noſtris Rhenum inter, & Danubium tutò conſiſtendi copia eſſet, neque cis Rhenum hybernare ſicuti conſueverant, porrò cogerentur. Id ex copiâ rerum eventurum arbitrabatur, uti ſi hoſtes Hailbronæ auxilio venirent, pugnandi copia foret; ſi ceſſarent, Hailbronâ ſeſe potiturum. Igitur eò properè ducit, & jam advenerat equitatus, quærebatque in Nicro vadum, cùm ex adverſo hoſtium equitatus tranſitum prohibiturus adfuit. Poſtridiè pedites utrimque advenêre, atque altera alteri acies fuit in conſpectu: intercedebat Nicer amnis, quem qui tranſire tentaret, is iniquo ſe loco commiſſurus videbatur. 1645.

Duos haud procul amne propinquos inter ſe colles, totumque quod ex his ad ripam amnis pertinebat ſpatium hoſtes occupaverant: duobus in utroque colle, duobus item in ripâ locis diſpoſuerant Tormenta, poſtremò nihil quò noſtros tranſitu fluminis arcerent, omiſerant: quo factum eſt, ut ne hunc ſibi quidem tentandum Angianus probè intelligeret: ſed adhibitis in conſilium Ducibus, eos docuit id ſuprà Hailbronam clam hoſtes fieri poſſe, neque ſi fortè ſentiant, perindè, atque in eo quo ſint loco, prohibendi poteſtatem fore: præterea ab Vitembergenſi agro commeatus, atque alia ſibi opportuniora futura: ſuper eâ re Coniſmarcus ſententiam rogatus negavit ſibi ab Bremenſi, atque Brunzuicenſi agris, quò ſibi res publica gerenda ſit, longiùs abire copiam eſſe, *Eò ſe ut Haſſiam cui hoſtes imminebant tutaretur, ab Ameliâ Elizabethâ accerſitum: id ampliùs feciſſe, quòd ut Turena Angiano conjungeret copias, operam dederit, ita hanc alienis rebus pollicitus, ut ne ſuis deeſſet*, poſtulavitque ab Angiano, ut hujus voluntate ſibi diſcedere liceret: ægrè denique impetratum ab eo, ut octiduum maneret, intereà Angianus ſe in Franconiam ducturum dixit, undè Coniſmarco in Bremenſem agrum iter brevius foret: dein Geiſius & ipſe ut ne ab Haſſiâ abiret longiùs, poſtulavit: ſed Angianus de hujus manſione miſerat, ſcripſeratque ad Ameliam, pollicituſque erat, ubi ipſa vellet, hunc ſe cum præſidio ſi opus foret dimiſſurum, quæ ex ingenio ſuo comi, atque liberali, id eſt Angiano obſecuta. Sed hæc tùm Angiano conturbavêre rationes omnes, documentò Principibus nihil magnoperè ſociorum opibus credendum, queis ſæpiùs diverſa ab noſtris conſilia, atque ſtudia ſunt. Prorsùs uti cui res ſua omnis in manu ſit, tametſi primùm viribus adversùm complures, qui ex fœdere, & ſocietate contrà ſe bellum gerant, impar ſit, ſi tamen invidiæ inter hos, atque diſcordiæ cunctando ſpatium dederit, is poſtremò potior evadat.

Igitur in Franconiam iter pronuntiatum, ut ad Danubium Angianus iter intendere videretur, atque hoſtes ab Hailbronâ quàm maximè averteret; eò ubi longiùs abeſſent, reſque alias hunc agere arbitrarentur, necopinatò rediturus. Itaque ad Vinſem movit, quod oppidum ad Nicrum hoſtes exiguo præſidio tenebant; id Gramontius Equitum

1645. Tribunus ad deditionem redegit, quò pedites ponte traducti, equites, Tormenta, atque impedimenta duobus haud procul vadis tranſiêre: dein quartis caſtris Rotemburgum eſt perventum.

Ex itinere Coniſmarcus diſceſſit, abduxitque Suecorum quibus præerat copias, fruſtrà nitente Angiano, uti quid ſibi Tortenſonus reſcriberet, opperiretur, nam hunc per litteras rogaverat, uti Coniſmarcum aliquandiù ſecum porrò manere vellet. Rotemburgum modico præſidio tenebant hoſtes, qui quoniam antequàm murus Tormentis feriri cœpiſſet, deditionem non fecerant, iis denique dedentibus ſe hæc lata conditio eſt, uti captivi omnes eſſent, oppidanis ſua omnia relicta, frumentum modò, vinumque exercitui imperatum, & quoniam eò aër ſalubris, & amœna circùm loca ſunt, reficiundis ex longo, difficilique itinere militibus ſtativa habita. Dein Dunkeſpielem versùs ad Vernitzem amnem Angianus movit, ab quo unius modò horæ itinere cùm abeſſet, centum qui de hoſtibus cognoſcerent equites præmiſit: hi ex ejus alâ fuere, queis *a* Turrium præfecit: is haud multùm proceſſerat, cùm pabulatores hoſtium in conſpectum venêre, quæ res indicabat hos haud procul abeſſe: cúmque id opus ſcito eſſe judicaret Angiano, mittit qui hunc properè faceret ea de re certiorem: ipſe ſubitò aliquot alas equitum eódem ducit, jubetque equitum quos cum Turrio præmiſerat, partem propiùs hoſtem accedere, uti quò eorum prima ſtatio, quantaque, quæ loci natura, aditu facilis, an contrà eſſet, ſi qui in inſidiis longiùs, aut propiùs locati, poſtremò quidquid de hoſtibus citrà certamen poſſent, ſedulò cognoſcerent, referrentque: hi juxtà ſaltum hoſtium equites, ſcilicet qui adventum noſtrorum ſenſiſſent, inſtructos in planitie eſſe nuntiavêre. Tum Angianus Turrium cum ſuis equitibus præire agmen, aliquot equitum alas ſubſequi jubet: ſed mox ab Turrio tanta vi in hoſtes procurſum, ut hos ad ſaltum uſque pepulerit, eò ducenti qui iter anguſtum obſederant equites pauliſper fugâ ſuorum territi perturbantur, dein reſtitutis ordinibus acriter reſiſtunt. *b* Granvalius qui Turrium erat ſubſecutus cum turmâ ſuâ, præthereà cum nobilium manu quæ more ſuo gloriæ militaris avida eò proceſſerat, unà cum Turrio impetum in hoſtes facit, cui impares retrò ceſsêre: noſtri ulteriùs progreſſi hoſtium caſtra conſpicantur, quæ ultrà ſaltum edito loco poſita erant. Intercedebat planities limoſa paludis in morem, quæ caſtra vallo tuta ampliùs muniebat, quò ab his oppugnandis deterritus Angianus receptui cani juſſit.

a La Tour.

b Granval.

Poſtridiè Gramontius, qui primum noſtrorum agmen ducebat, hoſtes altero ab Dunkeſpiele lapide munientes vidit: caſtra inter ſtagna duo, atque amnem poſita haud ſecùs quàm pridiè tuta videbantur, tamen ad famam pertinere Angianus eſt arbitratus, iis pugnandi facere poteſtatem, quò ſi Mercius prælium abnueret, eò militibus ejus creſceret metus, noſtris animus amplior eſſet. Itaque ſub hoſtium caſtris aciem inſtruit: ſed hi ſeſe ſuis munitionibus continuêre, pilas modò Tormentis in noſtros mittendo, atque omnem in morâ ponentes ſpem, quâ noſtro-

rum animos infringere, atque virtutem fruſtrari conſilium fuit. Angianus eò poſitis caſtris pernoctavit, & ubi primùm illuxit vaſis militari more collectis Norlingam versùs movit, ut hoſtibus ſuæ ad Danubium profectionis opinionem confirmaret. Id ubi eſt ipſis per exploratores cognitum, Donaverdam contendunt, jamque longiùs eos proceſſiſſe fama erat, & Angianus rem eveniſſe ex ſententiâ, ſibique Hailbronam versùs redire necopinantibus hoſtibus copiam eſſe lætabatur, cùm derepentè ſpeculatores citi adveniunt, nuntiantes ſex modò millia paſſuum hoſtes abeſſe, non pugnam abnuentium habitu, ſed compoſito, atque inſtructo agmine: his copiam fuiſſe ultrà amnem iter facere, atque eò pro munimento uti, cum verò cis flumen ſint, indicium eſſe eos pugnam magis poſcere, quam effugere. Ibi verò Angianus rei benè gerendæ ſibi occaſionem dari arbitratus, ſuprà modum lætari, properare agmen, & milites addere gradum jubet. Jamque hoſtes erant in conſpectu, cùm ſubitò aciem inſtruit. 1645.

Hi ubi noſtros adventare ſenſerant, idoneo loco poſuerant caſtra, collis declivis erat, ab quo procurrere in hoſtem facile, & majore quàm in planitie impetu eques poſſet, quem adeò in eo colle locavêre: ab lævâ Caſtellum, ab dextrâ mons haud ita facilis adſcenſu, atque in valle vicus erat. In Caſtello, monte, atque vico pedites fuêre, atque inter hæc, quò opus erat, in conſpectu noſtrorum munire tunc cùm maximè properabant: prorsùs loci facies propugnantibus tutiſſima, ſubeuntibus iniquiſſima fore videbatur. Obviam noſtris proceſſerat equitum ala, quæ appropinquantes attineret: adversùm hanc *a* Caſtelufius qui primos noſtrorum ductabat prælium incipit, atque egregiè dimicans Tormenti pilâ quæ jam terram contigerat oppreſſus eſt: hujus in eo exercitu munus erat aciem inſtruere ex Imperatoris præcepto, qui primus ad Imperia gradus eſt. Hoc modò acies noſtra inſtructa fuerat, in dextro cornu Gramontius Equitum Tribunus curabat, ſecunda cura *b* Arnaldo Corbevillæ ſclopetariorum Regis equitum Tribuno, caſtrorumque Præfecto attributa: in ea parte Gallorum equitatus, regiique ſclopetarii equites erant. In ſiniſtro cornu Turena curabat, in quo Germanorum equitatus: aciem mediam pedites obtinebant, queis *c* Belnavius, atque Marſinus Caſtrorum Præfecti præeſſe juſſi, hic ex Eburonibus erat vir fortis aque egregius, *d* Caſtelnavius Malviciera item aciei inſtructor & in eâ parte fuit. In ſecundâ acie *e* Geiſius cum equitibus Haſſis auxiliaribus, præterea Ohemus cum equitibus Germanis: in ſubſidiis Chabotus caſtrorum Præfectus cum reliquis copiis: *f* Goïonum Muſſaium & ipſum caſtrorum Præfectum circùm ſe Angianus eſſe, cùm præſidio ſibi, tùm uti ſi quis fortè deficeret ad manum foret, quem continuò ſufficeret, ipſe nullo impoſito omnia providere conſtituit.

a Chaſtelus.
b Arnaud de Corbeville.
c Le Marquis de Belnave.
d Le Marquis de Caſtelnau-Mauviſſiere.
e Le General Geis.
f Goïon, Marquis de la Mouſſaye.

Ad hoſtem ſubire per collem acclivem tametſi difficile videbatur, ſuorum tamen virtuti tantùm Angianus confidebat, uti majorem hoſtium ex edito decurrentium numerum non magnoperè pertimeſceret:

1645. at qui in monte, Caſtello, vicoque erant hoſtes, ii ab latere ſubeuntibus noſtris aperto incurrere poterant, aut glandibus eminùs adferre perniciem, atque adeò qui propiùs noſtros erat vicus, eum primùm omnium oppugnare viſum. Sed priuſquàm id aggrederetur Angianus Deum immortalem cum omni exercitu precatus, ut ea res Regi, Galliæque feliciter eveniret, hoc fermè modo milites allocutus fertur.

Sat adbuc virtuti veſtræ hoſtis illuſit, cui quoniam ſeſe imparem ſenſit, tantum itineris ab Mæno ad Danubium emenſus, non caſtra, ne dùm aciem æquo uſpiàm loco commiſit. Non vallum ipſi, neque foſſa ſatis firma munimenta viſa, nam hæc, fortibus viris moram haud allatura ſuſpicatus, amnes atque paludes objecit, montes propè invios inſedit. Sed nihil tàm arduum, quò non virtus eniti poſſit. Tunc primùm pugnandi ſpem nacti ſumus, neque tamen hæc ultrò ab hoſte facta, quem prælium etiamtùm abnuere documentò ſunt acies in edito conſtituta, mons adſcenſu difficilis, Caſtellum, vicus, quem occupant, atque his adjectæ munitiones, quas aſperitates quis mediusfidius præter vos milites me duce vincere aggrediatur? Aliis ut ne Sol, aut ventus pugnantibus ſit adverſus cautio eſt, & ſi liceat mihi eadem ſit. Nam ubi res publica agitur nihil nimiùm provideas. At nobis aut fœdè ceſſandum, aut ingloriè æſtas exigenda, aut hæc, atque alia multò periculoſiora poſthabenda ſunt. Itaque non vos ad facilem victoriam voco, ſed eò ubi quantò majora virtutis exempla edere neceſſe erit, tantò major victores gloria ſequatur. Hic primùm vicus vobis oppugnandus eſt, quem ſi expugnaveritis, cætera ad victoriam facilia fore videntur. Ite igitur atque hoſtes hinc benè juvante Deo pellite: ſimul pugnæ ſignum dedit, adactiſque in vicum tormentis milites procurrunt. Inclinabat ad veſperam dies, cùm pugnari cœptum: ubi pedites ad vicum acceſsère, ſimul dextrâ, lævâque equites proceſsère, præſtò futuri ſi hoſtes ex colle, atque monte ſubſidio ſuis venirent: noſtri in vicum evadunt, atque hoſtes propulſant: duæ modò cohortes altera in Templo, altera in ædibus ſatis firmis reſtitère: in eo primo congreſſu Marſinus quem in mediâ acie curare diximus, item Belnavius vulnerati, atque abſcedere coacti, his ſuffectus continuò eſt ab Angiano Muſſaius, ille ipſe ab dextra, Turena ab ſiniſtrâ, ambo cum equitibus ut ne partum in vico ab noſtris decus, locuſque eriperentur, operam dabant.

Intereà hoſtes ab dextrâ equites, pediteſque decurrère, quorum impetum cum armaturæ gravioris ac cæteris equitibus excipit Angianus, qui dùm impigrè capeſſit pugnam, neque ſuæ magis, quàm aliorum vitæ parcit, glande femur afflictus, ac prætereà ſuffoſſus ipſi equus eſt: hoſtium tamen impetus contuſus, atque ipſi propulſati. Gramontius ab dextro in quo curabat cornu, dùm eâ parte ab hoſtibus ceſſatur, ad Angianum quò acriùs pugnabatur venit, Imperatoris vicem ſollicitus, atque inter dimicandum glandis ictum galeâ excepit. Tùm quies ab hoſte tantiſper fuit, decretumque ab Angiano, ut ab dextro, atque ſiniſtro cornu, prætereà ab mediâ acie in hoſtem unà iretur: ſed id utrùm ab dextrâ fieri poſſet, ambigebatur, nondùm comperto ſi quid in medio prohiberet: eò miſſi qui locum explorarent, intercedere foſſam renuntiavère,

1645.

quam ſuperare difficile eſſet. Itaque Gramontio, atque Arnaldo eò ſtare juſſis, Angianus ad lævum cornu tendit, quò dùm ire pergit, alter cui inſidebat, priore ſicuti ſuprà diximus ſuffoſſo, equus glande vulneratus eſt. Turena vicum inter, & montem equitatum in hoſtem ducebat, nam pedites partim in vico, alios ad munitionem quæ haud procul erat, etiamtùm hoſtes attinebant, Templo, atque iis quas ſuprà diximus ædibus nondùm expugnatis. Ubi propior hoſtes fuit, ibi Tormentis non ſingulas de more pilas, ſed glandium, & ferramentorum farraginem in noſtros emiſère: quibus leviter ictus Turena nihiloſegniùs ad hoſtem properat, cum ſuâ, Flekenſteini, atque Tracii equitum alis: in ſubſidiis Angianus cum ſuis adeſt, atque id neceſſe fuit, quia Turena profligatis iis quos adversùm ierat, in recentes qui ſubſidio venerant, incidit, atque eò res rediit, ut ipſe viciſſim ſubſidio egeret: ſed id properè tulit cum ſuâ manu Angianus, neque etiamtùm nova defuère hoſtibus ſubſidia: quo factum eſt, ut Angianus primò Geiſium, atque Haſſos, poſtremò Ohemum, atque Germanos equites quos utroſque in ſecunda acie eſſe diximus, accerſeret. Ubi omnes utrimque copiæ congreſſæ, atque omnis ſpes in virtute poſita erat: ibi verò quanta vi, quantiſque animis alteri in alterorum perniciem ierint, incredibile memoratu eſt: prorsùs facies totius negotii varia, alius aliò inſtare, aliò cedere, neutrum omnes hinc, aut inde facere: quinquies ubi paulùm pugna remiſerat, reſtituti utrimque ut in tanta rerum perturbatione ordines, ac redintegratum prælium, nuſquàm alias tamdiù quam in partem victoria inclinaret, in incerto fuit: poſtremò tamen hoſtes cæſi, alii capti, qui reliqui fuère, quánam effugere copia eſſet, circumſpiciebant.

Intereà Cornu eorum ſiniſtrum quod uſque ceſſaverat, quoniam idem ab noſtrorum dextro fiebat, ubi ſuorum cladem, atque proximam fugam animadvertère, veriti ut hinc ab Angiano mox victore, atque hujus ſiniſtro Cornu, indè ab noſtro dextero quod nondùm pugnaverat, circumcluderentur, adversùm hoc unum decertare ſibi faciliùs fore ſunt arbitrati, cùm ſui nondùm planè fuſi eſſent, atque Angianum attinerent. Quamobrem in id Cornu acriter procurrunt: noſtri tametſi iſthuc nuſquam futurum rati fuerant, propter foſſam quàm intercedere falsò nuntiatum fuerat, tamen ut erant inſtructi, paratique, obviam hoſti procedunt, atque impigrè pugnam capeſſunt. Sed hoſtes loco declivi freti, qui principes in hoc cornu fuerant, eos perturbavère, atque rupère. Tùm adeſt cum his qui in ſubſidiis locati fuerant, Gramontius, hoſtemque primo ſucceſſu ferocem attinere conatur, intereà dùm qui primi dimicaverant, ii ex diſciplinâ ordines reſtituere, ac denuò pugnare poſſent. Sed hoſtibus acriùs urgentibus, neque primi ordines reſtituere, neque ipſa ſubſidia reſiſtere quivère. Itaque cæſis qui circùm ſe fuerant Gramontius, *a* Caſtræus Nancæus, paucique alii ab omni hoſtium equitatu oppreſſi, captique ſunt. *b* Livrius Angianæ Cohortis Tribunus, Eglinius Melianus, Languetotus, Rambolietus Angennas Piſanius Marchio, prætereà alii cæſi. Ubi eâ parte Chabotus quem ultimo ſubſidio ab Angia-

a Le Comte de Nancé la Chaſtre.

b De Livry, Melian d'Egligny, Languetot de

1645.

Bretel. D'Angennes de Ramboüillet Marquis de Piſani.

no præfectum fuiſſe ſuprà memoravimus, res afflictas videt, atque adeò earum ſummam ad ſe rediiſſe, haud ampliùs cunctandum ratus quin hoſtem attingeret, & rem prolapſam reſtituere conaretur, in hunc magno impetu invehitur: ſed eàdem quâ cæteri fortunâ uſus funditur denique, & hoſtes longiùs procedunt, atque ad impedimenta perveniunt: his præſidio fuit cum Alâ ſuâ Margravius, ſed nihil objectâ prædâ permoti pergunt quò intenderant ire: neque enim aut victoriæ, aut prædæ ſpes hos impulerat, uti tanta in cornu noſtrorum dexterum patrarent, ſed uti modò rebus ſuorum cæterà corruptis ſaluti ſuæ conſulerent.

Angianus intereà fugientes hoſtes proſequebatur: ſed id longiùs facere eò prohibitus eſt, quòd ut ne lævum hoſtium cornu, fuſo noſtro dextero, integrum ad pugnam rediret, metuendum videbatur: dein quòd in vico qui primùm reſtiterant hoſtes, ii indè pelli nequiverant, atque eò cæteri pedites queis haud perindè, ac equitibus expedita fuga erat, confugiebant, quò magis ut ne eódem lævum hoſtium cornu rediret, cautio erat. Sed integri juxta, atque victi de reliquâ modò fugâ ſolliciti fuêre: qui pedites in vico reſtiterant, ſimul qui eò equitatu fugiente receperant ſe, ii ſe Angiano dedidêre. Qui denique omnibus circùm exploratis, compertoque nihil amplius hoſtium eſſe, præter fugientes, & captivos, jam ſe haud dubiè victorem cognovit. Tormentis hoſtium quindecim, totidem ſignis militaribus, re omni tormentariâ, carriſque quibus vehebatur, potitus eſt. Gleen qui ab Mercio acceſſitus huic ab Veſtfalia cum Ferdinandi quibus præerat copiis auxilio venerat, ex Holſteini Ducum gente quidam, Royerus, Colbus, Hiller equitum Tribuni inter captivorum duo millia inſignes fuêre, Mercius penes quem ſumma Imperii in hoſtium exercitu fuerat, Peucer Tribunus equitum, atque alii turmarum Duces, Tribuni Cohortium, Centuriones, equites, peditesque ad tria millia cæſi: è noſtris mille quingenti inter quos *a* Viggenſteinus Comes, Burrius Marchio, atque alii præter eos quos ſuprà memoravimus captivi è noſtris inſignes fuêre. Gramontius, atque Caſtræus Nancæus; ille apud Monâcum ab Maximiliano Baioariæ Duce liberaliter habitus pro Gleene, hic cujus genus, atque dignitas ignota hoſtibus fuit, pro Centurione quodam poſtpaulò permutati, atque eodem pacto cæteri captivi, alius pro ejuſdem Ordinis alio: qui ſuperfuêre ex hoſtibus plures, ii pretio redempti. Ubi hæc in Aula nuntiata ſunt, ingens ſubit animos lætitia, atque Deo Immortali pro republicâ tam benè, atque egregiè ab Angiano geſtâ in majori Urbis Templo honos habitus.

a Le Comte de Viggenſtein.
Le Marquis de Bourry.

Ab eâ pugnâ Angianus Norlingam ad deditionem redegit, quo ſaucios, cæteroſque tanto prælii labore fatigatos milites paulùm reficit, dein Dunkeſpielem ducit, quod & oppidum poſtquàm admota ſunt Tormenta, deditum eſt: mox ad Hailbronam cui potiundæ tantùm laboris, periculique ſuſceperat, iter convertit. Id oppidum ad Nicrum hoſtes probè muniverant: præſidio erant pedites octingenti, equites ſclopetarii quadringenti, præter oppidanos, & agreſtium qui eò confuge-

rant multitudinem. Ubi primùm circùm oppidum caſtra poſita, Angianus in gravem incidit morbum, cui curando Philippiburgum abire coactus eſt. Intereà per Legatos Gramontium, & Turenam Equitum Tribunos res omnis ad Hailbronam adminiſtratur: qui ubi aliquandiù oppidum oppugnavêre, de hoſtium adventu facti certiores incœptum omiſêre, cùm quia parùm procedebat, tùm quoniam in eo deprehendi ab hoſtibus periculoſum videbatur. Igitur Baioaris eunt obviàm, qui nuperæ cladis memoriam abolere dùm Angianus morbo detinebatur, ſeſe velle prædicabant, tamen ubi noſtros appropinquare nuntiatum eſt, Hailbronæ oppugnationem inhibuiſſe contenti pro more pugnam effugêre. 1645.

At Gramontius, & Turena Hallam ad Coquenem amnem proceſſêre, ſi eò fortè per hoſtem hybernandi copia foret, cujus rei metu perculſus Maximilianus Baioariæ Dux, nam Halla haud procul Danubio, & Baioariæ finibus eſt, ad Ferdinandum Imperatorem properè mittit, qui doceret; *Eò res ſuas rediiſſe, ut ni maturè ſubveniat, ſibi ab hoſte conditio ſit accipiunda: hanc ſibi quidem haud iniquam ferri, uti videlicet neutri parti ſtudeat, ſeque omninò ab bello abſtineat, quod ſi Ferdinando ſatis placeat, rem eſſe facilem, & expeditam: ſin id ab republicâ alienum judicet, malitque Gallos abigi, atque pelli Germaniæ finibus, mittenda properè auxilia.* Ferdinandus tametſi Tortenſonus cum Suecorum exercitu in conſpectu Viadanæ eſſet, tamen quia Danubius intercedebat, neque is facilè tranſiri poterat, minoribus copiis ut eâ parte bellum deffenderet ſeſe egere probè intellexit, quibus retentis majorem partem cum Leopoldo fratre, & Galaſſo qui huic Legatus eſſet, ad Maximilianum dimittit: nam ſatis ſcibat quanto hic ſibi uſui porrò foret ad ſuſtinendum contra Gallos, atque Suecos bellum, quamobrem ut ne ab armis diſcederet, cautio erat. Igitur Leopoldus, atque Galaſſus magnis itineribus ad Nicrum contendêre: paſſuum modò viginti millium ſpatio aberant, cùm id exploratores Gramontio, & Turenæ nuntiavêre, qui ſubitò præmiſſis Tormentis, atque impedimentis movêre caſtra, nam tantæ hoſtium multitudini longè impares erant, quoniam & Ferdinandi, & Maximiliani copiæ unà veniebant. Noſtri duos amnes quâ ipſis ad Nicrum recedentibus tranſitus erat, facilè ſuperavêre: tertius erat Nicer ipſe, qui per eos dies imbrium vi immensùm auctus vado tranſiri nequibat. Itaque ſex omninò ſcaphis Gramontii pedites repetitis ſubvectionibus traducti, Turena cum ſuis cis amnem erat, cum omnibus carris, impedimentis, Tormentiſque, neque hoſtis procul aberat noſtrorum inſiſtens veſtigiis, prorſùs ut ea pars agminis deprehenſa, atque hoſti opportuna videretur, ni fortè dilapſis per noctem aquis, poſtridiè vado tranſire copia fuiſſet, quæ res miraculo habita: noſtri cùm nihil ampliùs moram faceret, Philippiburgum contendêre, quouſquè hoſtis ſubſequi perſeveravit, ita tamen ut nihil damni neque inferre, neque accipere velle videretur. Ubi ad conſpectum Philippiburgi, quò noſtri reſtiterant perventum, inſtruxêre aciem hoſtes, quæ millibus equitum tredecim, octo peditum

1645. millibus conſtabat, cui numero noſtri longè impares ſeſe munitionibus continuêre.

At Leopoldus, Galaſſuſque poſtquàm id cujus gratiâ venerant confectum erat ex ſententiâ, Galloſque hybernis in Germania prohibuerant, quò res Ferdinandi monebat, eò properè rediêre. Quæ noſtri ultrà Rhenum loca occupaverant, ea facilè ab hoſtibus recepta, illi cis Rhenum ſtativa habuêre, in quibus per octiduum refectis militibus Turena otii impatiens, & quid ex copiâ rerum optimum factu ſit ſemper animo agitans, præter noſtrorum juxtà, & hoſtium expectationem Auguſtam Treverorum ducit. Id oppidum ad Moſellam amnem Hiſpani ante hæc bella præſidio tenuêre, opportunum traducendiis copiis, quas ex Hiſpaniâ in Italiam, indè per Rhætos in Germaniam, ac poſtremò in Belgium Philippus Hiſpaniæ Rex ſæpiùs mittit, nam apud oppidum pontis copia eſt. Sed ubi Guſtavus Suecorum Rex peragratâ cum exercitu omni ab Codano ſinu ad Rhenum uſquè Germaniâ Trevirenſis Archiepiſcopi terris imminebat, is ſe Ludovico XIII. Regi dederat in clientelam, & fidem, cujus opibus, nam in Ferdinando II. Imperatore, aut in cæteris Germaniæ Principibus nihil tùm præſidii erat, adversùm Guſtavi arma tutus eſſet. Ea gratiâ factum Ludovicum inter & Archiepiſcopum, is fuit Philippus Soëternus, fœdus eſt, quo cavebatur uti Rex Auguſtâ Treverorum, quæ eſt Archiepiſcopi ſedes, Hiſpanos pelleret, atque ipſe Præfectum, & præſidium imponeret Urbi: quod ubi factum eſt Hiſpani poſt biennium Urbem dolo recepêre, quam Turena hoc anno oppugnare aggreſſus eſt. Eâ gratiâ monito qui in Angiani exercitu pro Prætore erat Arnaldo Corbevillâ, ut ab Mediomatricibus, quò & ipſe ſtativa reficiundis militibus habebat, ſecundo Moſellâ ad Auguſtam Treverorum accederet, ambo eò ex improviſo ac diverſi advenêre. Poſitis circùm oppidum caſtris, atque ad oppugnationem paratis omnibus, qui Præfectus Urbi fuit, is diffiſus oppidanis, pro ædibus publicis in quibus arma erant ſtationem militum ſolitò firmiorem collocat: ſed oppidanis curæ fuit, ut hâc ſtatione pulsâ ſibi res ſua in manu eſſet: Præfecto tamen poteſtatem fecêre, ut Urbem ſi poſſet adversùm Gallos defenderet: ſin deditionem facere mallet, operâ ad id ſuâ uteretur: biduum ad deliberandum Præfecto datum, cui deniquè poſtulanti dictæ deditionis leges ſunt. Receptâ Urbe nihil prius, aut antiquius habuit Turena, quàm ut Philippum Soëternum Archiepiſcopum eâ de re faceret certiorem, moneretque uti quàm primùm veniret, atque Urbe ſibi per injuriam ab Hiſpanis ereptâ rursùm potiretur.

Sed hunc Philippum Soëternum poſtquàm Hiſpani apud Auguſtam Treverorum unà cum Urbe ceperant, atque in Belgium abduxerant, Ludovicus XIII. ægrè ferens amicum Principem, qui ſe in fidem ſuam contulerat, ab illis hoſtiliter habitum, atque aſſervari captivum, hunc dimitti continuò poſtulaverat, & abnuentibus Hiſpanis bellum denunciaverat, quod fieri cæptum antè decennium etiamtùm geritur. At

Hiſpani

Hiſpani Philippum Soëternum ad Ferdinandum II. Imperatorem miſerant, qui nihil neque ætatem, neque dignitatem, neque Pontificatum quem gerebat reveritus, hunc in cuſtodiam conjecerat, vitio vertens quòd non ſe perditum honoris illius causâ, quàm Ludovici operâ, cum non aliter poſſet, ſalvum maluiſſet. At ubi Ferdinandus III. Ludovicum XIII. fecerat certiorem ſibi conſilium eſſe de Pace agere, id ſe Ludovicus facturum negavit, niſi priùs Philippum Soëternum cuſtodiâ emitteret. Igitur hunc primùm Pontificis Nuntio qui apud Viadanam erat tradidit, apud quem tantiſper agitaret, ſicuti Pontificis juſſu adhuc in cuſtodiâ eſſet, dein dimiſſus, ad Confluentem oppidum quò Moſella Rhenum ſubit, profectus fuerat, unde Auguſtâ Treverorum receptâ eò ab Turena accerſitus poſt decennium rediit; huic Turena Urbem tradidit, dein copias in hyberna dimiſit, quæ cis Rhenum de more habuêre. 1645.

Nihil memorabile hoc anno in Italia geſtum, nam Pralinopleſſius cùm nondùm æſtivorum tempus adveniſſet, partem copiarum, quæ eò hybernaverant, oppugnandæ de quâ ſuprà memoravimus Rhodæ in Cataloniam abduxerat, quâ in deditionem acceptâ ad Urbem divertit, remiſſis in Italiam quas inde abduxerat copiis. Dein ipſe Equitum Tribunus virtutis ergò ab Rege creatus eódem & ipſe rediit, cùm jam æſtivorum tempus multùm proceſſiſſet. Sub ejus adventum Thomas vir Princeps, de quo ſæpiùs memoravimus, alteram copiarum partem, quæ in Italia hyemaverat, atque Sabaudicas copias ad Seſſitem amnem duxit, quo ſuperato pergit ad Ticinum iter facere: Vigevanum oppidum haud procul amne poſitum, poſtquàm Hiſpani ſemel eruperant, nullo negotio capit, arcem oppugnat, quæ & ipſa mox ab Hiſpanis dedita eſt, huic atque oppido *a* Neſtierum virum fortem ac ſtrenuum præfecit. *a* De Neſtier.

Intereà Velada Marchio qui Mediolanenſem cum exercitu obtinebat agrum apud Mortaram ſtativa habebat, neque moverat quidquam, ſed interdùm modò noſtris aut pabulantibus, aut commeatus ſubvehentibus moleſtus fuerat. Ubi verò Vigevanum Thomæ deditum eſt, atque hujus copias oppidi, atque arcis oppugnatione ſatis diuturnâ, præterea eò relicto præſidio, imminutas intelligit, ab Mortarâ movet denique, uti redeunti, quò opportunum foret, occurreret. Huic ſuperandus erat Seſſites amnis, quo ex copiâ rerum Veladam ſibi interventurum judicabat: nam in tranſitu fluminum magnæ clades ſæpiùs acceptæ vel ab maximis Imperatoribus ſunt. Cui rei Thomas uti præverteret, Pralinopleſſium cum his quæ ab Cataloniâ redierant copiis, accerſit, quibus ab ſuo in Italiam reditu quies in priſtinis hybernis reficiundo militi data fuerat.

Igitur Pralinopleſſius ad Seſſitem movet, ſed id Valada ſuſpicatus, non ad Seſſitem, ſed ad Moram amnem, qui propior Thomam erat, huic occurrit. Pugnatur utrimque acriter, dein neutrò inclinatâ re diſceſſum, eò tamen noſtri potiores viſi, quod Hiſpanorum diſceſſu patuit iis ad Seſſitem, quò intenderant, iter, atque eo nihil hoſte prohibente ſuperato, ſeſe Pralinopleſſio conjunxêre. Prælium ab ſecundâ poſt meridiem

1645. horâ, ad mediam propè noctem, non unâ ſerie, ſed diverſis hoſtium procurſationibus duraverat: his Thomas dimidiâ copiarum parte inferior, virtute modò, ac rei militaris ſcientiâ, atque peritiâ locorum, ſuperior fuit: quâ fretus antequàm ad amnis vadum perveniſſet, quò ſingulæ alæ, cohorteſque quas præmiſerat collocandæ eſſent, ſedulò præceperat: dein ubi adfuit, quò opus eſſet ſubſidia mittendo, rem uſquè ſuſtentavit, donec incolumi exercitu, atque omnibus Tormentis, impedimentiſque, non ante movit, quàm hoſtes abire nuntiatum eſt. Cæterùm tametſi ſignis collatis non eſt pugnatum, neque concurſum omnibus copiis, tamen nuſquàm alias acriùs eſt decertatum. *a* Bruvillierus Gobellinus Arvernæ Cohortis Tribunus in acie cecidit: Aquabonus adoleſcens, atque Meſpiuſius item Tribuni, Blancavilla qui alæ Sabaudicæ præerat, graviter vulnerati poſt paulò ab vulneribus interiêre. *b* Mauricius Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis ex concubinâ filius, vir fortis, eâ die tanta virtutis exempla edidit, ut huic rei benè geſtæ gloria ſecundùm Thomam jure tributa ſit. Villa Marchio, Caſtillonus Subalpini ambo, Navaillius Tribunus Gallus item vulnerati, Thomas ipſe glande ictus loricam eſt. Cùm in exitu annus eſſet nihil ampliùs in Italia factum, ſed poſtquàm noſtri ultrà Seſſitem fuêre, atque eo habuêre ſtativa, Velada Vigevanum oppidum haud difficulter recepit, concedente in arcem omni Gallorum præſidio, dein copiæ in hyberna dimiſſæ.

a Gobelin de Bruvilliers. Le Marquis d'Aiguebonne. De Meſpieu. De Blancheville.

b Dom Maurice.

Hæc quæ ad bellum pertinerent geſta ſunt hoc anno: neque intereà omiſſum quidquam, quò ad Pacem denique perveniri poſſet. Eâ gratiâ Avauxium, & Servianum Monaſterium Veſtfalorum miſſos ſuprà memoravimus, qui parùm concordes dùm ſimultates exercent, atque ſcriptis quandóque inter ſe decertant, minùs idonei habiti, qui pacem quam alter cum altero habere nequibat, inter alios conciliarent. Eò properantiùs Henricus Aurelius Longavilla Monaſterium proficiſci juſſus, cui ubi propior eſt factus, diverſi proceſsêre obviam Avauxius, & Servianus: nam hunc, ut unà irent, neque collega, neque Ludovicus Contarinus Venetorum apud Monaſterium Legatus orans ut hanc ſibi veniam daret, nec ſuam cum Avauxio diſcordiam eo pacto omnibus patefaceret, exorare uſquàm potuêre. Itaque Longavillæ prior occurrit Servianus, in rem ſuam eſſe ratus, ſi viri Principis gratiam antecaperet, atque hunc quo loco res eſſent edoceret: at is huic quàm illi haud æquior (ſeu ſuâ ſponte, ſeu quia ita præceptum fuerat) id modò curare, ut ne privata amborum odia rei publicæ obſtarent, quod facilè talis hujus viri verecundiâ factum, quâ uterque permotus, ubi in commune conſultabatur, ab altercationibus temperabat, quæ perpetuæ priùs inter eos fuerant, ita ut alteri quod alter ſentiret, id nuſquàm ſatis rectum videretur.

Poſtquàm Longavilla Monaſterium Veſtfalorum advenerat, tùm verò fides facta omnibus Gallos Paci faciundæ ſtudere, cùm id antehàc vix cuiquam credibile videretur, quibus videlicet res per bellum propè ſuprà votum fluere viderentur. Miſſus eódem eſt ab Ferdinando Imperatore Maximilianus Trautmanſtorfius, vir ſummâ apud eum gratiâ, nec minore pe-

ritiâ rerum, quas & per Ferdinandi II. patris tempora geſſerat. Is ubi primùm Monaſterium Veſtfalorum advênit, Legatis Gallicis hanc tulit conditionem, uti Diviodurum Mediomatricum, Virodunum, atque Tullum cum omnicircùm regione, atque uniuſcujúſque Urbis Diœceſi, quibus finibus hæc jam indè ab Henrico II. Galliæ Reges poſſederant, porrò poſſiderent, ac prætereà Mediovicum nihil Imperio Germanico obnoxia, ſed planè Galliæ Regno conjuncta. Ita ſuo jure Imperator, atque Imperii Ordines, quod majorum ſuper his Urbibus, atque Diœceſibus fuerat, decedebant. Sed id propè nullum Gallis videbatur, jam diù cuncta hæc poſſidentibus, neque ſecùs quàm reliquam Galliam habentibus, atque adeò poſtulavêre, uti quæ armis cis, tranſque Rhenum occupaverant, ea Ferdinandi, atque Imperii Ordinum voluntate ſibi retinere liceret. *Nullam in his Imperium Germanicum jacturam facturum, cui obnoxia porrò Rex eſſe velit: perinde eſſe Imperatori, atque Imperii Ordinibus, utrum Rex, an alius hæc poſſideat, modò ut eamdem quam cæteri Germaniæ Principes fidem utrique præſtet, neque fortaſſè ex tanti Regis opibus parùm præſidii Imperio acceſſurum.* At Trautmanſtorfio longè alia mens erat, ſcilicet metuenti, ut ne ea res Ferdinando, atque aliis Auſtriacis Principibus fraudi eſſet. *Hos in Germaniâ principatum jam diù obtinêre, neque alios dudùm Imperatores creatos: ſi quam Galliarum Reges poſthàc Germaniæ partem poſſideant, atque in Principum Germanorum numero, atque Ordine ſint, ipſis jus, atque facultatem fore adeſſe Imperii Conventibus, aut Comitiis, atque in his de omni re publicâ conſultare, atque ſententiam dicere, quorum autoritate cæteros permotos multa quæ Auſtriacis minùs placeant, deſignaturos.* Eo ſi quid Regi in Germaniâ permittendum foret, id ab Imperio planè ſejunctum, atque Galliæ conjunctum volebat. 1645.

Sed ubi Gallici Legati quam de Divioduro Mediomatricum, Tullo, ac Viroduno cum Diœceſibus Trautmanſtorfius tulerat conditionem, eam abnuerant, hic ab Monaſterio Veſtfalorum Oſnabrugam ire decrevit, uti cum Legatis Suecicis colloqueretur, & cum his de pace ageret. Huic conſilium erat Imperii Ordines, qui Proteſtantium Sectam ſequuntur, ab Suecis ſi quâ fieri poſſet, ſejungere, ubi ſatis perſpicerent hos nimia in belli quod Germanorum ipſorum ſumptibus geſſiſſent, mercedem poſtulare: ſin id minùs procederet, Suecos ab Gallis ſeſe haud difficulter ſejuncturum ſperabat. Sed priuſquàm Monaſterio Veſtfalorum Oſnabrugam proficiſceretur, Gallici Legati poſtremò huic ſignificavêre, Regem ſibi Alſatiam, atque Suntgoviam, cum Briſiaco oppido, atque aliquantùm circùm agri petere, prætereà quatuor ad Rhenum ſuprà Baſileam oppida, quæ ſylveſtria vulgò appellant, cum vicino item agro, ac poſtremò Philippiburgum, quæ omnia præſidiis tenebat, cætera verò per id bellum in Germaniâ capta Regem redditurum aiebant, modò ut aliquanta ſibi pecunia curaretur in copiarum ſaltem extranearum, quæ ſibi meruiſſent, ſtipendium, ac mercedem. Sed hæc ingentia, immoderata, nimis alta eſſe Trautmanſtorfius dictitabat; cùm uti ſimilia poſtulare Suecis pudor eſſet, tùm ut apud Imperii Ordines invidiam Gallis conflaret, ac ſimul oſtenderet, ſi iſthæc his, atque alia majora Suecis obſequi ne-

1645. ceſſe foret, magnum ex eo ad Imperium damnum perventurum.

Sed ubi Oſnabrugam advênit, hæc fuit prima hujus ad Suecicos Legatos oratio. *Veniſſe Suecos in Germaniam, uti rem publicam in priſtinum ſtatum reſtituerent: ita Guſtavum Regem, ita qui eo mortuo bellum porrò geſſerint, prædicaſſe. Quod cùm ita ſit, nihil cum his, niſi quod ad hanc pertineat agendum videri, quâ de causâ eò miſſus ab Imperatore ſit. Suecos Germaniæ ſumptibus aluiſſe in eâ bellum, quòd prætereà his maximo quæſtui fuerit: ſi tamen ad hunc adjici quidpiam placeat, uti bellum facere deſinant, id Imperatorem, atque Imperii Ordines, quantum per præſentem inopiam licebit, curaturos. De Pomeraniâ, quam jam inde ab belli principio ipſis Bogiſlaus permiſerit, haud æquum videri hanc ab ipſis retineri, ſcilicet quæ per hujus mortem Septemviro Brandeburgico obvenerit, qui bellum adversùm Suecos nec geſſerit, nec geſtum uſquàm voluerit, atque adeò ne ipſi quidem hunc eâ provinciâ mulctatum velint, qui nihil adversùm hos commeruerit.*

Ad hæc Sueci reſpondêre: *Quoniam in Germaniam rei publicæ causâ venerint, ab ea conditiones pacis ordiundas: dein amicorum, ac Sociorum Principum, atque Ordinum qui bellum unà geſſerint, ſibi rationem habendam, quorum rem, atque fortunas in tuto collocare debeant: cùm hæc facta fuerint, quod ad ſe attineat, id denique, ac tamen ſatis maturè acturos.* Senſit Trautmanſtorfius quæ dixerat, ea ab Suecorum ſententiâ longè aliena eſſe: multa tamen inter illum, atque hos commutata verba ſunt, magno utrimque quid alteri conſilii eſſet, cognoſcendi ſtudio. Hæc exitu anni fiebant, quem priuſquàm finiamus pauca quæ in Aulâ noſtrâ accidêre, memorare lubet.

[a] Mademoiſelle de Rohan.

Iſthîc erat virgo [a] Margarita Rohana, cujus nomen generis claritudinem ſatis indicat: forma, atque divitiæ conſimiles generi fuêre, mores qui benè, atque liberaliter eductam decerent: quo fiebat, ut in Aulâ nemo quantìvis pretii eſſet, quin huic illa nubere poſſet. Jam paterna potiebatur bona, nam Henricus Rohanus pater pridem obierat mortem: Margarita Bethunia mater quo filia excelſiùs nuptum collocaretur, huic omnia bona ſua etiamtùm vivens donò dederat. At illa non alieno, ſed ſuo arbitrio virum delegit, atque matre propinquiſque præter morem inconſultis Henrico Chaboto nupſit, qui quanquam è primâ Regni nobilitate ſit, huic tamen diſpar ab Rohanâ genus eſt, quæ videlicet ab Navarræ Regibus originem ducit. Igitur hæ nuptiæ propinquis, ac maximè Bethuniæ matri ægrè fuêre, de quibus immane quantùm filiæ ſuccenſuerit, cui non modò bona quæ dono dederat, ſed & paterna adimere conata eſt. Eâ gratiâ ante annos ſexdecim ſibi natum filium dixit; ſeſe enim gravidam Venetiis quò ipſa, atque vir tùm agitabant, profectam ad Urbem veniſſe, uti partus ſui pauci, ſed certi teſtes adeſſent: nam ſi peperiſſet filiam, id ſe, atque virum omnes celatos voluiſſe, ut ne Margaritæ filiæ nuptiis obſtaret: ſin verò filium, id & clam omnes eſſe Rohanum ſtuduiſſe, ut ne ſibi apud Ludovicum XIII. Regem, ac magis apud Richelium fraudi eſſet, cui ægrè futurum arbitrabatur, ſi ipſi qui Sectariis ſæpiùs Imperator fuiſſet, filius foret, qui in ejuſdem Imperii ſpem educeretur: cæterùm Rohano non fuiſſe conſilium de filio, ut hunc deſereret filiæ causâ, ſed illi procul ab Galliâ quæſitas opes,

imò & Regnum voluiſſe, Cyprum Inſulam ſcilicet, quàm ab Turcorum Imperatore commercaretur. Rohani mortem cuncta hæc intervertiſſe, atque intereà latuiſſe filium, cui dùm pater nimium facere ſtudet, eum abſque ullis bonis, virtutis modò, atque indolis Principe viro dignæ hæredem reliquiſſe: ſimul filium oſtentabat, cui Tancredi celebre vatum Italicorum carminibus dederat nomen, quod & fabulæ ornamento fuit, fabulam hanc appello quantùm ad Rohanum, ad quem hæc omnis res nullo modò pertinuit: dein Bethunia litem de paternis bonis filiæ movet. Fuêre in Aulâ, atque in Urbe multi, quibus ſicuti fermè omnia nova, Bethuniæ commentum ſatis placeret: ſed ubi ſibi in hac cauſâ homines probos, atque peritos rerum Advocatos eſſe voluit, ibi verò turpe incæptum omnibus viſum, atque uno ore autores fuêre ut id planè omitteret: quò factum eſt, ut ipſâ ceſſante Tancredus Rohani filius eſſe deſierit. 1645.

Eâ tempeſtate ab Româ rediit ad Urbem a Carolus Herſentius quidam ſacerdos, cui neque ingenium, neque doctrina, neque eloquentia defuêre: ſed quæ hæc moderaretur prudentia, ea vero aut exigua, aut nulla fuit. Is quoniam quædam in Concionibus ſacris temerè dixerat, his ab Joanne Paulo Franciſco Gondio Archiepiſcopi Pariſienſis patrui gerente vices interdictus fuerat, quam rem ita tulerat violenter, ut obniti, & contrà ſcribere auderet, dein ubi reſipuit, Gondius huic concionandi porrò poteſtatem fecit: priùs tamen Romam tantiſper ſecedere Herſentius decrevit, nam pudebat tam citò poſt reprehenſionem prodire in publicum, atque omnibus in conſpectum venire. Ita Romam profectus, ut erat prompto, atque audaci ingenio, ubi primùm ad Pontificem adiit, plura quàm rogabatur, & quàm deceret dicendo cuivis ſe rei temerè incipiundæ idoneum ſatis oſtendit. Eò ab Pontifice benignè, atque liberaliter habitus, poſtremò ut in Galliam continuò rediret perſuaſus eſt, quò hujus operâ ad rempublicam uti vellet: *Sibi dudùm curæ eſſe, ut inter Galliarum, atque Hiſpaniæ Reges pax ſanciatur: cui rei obſtare privatas cujuſdam in Galliâ rationes, quibus alias opponere ſibi conſilium ſit. Nam hanc inſitam mortalium animis ab naturâ pravitatem, uti nihil rei publicæ, cuncta privatæ cauſâ faciant. Igitur Lutetiam Pariſiorum properè redeat, ſuiſque verbis Rivieræ Cardinalatûs ſpem certam faciat, ſi per Gaſtonem qui in ejus poteſtate ſit, Regem, atque Reginam matrem ad pacem cum Hiſpaniæ Rege Philippo faciundam impellat: prætereà Rivieræ dicat Annæ Mariæ Ludovicæ Gaſtonis ex priori uxore filiæ nuptias cum Philippo Hiſpaniæ Rege factum iri, ſi pater uti pax inter ambos Reges ſanciatur, effecerit: poſtremò ipſi Herſentio haud defuturam navatæ in tanto negotio operæ mercedem.*

a Charles Herſent, Predicateur.

His homo vanus lætari, atque gloriari quòd ſe Pontifex dignum deputaviſſet, quo interprete in re tantâ uteretur. Româ ſubitò profectus nihil moratur in itinere, atque ubi ad Urbem venit, Pontificis mandata Rivieræ exponit. Hunc certè Cardinalatûs ingens cupido exagitabat, cujus adipiſcendi ſpem omnem in Gaſtonis gratiâ poſitam habebat, non adverſùm Mazarinum tendendo, ſicuti Pontifex ſuadebat, ſed contrà

1645. Gaſtonem Mazarino æquum præſtando. Nam in Gaſtone non ea vis ingenii, atque animi erat, neque ea in re publicâ potentia, uti quidquam invito Mazarino incipere vellet, tanta huic apud Reginam gratia, atque fides eſt, quâ fretus facilè omnia Gaſtonis conſilia diſturbaſſet. Igitur quod ab Pontifice ſibi per Herſentium ſubjectum fuerat, id ſibi modò uſui futurum eſt arbitratus, uti ſuam Mazarino fidem oſtentaret: huic omnem rem enarrat ordine, docetque omnia ſe hujus amicitiæ poſthabere, neque aliundè dignitatem, atque fortunas quærere, quò haud minorem fidei ſuæ, quàm quæ perfidiæ proponatur, poſthàc mercedem futuram ſperet. Mazarinus collaudato viro, atque omnia ab ſe quæ utroque digna eſſent, ſperare juſſo, quæ de Herſentio acceperat, ea Reginam edocet, cujus juſſu hic in carcerem conjectus aliquandiù vanitatis, atque imprudentiæ pœnas dedit.

Menſe Septembri Rex atque Regina mater magno virorum Principum, atque Nobilium comitatu in Senatum venère, promulgandis undè pecunia corrogaretur, Edictis, rem ipſi Ludovico patri dùm viveret tanto Regi ſemper victori formidoloſam, nam Patribus ubi de tributis, vectigalibus novis, atque hujuſcemodi aliis cogendæ ab civibus pecuniæ agatur, liberiora quàm quæ Reges libenter audiant, dicere ſolitis: quò magis mirum viſum, qui rem publicam adminiſtrabant, eos Reginæ autores fuiſſe, uti Rex puer in Senatum eâ gratiâ veniret: at cum primoribus Patrum anteà collocuti, quæ eorum ſententia futura eſſet, periculum fecerant, qui ex voluntate Regis lecta, promulgata, atque in acta Senatus relata, Edictis adſcribendum cenſuère.

Olim Reges ubi præſentis pecuniæ eguère, primùm quod in promptu erat, regia prædia urbana, ruſticaque venum dedère, eâ duntaxat lege, uti reſtituto emptoribus pretio, hæc ſibi redderentur: dein fœnore ab privatis pecuniam ſumpsère, quod ex certorum vectigalium, tributorum, aut portoriorum fructibus, ab his qui illa conduxerant, annuatim penderetur: ſed vix homines adducebantur, uti grandem pecuniam hujuſcemodi fœnore, niſi ingens eſſet, occuparent, uti videlicet primorum annorum uſuræ ſortem quam credidiſſent, ſubitò æquarent, neque adeò de hac in dubium venirent, nam primis annis pecuniæ creditæ verſuram non ſolvere religio eſt, quæ poſteà exoleſcit. Eò viſum Regibus aliam corrogandæ ab privatis pecuniæ rationem inire, novos Magiſtratus ſubindè creando, quibus ex eorumdem vectigalium, Tributorum, ac Portoriorum fructibus annua ſtipendia attribuerentur, cum aliquâ unicuique vel leviſſimâ rei publicæ curâ, aut in Curiâ, aut in foro, aut in Ærarii rebus, quæ longè, latéque patent, præterea ſuæ operæ ſeu mercedem, ſeu honorarium ut acciperent, permiſſum: quibus rebus cùm & quæſtus, & dignitas accederet iis, qui Magiſtratus gererent, hos magno pretio tametſi exigua ſtipendia eſſent, commercabantur, qui videlicet eò apud populares clariores fierent, atque his benè, aut malè facere ex Magiſtratu aliqua facultas foret. Hujus compendii causâ Reges, aut quibus rem publicam permiſère, tantum

Magiſtratuum numerum creandum cenſuêre, quantum nec ipſamet res publica, nec privata civium diutiùs ſuſtinere poſſe videatur. 1645.

Sub id tempus pax inter Chriſtinam Virginem Sueciæ Reginam, & Chriſtianum IV. Daniæ Regem ab Ludovico per Gaſparem Cognetum Tuillerium ad ambos extrà ordinem Legatum conciliata eſt, rem factu difficilem, quia Sueci plus bello valuerant, ac multa oppida ceperant, eò pacem in leges ſuas factam volebant. Cum his Sociæ Civitates congruebant, ac maximè Batavi Daniæ Regi infenſi, quod Suevicum ingredientibus mare ingens portorium in freto Danicæ Arci ſubjecto perſolvendum erat: dein ab Tuillerio edocti ſi Dania penes Suecos foret, tot victoriis in Germaniâ, Daniâque præclaros, ac feroces, magis ab his portoria hujuſcemodi auctum, quàm imminutum iri, atque iſthuc potiùs ab Daniæ Rege eâ tempeſtate, quâ res hujus afflictæ eſſent, quàm ab Suecis ſi Daniâ potirentur impetrari poſſe, poſtremò in poteſtate Tuillerii fuêre, cujus operâ portoria in Danico freto Sociarum Civitatum navibus imminuta, quæ res harum Legatos Chriſtiano Daniæ Regi reddidit æquiores, atque adeò horum, ſed maximè Tuillerii operâ pax denique inter ambos Reges convênit, cujus conditionibus Scania quam Sueci occupaverant, iis eſt attributa: cæterùm Regis maximâ intererat, hanc pacem fieri, ut ne porrò Sueci ab Germanico bello, Sociæ Civitates poſthàc ab Belgico ad Danicum averterentur, quò utroſque privatæ ſuæ rationes ferebant, quæ publicis plerumque potiores ſunt.

Tuillerius præter hanc pacem, fœdus & ipſe Ludovicum inter, & Chriſtianum Daniæ Regem fecit, quo navigantibus ultrò, citróque ut id liberè, & ſine gravibus portoriis facere liceat, abundè cautum, ac maximè Gallicis navibus Danico freto Suevicum ingredientibus mare: prætereà Regi curæ fore de Bremenſi Archiepiſcopatu, quem Sueci Daniæ Regis filio ademerant, ut is ſi quâ fieri apud Monaſterium Veſtfalorum poſſit, huic reddatur: poſtremò ut ne alter alterius hoſtibus fautor ſit. Neque tamen de eo Archiepiſcopatu, ubi Sueci ut hunc ſibi per Pacis Germanicæ leges retinere liceret, poſtulavêre, vehementer ab Gallis reclamatum, aut data opera eſt, ut hæc ipſi, aut filio jactura farciretur: nam Sueci nobis bello Germanico maximo uſui fuerant, Dani neque bello, neque pace utiles: principio enim Daniæ Rex voluntate Suecorum Pacificatoris inter Imperatorem, atque eos partes ſibi ſumpſerat, dein ubi bellum inter hunc, atque Suecos ortum fuerat, hanc planè dimiſerat provinciam, neque pace inter ambos conciliatâ reſumpſerat.

Anno proximo Bregium ad Uladiſlaum Poloniæ Regem ab Ludovico Rege, atque Annâ matre miſſum diximus: hic haud diù Varſoviæ commoratus eſt, ſed in Galliam Uladiſlai voluntate rediit, qui primùm pertentatum ab Rege voluit, utrùm Chriſtinam Virginem Sueciæ Reginam uxorem ducere poſſet, quod cum (ſicuti futurum videbatur) fieri non poſſe pernovit, ad Ludovicam Mariam Gonzagam Caroli

1645. Mantuæ Ducis filiam poſtremò animum adjecit, quæ ſub hujus anni finem in Poloniam deducta eſt. Nuptiæ priùs Lutetiæ Pariſiorum regio planè apparatu celebratæ ſunt, Sponſam in Poloniam euntem comitati ſunt Poloniæ Regis Legati, qui iſthîc nuptiis adfuerant: Rex autem, atque Regina mater [a] Renatam Dubecam Vardiam mulierem viduam, genere, atque probitate inſignem, unà cum Sponſâ in Poloniam ire juſſêre, quæ hanc vice ſuâ Uladiſlao Regi traderet, Dubecam eâ causâ novo ut opinor exemplo, atque apud omnes gentes inaudito Legati, ſeu ſi fas eſt dicere Legatæ Titulo ornavêre: hæc Joannem Budam Guebrianum Equitum Tribunum virum habuerat. Sed his nuptiis amicitia Uladiſlai Galliæ conciliata, cæterùm fœdus, ac belli ſocietatem quam recipiundæ Sileſiæ adversùm Imperatorem expetebat, Mazarino haud facere viſum, ut ne hæc ſuſpecta Suecis foret: eò Bregio datum negotium, ut Uladiſlaum doceret, nihil magis eo fœdere, ac belli ſocietate contrarium eſſe paci, de quâ apud Monaſterium Veſtfalorum jam agebatur, cujus ſe cupidiſſimum oſtenderet, dein cavendum videri ut ne dùm inter Principes Chriſtianos bellum recrudeſceret, atque id ipſe adversùm Imperatorem gereret, Turci, atque Tartari ſuos ipſius fines invaderent: bellum ſumi facilè, at non hujus qui id ſumat arbitrio plerùmque deſinere. Bregius ipſe cum Ludovicâ Mariâ Gonzagâ in Poloniam rediit, ac Legati titulo ab Rege atque Reginâ matre tùm ornatus eſt.

[a] La Mareſchale de Guebrian.

Initio hujus anni Pontificem difficulter adduci poſſe memoravimus ut Michaëlem Mazarinum Julii Cardinalis fratrem item & Cardinalem crearet, Julii magis odio, quàm quòd vix fratres duo Cardinales creantur, neque id ferè fit niſi in fratribus qui Pontifici fratris, aut ſororis filii ſint: ſed hujus rei exemplum in Alphonſo Richelio Armandi Joannis fratre recens erat, quò magis Mazarinus id ab Innocentio exſculpere nitebatur, uti nihilo Richelio Cardinale inferior videretur. Innocentius haud reſpuebat Michaëlem pro Galliâ creare Cardinalem, ſi id Rex poſtularet ex formulâ, ſicuti Ludovicus pater pro Alphonſo poſtulaverat: at Julius non ſicuti Gallum, ſed ſicuti Italicum Regis, ac Reginæ matris qui hunc per litteras Pontifici commendaverant honoris causâ creari volebat, neque id iniquum erat, cùm octo Cardinales Italicos eò ſolùm quod Hiſpaniæ ſtuderent, nuper creaſſet. Sed ut ne quid præter morem Pontifex faceret, poſtremò per Bregium ab Rege Poloniæ Mazarinus impetravit, ut ab Innocentio ex formulâ poſtularet Michaëlem Mazarinum pro Poloniâ Cardinalem creari: nam jamdiù nemo Polonus Cardinalis fieri ſtudet, quamobrem Italicis hominibus Poloniæ Rex Cardinalatum petit, quod & ab cæteris Regibus fieri Pontifici ſummoperè placeret. Ita Mazarinus in Ludovicæ Mariæ cum Uladiſlao nuptiis rei publicæ ſerviundo fratris ſui dignitati magnoperè ſtuduit, quod huic laudi ducendum cenſeo.

Hujus anni principio Joannem Jacobum Barillonum Inquiſitionum in Curia Pariſienſi Præſidem Pinarolum deductum, atque eò in cuſto-

diam

diam conjectum memoravimus. Is hoc eodem anno obiit mortem, quem veneno ſublatum quidam credidêre, quod quidem mihi non ſit veriſimile, nam id ab Mazarini naturâ longè alienum eſt. Porrò Barillono ingenium, eloquentia, atque omnis judiciariæ rei peritia fuit, cæterùm & publicæ attingendæ ſtudium huic ſicuti pleriſque eâ tempeſtate aliis ex Senatu fraudi fuit. 1645.

Obiit & hoc anno Franciſcus Subletus Nucerius de quo ſæpiùs memoravimus: hunc nimio Aulæ deſiderio peremptum aiebant. Lupara Regia hujus operâ edificiis aucta, ædes ad Fontembellaqueum regium rus refectæ, atque ornatæ, Templum eleganti opere extra D. Germani portam exædificatum, quo adoleſcentes Jeſuitarum Societati initiantur, cæterùm nihil quod ad ingenium attineat, in hoc homine laudaveris.

Eodem hoc anno Franciſcus *a* Rupifocaldus Cardinalis natu grandior naturæ conceſſit: is diù ſacris apud Regem Ludovicum XIII. præfuerat, vir ſanctus, ſed his quæ ſanctitatis ſpeciem haberent decipi facilis, dùm cæteros ex ſuo ingenio judicat, ignarus per ambitionem multos vitæ ſanctitatem ſimulare: hunc Ludovicus Conſilii regii principem priuſquàm Richelium ſatis noviſſet, fecerat, atque id hominis generi, virtutibus, præterea vitæ ſanctitati tribuerat, ſed divina magis, quàm humana callere viſus & id muneris, & ſacrorum apud Regem Præfecturam ſimul abdicavit, atque reliquum ætatis Deo exegit.

a Le Cardinal de la Rochefoucault.

Mortuus item eſt *b* Henricus Eſcoblellus Surdius, Burdigalenſis Archiepiſcopus, qui quoniam multa ab Eccleſiaſticorum Ordine aliena factitabat, interdùm offenderat, cæterùm huic ingenium, & quæ ad animum pertinerent alia tali genere, atque fortunâ haud indigna fuêre: cum Harcurio tantâ virtute viro in gloriæ ſocietatem venit, ob receptas quæ Maſſiliæ objacent, inſulas, præterea cum Carolo Schombergio, ob devictos in ſuis circùm Locatam quam oppugnabant, caſtris Hiſpanos, nam utrique datus ab Richelio adjutor fuerat, præfectuſque claſſibus, quæ ad utramque gerendam rem adfuêre.

b Henry d'Eſcoubleau, de Sourdis.

Obiêre & Timoleon *c* Spinaius Sanlucius, & Joannes Galardus Benearnius Braſſacus Comes: ille Equitum Tribunus, qui per adoleſcentiam nonnulla fortiter, ac præclarè terrâ, marique geſſerat, cæterâ ætate per voluptatem, & ſocordiam exactâ: hic Romæ Legatus Ludovico XIII. Regi Adminiſter, Nancio atque omni Lotharingiæ Præfectus, atque è regiâ ſancti Spiritus militiâ fuit, vir antiquâ virtute, ac fide.

c D'Eſpinay de ſaint Luc. Galard Bearn, Comte de Braſſac.

JOAN· LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER QUARTUS.
EPITOME.

1646. M*AXIMILIANUS Baioariæ Dux per Bagnium Pontificis Nuntium de Pace Germanicâ cum Rege agit. Saavedra Hiſpanicus Legatus cum Roſenbamo Suecico Reſidente colloquitur apud Monaſterium Veſtfalorum. Belletia Sabaudico Legato datus adjutor, Galliæ adverſus. De utrâque eâ re Mazarini ſolicitudo. Hiſpani dolo malo conditiones pacis Reginæ permittunt, ac de Mariæ Thereſiæ nuptiis cum Rege mentionem faciunt. Eſtrada eâ causâ Hagam Comitis ad Arauſium miſſus. Ingentes turbæ eâ de re apud Socias Civitates. Quæ Pacis conditiones Gallis, ac Suecis ab Auſtriacis ferebantur. Labardæus Regis ad Helvetios Legatus Oſnabrugam miſſus ab Rege. Bagnius Pontificis Nuntius Reginam ab tuendis Barberinis fratribus deterrere fruſtra conatur. Hi in Galliam veniunt. Henricus Arnaldus Abbas Romam mittitur. Reginaldus Ateſtinus Cardinalis Galliæ Romæ Protector ab Rege creatus. Cabreræ Philippi Legati cum Ateſtino Cardinale controverſia. Turcorum adverſus Venetos bellum. Canæa in Creta ſeu Candia Inſula ab Turcis capta. Miſſus ab Rege ad Ibraïmum Turcorum Regem de pace inter hunc & Venetos conicilianda Varenna. Villaregius Neovilla ab Regina delectus qui Regis filii pueritiam regeret. Claſſis Gallica ad Herculis Promontorium contendit. Thomas Princeps Orbitellum oppugnat. Gaſto in Flandriam ducit. Angianus in Campaniæ finibus cum exercitu. Aula ad Ambianos proficiſcitur. Brezæus Claſſi Gallicæ Prætor adversùm Hiſpanicam pugnat, atque hanc perſequens tormenti pila ictus occubuit. Daugnionus Comes Brezæo Legatus Claſſem in Provinciam reducit, dein Broagium ad Oceanum properat. Gaſto cum exercitu in Belgio Curtracum*

oppugnat. Angianus huic adjutor eſt. Oppidum Gaſtoni deditur. Arauſius Anturpas oppugnare velle viſus. Gramontius Equitum Tribunus eâ gratiâ cum equitibus, peditibuſque ad hunc miſſus. Thomas ad Orbitellum inceptum omittit, atque in Subalpinos redit. Henricus Condæus ab Aula ſecedit, dein brevi redit. Berga Fani-Vinoci Gaſtoni dedita, dein Mardicum item deditum. Gaſto redit in Aulam. Summa Imperii ad Angianum redit. Hic Dunkercam oppugnat. Melleraius, & Pralinopleſſius, Equitum Tribuni conſcenſâ claſſe ad Ilvam Inſulam contendunt. Plumbinum ab Inſula exiguo diremptum freto ad deditionem redigunt, dein Longonis portum in ipſa inſula. Dunkerca Angiano deditur. In Catalonia Harcurius Ilerdam obſidet. Leganes cum Hiſpanico exercitu Harcurii Caſtra ad Villanovetam oppugnat. Intereà Hiſpani diverſiſſima parte commeatum ac milites Ilerdam introducunt. Harcurius inceptum omittit. Turena cum Gallico exercitu, Vrangelius cum Suecico, ille apud Laugingam, hic apud Donaverdam Danubium tranſeunt. Auguſtæ Vindelicorum appropinquant, cui Auſtriaci, ac Baioari auxilio advenêre. 1646.

FINE anni proximi Trautmanſtorfium Ferdinandi Imperatoris Legatum ab Monaſterio Oſnabrugam profectum diximus, uti cum Suecicis Legatis atque Imperii Ordinibus qui eò convenerant de Pace ageret, omiſſis ſicuti videbatur, planè Gallis, nam diù multúmque apud Oſnabrugam agitavit. Sed intereà Maximilianus Baioariæ Dux Imperii Septemvir pridem ab Ferdinando II. Imperatore creatus, aut Friderico Palatino cui Septemviratum abrogaverat, ſubrogatus, vir exactâ ætate, ac parvis liberis, jure metuebat, uti ſi infectâ pace diem ſuum obiret, Suecorum, atque Proteſtantium Principum, atque Ordinum operâ Septemviratus Carolo Friderici filio redderetur: neque enim in Ferdinando III. Imperatore, neque in Philippo Hiſpaniæ Rege, qui ſibi uſque amici, ac fautores fuerant, & quorum Sectam ſecutus fuerat, ſatis ſibi præſidii eſſe, aut liberis futurum intelligebat, uti ſtatum dignitatis obtinerent: nam utrique res in anguſto erant, ob Gallorum, Suecorum, atque Civitatum in Belgio Sociarum res præclarè per id bellum uſque geſtas, qui multa oppida, ac regiones in Germaniâ, Italiâ, Hiſpaniâ, ac Belgio armis ceperant, ita ut ſi hi bellum facere pergerent, id nuſquàm niſi rebus Imperatoris, atque Hiſpaniæ Regis planè perditis deſiturum videretur: quamobrem omnem ſibi dandam operam ducebat, uti potiùs conditionibus quibuſvis deſineret.

Priuſquàm bellum in Germaniâ ab Suecis gereretur, Maximiliano fœdus erat cum Ludovico XIII. Rege, quo hic adductus, ubi poſteà cum Guſtavo Suecorum Rege fœdus fecerat, de gerendo in Germaniâ adversùm Ferdinandum II. bello, Maximiliano ita cautum voluerat, ut hic planè, atque alii Catholici Principes, Ordineſque intacti forent, ſi ab hoc bello ſeſe abſtinere vellent: nam id neque his, neque Catholicæ quam profitebantur religioni fraudi, aut damno eſſe volebat. Sed Ferdinandi in ſe merita majora eſſe Maximilianus cenſuerat, quàm ut eo defendente graviſſimum quod ipſi inferebatur bellum, ipſe ſatis piè,

1646. atque honeſtè ceſſare poſſet : quò factum eſt, ut in idem ambo diſcrimen inciderent, quod in dies augebatur, neque enim poſt Ferdinandi II. obitum æquior Ferdinando III. filio fortuna fuit, ita ut pace quantocyùs factâ huic magnoperè opus eſſe videretur. Sed cùm in eo negotio nihil ſatis ex Maximiliani ſententiâ feſtinaretur, ad Nicolaum Bagnium Pontificis Nuntium apud Ludovicum Galliarum Regem ſcripſit, quo hunc ad pacem quàm æquiſſimis conditionibus maturè faciundam magis, ac magis accenderet, ſimul paternum cum ipſo Maximiliano fœdus ad memoriam revocaret, doceretque. *Illi ſe perdito nihil opus eſſe, cùm unâ Catholicam religionem in Germaniâ interire propè neceſſe eſſet, quam contrà integram, & florentem Regem velle non dubitaret : ſibi igitur conſilium eſſe conficiundæ in Germaniâ paci dare operam, quibus Rex vellet conditionibus : confidere tamen has quantùm fieri poterit æquiſſimas laturum Regem, ut accipi ab Imperatore, atque ab Imperii Ordinibus poſſint : poſtulare viciſſim, uti Rex ſibi de Septemviratu, atque aliis rationibus ſuis cautum per hujus pacis conditiones velit.* Iſthæc Regi atque Reginæ matri magnoperè placuêre, qui Maximilianum bono animo eſſe juſsêre, atque ab ſe omnia quæ ad ſuam ſalutem, dignitatemque pertinerent, certò ſperare.

Hic vehementer poſtulabat, ut intereà dùm ad pacem perveniri poſſet, induciæ in Germaniâ fierent, quod quidem Rex obſtare paci brevì conficiundæ arbitrabatur, ad quam Imperatorem adigi poſſe uno excidii ſui metu ſatis ſcibat, qui per inducias adimebatur : eò de his Maximiliano morem haud gerendum intelligebat, qui & ipſe eodem metu ad pacem denique apud Ferdinandum urgendam impellebatur.

Sed is ægrè adduci poterat, ut Alſatiam, atque alia quæ ſuprà memoravimus, Ludovico relinqui, ac permitti æquum cenſeret : præter quàm quod pleraque hæc omnia ſua non eſſent, qui Regi quando huic viſum fuiſſet adversùm ſe bellum ſumere, juſtus hoſtis fuerit, ſed Principum Oenipontanorum, qui nondum ætatem quæ militiæ patiens eſſet, attigiſſent, atque adeò nihil adversùm Galliarum Regem commeruiſſent, quo hos bonis ſuis ſpoliatos vellet. Iſthæc eadem & prædicaverat apud Monaſterium Trautmanſtorfius, & tunc cum maximè apud Oſnabrugam Suecicis Legatis, atque Proteſtantibus Imperii Ordinibus narrabat, neque ægrè ab his audiebantur. More hominum, qui quò minus aliis fiat, eò rem ſuam fore ſperant auctiorem. Jam apud Monaſterium Catholici nihil mercedis Galliarum Regi deberi pro navatâ Rei publicæ atque Germanicæ libertati recuperandæ operâ cenſebant, neque alia primùm apud Oſnabrugam Proteſtantium ſententia erat, ac ne ipſi quidem Suecici Legati ab his magnoperè diſſentiebant, inſitâ ab naturâ hominibus invidiâ, quæ illos uſque obcæcabat, uti non animadverterent, quod in nos ſentirent, id ſibi planè fraudi eſſe, qui tametſi Proteſtantium ſtudiis freti eſſent, tamen hos vix adduci poſſe veriſimile erat, uti longè diſſimiliter Suecos ab Gallis haberi vellent.

Inter hæc unus ex Hiſpaniæ Legatis qui apud Monaſterium Veſtfalorum erant, huic Didaco Saavedræ nomen fuit, ad Roſenhamum qui

eò res Suecorum procurabat, ſibi aditum patefacere aggreditur: eâ gratiâ Lucanicorum, atque aliarum hujuſcemodi rerum munuſcula hujus Uxori miſſitare, dein ipſe ad mulierem viſens ire, ut occaſionem cum viro colloquendi captaret. Ubi ingenium hominis ſatis novit, atque conſiliis ſuis opportunum eſt arbitratus, *Commune Hiſpanorum atque Suecorum ab Gothis genus eſſe* dixit, *neque quidquam inter utramque gentem controverſiæ, quominus altera alteri uſui ſit, tradantque operas mutuas. Gallorum potentiam Sociis propè æquè, ac hoſtibus formidoloſam videri, qui ubi per Suecorum fœdus, atque virtutem eò magnitudinis evaſerint, undè pelli nequeant, tùm & Sociis graves, atque intolerabiles futuri ſint. Huic malo non manu, neque vi, quoniam fœdus prohibeat, ſed arte atque conſiliis ab Suecis prævertendum. Id factu facile, ſi unà cum Hiſpanis eniti velint, uti per Pacis conditiones, quæ Galli in Germania, & Belgio, bello, atque armis occupavère, ea aut cuncta, aut magnam partem dominis reſtituere cogantur, quo pacto eorum opes minui, neque poſthàc tantam nocendi cui voluerint, poteſtatem fore. Id ſi Philippo Sueci gratificari velint, certam ipſis hujus officii mercedem poſitam. In poteſtate Philippi Ferdinandum Imperatorem eſſe: ab hoc quæ voluerint omnia, ea facilè impetraturum, uti belli præmia penes hos opimiora ſint, ita ſuæ, ac rei publicæ juxtà conſulturos.* 1646.

Hæc haud inhoneſta oratio Roſenhamo viſa, quoniam quæ Saavedra ſuadebat, ea citrà fœderis quod Suecis cum Gallis intercedit, religionem fieri poſſe videbantur. Nam homini quæ in rem ſuam ſunt, ea facilè recta eſſe probaveris. Fortè accidit uti poſtpaulò Joannes Adler Salvius alter è Suecorum Legatis Oſnabrugâ Monaſterium veniret, quem Hiſpanici Legati (rem factam ab his antehàc nuſquàm) inviſère, neque eidem adversùm hos ipſe officio defuit. Id verò Gallicis Legatis haud ſatis placebat: quia tamen de amicis ſecùs ſentire quidquam nefas eſſe ducebant, ne ſuam quidem ſuſpicionem ab iis quæſivère. Sed mox venit ab Mazarino nuntius, qui Legatos de collatis Suecos inter, & Hiſpanos conſiliis certiores fecit. *Id ut ne Galliæ fraudi ſit maturè providendum, rem totam uti geſta ſit, ab Suecicis Legatis exquirendam: qui ſi etiamtùm amici erunt, hanc facturos palàm: ſin reticeant, parùm iis poſthàc fidei habendum. Quæ priùs ipſis dicta ſint, ea ad memoriam redigenda: omnes hoſtium curas, cogitationeſque eò tendere, ut invidiam, aut æmulationem inter utroſque ſerant, & quos bello nequivère, eos de pace agendo ſejungant, atque ex Sociis, & amicis, inimicos ſi quà fieri poſſit, reddant, quò faciliùs alteros inſtaurato ubi bonum ipſis, atque commodum erit bello devincant. Si Sueci nihil his moveantur, neque Hiſpanis derogent fidem, non eſſe tamen de re publicâ deſperandum. Nuper cum Daniæ Rege renovatum ab Ludovico fœdus, cui ſuadere facilè ſit, uti bellum adversùm Suecos ſumat denuò: præterea ſibi cum Maximiliano Baioariæ Duce conſulta quædam eſſe, queis hunc ad Galliæ partes adduci poſſe confidat: poſtremò Socias Civitates, & Brandeburgicum Septemvirum Suecorum opes iniquo animo ferre.*

Addebat alia Mazarinus tàm varia, atque diverſa, ut hunc conſilii incertum eſſe facilè cognoſceres. Nihil tamen in eo negotio erat, quod tantoperè laboraret: neque enim incerta pro certis captare Suecis conſilium

1646. fuit, aut pro Gallis, Hiſpanos ſibi adjungere: ita ubi ab his quæſita res eſt, ex priſtinâ amicitiâ, atque fide reſpondere; *Nihil dolo malo ab Salvio factum, ſed uti quid Auſtriacis de Suecorum rebus ſententiæ eſſet, per Hiſpanos expiſcaretur.* Cæterùm Joannes Oxenſtierna ſeorſim ab Salvio, hunc omnibus novis delectari ſuprà modum ait, neque facilè ſibi temperare, ubi quid hujuſcemodi occurrat animo: verùm ſe daturum operam, uti ſibi, atque huic Regina Sueciæ vel minimam ſuſpicionem fidei labefactatæ Gallis dare prohibeat, atque porrò intelligat, in utriuſque Gentis conjunctione rei publicæ ſalutem eſſe poſitam. Oxenſtiernæ cum Salvio haud fermè leviores intercedebant ſimultates, quàm quæ Avauxium inter, & Servianum fuêre: hic cum Oxenſtiernâ, ille cum Salvio congruebat.

Mazarinum alia res haud minùs anxium, atque ſollicitum habuit. Cum Sanmauricio Comite Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Legato quidam erat apud Monaſterium Veſtfalorum Taurinenſis Senator Joannes Franciſcus Belletia, huic ab Piannezzâ Marchione adhibitus, qui ſi opus eſſet agere quidpiam, quod ab Galliæ rationibus alienum eſſet, id ipſe faceret clàm Legato: nam hic homo erat antiquâ virtute, ac fide, qui diù multumque in Aula noſtra verſatus fuerat, item Caroli Emanuelis Legatus, & qui probè ſciret hujus maximâ intereſſe, uti cum Ludovico congrueret, neque ab eò quidquam diverſus ageret. Sed aliter Piannezzæ quandóque videbatur homini Italico, cui generi ſæpiùs quæ dolo, quàm quæ rectè, atque ordine fiunt, magis placent. Ex hujus igitur hominis lubidine Belletia cum Ferdinandi Imperatoris, & Philippi Legatis quædam ab fœdere quod Carolo Emanueli cum Ludovico intercedit, aliena agitabat: neque hæc latuêre Mazarinum, qui Hiſpanorum, & qui cum his agebant conſulta propè omnia noverat. Continuò Rex apud Chriſtinam amitam Caroli Emanuelis matrem iſthuc per Legatum qui Auguſtæ Taurinorum erat, graviter expoſtulat, flagitatque uti Belletia ab Monaſterio Veſtfalorum amoveatur. Sed hæc primùm muliebriter ex Piannezzæ ſententiâ dictitare, in eo filii jus ſummum violari, cui neceſſitudo imponatur, non ex ſuâ, ſed ex alienâ voluntate deligere, quorum operâ in rebus ſuis agendis utatur: quod certè futile fuit, nam Rex haud jubebat Carolum Emanuëlem, aut Chriſtinam matrem alicujus quem ipſe indicaret apud Monaſterium Veſtfalorum operâ uti, ſed poſtulabat ut qui adversùm ſe, ſuaſque rationes faceret, & cum hoſtibus ſuis congrueret, eum amóvere pro fœdere, Chriſtina vellet, quod poſtremò Regi eſt obſecuta, ac Belletiam in Poloniam aliarum rerum agendarum ſpecie miſit.

Non inter Gallos modò, Suecos, atque Germanos de pace agebatur, ſed & inter Gallos, Hiſpanoſque, qui quoniam ab ipsâ naturâ alteri alteris inviſi ſunt, auxeratque diuturnum inter ambos bellum odia, nuſquàm colloquebantur. Iis interpretes fuêre Fabius Chigius Innocentii X. Pontificis Nuntius, & Ludovicus Contarinus Venetorum Legatus, ille perindè ingenio, rerum peritiâ, ac ſanctitate vitæ clarus, Contarinus alias alio obierat Legationes, in quibus ſummam prudentiæ, atque ſolertiæ

famam adeptus fuerat. Pontifex, atque Veneti inter Gallos, Hiſpanoſque Pacificatorum ſuſtinebant partes, quorum ille Galliæ adverſus erat, cùm quòd hâc invitâ Pontifex creatus fuerat, tùm quia Barberini quibus erat infenſiſſimus, ſeſe Ludovico Regi dederant in clientelam & fidem. Ab Chigio igitur, & Contarino cum Gallicis, atque Hiſpanicis Legatis multùm, ac frequenter de conciliandâ Regem inter, & Philippum Hiſpaniæ Regem pace agebatur. Sed huic, atque adeò hujus apud Monaſterium Legatis conſilium fuit, Socias Belgii Civitates ab Gallis ſejungere, uti cum illis aut Inducias, aut pacem ſeorſim ſancirent, quoniam ut idem cum Gallis facerent antehàc fruſtrà tentaverant: nam Hiſpani ubi ab bello vacui cum Gallis eſſent, id faciliùs, ac magis ex ſententiâ adverſùm Socias Civitates porrò geſturi videbantur. 1646.

Sed Gallis major fuerat fœderis cum Civitatibus icti religio, quàm ut adduci potuerint, ut ab hac vel minimùm diſcederent. Gallici Legati hanc Hiſpanicis Pacificatorum operâ ferebant conditionem: cùm videlicet Hiſpaniæ Reges quæ bellis adverſùm Galliarum Reges geſtis paraviſſent, ea ſibi retinuiſſent, Flandriam, Arteſiam ſeu Atrebates, Regnum Neapolitanum, Mediolanenſem Ducatum, Siciliam, atque alia, ac ſingillatim propè omne Navarræ Regnum, aut huic iſthæc omnia redderent, aut quæ Rex hoc noviſſimo bello occupaſſet, ea penes hunc manere vellent, atque eâ conditione pacem conficere. Quæ conditio tametſi æquiſſima eſſet, tamen Hiſpanos pudebat, eò ſibi rem rediiſſe, uti tantâ jacturâ pacem redimere cogerentur. Neque fermè minùs diſplicebat Pacificatoribus, Gallos tot, tantaque poſtulare, quibus modum lubentiſſimè feciſſent.

Sed Gallici Legati in ſuâ perſtabant ſententiâ, neque ab hac ſe uſquàm diſceſſuros oſtentabant. At nihil omisére Hiſpani, quò hos in fraudem deducerent denique. Primùm enim Contarinus alias res agere ſe ſimulans, de nuptiis regiæ virginis Hiſpanicæ cum Rege mentionem injecit, cui Belgium omne doti diceretur. Dein Saavedra cum Avauxio colloquendo ait: *Quas conditiones Galli ferrent, eas ne profligatum quidem hoſtem, nedùm Philippum qui ab hoc infortunio longè abſit, accipere poſſe: ſed aliam rationem ineundam, atque hujuſmodi amicitiæ vincula connectenda, quæ poſthàc diſſolvi nequeant.* Iſthuc cum priori Contarini oratione collatum Gallos in hanc adduxit opinionem, Hiſpanis videlicet nihil quò rem ſuam prolapſam reſtituant honeſtius in mentem veniſſe, quàm quod Contarinus dixerat: nihil tamen Avauxius Saavedræ iſthuc obſcurè confirmanti reſponderat, quò ſibi probari, aut contrà videretur.

Jamdiù Mazarinus magno conatu regiis apud Monaſterium Veſtfalorum Legatis perſuadere nitebatur, *Maximo uſui Regi fore, ſi omnem belli adverſùm Philippum tam egregiè geſti mercedem haberet in Belgio, quà fines noſtri producendi viderentur, uti longiùs ab Lutetia Pariſiorum quæ caput Regni eſt, abeſſent, ſimul Hiſpanis ex propinquo ſicuti Belgium ſit, nobis malè faciundi facultatem ereptum iri. Id fieri poſſe ſi redditis, ac reſtitutis omnibus quæ Rex in finibus Hiſpaniæ præſidiis teneat, in eorum æſtimationem quod reliquum Hiſpaniæ*

1646. *in Belgio ſit, id nobis traditum velint, eò ſimulandum Cataloniam, & Ruſſinonenſem Agrum Regem retinere vehementer velle, ac præterea Tarraconem, Dertoſam, atque Ilerdam habere, tanti pretii oppida Philippo in Belgio reddendo.*

At his nihil opus erat, uti Legati Belgium quibus id finibus Philippus poſſidet, Cataloniæ etiam cum Ruſſinonenſi Agro anteponerent, atque adeò illud quàm hæc penes Regem eſſe mallent, neque aliud quidquam neceſſe videbatur, ut eò Hiſpanos deducerent, quàm uti porrò his oſtentarent, nihil Regem ex omnibus quæ armis ceperat redditurum: nam eò modò permoti de regiæ Virginis Hiſpanicæ cum Rege nuptiis mentionem per Contarinum injecerant, cui Belgium doti dicerent, uti videlicet cætera ad Hiſpaniæ fines Ludovicus Philippo redderet. Harum igitur nuptiarum ſpe Legati Gallici gaudere, atque hanc Regi, & Reginæ Matri, ac ſingillatim Mazarino properè nuntiare: qui & ipſe lætus quò animi lubido ferebat, eò pacis cum Hiſpanis negotium ſuâ ſponte deduci: anxius tamen erat, atque ſolicitus, quæ de nuptiis, ſimul ac dote Sociarum Civitatum ſententia foret, cum ex eâ re alia in his regionibus rei publicæ facies futura videretur.

Cæterùm his optatior noſtra, quàm Hiſpanorum vicinitas eſſe debebat: nam illâ freti perpetuo otio frui, ac quæſtui cujus ipſis ſummum ſtudium eſt, indulgere poterant. Prætereà Mazarinus ſatis ſcibat Arauſium magnoperè cupere, ut Antuerpæ cum Agro vicino in poteſtate Sociarum Civitatum eſſent, quam quidem urbem, agrumque ubi hæc Rex cum cætero Belgio dotalia haberet, Sociis Civitatibus pro amicitiâ hunc tradere æquum cenſebat, ſi Trajectum ad Moſam ipſi in æſtimationem dare vellent. Poſtremò Eſtradam Hagam Comitis mittere decrevit, qui pro more cum Arauſio ageret de proximis æſtivis, & quid utrimque optimum factu judicaret periclitaretur: ſimul hominem doceret. *Pacificatores quandoque cum Legatis Gallicis apud Monaſterium Veſtfalorum de oppidis quæ Rex in Hiſpaniæ finibus præſidiis teneat, atque Agris vicinis Philippo permittendis, modò ut illi tanta in Belgio permitteret, collocutos. Quandoque item de Regiæ virginis Hiſpanicæ cum Ludovico nuptiis, cui Belgium omne cum Lucemburgenſi Agro, & Sequanis doti diceretur: quæ certè nuptiæ ad cohoneſtandas pacis conditiones pertineant, ut ne victis ab victore latæ videantur. Cæterùm ſi id fiat Hiſpanos nihil Regi daturos, nam quæ bello ceperit, ea jam hujus eſſe: quæ verò illis reliqua ſint in Belgio, Lucemburgenſi Agro, & Sequanis haud fermè pluris æſtimanda eſſe, quàm quæ Rex in Hiſpaniæ finibus obtineat, ita nihilo his nuptiis Regem niſi uxore auctum iri, cui adeò ſi quid humani nullis editis liberis accideret, dos penes hunc manere debeat. Per fœdus ac belli ſocietatem id maximè ab Sociis Civitatibus quæſitum videri, uti pro Hiſpanis perpetuis hoſtibus, Gallos perpetuos amicos ſibi finitimos habeant, quod his nuptiis planè agatur, atque ipſis pax firma, ac perpetua conſtabiliatur. Nam Hiſpaniæ Regem quod jus in Socias Civitates ſe habere credat, ab eo aut in harum gratiam diſceſſurum, aut in Ludovicum tranſlaturum, qui iſthuc idem in eas ſtatim ſit tranſlaturus, ac denique fœdus æternum tuendis utriuſque finibus cum his facturus. Hoc Mazarinum cum Arauſio pro mutuâ inter ambos amicitiâ per Eſtradam communicata voluiſſe, ut hujus ſententiam pernoſcat*

pernoſcat: quæ ſi huic ſatis placeant, ea ipſi planè permittere, de quibus ipſe cum Caſtelloroderico Marchione per fidum Interpretem agat. Sin hæc ab ipſo Mazarino apud Urbem, ſeu ab Legatis Gallicis apud Monaſterium Veſtfalorum rectiùs actum iri exiſtimet, nihil in his Regem factum velle, niſi conſciis utrobique Sociarum Civitatum Legatis ſicuti fœdere caveatur. 1646.

Ubi hæc dicta ab Eſtradâ Arauſio ſunt, hic verò de Antuerpis ait vix Socias Civitates adduci poſſe, ut hujus Urbis ac portûs opportunitate quemquàm præter ſe uti velint, quo ſuas opes minui arbitrarentur. Ibi Eſtrada Mazarinum ait hujus honoris causâ ſedulò facturum omnia, atque operam daturum ut in eo Rex, atque Regina mater Sociis Civitatibus morem gerant, modò ut Regi quidpiam in Antuerparum æſtimationem detur: dein Arauſio Trajectum ad Moſam obtrudenti haud ſatis dignum eſſe reſpondit, quod Antuerpis contra comparetur, neque tamen ſpem ademit aut hoc, aut alio pacto rem confici poſſe.

Ita de Regiæ virginis Hiſpanicæ cum Rege nuptiis Contarinus primùm, dein Saavedra locuti fuerant, ut id non ex communi Legatorum Hiſpanicorum, ſed privato utriuſque conſilio factum videretur. At poſt paulò Gallicis Legatis Hiſpanicorum verbis ab Pacificatoribus eſt nuntiatum, *Philippum Hiſpaniæ Regem Pacis conditiones Annæ Reginæ ſorori ſuæ permittere velle, quas ipſa ferret ſicuti Arbitra inter Reges filium, fratremque, atque has Hiſpanicos Legatos ſeſe accepturos polliceri: Philippum enim minimè dubitare quin Regina has ita latura ſit, uti regiæ ex quâ orta ſit Genti conveniant.* Ubi iſthuc Pacificatores Gallicis Legatis dixerant, hi ſubitò ad Sociarum Civitatum Legatos adiêre, ut ex fœdere, ac pro fide ſociali quid de Pace ſibi Pacificatores Hiſpanicorum Legatorum verbis nuntiaſſent, de eo certiores illos facerent. Sed tantæ rei novitas hominum animos ita perculit, ut vix ſatis expedirent quid ſibi ad hæc reſpondẽdum eſſet. Nam Pacem Gallos inter, & Hiſpanos confectam credidêre, & quòd illi ad ſe veniſſent id per fidei ſimulationem factum. Ibi ab Gallicis Legatis poſtulavêre uti ſibi in proximum Conclave tantiſper ſecedere per eos liceret, conſultaturis nimirùm quid ipſis reſpondendum cenſerent. Quod ubi factum eſt, atque ipſi rediêre, Gallicis Legatis egêre gratias, quod inter hos & Hiſpanos quid actum eſſet, id ſe ſubitò ſcire voluiſſent: orare ut ne ſuum de Pace negotium ad exitum perducerent, niſi ſecum unà, alteris videlicet alteros expectantibus, atque invicem ſuſtinentibus ſe, quemadmodùm fœdere caveatur: Hiſpanos perindè nunc cum Gallis agere, ac cum Sociis Civitatibus antehàc egerint, Pacis negotium Lutetiam Pariſiorum ad Reginam avertendo, quemadmodùm Hagam Comitis ad Fœderatos Ordines avertere voluerint. Ad hæc Legati Gallici ſeſe Hiſpanicis ſignificaſſe dixêre nihil ab ſe, aut ab Reginâ ipsâ de Pace actum iri, niſi apud Monaſterium Veſtfalorum, atque unà cum Sociis Civitatibus, aut cum harum Legatis, quod & idem ipſis denuò confirment.

Hanc omnem rem ab Mazazino ortam plerique omnes credidêre, quam ſimul & regiæ Virginis Hiſpanicæ cum Rege nuptias, cui omne Belgium doti diceretur, ab Bagnio Pontificis apud Regem Nuntio ejuſdem

1646. Pontificis apud Philippum Nuntio ſubjectas voluerit, ut Hiſpani ad utramque rem ſi videretur, animum adjicerent. Sed his quæ ab nimiâ hominis ſolertiâ profecta eſſent in fraudem Mazarinus incidit denique, quam Arauſius ſibi apud Socias Civitates effugiendam ſapienter eſt arbitratus. Is igitur qui harum, ac ſingillatim Batavorum ingenia pernoſceret, & quid de nuptiis, ac de dotali omni Belgio animi ipſis futurum eſſet, ſatis provideret, nihil ſe huic admiſcere negotio voluit, quin & ægerrimè tulit, Eſtradam ad Longavillam ſcripſiſſe de eo ſe cum illo collocutum. Cæterùm Eſtradæ reſpondit; *Quòd id ſecum Mazarinus communicatum voluiſſet ſibi gratiſſimum eſſe, ac ſi in eo ſua opera ipſi proceſſura videretur, hanc lubentiſſimum adhibiturum, quo huic ex ſententiâ eveniret: nihil enim in hoc negotio eſſe, quod non Sociis Civitatibus probari debeat, ſi id rectè perpenderent. Sed aliam Principibus, aliam Populis mentem eſſe, quibus ubi quid novi objicias, continuò incidit ſuſpicio id ſibi fraudi futurum.*

Secundùm hanc Arauſii ſententiam Pavius, atque Knutius Sociarum Civitatum Legati tùm ab Monaſterio advenêre, qui Fœderatos Ordines docerent Gallicos Legatos ad ſe, atque ad Collegas veniſſe nuntiatum ea quæ diximus de Pacis Gallicæ conditionibus ab Philippo Annæ ſorori permittendis, quod quidem magnam in omnium animis excitavit tempeſtatem. Nam Arauſius ſe de hac re cùm ab Eſtradâ, tùm ab Braſſeto qui Regis negotia Hagæ Comitis procurabat, conſultò celatum credidit: Fœderati autem Ordines ſe item de nuptiis celatos querebantur, atque adeò deſertos, ac propè proditos arbitrabantur. Sed Plebes, & qui ex primoribus Arauſio invidebant, hunc Gallis de nuptiis, & confectâ cum Hiſpanis pace conſcium eſſe dictitabant, de quâ re periculum facere decrevêre, atque eâ gratiâ ſententiam ejus de virginis Hiſpanicæ nuptiis exquirere, & quæ pars Belgii fœdere inter Regem, & Socias Civitates icto his tribuebatur, eam utrùm hanc dotis quæ ſponſæ diceretur nomine rectè Regem accipere, ac ſibi retinere poſſe cenſeret. Sed Arauſius ab amicis admonitus quid illis conſilii eſſet, ubi de nuptiis rogatus ſententiam eſt, has haud ita Sociis Civitatibus iniquas fore ſibi videri dixit, ſi eadem ipſis belli egregiè geſti præmia forent, quæ icto cum Rege fœdere cavebantur. Sed ubi ad Braſſetum eâ de re aditum eſt, ſi Hiſpani omni Belgio ab Rege, & ab Sociis Civitatibus unà pellerentur, ibi verò æquum fore dixit his ſuum quod fœdere cautum ſit, præmium eſſe: at quod Regi unà cum Hiſpanicâ virgine dotis nomine dabitur, id verò, aut hujus partem aliquam Sociis Civitatibus dari planè præter fœdus, atque jus & æquum eſſe.

Sed Legati Gallici ubi ſibi conditionem ab Hiſpanicis latam de Pacis legibus ab Philippo Annæ ſorori permittendis accuratiùs perpendêre, magnificum id quidem in ſpeciem, cæterùm vanum, ac futile eſſe cognovêre: neque enim eò minùs de his apud Monaſterium porrò agendum videbatur, cùm non alias Regina quàm quas in mandatis haberent, latura eſſet: ſin Hiſpaniæ Regi placeret filiam Ludovico nubere, atque illi Belgium doti dicere, rem expeditam fore, ac maximè ſi abſque liberis

hac obeunte mortem penes Ludovicum dos manſura eſſet: poſtremò mittendum ad Regem, atque ad Reginam Matrem decrevêre qui de eâ omni re faceret certiores, atque adeò nihil admodùm uſque dùm rediret, egêre. 1646.

Intereà Arauſius Hiſpanorum fraudem pernovit, qui de nuptiis, atque de permittendis Reginæ conditionibus pacis mentionem fecerant, uti tantò majus hujus ſeorſim ab Gallis ſanciundæ ſtudium apud Socias Civitates accenderent: neque id difficile erat, quibus videlicet ac maximè Batavis ingens ab initio hujus rei lubido fuit. Arauſius pacem Hiſpanis perneceſſariam eſſe aiebat, adversùm quos ſi his æſtivis eâdem vi quâ prioribus ageretur, planè perditi forent: ſin Sociæ Civitates quemadmodum pleriſque videretur ſegniùs gererent bellum, his magnam Hiſpanos gratiam debituros, quibus cùm adimere facilè poſſint omnia quæ ipſis in Belgio reliqua ſint, id tamen facere negligerent. Antuerpas maximè oppugnaturus hoc anno videbatur, quarum habendarum huic ingens ſtudium erat. Igitur Eſtradam de futuris æſtivis bonæ ſpei plenum dimittit, & quæ per hæc gerenda viderentur, de iis Sociarum Civitatum Legatum in Aula acturum edixit.

Fœdere Ludovicum XIII. Regem inter, & Socias Civitates icto de pace cautum fuerat, ut ab neutris cum Hiſpanis niſi unà, ac ſimul fieret: nihil autem ſi Hiſpani inducias modò cum Sociis Civitatibus habere vellent, uti Rex omiſsâ Pace Inducias modò & ipſe ſancire cogeretur. Ex fœdere igitur Sociis Civitatibus jus erat ab Rege ut ne Pacem cum Hiſpanis niſi ſecum unà faceret, poſtulare, non autem ſi Induciis contenti eſſent, ut has modò ſanciret. Ita Rex ſeſe Pacem Sociis Civitatibus præſtiturum aiebat ex fœdere, ſin verò Inducias mallent, ſeſe bellum ſi has Hiſpani violarent, unà cum Sociis Civitatibus denuò adversùm hos ſumpturum ex fœdere: poſteà verò quàm Induciarum tempus exiſſet, nihil ſe uti bellum continuaret, fœderis legibus teneri: ſeſe tamen Socias Civitates omni ope ſicut ante fœdus ictum Rex pater liberaliſſimè, atque munificentiſſimè feciſſet, adjuturum. Cæterùm Regi haud damnoſum futurum fuiſſet, ſicut antehàc diximus, ſi & ipſe Inducias cum Hiſpanis ad exemplum Sociarum Civitatum feciſſet: nam intereà dum agitarentur, ad ætatem reipublicæ gerendæ maturam perveniſſet, atque id non modò ipſis, ſed & Luſitanis, & Catalanis gratiſſimum accidiſſet, quibus Pax ab Hiſpanis impetrari non poterat: poſtremò faciliùs fuiſſet per Induciarum, quàm per Pacis conditiones omnia quæ Rex bello ceperat, retinere, ac ſpes perpetuæ cum Rege Societatis in bello adversùm Hiſpanos gerendo Socias Civitates in fœderis religione, atque fide tenuiſſet. Sed habendæ Paci nullum magis idoneum tempus Regi, ac Reginæ matri viſum, quia propè perditis Philippi rebus huic uti reliquas fortunas ſuas in tutum collocaret, neceſſe videbatur, quæ Rex bello ceperat, ea huic planè permittere, quod non per Inducias factum fuiſſet, quibus elapſis bellum denuò ſumere recipiundis quæ priori bello ille perdidiſſet, copia fuiſſet.

1646. Intereà in Aula Mazarinus vanam Philippi in Reginam ſororem de Pacis conditionibus obſequelam eſſe ſentiens, Reginæ autor fuit, ut huic hoc modò reſponderet; *Quòd ſibi Philippus frater Pacis conditiones permittere voluerit, honorificum videri, atque ad hujus erga ſe amicitiam pertinere, quæ eadem ſibi adverſùm hunc perpetuò futura ſit. Hujus rei argumentum illuſtrius dare ſe nequire, quàm ſi qui ſibi habitus ſit ab fratre honos, eum viciſſim ipſi deferat, uti videlicet ipſe leges Pacis dicere velit, quas æquiſſimas fore confidat, ſi quo loco Regis filii res, & ſuæ ſint, ac denique quò brevi futuræ videantur, Philippus ſatis reſpexerit. Si ad hanc normam Pacis leges dixerit, ſeſe Legatis poteſtatem facere in has continuò Pacem ſanciundi, quæ ſibi ac Regi filio rata futura ſit.* Id Reſponſum Regina ad Regis filii apud Monaſterium Veſtfalorum Legatos mitti juſſit, quod Pacificatoribus, & Sociarum Civitatum Legatis ſignificarent, atque hos facerent certiores, nihil in Pacis negotio Gallos facturos, niſi ex fœderis normâ, atque ex Sociorum ſententiâ: cæterùm Mazarinus in ſuâ de reliquo Belgio vice Cataloniæ, ac Ruſſinonenſis Agri habendo ſententiâ perſtabat, haud ſatis perſpiciens vicinitatem noſtram Sociis Civitatibus formidoloſam eſſe.

Trautmanſtorfium Oſnabrugam profectum antehàc memoravimus, qui ita eò ſe geſſit, ut qui Suecis denique, atque Imperii Ordinibus bene ab Imperatore factum velle videretur, quò utroſque ad pacem ſeorſim ab Gallis faciundam impelleret, aut ſi & cum his hanc facere neceſſe eſſet, nihil aut quàm minimum Gallis in Germaniâ relinqui æquum cenſerent. Hæc belli præmia Sueci petivêre, omnem Pomeraniam cum Rugiâ Inſula, Viſmariam oppidum portumque, cum Valfiſco Caſtello, atque Præfecturis aliquot, Bremenſem, Verdenſem, Mindenſem, Oſnabrugenſem, Alberſtadienſem, Magdeburgenſem, Caminenſem, Severinenſem, & Ratzemburgenſem Diœceſes, partim quæ ſibi, alias quæ Friderico Guillelmo Septemviro Brandeburgico cujus Pomerania erat, & Severino Adolpho Friderico Magalopoleos Duci cujus erat Viſmaria, in æſtimationem darentur, nam rati Ferdinandum bona Eccleſiaſtica faciliùs, quàm ſua dimiſſurum: neque huic aut Trautmanſtorfio magna religio fuit denique tot opima, atque inſignia Sacerdotia, aut Eccleſiæ prædia ab ſacro in profanum ſtatum transferre, quæ tametſi pleraque omnia jam tùm penes Proteſtantes erant, tamen antiquum ſtatum obtinebant, atque Eccleſiaſtica cenſebantur, neque hæreditariò cuiquam, ſed quorum jus erat ſuffragiis obveniebant, prorſùs ut hæc ad Catholicos quandoque reditura nonnulla ſpes eſſet, quàm ipſis adimere Ferdinandus nihil penſi habuit, uti bonis ſuis parceret. Niſi fortè hæc ſi tùm Suecis traderet, ab eorum manibus poſthàc eripere perdifficile fore eſt arbitratus, Eccleſiaſtica verò faciliùs futurum, neque enim defutura ubi vellet Pontificum decreta, quibus dari Suecis neutiquàm potuiſſe edicturi eſſent.

a De la Barde Marquis de Marolles.

Eâ tempeſtate Rex atque Regina Mater Joannem a Labardæum delegêre quem ad Helvetios Legatum mitterent. Sed cùm nihil quod ad rempublicam magis pertineret, tùm in Europâ ageretur, quàm pax

inter maximos Europæ Principes concilianda, illius opera in hoc nego- 1646.
tio nonnihil profutura viſa: eò intereà dùm ad Helvetios ire pergeret, tantiſper Oſnabrugæ commorari juſſus eſt, nam paucorum porrò menſium ea res futura videbatur. Is apud Monaſterium Veſtfalorum quà huic iter habere neceſſe erat, ab Longavillâ Gallicæ Legationis Principe perhumaniter hoſpitio acceptus eſt, atque eodem honore, ac cultu quo cæteri Legati habitus, eadem in ædium quâ agitavit parte regii Legati inſignia, eadem in ſacris quibus unà cum Longavillâ aderat, eadem in hoſpitali menſâ fuêre. Avauxius verò, ac Servianus hunc haud ſecùs ac ſeipſos invicem habuêre, neque aliter poterant, cùm regio Diplomate, atque omnibus Regis, atque Mazarini ad ſe, atque ad alios litteris Legatus eſſet appellatus. Id eò accuratiùs mihi dicendum fuit, quòd homo quidam Italicus eâ de re ſecùs ſcripſit ex alienâ lubidine, atque invidiâ in Labardæum: nam id illi ipſi tribuere nolim, qui in hujuſcemodi rebus etiam ſuprà verum aliis favit, hos cùm Reſidentes, aut ad minores Principes abſque ullo Titulo miſſi eſſent, Legatos nihilo ſeciùs appellando.

Sed Gallici apud Monaſterium Legati Labardæum Suecicis adeſſe apud Oſnabrugam æquum cenſebant, ubi de Pacis ſuæ negotio cum Trautmanſtorfio, atque aliis Ferdinandi Legatis agerent, ſicuti Roſenhamus qui Sueciæ negotia apud Monaſterium Veſtfalorum curabat, adeſſe debebat Gallicis Legatis, ubi de Pacis ſuæ conditionibus cum Imperatoris Legatis, aut cum Pacificatoribus apud Monaſterium agebant. Sed cùm ſæpiùs cum his, quàm cum illis agerent, & Chigius alter ex Pacificatoribus hæretici hominis qualis Roſenhamus erat, conſpectum, nedùm aditum, ac ſermonem ex Romanorum diſciplinâ defugeret, eò res redibat, uti Roſenhamus Legatis Gallicis adeſſet, ubi cum Contarino modò Venetorum Legato agebant, quod certè Suecicis nuſquàm probabatur, atque adeò huic edixêre ut ne poſthàc hujuſcemodi colloquiis adeſſe vellet, quo fiebat ut item ſuis Labardæum non adeſſe æquum cenſerent, ſed utroſque fide ſociorum fretos nihil hos contra fœdus moliri credere. Id certè haud ab ratione alienum erat, ac prætereà ſi quid Sueci clam Gallos facere voluiſſent, id illis facile fuiſſet, aut per Interpretes, aut ſinguli cum ſingulis Imperatoris Legatis in alienis ædibus colloquendo, poſtremò utriſque incommodum fuiſſet latinâ, aut aliâ quam Labardæus calleret linguâ loqui, uti quid inter hos ageretur intelligere poſſet, cùm uſitatior his eſſet Germanica, ad quam denique ſi quid hunc celatum voluiſſent, ſicuti naturâ duce dilabi facilè potuiſſent. Ea res tamen ſatis digna Legatis Gallicis apud Monaſterium viſa, cujus causâ ad Sueciæ Reginam mitterent Sanromanum, qui cum Chanuto Reginam doceret id contra fœdus eſſe, quod non ità pridem apud Hamburgum ictum fuerat, cujus fœderis legibus quid ab utriſque in negotio Pacis ubi de hâc ageretur, faciundum foret, cautum fuerat.

Prætereà ab Reginâ poſtulaturi erant, ut ne poſthàc Roſenhamus, ac Salvius ſuſpiciones de ſe cum Hiſpanis familiariter agendo Gallis movere vellent. *Nam tametſi Hiſpani Suecis juſti hoſtes non ſint, tamen Imperato-*

1646. *ris adverſum quem bellum gerant, propinquos, ſocios, & amicos eſſe, quem & re, & conſilio juverint, cæterùm Galliarum Regis juſtos hoſtes, qui cum Suecis amicus, & Socius ſit, iniquum foret hos Hiſpanus uſquàm favere, aut iis quidquam obſequi, quod in Gallorum damnum verteret. Auſtriacos in Hiſpania, atque in Germania eoſdem eſſe. Illos dudùm his ſubſidio futuros fuiſſe, ni Gallorum armis in Belgio, in Italia, atque in Hiſpania diſtinerentur: reliquum eſſe, uti quod bello facere nequeant, id de Pace agendo conficiant, ſimultates, ac diſcordiam inter Gallos, Suecoſque ſerendo, ac dictitando alteris alteros nimia, atque immoderata poſtulare, quod Hiſpanos Suecis perſuadere voluiſſe Gallis renuntiatum ſit, ſed nuſquàm ab his creditum: providendum tamen videri, ut ne poſthàc verè renuntiari poſſit: nam uno animo pace, belloque tendentibus omnia prona fore, ſin verò alius aliò rempublicam trahet, utroſque peſſùm ituros.* Sed ad Sueciæ Reginam nihil opus miſſo Sanromano fuerat, quæ fœdus, & amicitiam inter Regem, atque ſe ab utriuſque parentibus ortam ſummâ religione cultam vellet, quod & Regni Proceres ſentiebant, neque tamen adduci quivêre uti Labardæum Legatorum ſuorum de Pace colloquiis cum Imperatoris Legatis adeſſe æquum cenſerent, eâ quam ſupra diximus ratione freti.

Sed ubi Trautmanſtorfius Monaſterium Veſtfalorum redierat, Legatos Gallicos edocuit, quot, quantaſque Diœceſes Sueci in belli ab ſe geſti præmium ſibi expeterent, atque illos hortatus eſt, uti ſibi in eo negotio adjutores eſſe vellent, neque paterentur tot, támque opima Sacerdotia ad Hæreticos devenire: ni intercederent Ferdinandum neceſſitate adductum hæc illis tametſi invitiſſimum permiſſurum. Itaque Legati ubi ab Suecis de belli quæ peterent præmiis cum ipſis eſt communicatum, adverſari ſedulò, ac deterrere, quo minùs talia affectarent, atque ſe negare commiſſuros, uti voluntate Regis tot, ac tanta bona adempta Eccleſiæ eſſe poſteritas crederet. *Eſſe Ferdinando prædia Suecis, aut his quibus ſatisfieri velint, haud minùs commoda, atque opportuna, ea Suecos æquiùs petituros, quando hic ipſis juſtus hoſtis fuerit, quæ ut his permittantur, ſe omni ope eniſuros, quod idem de bonis Eccleſiaſticis facere ſibi haud fas eſſe exiſtiment: poſtremò Regis Chriſtianiſſimi famæ conſultum velle, quæ apud Catholicos adverſa futura ſit, ſi ex eo bello quod & re, & conſilio, & armis juverit, atque unà cum Suecis geſſerit, tanta ad Eccleſiam damna pervenerint.*

His, atque aliis hujuſcemodi fatigatus Oxenſtierna alter ex Suecicis Legatis, qui Monaſterium Veſtfalorum venerat, ita tùm ab Gallicis diſceſſit, ut qui de his Diœceſibus non habendis acquieſcere viſus eſſet. Dein ab Legatis Imperatoris Sueci apud Oſnabrugam rogati quid ſibi vellent, ac peterent, illas denuò, ac præterea Monaſterienſis Diœceſis oppida duo Vectam ſcilicet, & Meppam ſibi dari poſtulavêre. Id ab Legatis Imperatoris Gallis eſt renuntiatum, quos per communia ſacra obſecravêre, ut ne Oſnabrugenſem, ac Mindenſem Diœceſes in quibus complures Catholici agitarent, atque duo Monaſterienſis oppida penes Suecos eſſe vellent: id enimverò Galli negare ſibi uſquàm placere, ſed magis uti Ferdinandus de ſuo Suecis faciat ſatis.

Cæterùm Labardæus cum Sueciæ Legatis graviter queſtus eſt, eos contra quàm cum Gallis apud Monaſterium conveniſſent, bona Eccleſiaſtica ſibi porrò petere: at hi negavére ſedulò id ſe conveniſſe, de quo ubi multa utrimque dicta fuiſſent, Oxenſtiernam quidem ut ne tempus altercationibus conſumeret, ad alia tranſiſſe, eò fortè quæ ab Gallis in contrarium allata eſſent, iis acquieviſſe viſum, quod ipſi nuſquam in mentem venerit. Hæc fuit Suecicis Legatis diſciplina, ut alter modò Monaſterium iret, & cum noſtris eò colloqueretur, qui ubi Oſnabrugam rediret, ſi quid ab eo ſecùs dictum alteri videretur, id mox negando, aut interpretando corrigebat. In his maximè quæ ad Religionem, aut Eccleſiam pertinuêre, nulla habenda fuit ipſis fides, nam nimiùm Sectæ ſuæ ſtudioſis, cujus gratiâ quibus fœderis legibus Religionis, atque Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum rebus cautum fuerat, iis ſeſe teneri nuſquàm credebant. Eò ſæpiùs inter Gallos, Suecoſque ortæ lites, dùm ab his pleraque contra fœdus in hujuſmodi rebus facta illi graviter expoſtulant, hi verò ſibi injuriam fieri, neque fœdus ab Gallis, quàm ab ſe ſanctiùs coli dictitant, eadem ab his adversùm Proteſtantes in Alſatiâ facta comminiſcuntur, atque ita rem arte tractando eò deducebant, ut altercandi tædio ab Gallis denique omitteretur. Quæ quanquàm erant moleſta, tamen quia ad rerum ſummam præſtitére fidem, vix ullum fœdus uſquàm ſanctiùs inter Reges ſervatum eſt. Documentò Principibus quæ bella ſuis opibus, ac copiis gerere nequeant, ea ſcilicet omittenda: ſin alterius auxilii egeant, ſocios plerumque graves eſſe. 1646.

Ubi Trautmanſtorfius apud Oſnabrugam cum Suecis de Pace agebat, intereà loci Maximilianus Baioariæ Dux apud Imperatorem pervicerat, ut Alſatiam, ac Suntgoviam cum Briſiaco Oppido Galliarum Regi datas vellet denique, atque eò lubentiùs, quod hic in illorum æſtimationem Oenipontanis Principibus pupillis, quorum hæc erant prædia, grandiuſculam pecuniæ ſummam certis penſionibus curaturum ſe, ac prætereà ſicubi adversùm Turcos Imperator auxilii egeret, id ſe aliquantum præbiturum recipiebat. Poſtremò Imperii Ordines Galliarum Regi pro navatâ rei publicæ in Germaniâ operâ, gratiam, ac mercedem deberi decreverant, ac maximè qui apud Oſnabrugam fuêre, apud quos Jacobus Lampadius quidam Juriſconſultus, homo frugi, ac libertatis apprimè ſtudioſus, hanc Germanos Gallis, ac Suecis fretos recuperaſſe frequenti Conventu prædicavit. *Utrorumque in ſe meritum ingens eſſe, quod tùm quæ gravia, atque acerba jam diù adversùm hos cæpta, atque admiſſa ſint, ea proloqui, & uti corrigantur poſtulare poſſint: haud æquum eſſe in alterutros ſuâ libertate abuti, quam ſibi ademptam horum egregiâ operâ receperint: bellum in Germaniâ ab Suecis quidem, & qui his Sociis fuerint Germanis maximè geſtum, cæterùm Gallorum armis, & opibus ſuſtentatum, qui & in Belgio, & in Italiâ, & in Hiſpaniâ, ſimul & in Germaniâ ipsâ adversùm Auſtriacos ſummâ vi & ipſi bellum geſſerint, quod æquè, atque etiam magis Germanis, ac ipſiſmet Gallis proceſſerit.* Hic Lampadius ab duobus Brunſ-

1646. vicis Luneburgenſibus Ducibus ad Oſnabrugenſem Conventum miſſus fuerat.

Sed Trautmanſtorfius Briſiacum nudatum, atque ſpoliatum agro vicino Gallis relinqui æquum cenſebat, quod quidem hi abnuêre, hujus agri, ſicut & oppidi poſſeſſione freti, quæ ſe reddituros omninò negavere: quò factum eſt, ut iſthæc his planè permittere neceſſe fuerit. Cæterùm Trautmanſtorfio cautio fuit, ut ne Rex Alſatiam, atque alia in Germaniâ prædia ſicuti Imperio Germanico obnoxia poſſideret, nam metuenti, ut his fretus Imperii Comitiis poſthàc adeſſet, & ſicuti cæteri in Germaniâ Principes huic de Republicâ ſententiam dicere jus foret, ac præterea ipſe, aut hujus filii nepoteſve faciliùs Imperatores creari poſſent, Auſtriacorum loco, ac denique uti Catholici qui unos Auſtriacos jam colant, ac metuant, & Galliarum Reges poſthàc diligentiùs obſervarent, ſicuti Germanos factos, ac ſicubi quidpiam ab Auſtriacis ſibi graviùs accidiſſe crederent, illorum fidem fortaſſe implorarent, quâ adversùm jus, & injurias omnes tuti forent: eò Alſatiam, atque cætera in Germaniâ prædia Regi ita permittenda cenſuit, ut hæc eodem regio jure poſſideret, ac ipſum Galliarum Regnum, cui planè conjuncta eſſent. Sed id Imperii Ordinibus haud ſatis placebat, neque ipſi Regi primùm, dein penſitatis utrimque rationibus, amplius, atque honorificentius viſum Galliarum Regem porrò nulli niſi Deo ipſi Opt. maximo obnoxium eſſe, neque in poteſtate Imperatorum fore calumniari in eâ re, ac cavillari, prædia quæ Regi permittantur publicando, atque in alios transferendo, ſicut in priſtinis Saxoniæ Ducibus, ac Palatinis Comitibus antehàc fecerint.

Ab Galliæ, & Sueciæ Legatis eo pacto cuncta fiebant, ut alteri alteris omnium rerum conſcii eſſent: ubi igitur ab Labardæo cum his de Pacis quas Trautmanſtorfius Gallis ferebat conditionibus eſt communicatum, dictumque hunc quæ Imperator Regi in Germaniâ relinqui, ac permitti æquum denique cenſeret, ea poſthàc nihil Imperio Germanico obnoxia velle, ſed ab Rege cum ſummo jure, judicioque poſſideri Galliarum Regno conjuncta, reſponderunt ſeſe illa & obnoxia, & Imperio porrò conjuncta præoptaſſe, uti Gallis ſecum unà Imperii Comitiis adeſſe, atque in his cum cæteris Imperii Ordinibus de re publicâ conſultare poteſtas foret, quod tamen Ludovicus in rem ſuam magis eſſe arbitraretur, id ſe æqui, bonique conſulere. Haud diſplicebat Suecis Regem Germaniæ negotiis minùs admiſceri, in quâ ſibi tantò majorem apud Proteſtantes fidem, & gratiam fore ſperabant: præterea hunc Catholicis fautorem futurum fuiſſe non dubitabant, ſi propter Alſatiam Imperii Ordinum inter Principes formulæ adſcriptus foret.

Sed ſunt in Alſatiâ Oppida decem, quorum modò Præfecturam Oenipontani Principes unà cum hac Provinciâ antehàc habuêre, cæterà Imperio Germanico obnoxia ſunt, atque eâdem quâ cætera pleraque in Germaniâ oppida libertate fruuntur: hæc ſunt Hagenoa, Colmaria,

Schleſtadium,

Schleſtadium, atque alia minora ſeptem, quæ ſi in ditione Regis, ſicuti 1646.
reliqua Alſatia forent, id verò non modò amplum fore videbatur, ſed & litium, ac diſcordiarum ſemina amotum iri, quas ſæpiùs enaſci neceſſe eſſet, ſi hæc oppida hinc Regi, qui his Præfectus foret, indè Imperatori parere deberent: eò Legatis Gallicis venit in mentem Imperii Ordinum pertentare animos, utrùm ad id adduci ſe ſinerent: præterea metuebant, ut ne obſtarent quo minùs Rex ſibi Philippiburgum ad Rhenum retineret, aut in hac Arce Præfectum porrò, ac præſidium haberet, quod unum Rex poſtulabat, nam neque Arcem, aut oppidum, aut quidquam agri Spirenſi Epiſcopo, cujus hæc propria ſunt, ademptum volebat. Igitur de utrâque re Legati ad Labardæum ſcripsêre, uti quid eſſet ſententiæ Imperii Ordinibus qui apud Oſnabrugam erant, perſpiceret: ſed is de neutrâ ſententiam Ordinum exquirendam cenſuit, nam alterum in Philippi Soëterni Spirenſis Epiſcopi, qui & Trevirenſis Archiepiſcopus, ac Imperii Septemvir eſt, alterum in decem Oppidorum, ſeu qui hæc incolunt Civium voluntate poſitum, qui ſi adduci poſſent, ut hæc in ditione Regis eſſe vellent, nihil Imperii Ordines, aut fruſtrà contradicturos; ſin aliter illorum ſententia eſſet, item id fruſtrà ab Imperii Ordinibus quæſitum iri. De decem oppidis Legati deſiêre: de præſidio, atque Præfecto regio apud Philippiburgum habendo, ubi cum Soëterno convênit, nihil moræ in Imperii Ordinibus fuit, quin ut id ex voluntate Soëterni fieret, conſentirent, ſatiſque haberent Spirenſibus Epiſcopis caveri, ut ne id ipſis fraudi foret, atque ut oppidum, cæteraque in eorum porrò ditione forent.

Labardæus priuſquàm Oſnabrugâ diſcederet, nam paucos modò menſes eò reſtitit, Ordinibus Imperii redegit ad memoriam, *Caroli IV. Imperatoris Bullâ, quam Auream appellant, caveri Imperatore mortuo, quid alteri creando, aut ſubrogando ab Imperii Septemviris faciundum ſit: vivo autem Imperatore de altero creando ne ſub titulo quidem Romanorum Regis, quidquam dici, quamobrem id neutiquam fieri debere vel ex eo clariſſimum ſit. Cùm tamen invaluerit conſuetudo, iſthuc Imperatoribus de re publicâ benè meritis in filiorum gratiam obſequi, hanc ſi Ordinibus videatur, haud omninò abrogandam. Sed quod præter legem ſit, id ex omnium ad quos ea res pertinet, ſententiâ faciundum, cui ubi nemo obſtet, ibi demùm rectè factum videatur. Jure quidem hanc aboleri conſuetudinem poſſe, quæ Imperatorum ambitionem alat, ac ſtudium Imperii in eâdem familia continuandi, & quod ex Septemvirorum ab omni metu, atque gratiâ, liberâ, ac vacuâ ſuffragatione pendere debeat, id utrique, aut alteri ſubjiciat. Hujuſmodi tamen Reipublicæ tempora incidere poſſe, quibus hanc ad Interregnum redire periculoſiſſimum foret, ſicubi videlicet Barbari adeſſent in finibus, cui periculo uti præverteretur, neceſſe foret Imperatori aut ſeni, aut morbis confecto deſignare, aut creare Succeſſorem, ſed hujuſcemodi neceſſitatis judicium ad omnes quorum intereſt, pertinere videri, ad Imperii videlicet Ordines in Comitiis ſuis, qui ubi id rempublicam poſtulare judicaverint, ibi verò Imperii Septemviros Imperatori vivo Succeſſorem deſignaturos, ſeu Regem Romanorum rectè, atque ordine creaturos. Quòd id ſui modò uſque judicii fuiſſe di-*

1646. *cant, nihil eſſe: nam quod non jure factum ſit, id nuſquàm fieri debuiſſe. Ita non planè aboleri conſuetudinem, ſed ad juſtam, atque rei publicæ utilem normam reductum iri.* Iſthuc Imperii Ordinibus tùm maximè probatum, cæterùm ut ne in Comitiis ſanciretur Septemviri, atque Auſtriaci obſtitêre.

Dùm hæc apud Monaſterium Veſtfalorum, atque Oſnabrugam geruntur, uti pax inter tantos Principes concilietur, Romæ Innocentius Pontifex, atque Olympia adversùm Barberinos fratres tunc cùm maximè graſſabantur, ac ſingillatim in Antonium Cardinalem, adversùm quem, atque hujus clientes famoſiſſima Quæſtio porrò acriter exercebatur, atque intereà Bagnius Pontificis apud Regem Nuntius hunc hortabatur, ut ne Barberinos adversùm Pontificem contrà hos jure agentem tueri vellet: *Quò magis homines fortunati, ac potentes ſint, eò magis æqua noſcere oportere. Id maximè decere Reges, qui ni ſibi ipſi modum faciant, nullos alios facturos. At quid æquum ſit, id facilè ab his dijudicari poſſe: ſcilicet ut ne quid in alium faxint, quod ab alio in ſe factum graviter ferant. Ni ea ſaltem lege ſe Reges teneri putent, malè cæteris hominibus conſultum eſſe, quibus adversùs illorum potentiam nihil ſatis tutum ſit. Rex, atque Regina Mater ſecum ipſi reputent, quid ſibi foret animi, ſi in ſe, aut in rem publicam quis in Galliâ peccaſſet, atque ut id ipſi impunè foret, hunc Pontifex tueretur. Sua cuique ſatis eſſe debere; in his uti cuncta rectè, atque ordine fiant ſi curaveris, officio fueris functus: aliena alienis relinquenda, in quibus ſi quid ſecùs egerint, id nihil ad te attinet. Si Principes alter alterius rebus ſeſe admiſceant, nunquàm inter eos pacem fore. Ludovico ingentes opes, omnia ſecunda foris, domi obedientia eſſe, quò magis æquitate ut hæc perpetua ſint annitendum. De Barberinis quid Ludovico, atque Reginæ Matri tantopere curæ ſit, haud ſatis capere neminem: ſcilicet qui nuper ob rem in Pontificis creatione corruptam maledictis onerati ſint, & malo quovis digni in Galliâ habiti: quod tàm brevi mutatum, tantumque odium ſubitò in miſericordiam verſum monſtri propè ſimile eſſe. Ab Urbano Pontifice, atque Barberinis in Galliam ſeſe legatum, qui adeò ut extra noxam ſint, ſummoperè cupiat: ſed adversùm quem jure agatur, huic haud injuriam fieri. Cæterùm ad Principes omnes pertinere, uti quibus Pontifices rem publicam permittant, ii in metu ſint, nec quæ cùm gratiâ, & potentiâ valuêre, deliquerint, ea ſibi impunè fore ſperent: iſthuc planè nunc agi, quod Gallia diſturbare velit.* Hæc atque alia hujuſcemodi Bagnius in Barberinos parcè, atque modicè, de negotio ampliùs diſſeruit, cui mox Seguierus Cancellarius Regis, & Reginæ matris juſſu ita reſpondit,

Quo pacto quâve ratione Pamphilius Pontifex contra Regis voluntatem creatus ſit, nemo omnium ignorat: cui rei ſi interceſſiſſet, complures hunc fortè perperam creatum cenſuiſſent: maluit Rex quod factum erat comprobare, quàm diſſentiendo, & contrà tendendo ſerere in Eccleſiâ lites. Quin & beneficiis Pontificem vincere aggreſſus eſt, ut huic fides fieret, ſibi conſilium eſſe hunc haud ſecùs, quàm qui antehàc Pontifices fuerunt, colere, atque obſervare. At pro his beneficiis maleficia ab Pontifice reddita, de omni re Ludovico negatum, de Cataloniæ quæ ad ſe, de Luſitaniæ, & Indiarum Sacerdotiis quæ ad Luſitaniæ Regem Socium, atque amicum pertinent, deque aliis omnibus: prorſùs uti Pontifici operæpretium eſſe

videatur, Hiſpanis non modò ipſis benè, ſed & Gallis malefaciundo gratificari. 1646.
Ubi Cardinales facti, quos Hiſpani juſſerant, eos renuntiavit, quem Rex, ac Regina Mater commendaverant, is repulſam paſſus eſt. Sed quibus hunc ornent, atque augeant omnia Regi, atque Reginæ Matri abundè ſunt, ni Mazarini modeſtia regiæ munificentiæ erga fratrem obſtet, atque erga cæteros propinquos, qui Romæ in eâdem quâ antehàc fortunâ agitant: tantaque hominis æquitas eſt, uti fratrem pro Galliâ Cardinalem fieri vetet, ut ne cui id Gallo noceat. Quòd in ornando Mazarini fratre Pontifex Regi, atque Reginæ Matri morem gerere noluerit, id quidem grave utrique: at multò gravius, qui negatus huic fuerat Cardinalatus, eum alteri obtruſum ab Pontifice, ut in Galliâ diſcordias, turbaſque excitaret. Pudet dicere rem ſacram proditionis mercedem poſitam, atque eâ gratiâ Herſentium dignum talis hujus negotii adminiſtrum reditum in Galliam maturare juſſum.

Poſtremò longè graviſſimum Regi, atque Reginæ, hominem nequam, qui ipſius Mazarini vitæ ſit inſidiatus, Romæ verſari in tuto, neque Regi flagitanti tradi civem, qui tanti criminis reus agatur. Quis credat Pontificem cui Cardinales fratrum, atque filiorum loco ſunt, cuique adeò eorum injurias, atque pericula curæ eſſe decet, cædem in unum ex hoc Ordine paratam ſicario impune eſſe velle? Quis item credat, hunc eumdem Pontificem ſibi Antonium Cardinalem ab Rege tradi velle, in quem ſi diis placet jure agat, atque hanc ipſi pro Cardinalatu ab Urbano ejus Patruo, & pro Pontificatu ab ipſo nuper accepto referat gratiam? Hæccine eſt illa æquitas, quam Principibus pro lege eſſe debere cenſet? At enim ea res nihil ad Regem attinet? imò verò maximè: nam præter quàm quòd hunc æquius eſt Pontifici de Cardinali, quàm Pontificem Regi de ſicario quod poſtulat negare, ea Urbani in Galliam merita ſunt, uti Rex, atque Regina neque rectè, neque ſatis piè quæ ad Antonii hujus fratris filii caput, famam, dignitatem, fortunaſque attineant, ea neglectui habere poſſint. Jure quidem Antonio ſuccenſuère, quòd de Pontificatu Pamphilio mandando utrique gratum fore temere dixerit, ac receperit, atque eo pacto Pontificem fecerit: ſed hominem eâ causâ perditum velle, procul ab regia clementia, & ab Gallorum moribus eſt: at id velle Pontificem tanto Antonii affectum beneficio, quo ad majus prope mortali faſtigium adſcendit, cui in mentem venire poteſt? Id enimverò plane monſtri ſimile eſt. Rex atque Regina Antonio facile placati ſunt, ubi hunc Pamphilii fidem in ea re ſecutum eſſe reſcivère, quæ ut ne illi fraudi eſſet, in ejus manu poſitum fuit.

Cæterùm, quid novi fecit, aut commeruit Antonius, quamobrem Pamphilius ejus maximè opera Pontifex creatus, cum eo fidem rectè mutare potuerit? Vetuſta, & obſoleta quæruntur, atque priſtinæ fortunæ invidiâ Antonium urgere Pontifex decrevit. Næ quæ hominum in odiis exercendis cæcitas eſt, haud ſatis proſpicit, ſe hanc in ſuos adornare ſcenam, in qua perinde mox habeantur, ac cæteros habuerint. Hoc metu perculſus Antonius Româ clàm diſcedit, Franciſco Cardinali fratri negotium dat, uti Pontificem de ſuo diſceſſu, atque inſtituta in Galliam profectione faciat certiorem: ubi primùm cæpit eſſe in tuto, idem ipſe per litteras facit: docet ſibi Rege, atque Regina conventis opus eſſe, uti quod in Pontificatûs negotio ſe offendiſſe credant, id coram expurget, poſtulat ut id ſibi per Pontificem liceat. Is vero Antonii litteras rejicere, neque ullam accipere excuſationem, jure

1646. *in eum agere parat, poſthabita Leonis Bulla, qua Cardinalibus ſicubi juſto metu adducti Româ diſceſſerint, cautum voluit: Magiſtratus quos Antonius Romæ habet ab aliis geri jubet, fructus eorum, aut ſtipendia ſibi, aut aliisattribuit, tametſi id Urbani Bulla vetet, atque Antonio ſicubi abſit, per quos velit, Magiſtratus gerendi poteſtatem faciat. Hæc eò Regi, atque Reginæ acerbiora videntur, quòd nihil hujuſcemodi in Valancæo Cardinale factum eſt, qui nuper & ipſe clàm Roma profectus in Galliam Pontificis injuſſu venerit. Quæ cùm ita ſint, Rex, atque Regina Mater Pontificem orant impenſiùs, atque huic autores ſunt, ut ne ea cauſa graviùs in Antonium, quàm antehàc in Valancæum conſulat: illum cujus, atque Patrui tanta in ſe merita ſunt, ſalvum, & honeſtum, innoxium, atque florentem porrò eſſe velit: neu committat uti quæ res privatis uſque conſiliis eſt acta, ea mox publico geratur: ſe, atque ſanctam in qua eſt ſedem, Regem, atque Galliam reſpiciat, ſatiſque perſpiciat, quid utriuſque rationes, fama, fideſque poſtulent, quam ad ultimum Antonio præſtare, atque hunc, rem, famam, dignitatem, fortunas omni ope tueri, Regi certum, decretum, atque conſtitutum eſt.*

Intereà nihilominùs Romæ Pontifex, & qui eo freti Barberinorum bonis inhiabant, hos inſectabantur: nam avaritia peſſimum Principum adversùm inſontes uti ſontes videantur, telum ad ultionem acceſſerat. Uti major ex Barberinorum bonis præda eſſet, interdictum publicè eſt, ut ne Magiſtratus, atque Sacerdotia ſua abdicare vellent, neu alia bona venum, aut dono dare, prætereà ut ne Cardinalium quiſquam ſeſe in cujuſvis Principis clientelam, & fidem conferret: quæ privilegia de Barberinis tulerat Urbanus, ea abrogata, uti facilè appareret, non Antonium modò, ſed & omnes Barberinos in prædam peti. His, atque aliis hujuſcemodi qui eſſet erga ſe Pontificis animus, edocti Franciſcus, atque Thadæus clàm ſicuti priùs Antonius Româ profecti ſunt, atque ad mare properavêre. Eò navim exiguam Genuenſem ad perferendam maris quæ tùm ſatis magna erat, tempeſtatem vix ſatis validam, conſcendêre: cum Thadæo filia virgo, atque filii tres fuêre. Anna Colonna uxor Romæ reſtitit, quæ res eorum in Urbe, atque in Agro Romano quod poſſet, tutaretur, clariſſima fœmina, cui præter ſuperbiam Colonnorum inſitam genti, ex ſecundis tamdiù Barberinorum rebus creverant animi, hæc tùm verſari in ſolitudine, viro, atque liberis ſicuti orbata agitare, omiſſo cultu, comitatu ſolito, atque deliciis jacere in luctu, intereà dùm vir, atque liberi per incerta maris profugi alienam opem quæſitum eunt, qui priùs hanc aliis ferre conſueverant, quorumque gratiam ne ipſi quidem Reges aſpernabantur. Documentô his quibus res ſecundæ ſunt, ut æquitatem colant, quæ ipſis ubi in adverſa mutaverint, præſidio ſit. Barberini graviore incumbente vento, qui fortè quò intenderant ferebat, celeriùs opinione Cannas portum in Provinciâ tenuêre: dein Franciſcus Cardinalis miſſis in Aulam, atque ab Aulâ remiſſis officii causâ nuntiis, eò profectus eſt, Thadæus cum Virgine filiâ, & filiis tardiùs eódem iter habuit.

Ubi Pontifex hos abiiſſe reſcivit, continuò in eorum miſit ædes, qui ſi fortè quis ex familiâ reſtitiſſet, eum comprehenderent, atque in vin-

cula conjicerent. Thadæi Scribæ maximè conquiſiti qui in vicinas diffugerant ædes, ii comprehenſi, & quidquid veſtis, atque ſupellectilis in Thadæi ædibus obvium fuit conquirentibus, id raptum ab his, & aſportatum. Apud Præneſte Româ haud procul Thadæi oppidum, Arcemque idem factum: præterea quæ illic erant tormenta, ea ad urbem advecta, fructus cùm hujus prædii, tùm cæterorum, atque aliorumcumque bonorum Thadæi ſimul, & Uxoris, Franciſci, atque Antonii in publicam cuſtodiam dati, fruſtrà Annâ, Colonniſque propinquis reclamantibus dotis ejus causâ, jus, æquum, & miſericordiam erga tali loco, atque genere fœminam vincente odio, atque avaritiâ. 1646.

Poſtpaulò Bacchanaliorum dies advenêre, inter quorum luſus, atque laſciviam Olympia dedit in Scenam virum terrâ, mari ubique offendentem, titubantem, & cadenti propiorem: hunc proſequebatur alter Italo-gallico habitu, cultuque, qui hominem quoties opus erat, erigere conaretur: quæ muliebris audacia compluribus qui ſpectabant Cardinalibus haud ſatis placuit. At Pontifex ſeria in Barberinos moliebatur, quæ Pontifices in Cardinales qui injuſſu ſuo Româ diſcederent clementiùs decreverant, ea antiquat, acerba, atque aſpera in eos lege, aut Bullâ ſancit, bona publicat, ſacris interdicit, Cardinalatum abrogat, poſtremò nihil omnium omittit, quo ſi Barberini ſaltem ante annum non redeant, & ſe mactandos huic præbeant, illorum bonis Olympiam, Sacerdotiis Pamphilium fratris filium conlocupletare poſſit: Cardinales ſe Româ diſcedere nolle aiebat, quòd ipſi ſecum unum idemque corpus efficiant, neque quidquam facere, aut decernere niſi ex eorum ſententiâ velit: id præ ſe ferebat Bulla, quam tamen nihil conſultis Cardinalibus promulgabat, quod mirum in re tantâ, quæ ad eos maximè attinebat. Sed ubi lubido dominatur, ibi animus cæcus, varius, incertus, atque ſibi adverſus eſt.

At Audomaro Talono Actori regio tùm venit in mentem poſtulare pro Cognitore Regio ab Senatu, uti Regi Decreto caveret, ne huic Pontificis Bulla, neque Eccleſiæ Gallicanæ, nec denique Cardinalibus fraudi foret: *Collegium Cardinalium ex omnium gentium, ac nationum egregiis viris conflatum eſſe, quorum nonnulli Regum ſuorum, aut qui Regum vices gerant, commendatione Cardinales facti ſint: hos ſicuti ab Pontificibus Cardinales creantur, ita & viciſſim Pontifices creare ſolere, qui hoc pacto omnium gentium, nationumque ſuffragatione creari videantur, atque adeò quod ad Cardinalium Collegium pertinet, id ad omnes Reges, gentes, nationeſque, quibus Reſpublica Chriſtiana conſtat, item pertinere, quos curare deceat, ut ne quid his libertatis, ac dignitatis ab quoquam, ac ne ab ipſis quidem Pontificibus detrahatur. Certe id ſingillatim convenire Chriſtianiſſimo Galliarum Regi, qui Eccleſiæ primogenitus habeatur, neque huic tolerandum eſſe quorum ſuffragiis Eccleſiæ caput eligatur, eos Pontificum ſi forte quem ira, aut alia ſtudia, ut ſunt humana, tranſversùm agant, injuriis opportunos eſſe, ſed contrà tueri pro ſua fide, atque eniti, ut inviolati ſint. Innocentii Bullam hujuſmodi eſſe, ut in hac Barberinorum peſſum dandorum ſtudium eluceat: hanc præter morem inconſultis Cardinalibus*

1646. *ab una Pontificis lubidine, atque acerbiſſimo juxtà, ac injuſtiſſimo in Barberinos odio profectam, Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Conciliorumque Decretis contrariam, quæ adeò Eccleſiæ Gallicanæ perpetuo juri repugnet, nam id nihil aliud eſſe, quam his Canonibus, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, Conciliorumque tàm Generalium, quàm Provincialium Decretis ita ſtare, ut omnia nova nuſquàm admittat. Rejiciundam igitur Innocentii Bullam videri, cùm eâ causâ, tum quod Cardinalium qui Regi, atque aliis Principibus ſubjecti ſint, libertati inſidietur, vetando ut ne Româ injuſſu ſuo egredi velint, quod quidem Regi, atque Cardinalibus Gallis, aliiſve exteris fraudi futurum ſit, ſi forte quis rei ſuæ familiaris, aut publicæ causâ in patriam redire velit, atque id Pontifex pro lubidine impediat.* Senatûs decretum fit denique, quo neminem in Gallia Innocentii Bullâ teneri cautum: neu quis hanc penes ſe habere, aut huic parere velit, ſed hujus exempla omnia ad Magiſtratus deferre. Prætereà Rex Barberinis Cardinalibus, atque Thadæo fratri interdixit, ut ne finibus Regni decederent, qui Provincias cum imperio obtinent, eos juſſit diligenter operam dare, ut ne illi digrederentur. Ita horum ſaluti Rex conſultum voluit, ut haberent quod Pontifici opponerent, ſi hos Bullæ non paruiſſe criminaretur, nam quibus ut id ne facerent vis eſſet oſtentata, atque adhibita.

Franciſcus Barberinus Cardinalis nummûm millia viginti quinque annuatim pauperibus Romæ largiri ſolebat, digniſſima viro Chriſtiano, & Eccleſiaſtico munificentia, quæ non niſi ab locupletiſſimo fieri poterat. Sed hæc ubi hujuſcemodi hominibus defuit, ibi verò clamitare publicè, qui ſibi benè faciebant, eos Româ per injuriam pulſos, qui horum bonis inhient, ſibi modò ſtudere, ac benè velle, inopiam, atque egeſtatem aliorum ſublevare nihil ipſis curæ eſſe: tantus denique miſeræ hujuſce plebis clamor exſtitit, uti Pontifex huic eamdem largiri ſummam coactus fuerit, non de ſuo, nam procul ab tantâ munificentiâ hominis animus aberat, ſed de iiſdem Franciſci bonis. Porrò tantum erat Pontifici Antonii inſectandi ſtudium, uti de hujus capite quæſtionem in domeſticos habuerit, atque hæc tàm acerbè, & crudeliter eſt exercita, ut unus ex his Bononiæ fortè ibi deprehenſus inter cruciatus, qui uti quidpiam de hero indicaret, fruſtrà intendebantur, expiraverit.

Inter hæc Pontificii cùm in Barberinos Regis clientes, tùm in Galliam odii ſigna, Legatum de more ad Innocentium mittere haud decere viſum: ſed placuit Henricum Arnaldum Abbatem Romam proficiſci, qui illum Barberinis placare conaretur, daretque operam, ut hos ſecum redire in gratiam vellet, ſin id minùs procederet, Pontificem porrò faceret certiorem, nunquàm Regem Barberinos deſerturum. Illius in hos odium fovebant Ferdinandus Etruriæ, atque Odoardus Farneſius Parmæ Duces, ſingillatim hic ex nupero ab Barberinis adverſùm ſe geſto bello de quo nonnulla aliò diximus, ipſis infenſiſſimus: ad ambos Arnaldus mandata habuit, atque Regis, ac Reginæ matris litteras, quibus hos hortabantur, ut honoris ſui causâ Barberinis poſthàc æquiores eſſe vellent. Odoardo fœdus cum Rege intercedebat, ictum pridem cum Lu-

dovico pàtre, cæterùm cum Mazarino ſicut antehàc memoravimus, ſimultates erant, haud mediocriter auctæ, ex eo quòd hujus operâ Protectoris Galliæ rerum Romæ Munus Franciſco Mariæ Farneſio fratri, ubi Cardinalis foret deſtinatum, Reginaldo Ateſtino Cardinali Franciſci Ateſtini Mutinæ Ducis fratri à Rege mox mandatum eſt: prætereà Odoardo ingenium quàm pro fortunâ, atque opibus ferocius fuit, qui videlicet ſibi omnia quæ huic in mentem venirent, ab Rege deberi crederet, ut ne ab ſuâ amicitiâ Sectâve diſcederet. 1646.

Lionnum antehàc diximus, cùm in Italia eſſet eò miſſus Mazarini operâ, cum Franciſco Ateſtino Mutinæ Duce diligenter egiſſe, ut ab Hiſpanorum partibus diſcedere, ac Regis Sectam ſequi vellet. Sed is non abſe ſtatim id faciundum exiſtimavit, verùm ab Reginaldo fratre, qui Cardinalis erat, ſicut ea res primùm ad hunc unum pertineret. Hiſpani nuper Romæ ubi Pontifici creando comitia habebantur, ſeſe Ateſtinos parvipendere oſtenderant, quod quidem ad Cardinalem maximè attinebat, quò æquiùs Franciſco fratri viſum ab illo hujus injuriæ ulciſcendæ initium fieri. Rex huic negotiorum Galliæ Protectoris Romæ Munus mandare volebat, neque ei rei quæ agebatur magis idoneum quidquam erat, uti quò Hiſpani Ateſtinos neglexerant, eódem Reginaldus ſe horum gratiam nihili pendere oſtentaret. Igitur Franciſci fratris voluntate Protectoris Munus accepit, ac ſubitò Galliæ Inſignia ad ædium ſuarum Romæ limen appendit, quæ res indicavit ædium Domini adverſùm Galliam ſtudium: cæterùm tali genere, tali dignitate virum cujus frater ſatis amplam in Agri Romani finibus obtinet regionem, ab Regis partibus eſſe Galliæ utile, atque præclarum erat, atque id Pontifici tantò gravius fuit, quantò ipſe nobis erat iniquior. Malè urebat hominem, quòd contuſis ubique Hiſpanorum opibus, ne tantillum famæ quidem quod ipſis Romæ reliquum erat, ipſe ſuſtentare poſſet, cùm Gallorum contrà pollens, potenſque Secta & rerum geſtarum gloriâ, & magnis Cardinalium clientelis poſthàc futura videretur, eò ſibi multa magis alieno, quàm ſuo arbitrio agenda fore providebat, quo nihil imperantibus gravius eſt: prætereà veniebat in mentem Pontifices Ferraram, & Comachium Ateſtinis ademiſſe, atque fortè Mutinæ Duci hæc Gallorum operâ recipere conſilium eſſe.

Romam poſtpaulò advenit Joannes Alfonſus Henricus Cabrera, Philippi Regis Hiſpaniæ Legatus, qui hujus verbis de more Chriſtianorum Regum novo Pontifici, atque Patri quale filii pietatem decet, obſequium deferret, quod maximè ad gratulationem de Pontificatu adepto pertinet, dein ad faciundam fidem ſeſe, & qui ſibi ſubjecti ſint Populi, eos in his quæ ad ſacra, & Religiones ſpectant, huic ſicut Eccleſiæ Capiti obſequi velle. Hujuſcemodi Legatos Romani curatiſſimè accipiunt, ac rhedas ſejuges quàm plurimas poſſunt, obviàm honoris causâ mittunt. Id fieri ſolet ab Cardinalibus omnibus, poſtquàm Legati verbis quiſpiam ex ejus comitatu, eorum unicuique ſalutem dixit. Erga omnes hoc erat officio functus Cabrera, præterquàm erga Ateſtinum Cardinalem, cui ægrè

1646. facere conſilium fuit, propterea quòd Philippi deſeruerat partes. Id ubi reſcivêre Valancæus Gallus, atque Grimaldus Italicus Galliæ cliens ambo Cardinales, nullas ſicuti nec Ateſtinus Legato misêre obviam rhedas, quod quidem tàm violenter tulit, uti palàm prædicaret ſe ſi per Urbem commeans in Ateſtinum, Valancæum, & Grimaldum fortè incideret, neque ſalutaturum eos, neque rhedam (qui honos Romæ Cardinalibus habetur) ſiſtere juſſurum, nedùm eos domi de more inviſurum. Ateſtino magna erat ſicuti virum Principem decet familia, magnuſque per Urbem eunti comitatus, nam anteibant rhedam homines plus centum, quibus fretus Cabreram ſi fortè obviam ſibi fieret, quod voluntate facere nollet, ad id vi cogere conſtituit, ſcilicet uti rhedam de more ſiſteret, ac ſe ſicuti par erat ſalutaret, atque intereà Valancæus, & Grimaldus cum eo unà per Urbem irent. At Cabrera uti prohiberet injuriam, ſeu quam his Cardinalibus facere decreverat, eam tutiùs inferret, è vicinis Colonni prædiis, dein ex ipſa Neapoli exules, capite damnatos, cædibus, atque omnibus flagitiis aſſuetos, manuque promptos, præterea multorum ſtipendiorum, & expertæ virtutis, atque audaciæ milites evocat: accerſiti & ab Ateſtino milites ſunt ab Mutinâ, viciniſque regionibus. Ita bellum mediâ Urbe parari, neque Pontifex ſatis ut id ne fieret prohibere, dùm Hiſpanis favet impenſiùs, Galloſque injuriæ obnoxios putat, rem paternâ curâ, atque æquâ adversùm omnes qualis Pontificem decet caritate planè indignam: præſidia tamen variis locis poſita, atque ſtationes locatæ. Nonnulli huic minuendæ, componendæque controverſiæ operam dedêre, ſed ad æquas conditiones adduci Cabrera nuſquàm potuit, qui ſe Neapolitanis auxiliis fretum in mediâ Urbe Ateſtinum ipſum comprehenſurum, ac Neapolim deducturum jactabat.

Intereà Pontifex ut ne prælium in ipsâ Urbe Gallos inter, & Hiſpanos fieret, rem cujus causâ Cabrera Romam venerat, prolatabat, ita ut controverſiæ quæ inter hunc, & Cardinales Ateſtinum, Grimaldum, & Valancæum intercederet, nuntius in Galliam pervenerit, quò haud mediocriter perturbatus Mazarini animus fuit: non enim exiſtimabat Ateſtini Cardinalis, Grimaldi, atque Valancæi opes Hiſpanorum opibus propter Agri Neapolitani vicinitatem Romæ pares fore, ex quo his magnam armatorum multitudinem evocare copia eſſet: eò Ateſtinum quavis arte, atque ſolertiâ hanc effugiſſe controverſiam maluiſſet; hæc enim quæ conſilia de bello in Italia, aliter, quàm antehàc gerendo ceperat, perturbatura videbatur, qui videlicet id ab mediterraneis regionibus, ad maris oram transferre decreverat, haud longè ab Agro Romano, quem tamen attingi nolebat, tametſi vicinitatem noſtram Pontifici formidoloſam eſſe ſatis placeret, quò æquior Regi, atque ipſimet Mazarino poſthàc foret. Grimaldus qui Mazarini conſilia de bello Italico ſatis noverat, jam equitatum ſi quà fieri poſſet, ad *a* Voltumnæ fanum mitti poſtulabat, atque de hoc oppido in quo nullum præſidium erat, occupando cogitabat. Mazarinus verò augendas magis quò ituræ erant Regis copias, quàm minuendas eſſe cenſebat, autorque erat Grimaldo, uti quantùm poſſet

a Viterbe.

equitum

equitum, peditumque Romæ ſcriberet, quem unum ex his turbis fructum Gallia capere poſſe videretur, cùm earum ſpecie milites cogere, atque in ipſa Urbe habere liceret. 1646.

Tandem Cabrera cujus rei gratiâ venerat, hanc patraturus equo vectus, ac magno, atque egregio equitum numero comitatus ad Pontificis venit ædes, atque in Conſiſtorio Chriſtianum de quo memoravimus obſequium Hiſpaniæ Regis verbis Pontifici detulit, dein ad convivium deductus eſt, ipſi Pontifici, atque Legato in eodem Conclavi, cæterùm in ſua cuique menſâ de more apparatum. Cùm intereà Cardinales apud Lantium, is Cardinalium Collegii Princeps fuit (Decanum appellant) conſilium habuêre, utrùm Cabreræ ſui viſendi poteſtatem facerent, metuentes videlicet ut ne id Ateſtino fraudi foret, quem ſe viſurum negaverat: prætereà cùm Cardinalium ædes variis Urbis regionibus poſitæ eſſent, vix ad eas adire poterat, quin in Ateſtinum, ac cæteros qui unà cum eo per Urbem ire tùm ſolebant, incideret, quod ſine pugnâ fieri minimè poterat: eò Cabreræ ſignificandum duxère, nihil eſſe quod iſthuc incommodi capere vellet, cùm id abſque turbarum, ac tumultûs periculo fieri non poſſet. Apud Pontificem etiamtùm erat, cùm id eſt ipſi ab Cappone Cardinali cæterorum verbis nuntiatum, neque tamen ab Cardinalium viſendorum conſilio deduci potuit. Igitur poſtridiè ad Lantium Decanum viſens iit, ab cujus ædibus ubi egrediebatur, nuntiatum eſt Ateſtinum ire per Urbem, atque unà Valancæum, Grimaldum, ac Theodolum Cardinales, magnam comitari armatorum manum, ac brevì prælium futurum videri. Bipartitò qui cum Cabrera fuêre procedebant, armaque expediebant: noviſſimum agmen rheda Legati ornatiſſima ſubſequebatur, dein aliæ longo ordine plenæ Nobilitate Hiſpanicâ, atque Neapolitanâ cum armis. Ubi ad proximam devenêre plateam, plebes quæ ad hujus rei famam ſicuti ad ſpectaculum ex adverſo concurrebat, Cabreræ ſatellitibus hoſtilem metum fecit. In hanc nihil ſatis exploratâ re glandem ſclopeto emiſit è Cabreræ ſatellitio quidam, ab cæteris ſicuti ſigno dato idem factum tàm temerè, atque inconſultè, ut emiſſis glandibus ſuos ferirent, necarentque, quorum caſu cæteri ſicuti ab hoſtibus qui nulli aderant, patrata ea cædes eſſet, perterriti diffugêre, ipſe Legati rhedarius omiſſis habenis, equiſque dilapſus eſt. Cabrera in eo tumultu deſertus ab iis, quorum virtute ſeſe munitum confidebat, neque progredi, neque regredi poſſe, donec qui in proximâ rhedâ erant Hiſpani, atque Neapolitani nobiles exſcendêre, atque hominem diſtrictis gladiis circumſtetêre: quæ ſecutæ primùm fuerant rhedæ cæteræ, eæ inter tumultum quà copia fuerat, maturè diffugerant: ita Cabrera paucis comitantibus domum rediit, ac plebi ob inſolitam hanc diſtrictorum nequicquàm, ac micantium gladiorum faciem deridiculò fuit. Cùm ea res huic tàm fœdè eveniſſet, poſtremò fractus animo fuit in Pontificis poteſtate, qui hunc cum Ateſtino redegit in gratiam, eâ lege ut hunc, Valancæum, Theodolum, atque Grimaldum Cardinales inviſeret, & ubi in eos incideret, pro more ſiſteret rhedam, atque alia quæ ad humanitatem per-

1646. tinent, faceret. Ita ex eo negotio tantùm Gallis in Urbe acceſſit famæ, quantùm Hiſpanis deceſſit, qui Pontifice freti nobis Romæ ubique aliò victi injuriam ſe facere poſſe confidebant.

Ante biennium ab Bizantio navis ad Alexandriam tenebat curſum, quam una ex Ibraimi Turcorum Regis uxoribus, nam is plures habet, cum puero filio, cum Eunucho qui regio Gynecæo Præfectus fuerat, & cum aliis conſcenderat: hæc in Melitenſium Quinqueremes incidit, ab quibus eſt oppugnata, capta, atque Melitam abducta. Quod cum eſt Ibraimo nuntiatum, immane quantùm barbarus excanduit, Melitenſibus crudeliter minitans, atque intereà Chriſtianorum omnium qui in Imperii ſui finibus agitarent, cædem meditabatur, dein omnium Principum Chriſtianorum qui apud ſe eſſent, Legatos aut necare, aut in vincula conjicere decrevit, ni uxorem, filium, Eunuchum, ac cæteros captivos, prædamque ab Melitenſibus factam ſibi reſtuerent. At Purpurati, Baſſas ſeu Veſires appellant, hominem docuère iſthæc planè fieri non poſſe: quamobrem eò res rediit, uti bellum adversùm Melitenſes quantocyùs geri vellet, atque eâ gratiâ Claſſem adornari, copias ſcribi, atque alia neceſſaria fieri. Purpurati ubi Principis animum ad bellum tantoperè accenſum vident, hunc ab illius gerendi conſilio abducere ſe poſſe minimè ſunt arbitrati.

Sed difficile videbatur Melitam urbem oppugnare, in ſterili Inſula, quòſi exſcenſio fieret, nulla frumentandi copia, atque è longinquo navibus commeatus petendi, atque advehendi eſſent, cæterùm operibus, atque loci naturâ munitiſſimam, quam delecti ex omni Chriſtianorum nobilitate viri fortiſſimi, atque ſtrenuiſſimi defenſuri eſſent. Id Ibraimum docere viſum, atque Melitæ Inſulæ loco Cretam hujus menti objicere, quam Veneti poſſiderent multò viciniorem Inſulam, in Ægei maris faucibus poſitam. *Id cauſæ quamobrem adversùm hanc Inſulam Ibraimus bellum gereret juſtiſſimum fore, quod Melitenſes capta navi Turcicâ ad Cretam appuliſſent, atque eò prædam venum dediſſent, quæ etiamtùm in Inſula eſſet. Iſthæc tamen omnia diſſimulanda, atque apparandam Claſſem, & copias, ſicuti Melitam oppugnare conſilium eſſet, quò ab omni re imparatis Venetis Turci terribiliores Cretam advenirent.* Hi igitur feſtinare, parare, ac tandem ubi Claſſis adornata, atque copiæ paratæ erant, Ibraimus ab Venetis poſtulat, uti ſibi Canæam oppidum, portumque apud Cretam tradant, quò Claſſis ſtationem habere poſſit. Ibi verò Veneti ſenſêre Regis barbari fraudem, qui tergiverſantibus Canæam ipſi tradere, bellum cùm eâ cauſâ, tùm quod Melitenſibus & portuum ſuorum copiam fecerant, & eorum prædam commercati fuerant ſtatim intulit, & Canæam oppugnatum iit.

Sed Venetorum apud Bizantium Legatus, Bailum appellant, negabat ſedulò ſi Cretæ littora Melitenſes attigiſſent, id ipſis per Magiſtratus licuiſſe, aut hos id omninò ſciviſſe, ac multò minùs quidquam prædæ ab Melitenſibus in Inſula divenditum fuiſſe, atque adeò nihil adversùm fœdus feciſſe, cujus violati ſpecie bellum adversùm Venetos jure Ibraimus

gereret: ſi qui privatim adversùm fœdus quidquam admiſerint, in eos pro 1646.
rei gravitate animadverſuros. Bailo ſuffragabatur *a* Hayus Vanteletus *a* La Haye Vantelet.
Regis apud Bizantium Legatus, docebatque Turcos. *Eorum maximè intereſſe, uti quibus Principibus fœdus cum his intercederet, ii ab illorum armis intacti, inviolatique eſſent, ut ne fœdus ex lubidine, non ex fide colere viderentur, neque id ipſis ex commodo violare ullam religionem eſſe. Tantine Cretam Inſulam Ibraimo eſſe, ut hujus habendæ causâ fœderis cum Venetis violati famam nihili penderet? huic immenſum Imperium, quod integrâ cum amicis fide ſuſtentatum, quàm per ejus jacturam tantulâ Inſula auctum præſtaret. Quod Galliarum Regi cum Ibraimo intercedat fœdus, id eâdem fide, quam Venetus dederit, niti: quòd ſi eò ſolum, quòd illius fines ab Turcorum finibus longiùs abſint, inviolatum ſit, jam non hâc fide, ſed quod huic nocere difficile ſit, integrum eſſe. Nam quod Melitenſes portubus ſuis Venetos recepiſſe, illorum prædam emiſſe, atque adeò contra fœdus feciſſe Turci dictitent, cùm id ſi factum fuerit Veneti, publico conſilio, aut conſciis Magiſtratibus factum fuiſſe negent, nihil eſſe. Quod cum ita ſit in hoc omni negotio nihil ab Venetis diverſum Galliarum Regi eſſe, niſi quod Veneti Ibraimo viciniores, atque adeò hujus conſiliis opportuniores ſint. Eò Regem niti decere, quod Melitenſes adversùm Ibraimum hoſtiliter fecerint, id ut ne innoxiis Venetis obſit, atque Ibraimus quid æquum ſit dignoſcere, neque eâ causâ amicos labefactatos, aut his quidquam detractum velit.*

Sed hæc Hayus Vanteletus, aut alia hujuſcemodi barbaris fruſtrà narrabat: nihilo minùs enim anno proximo Canæam oppugnaverant, atque ad deditionem redegerant, & hoc anno Candiam caput Inſulæ terrâ, marique oppugnabant. Quamobrem Venetorum rogatu Reginæ viſum, Bizantium ad Ibraimum mittere, qui hortaretur uti bellum adversùm illos omittere vellet. Miſſus eſt eò Varenna ex Nobilium numero, quos in Regiâ Ordinarios appellant, quoniam adeſſe Regi ſolent, qui mandata domi, foriſque perferant. Huic ingenium ei quod dabatur negotio haud impar fuit, in quo tametſi Hayus Vanteletus Legatus ſedulò feciſſet pro Venetis omnia, tamen ſi ab homine eâ modò causâ miſſo de hoc ageretur denuò, eò barbarum id magis, ac magis Regi cordi eſſe exiſtimaturum, ac fortaſſe hujus honoris causâ facturum quidpiam, quod Venetis uſui foret: præterea Ibraimum qui antehàc ſegnis videbatur, vix diù ad belli curas, atque ſolicitudinem adjecturum animum credibile erat, ſed magis ſi ab amico, & potentiſſimo Rege de hoc adversùm Venetos omittendo rogaretur, huic fortè morem geſturum.

At in Ibraimo omnia quæ in majoribus impotentiſſimi dominatûs vitia, nullæ quæ in quibuſdam fuêre virtutes, aut potiùs virtutum imitamenta erant: ſimul otii, atque belli cupidus hujus laborem, & pericula Ducibus relinquebat, illius ſibi ſumebat voluptatem: ſi quid ab Ducibus foret offenſum, his mortem minabatur, quibus adeò aut ab hoſtibus, aut ab Principe ni vincerent, certa peſtis aderat, quâ neceſſitudine nihil ad victoriam efficacius eſt. Igitur nihilò plus apud Ibraimum Varenna, quàm antehàc Hayus Vanteletus valuit, neque profuit quidquam aut amicitiam, aut fœderis quod ipſi cum Venetis intercedebat, religionem

1646. narrare homini, cui neque fides, neque jus, cuncta in voluptate, & lubidine poſita erant. Poſtquàm id fruſtrà fuit, Rex Venetos & pecuniâ, tametſi ob continua bella noſtra hujus penuria in ærario eſſet, benignè juvit, & ut milites, naveſque in Galliâ conducerent, quanquàm nec ſolita nobis earum rerum eſſet copia, poteſtatem fecit, neque major aliorum quàm Gallorum numerus in eorum exercitibus fuit: hi ſeſe objectare periculis, atque omnes fermè res aſperas agere: duces habuêre & genere, & virtute clariſſimos: ſed iis plerique Veneti rem nullam, aut tenuem domi eſſe credidère, quæ ſi aliquanta eſſet, animum inducere nequibant eos longinquam militiam exiguâ mercede ſecuturos, ignari nova, inuſitata, ac difficilia placere Gallis, neque his ſtipendium, ſed gloriam pro mercede eſſe.

Quidquid Galli cùm publico conſilio, tùm privato pro Venetis facerent, fuêre tamen qui dictitarent, nos tantam hanc tempeſtatem adversùm illos excitaſſe, ut hâc agitati ſeſe Hiſpanis tuendæ Italiæ conjungere nequirent, in quâ bellum majori, quàm antehàc conatu gerere decreviſſemus. Præterea omnes Chriſtianarum Gentium apud Bizantium Legati ab Gallis navim Turcicam captam vulgavére, ſeu invidiâ, ac malevolentiâ in nos, ſeu Ibraimi iracundiam ab Venetis eò avertere ſtuduêre, quò vix nocitura videbatur, ab quâ ſententiâ ne ipſum quidem Venetorum Legatum alienum fuiſſe aiebant. Hûc accedebat quòd Ibraimi uxor ſe cum filio in manibus Gallorum captivam eſſe ſcripſerat. Neque primùm juvabat docere barbarum, *Melitenſem Militiam ex omnium Chriſtianarum Gentium viris nobilibus conflatam eſſe, qui ubi huic nomen dedêre, ibi verò hujus Militiæ Principi, Magnum Magiſtrum appellant, planè obnoxios eſſe: nihil igitur hanc omnem rem de navi Turcica capta ad Galliarum Regem attinere.* Poſtremò tamen vi veri victus in unos Melitenſes omnem iram converterat, quæ denique Purpuratorum arte in Venetos derivata fuerat. Sed non è re natâ Turci Cretæ potiundæ conſilium ceperant, nam ante ſeptennium *a* Harlaius Ceſius Comes Ludovici XIII. Regis apud Bizantium Legatus id eos etiamtùm moliri ad nos ſcripſerat, cui reſcriptum fuerat, uti Turcos ab hoc incæpto pro virili deterrere conaretur, quando his fœdus cum Venetis intercederet, ſin illis tanta belli adversùm Chriſtianos gerendi lubido eſſet, æquiùs id adversùm eos quibuſcum nullum ſibi fœdus eſſet, geſturos.

a De Harlay Comte de Ceſy.

Eâ tempeſtate Ludovicus octavum ætatis annum ingreſſus, eâ corporis valetudine, atque ingenii indole eſſe viſus, uti ſemotis mulieribus, quæ hujus pueritiæ curam uſque habuerant, hanc porrò viris committendi tempus adeſſe Regina mater decerneret. Digna res viſa Mazarino, cujus ſibi depoſceret principatum, cùm ad rem publicam videlicet pertinere videretur, ut ab ejus peritiſſimo ad hanc rectè gerendam inſtitueretur: ſed intereà dum hujus ediſcendæ diſciplinæ capax pueri ætas foret, huic regendæ Regina Carolum *b* Neovillam Villaregium delegit, quem Regis Gubernatorem de more appellavêre. Is genere clarus adoleſcentiam in militiâ, juventutem in Imperiis exegit,

b De Neuville, Marquis de Villeroy.

exercitus ductare, atque his etiam ante mandatum Tribunatum Equitum, quod uni modò, atque huic ſingulari virtuti tribuitur, præeſſe ſolitus. Qui litteras docere incipiebat, jam habebat Rex *a* Harduinum Perefixum Belmontium Abbatem, cui par generi virtus, doctrina verò ſuprà quàm erudiendo puero opus eſſet: ſed in eligendo proſpicitur in futurum, uti Rex major ætate quem de omni doctrinâ humanâ, divinâve conſulat, ſicuti plerúmque reſpublica monet, fidum, & ſcientem habeat. Chavignii uxori tunc cùm maximè Quatuorviratûs quem vir abdicaverat, recuperandi Mazarinus ſpem objecit, atque id eo factum aiebant, ut ne quod Villaregio deſtinaverat Munus, id Chavignius peteret, pudorque foret negare amico, omnibus ornamentis triennium jam, atque ampliùs ſpoliato. 1646.

a Hardoüin de Perefix, Abbé de Beaumont.

In Italiâ per hyemem Velada Marchio qui Mediolanenſem Agrum obtinebat, Vigevani Arcem, nam antehàc oppidum receperat, uno ſuprà trigeſimum poſtquàm oppugnare cœperat, die ad deditionem redegit. Id operæpretium antequàm Provinciâ alteri ab Philippo decretâ decederet, facere viſum: magno enim nobis uſui Vigevanum erat, quod longiùs in hoſtico ſitum magnam circumquàque regionem infeſtandi copiam præbebat. Veladæ ſucceſſit Bernardinus Fernandus Velaſcus Caſtiliæ Conteſtabilis, qui ubi primùm Mediolanum advênit, in belli apparatus omnis incubuit. Idem ab noſtris fiebat, veneratque intereà in Aulam Thomas Princeps, uti de rebus per proxima æſtiva gerendis cum Mazarino ageret, ſicuti ſuprà memoravimus. Sed his totam belli Italici rationem hoc anno commutare viſum, quod uſque adhuc in Subalpini, Montisferrati, & Mediolanenſis agrorum finibus geſtum fuerat, atque interdum in his vallibus, quæ ad mare Liguſticum vergunt, Linguas appellant, & ad Finalem Caſtellum Hiſpanorum maritimum. Sed tùm ad Hetruſci maris oram, quò Hiſpani & aliqua habent oppida, arceſque, maximam partem belli transferre placebat: prætereà Regis maximâ intereſſe videbatur, haud procul Româ oſtentare bellum, & quópiam figere pedem, undè Romanis hinc Neapoli, atque Siciliâ, indè Mediolanenſi agro circumſeptis, Hiſpanis quorum hæ terræ ſunt, morem in omnibus gerere, ac maximè in Pontificibus creandis neceſſitudo tolleretur. Jam Barberini magno affecti Regis beneficio erant, quibus Romæ multi clientes, alii præterea Cardinales Italici Galliæ ſtudebant, quæ ſi paulùm anniteretur, Romæ ſicuti aliò hoſtium potentiam infringeret.

Iſthæc Mazarino ſubjeciſſe Grimaldum Cardinalem aiebant hominem frugi, qui cum ſummâ probitate ſummum ingenium, ſummamque rerum humanarum peritiam, ac ſcientiam habet. Is tùm Romæ agitabat, apud Pontificem multus, frequenſque, ut hujus quantùm poſſet conſilia, ſenſuſque pernoſceret: quos ubi ab Galliâ planè alienos, atque Hiſpanis æquiores videt, poſtremò haud procul Româ Gallica arma oſtentanda eſſe decreverat, ac ſæpiùs ea de re ſcripſerat ad Mazarinum. Sed hic tametſi idem ſuadebat lubido animi, qui videli-

1646. cet Cardinalis Italicus eſt, cujuſmodi homines perpetua Pontificatûs cupido tenet, tamen diſſimulabat ſedulò, atque Grimaldi conſilia ſibi haud ſatis placere dictitabat: intereà tamen hujus litteras Reginæ, Gaſtoni, Condæo, atque aliis quos Regina de re publicâ in Conſilium adhibebat, recitandas curabat, ut ipſis probarentur, quod ex hujus ſententiâ evênit denique, ita ut unus modò Condæus ab ea diſſentiret.

Quæ Grimaldus ſuaderet, ea & nova, & factu difficilia eſſe dicebat, *bellum uſque benè, feliciterque geſtum, quoniam ab Pedemontio, & Montisferrati agro pacata utraque, & fertilis ſoli regione noſtri in agrum Mediolanenſem facile tranſierint, neque his difficiles ex propinquo fuerint commeatus, atque auxilia omnis generis, quæ ubi defuerint, aut ubi gravior inciderit res, ab tergo oppida valida receptum præbuiſſe. At nunc famam Galliæ, atque fortunam, ac ſi dîis placet omnem rem publicam maris caſibus permitti: longinquum ſumi bellum, in quo cuncta plane incerta ſint, ſcilicet quæ ab re omnium incertiſſima pendeant, ab mari videlicet, ventiſque, qui ſi in eundo, aut redeundo, aut ſubvehendis commeatibus adverſi fuerint, maximum ſit accipiendum incommodum, ac fortaſſe omninò pereundum. Ad hoc duplicari ſumptum in id bellum, quod terra, marique gerere neceſſe ſit.* Nihilo ſeciùs bellum ſicuti Grimaldus ſuadebat, faciundum decernitur: Claſſis diligenter adornatur: ab Oceano Maſſiliam complures accerſitæ naves: Quinqueremes inſtruuntur: Thomas Princeps uti cum omni exercitu naves conſcendat parat ſe: Armandus Maillæus Brezæus rei navali Præfectus poſtpaulò in Provinciam advênit, qui Claſſem duceret, prorsùs omnia magno apparantur ſtudio. Mazarinum ferunt tunc Neapolitanum Regnum Thomæ Principi oſtentaſſe, quod huic Rex armis quæſitum vellet, ſi hujus operâ quæ ad Etruſcum littus faciunda erant, ea proſperè evenirent, ac deindè Regnum illud invadere, atque eo potiri copia foret, quod quidem volentibus propè omnibus qui id incolunt, fieri poſſe videbatur, nam Hiſpanorum Imperii jamdiù pertæſis.

Non minore ſtudio, atque diligentiâ quæ ad bellum Belgicum pertinebant, ea parabantur, neque id minori curæ Mazarino fuit: nam Galliam propiùs, ac propè in Urbis conſpectu gerebatur. Gaſſio hybernis in Belgio præfuerat, quæ non de more aliorum in otio vir impiger exegerat, ſed Meneni, atque Arméntariæ utrique ad Legiam oppido muniendis, cæterùm ad hoſtium præſidia de improviſo accedere ſolitus, qui obvii forent, partim cædere, alios fugare, prædas agere, implere omnia tumultu, atque terrore. Erant in propinquo ad Scaldim Caroli Lotharingiæ quondam Ducis copiæ, præterea aliæ Brugas inter, & Dunkercam, quæ oppidis hoſtium maritimis præſidio eſſent: hæ utræque peſſimè ſæpiùs ab Gaſſione habitæ, neque profuit iis, quod Scaldis, aut alii hinc inde amnes, aut foſſæ intercedebant, nam virtus omnia ſuperabat. Is igitur quoniam de hoſte plurimùm cognoverat, Liencurium unius diei itinere ab Urbe eſt accerſitus, ut ne diù ab hybernis abeſſet: eódem Gaſto, atque Mazarinus venêre, uti quid proximis æſtivis optimum factu foret inter ſe conſultarent. Ubi ad Urbem hi rediêre Flan-

dria Gaſtoni cum exercitu provincia hoc anno decreta, Angianus ad Campaniæ, & Picardiæ fines exercitum habere juſſus, quò partem hoſtium ab Gaſtone ad ſe verteret, cui ubi res moneret, conjungeretur, atque huic ſicuti Legatus foret: Rex, Regina mater, atque omnis Aula ad Ambianos uſquè procederet, atque eò magnam partem æſtivorum agitaret, uti Gaſtoni cuncta magis ex propinquo ſuppeditari poſſent, & ſi quid Rege, atque Reginâ matre conſultis opus eſſet, id maturiùs fieret. 1646.

Ubi ſe omnis Aula ad profectionem accingebat, Chavignius qui ſe Mazarino inviſum exiſtimaret, rationem iniit, quò ſe ab Aula ſine offenſâ ſubduceret: hominem adit, poſtulat ut ejus voluntate ſibi in Provinciam tantiſper abire copia ſit: eò ſibi prædia eſſe, quæ nondum inſpexerit, præthereà Antipolim cui ab Rege Præfectus fuerit: ſi uſui Mazarino in Aulâ ſe eſſe ſentiret, manſurum, ejuſque commodis magis, quàm ſuis ſerviturum. Mazarinus gratias agere, neque velle uti ſuâ causâ rei familiaris curam omittat: optare ut hæc profectio huic benè, atque feliciter eveniat: præthereà Michaëlem fratrem monuit, qui apud Aquas Sextias agitabat, urbis, atque Diœceſis Archiepiſcopus, uti Chavignio eò advenienti obviam honoris causâ procederet, exciperet hoſpitio, atque accuratè haberet. Id ab Archiepiſcopo ex Mazarini ſententiâ factum, Chavignio Aquas Sextias adventanti venit obviam: at venit & [a] Ludovicus Valeſius Aletzius Comes vir Princeps, cui dudùm Provincia Chavignii operâ data fuerat: huic igitur vetus cum Valeſio intercedebat neceſſitudo, & familiaritas, multis de cauſis, ac tanto maximè beneficio conſtituta. Id in ſpeciem Chavignio cauſæ fuit, ut apud Valeſium potiùs diverteret, cæterùm hominis Mazarino tàm propinqui, quem ſibi inimicum eſſe credebat, hoſpitium eſt averſatus: prætereà id vitii Chavignio eſt, uti ſi quis ipſi minùs probatur, ejus neque gratiâ, neque potentiâ, ut hunc colere, aut id certè ſimulare velit, adduci poſſit.

[a] Loüis de Valois, Comte d'Aletz.

Ubi Rex ad Ambianos profectionem adornabat, ſeque haud procul ab exercitu futurum reſciverat, jam ornari militariter, & equo vehi geſtiebat: primùm Compendium ad Eſiam amnem, dein Ambianos venit. Neque hoſtes fallebat regionem Flandriæ maritimam peti: quamobrem foſſam aliquo intervallo alteri foſſæ præduxerant, quæ dudùm facta ab Dunkercâ ad Bergam Fani-Vinoci pertinet, multaque ad utramque foſſam præſidia diſpoſuerant, & cæteras copias Neoportum, & Brugas versùs collocaverant, quæ omnis regio ad mare poſita propter humilitatem amnibus crebris, rivis, foſſis interrupta difficiles ab omni parte aditus habet.

Sed in Belgio dùm bellum adhuc apparatur magis, quàm geritur, intereà loci Brezæus in Provinciæ portubus adornatâ claſſe, cum triginta quinque majoribus quæ velis agerentur navibus, minoribus quas Tartanas appellant, & vectoriis navigiis probè armatis, inſtructiſque ſeptuaginta, Quinqueremibus decem, ad uſque Vada in mare Liguſ-

1646. ticum proceſſit: Quinqueremes reliquæ nondùm erant inſtructæ, nequedùm aliæ ab Oceano accerſitæ naves advenerant. Ubi apud Vada claſſem adeſſe Thomæ Principi eſt nuntiatum, ſubitò copias quæ circùm Cebam oppidum ſtativa habuerant, eò properare jubet. Bipartitò iêre: haud procul Cengio, quod Caſtellum hoſtes tenebant, illis iter erat, quod infeſtum tormentis facere conati, nihil tamen cædis edidêre: primum agmen ad Vada nihil in itinere moratum pervenit, noviſſimum ad Altare reſtitit, ne quid hoſtes impedimenta, commeatum, atque alia quæ uſui ſunt navigantibus compluria in naves inferentibus noſtris, atque eas conſcendentibus tumultûs facerent: noviſſimum agmen ſine ſarcinis, atque expeditum id minùs metuebat. Ubi Thomas adventabat, Brezæus Vada appulſus hunc eò inviſit, dein comportatis in naves omnibus, ambo Prætoriam conſcendêre: deinde in conſpectu Genuæ claſſem tantiſper attinuit tranquillitas, quam tempeſtas conſecuta quatriduum jactavit naves, quæ poſtremò Stephani, Salinarum, & Telamonis portus tenuêre, atque eò copiæ ſunt expoſitæ.

Hæc ad Herculis Promontorium loca poſita ſunt, quà ad Occidentem vergit: ad Orientem Herculis portus eſt. Promontorium ipſum editum, quod Argentarium novo nomine appellant: in ſummo planities frequenteſque rivi ſunt. Id ab Oriente maris ſinus ſuprà Herculis portum, ab Occidente lacus ſuprà Stephani portum propè ab continenti disjungit: nam tenui modò iſthmo lacum inter, & ſinum aditur. In ipſo lacu Orbitellum eſt oppidum, ad quod unicus ab terrâ eſt aditus, cæterà lacu cingitur, is minorum modò navigiorum patiens, majora humilitas aquæ ab mari intrare prohibet: hæc omnis regio ab Telamone ad Conſam Hiſpanorum eſt, eò dudùm ab his occupata, uti firma ab Hiſpaniâ ad Neapolim, aut in Siciliam navigantibus ſtatio ſit, quam ipſis adimere Mazarinus ſtudebat, cùm ut hæc nobis eadem ſtatio eſſet, ſicubi Neapoli, aut Siciliæ bellum inferre conſilium foret, tùm ut acerbiſſimam Pontifici, ac finitimis aliis Principibus demeremus neceſſitudinem, Hiſpanis quæcunque velint obſequendi, quod quidem horum vicinitate facere coguntur.

Herculis Promontorium haud procul ab ipsâ urbe Româ poſitum eſt, ſed Ferdinandi Etruriæ Principis fines propiùs, qui cùm Senenſem Agrum Hiſpaniæ Regi clientarem habeat, viſum eſt ad eum mittere, qui doceret huic ex bello quod Rex in propinquo geſturus eſſet, magnum fructum capiundi copiam eſſe. Is fuit Joannes Bentivolius Abbas, qui primùm Ferdinando ſuadere conatus eſt, ut in hujus belli ſocietatem cum Rege venire vellet, magnam ex eâ re mercedem oſtentans: cæterùm ſi id ipſi minùs placeret Hiſpanorum verecundiâ, ſatis habiturum Regem, ſi per Etruſci Agri fines copiis ſuis tranſeundi copiam Ferdinandus faceret, populares ſuos ad caſtra Gallorum commeatus ſupportare ſineret, ac denique his commercandi in oppidis ſuis, agriſque poteſtatem faceret. Prætereà Bentivolius Ferdinandum Regis verbis hortatus eſt, ut honoris ſui causâ Barberinos inſectari Romæ

deſineret

deſineret, ſed magis ſecum in gratiam reductos vellet, quod quidem huic atque Reginæ matri futurum eſſet gratiſſimum, ac fortè poſthàc nonnulli uſui ipſimet Ferdinando. Poſtremò Bentivolius graviter expoſtulare apud hunc juſſus eſt, quòd nimis accuratè, ac liberaliter Vindocinum profugum, atque exulantem apud Florentiam Etruſcorum habuiſſet, quem cædis in Mazarinum paratæ Belfortio filio conſcium fuiſſe nemo propè dubitet, & quòd hujus rogatu, cùm ipſe tùm Joannes Carolus Cardinalis frater apud Pontificem egerant, perfecerantque, uti Belputeus ejuſdem cædis paratæ manifeſtus Romæ eſſet in tuto, nec Regi poſtulanti traderetur, in quem de tam atroci crimine jure agi poſſet. Iſthæc ſi Ferdinandus, & Joannes Carolus Cardinalis frater corrigere, atque hoc pacto Regis benevolentiam promereri animum inducerent, id huic fore jucundiſſimum. Bentivolius ſaltem pervicit, ut amicè omnia Gallis circùm Orbitellum caſtra habentibus Ferdinandus præbita vellet, ac per fines ſuos Regis copias pedites, equiteſve ſingulos pluresve commeare, & quæ ad cultum, victumque neceſſaria eſſent, commercari pateretur. 1646.

Aſt ubi Romæ Gallos haud procul abeſſe nuntiatum, non minùs eâ re perculſus Pontificis animus eſt, quàm olim Romani, cùm his idem nuntius adferebatur. Pontifici tamen nonnihil ſpei fuiſſe aiunt in Principe Thomâ, qui noſtris Imperator erat: ſeu hunc parùm felicem exiſtimabat, ſeu Sanctæ Sedis, ſuique ſtudioſum: ſeu denique hunc diverſa ab Mazarino conſilia habere poſſe judicaret. Cæterùm Pontifex feſtinare, parare, perindè agere denique, ac ſi res ſua potiſſimùm in diſcrimen caſura eſſet. Ubi primùm in Provinciâ Claſſem apparari reſciverat, cum Ricardo Marchione Ferdinandi Etruriæ Ducis Legato perpetuò egerat, ut hic ſecum, & cum Venetis fœdus facere vellet, tuendis terrâ, marique adversùm Gallos Italiæ finibus: eódem & tendebat Odoardus Parmæ Dux Mazarino, ac Barberinis infenſiſſimus, tametſi Galliæ ſe amiciſſimum eſſe dictitaret. Sed Veneti bello Turcico implicati neque Gallis, neque Hiſpanis ægrè facere audebant, amborum, atque omnium Chriſtianorum Principum auxiliis egentes. Solicitos tamen eos habebat Gallorum in Etruſco mari incæptum, nec ab fœdere ſi ab Turcis ſibi otium eſſet, abhorrebant. Ferdinandus verò non ſe Gallorum armis peti ſatis intelligebat, & quamvis Senenſis fœderis legibus Hiſpanos juvare teneretur tuendo Mediolanenſi agro, ac fortè iſthuc & ad Etruſci littoris oram pertinere vellent, cùm tamen hi ceſſarent, neque eò quidquam copiarum miſiſſent, haud ſatis æquum ipſi videbatur, cujus in partem rei venire deberet, eam ſe unum ſuſcipere adversùm tantas Regis opes, quibus longè impar futurus eſſet: eò facile ab Bentivolio adductus eſt, ut intactis finibus ſuis Regem quæ Hiſpanorum erant, ea oppugnare fineret, ſicuti ſuprà diximus.

Sed ubi per Ricardum cum Pontifice Ferdinandus antehàc agebat, multò ante providens quid utrique ab Gallis periculi immineret, huic ſuadere conatus fuerat, uti cum Rege rediret in gratiam, ac Mazarinò

1646. de Cardinalatu quem Michaëli fratri petebat, animum expleret: ſed tanta Pontifici pertinacia fuit, ut ad hæc adduci nequiverit. Jam ante regiæ Claſſis adventum delectum in Urbe, atque in omni agro Pontificio habuerat: ſed tùm quas coëgerat copias ad Voltumnæ fanum convenire jubet, quibus Fridericum Sabellicum præficit. Apud Neapolim Prorex Rodericus Ponſeleonus Arcoſius Dux mari quinqueremes, terrâ copias parabat, quas partim in Inſubres, ſeu Mediolanenſem Agrum, alias ad Herculis portum adversùm Gallos mitteret. Sed Pontifex ob Gallorum vicinitatem dubius, atque anxius erat, quid Arcoſio reſponderet, petenti ut ejus voluntate equitatum per Agrum Eccleſiaſticum, in Mediolanenſem mittere liceret, ſcilicet metuens ut ne id ſibi apud Gallos tum vicinos fraudi foret. Itaque Arcoſio neque concedere, neque negare audere, ac malle id ſicuti ſe invito ab illo fieri.

Thomas exſcenſione ſicuti diximus factâ, primùm ad Salinas Caſtellum poſitum, dein Telamonem, atque aliud ad Stephani portum Caſtellum ad deditionem redegit. In hoc plus negotii fuit, quoniam qui id defenſabant, egregiè propugnavêre: neque priùs fecêre deditionem, quàm admotis grandioribus navibus, quas remulco ab actuariis trahi neceſſe fuit, harum tormenta tantam in Caſtello edidêre ſtragem, ut his quaſſatæ, ac disjectæ munitiones fuerint, labefactata, ac diſrupta quæ in eo erant tormenta omnia, ac denique qui Caſtello Præfectus erat, is miſsâ ab illis pilâ ictus occubuerit.

Poſtquàm hæc loca in poteſtate noſtrorum fuêre, tùm ad Orbitellum eſt itum. Sed Thomam hæſiſſe ferunt, utrum priùs Herculis portum oppugnaret, quò ab Neapoli Hiſpanorum auxilia advehi neceſſe erat: quæ ſi facultas ipſis adimeretur, ac prætereà Philippi Caſtellum ad Iſthmum, quà Promontorium aditur, caperetur ab noſtris, Orbitellum ex omni parte circumcluſum, atque externis auxiliis prohibitum ſponte ſuâ videbatur occaſurum. Hujus conſilii, ac ſpei plenus Thomas quod certè rectiſſimum erat, mittit ad Brezæum, qui rem cum eo communicaret, atque eò neceſſe eſſe diceret, naves haud procul Herculis portu in anchoris ſtare, quod utrùm fieri poſſet Brezæum periclitari poſſe: hic continuò cum navium ducibus, atque rei navalis peritis conſilium habet, qui ſeu rei quæ quærebatur periculum fecerant, ſeu juvabat Thomæ conſilia diſturbare, naves propè Herculis portum ſtare in anchoris poſſe negavêre, cùm inopiâ aquæ, tùm quia ea illic fundi natura eſſet, ut hoc anchoræ retineri non poſſent, quod tamen falſum fuiſſe mox Hiſpanicæ naves docuêre, quæ in hoc fundo milites Portum Herculis advehentes jactis anchoris præclarè ſtetêre. Daugnionum Comitem qui in Re navali Brezæo Legatus fuit, cuique hic fidebat maximè, incertum quam ob cauſam, Thomam hoc commento ab Portu Herculis oppugnando deterruiſſe ferunt: cæterùm illi vaſtus ſuprà fortunam animus, varius, inquies, ſuæ magis, quam rei publicæ ſtudioſus.

Igitur Thomas ad Orbitellum denique oppugnandum adjecit ani-

mum, ipſe ex unâ parte, aliâ Brezæus curabat: ad propugnacula continuò foſſæ ductæ, turres exſtructæ: quâ parte ab Herculis portu commeatus ſupportari, aut milites introduci poterant, eâ Caſtellum ædificatum, & ſex tormenta locata. Erant in hoc exercitu Caſtrorum Præfecti, Barrius Santaunesſius, Ludovicus *a* Dubledus Vxellus Marchio, ac *b* Refugius: aciei Inſtructores Navaillius, Tillius, & Siron: prætereà Daugnionus cum aliquanto Claſſiariorum numero Orbitelli oppugnationi ſicuti Caſtrorum Præfectus operam dedit. Sed Carolus *c* Gatta quem Arcoſius ad Etruſci maris tuenda oppida miſerat cum Legati titulo, vir magnâ rei militaris ſcientiâ, ac rerum geſtarum famâ haud ſegniter propugnabat, crebris eruptionibus noſtrorum opera morabatur, prætereà & ipſe foſſas ad noſtros versùm ducebat, ſicut & hos ipſe viciſſim oppugnare vellet, neque quidquam omnium quod ad egregiam propugnationem pertineret, omittebat.

1646.

a Du Bled Marquis d'Vxelles.
b De Refuge.
Navaille.
Tilly.
c De la Gatte.

Inter hæc Arcoſius Dux quinqueremes ſeptemdecim armaverat, partim Neapolitanas, alias Siculas, quæ quadraginta lembis præſidio eſſent: hos primùm ad Centumcellas ſtationem habere, dein ubi opportunum eſſet, Portum Herculis qui haud procul abeſt, petere juſſerat: ſed illam ad Centumcellas ſtationem quinqueremes, atque aliæ naves Gallicæ grandiores anteceperant: quod ubi Hiſpanicis compertum eſt, Caietam è medio curſu rediêre. Rursùm quod palàm ſecùs ceſſerat, id clam, & noctu tentavêre: eâ gratiâ triginta quinque lembi cum myoparone uno altum tenuêre, ne in Gallicas inciderent naves. Sed hæ ab ſpeculatoriis monitæ ad Centumcellas obviam iêre hoſtibus, quos apud Alſium ſub Arcis quæ portum tuetur, mœnibus invenêre: hi ubi Gallicas quinqueremes conſpexêre, omiſſis lembis & omni quem vehebant commeatu, atque ſtipendio, ad terram confugêre, lembi omnes cum myoparone, & quæ his vehebantur, ea prædæ noſtris fuêre. Poſt paulò tamen quinqueremes Neapolitanæ, & Siculæ ſeptem commeatum, atque milites ſexcentos Portum Herculis advexêre, qui mox Orbitellum introducerentur. Tum quinqueremes Gallicæ Telamonem versùs fuêre, quæ Hiſpanicas redeuntes proſecutæ nullam earum aſſequi potuêre.

At Thomas, & Brezæus ad Orbitelli foſſam opera promoverant, atque ut indè cunicularios ad murum traducerent rationem inibant: eò exſtructus eſt muſculus, quem hoſtes igne facilè corrupêre, quoniam ex levi materiâ erat: ſed brevì ex firmiori materiâ refectus, atque longiùs productus eſt: quanto ſtudio ea res ab noſtris agebatur, tanto Hiſpani ut hæc illis fruſtrà eſſet, nitebantur. Intereà omnes undique naves Actuarias, atque alias omnis generis ex Italiâ, Hiſpaniâ, Siciliâ, Sardiniâ, in unum cogunt, quas ad Calarim fuiſſe per dimiſſas ſpeculatorias poſtridiè nuntiatum eſt. Eò Brezæus ab caſtris diſcedere coactus eſt, cum omni qui cum eo erat claſſiariorum numero, rem haudquaquàm Orbitelli oppugnationi opportunam. Igitur ubi Thomæ vale dixit, conſcensâ ſcaphâ ad Prætoriam contendit, quam ubi conſcen-

1646. dit, ſummâ plurimorum hominum vi anchora quæ rupibus fortè inhæſerat, indè extrahi nequivit, neque aliter moveri navis potuit, quàm præciſo ad quem anchora religata erat fune, rem ſicuti in Romanorum Signis, ubi ab terrâ quo fixa fuerant, refigi vix poterant, mali ominis viſam: quò quidam adducti ſunt, uti Brezæum ab prælio conſerendo deterrere vellent, navium numero longè Hiſpanis inferiorem: ſed mox advenit Montada, cum octo navibus: paulò ante quinqueremes duodecim ad cæteram claſſem acceſſerant quæ cum prioribus decem conjunctæ viginti duarum numerum efficiebant.

In Hiſpanica claſſe quinqueremes duodecim fuêre, queis Comes Linares præerat, naves grandiores viginti octo Hiſpanicæ, atque Dunkercicæ, omni Claſſi Prætor erat Dia Pimentellus: ſed mox advenêre ab Neapoli quinqueremes octodecim, cum ſexcentis militibus veteranis, ac Neapolitanis aliquot Nobilibus. Ab Sardiniâ ad Oglaſam Inſulam Claſſis Hiſpanica curſum fecerat, ac XVIII. Calend. Quintiles ad Telamonis oram propiùs terram viſa eſt. Gallica ante Herculis ſtabat promontorium, quæ ſtatim Brezæi juſſu, atque exemplo ſublatis anchoris longo ordine ab littore ad altum mare versùs explicata ad hoſtes ire properat: adjuvabat lenis ab terra ventus, qui ſubitò cecidit, magnaque inceſſit tranquillitas: at non eadem hoſtibus fuit, quibus ab Telamonis orâ, ſcilicet undequâque apertâ ventus, motuſque decurrentium in mare fluminum uſui fuit, ut ad noſtros accederent. Brezæus ut ne deficiente vento ceſſare videretur, grandiores quæ velis modò aguntur, naves ab actuariis ad hoſtes versùm remulco trahi jubet, tanta pugnandi lubido erat. Ita grandioribus navibus ſingulæ quinqueremes, aut alia actuaria navigia præſtò fuêre, præter lembos ſuos, ſcaphaſque. Idem ab hoſtibus ordo ſervatus, ſed quoniam plures habebant quinqueremes, quatuor Prætoriæ Navi aderant. Ab dextrâ Brezæi ſeu Prætoriæ Viceprætoria navis fuit, cui Daugnionus rei navalis Propræfectus præerat, ab ſiniſtrâ Contraprætoria, cui præerat Montignius. Brezæus hoſtes cominùs pugnaturos exiſtimabat, juſſeratque ut ne tormentis niſi ex propinquo pilæ mitterentur. Sed ubi videt rem eminùs modò ab his geri, ipſe ſummâ remorum vi properat ad eorum Prætoriam accedere, cúmque propiùs eſſet, huic latus præbet, ex quo emiſſæ ſubitò tormentis pilæ magnam apud hoſtes fecêre ſtragem: his ictus eorum Prætoriæ Malus major corruit, cum regio Hiſpaniæ quod in ſummo erat, inſigni: ſimul armamenta quæ ad Malum pertinebant, corruêre, ita ut nihil poſteà ſatis commodè adminiſtrari in hac navi poſſet, atque huic ſubvenire neceſſe eſſet, quod eſt ab quinqueremibus quæ huic aderant, factum, atque ab aliis proximis navibus.

In Prætoria vero noſtra tormentum unum vi pulveris diſruptum ſub navis conſtrato hujus partem ita diſiecit, uti Brezæus qui ſuperſtabat, vix conſiſtere potuerit, quin præceps daretur in mare. Sed quantò propiùs periculum fuerat, tantò lætior fuit, nam defunctum ſe credens eò quòd anteà Chaldææ artis periti prædixerant, fore ut eâ die in magnum

vitæ diſcrimen veniret, quod denique advênit. Prætoria hoſtium ex Mali, atque Armamentorum caſu ad pugnandum inhabilis, ſimul alia haud minùs labefactata, cæteraque horum Claſſis abſcedebat, atque hanc Brezæus impigrè proſequebatur, cum ex hac emiſſa pila utrumque hujus femur ab cætero corpore divulſum miſerè laceravit, ita egregius adoleſcens haud dubiè victor occubuit. Ibi verò Daugnionus, conſcenſâ Prætoriâ, hoſtium Claſſem porrò proſecutus eſt: ſed ex Brezæi morte dolor, ab cujus benevolentiâ, liberalitate, ac munificentiâ multa conſecutus erat ornamenta; prætereà rei ſuæ poſt hunc caſum conſtabiliendæ conſilium, ſtudiumque animum ad hanc ab re publicâ avertit. Ceſſantibus noſtris hoſtes ponè Lilium Inſulam tantiſper reficiundis navibus operam dedêre: dein eumdem quem Gallica Claſſis tenuêre curſum, nullo operæpretio facto: poſtremò increbreſcente vento tanta tempeſtas eſt orta, uti naves omnes diſſipaverit. Intereà Gallica Claſſis in Provinciam rediit, cùm reficiundis navibus, tùm aquandi causâ, quod utrumque facere apud Liburnum facile fuiſſet. Sed Daugnioni conſilia, ſtudiaque hominem aliò vocabant, Broagium videlicet, Arcem ad Oceanum Aquitanicum validiſſimam, cui Brezæus Præfectus fuerat, ipſe verò Propræfectus, quam Arcem ſibi retinere Daugnionus vel ipſo invito Rege cogitabat. 1646.

Cæterùm Armandus Maillæus Brezæus ingens animi, corpore puſillus, atque ad omnia præterquàm ad laceſſendum hoſtem tardior fuit, quem ſcilicet ab anno CIↃ. IↃC. XLII. quò Præfecturam rei navalis gerere cœperat, princeps in Prætoria ſuâ perpetuò ubi primùm fuit in conſpectu eſt adortus, Prætoriam hoſtilem petens, nihil ſolicitus utrùm numero, aut robore navium hoſtes præſtarent: nam has eamdem quam Prætoria fortunam habituras confidebat, ſeu fugeret, ſeu expugnaretur. Ita quotannis aliquâ inſigni victoriâ clarus fuit. Huic inerat munificentia ſuprà fortunam privatam, in domeſticos, in amicos, in ipſam quæ Angiani uxor erat, ſororem. Poſtremò is erat Brezæus, quem ad tantam fortunam nunquàm ſuopte ingenio perventurum fuiſſe diceres, at qui ab Richelio avunculo velut hæreditate relictam ita tueretur, ut & majore dignus videretur.

Primùm ad Chavignium qui Antipoli erat, de Brezæi cæde nuntius eſt allatus: de quò ſubitò Henricum Valeſium Aletſium fecit per litteras certiorem: hæ ab Curſore perlatæ ſunt celeriter, qui & de re eadem ad Michaëlem Mazarinum Chavignii litteras habebat: uterque apud Aquas Sextias commorabatur, hic Archiepiſcopus, ille ſicuti memoravimus qui Provinciam obtinebat. Aletſius quas Chavignius ad Archiepiſcopum dederat litteras, eas ab Curſore ſibi tradi jubet, ſcilicet ut ne illi redderentur, atque ipſe ad Condæum alium Curſorem properè mittit, cum litteris, quæ Brezæi mortem nuntiabant. Aletſius Angiano Condæi filio conſobrinus erat, cui adeò rei Navalis Præfecturam opimam & cum magno imperio mandari cupiebat. Hæc pridem Henrici Mommorantii avunculi fuerat, noviſſimè Brezæi qui Angiani uxoris frater erat,

1646. quæ utraque res viro Principi virtute, gratiâ, atque potentiâ, magniſque in rempublicam meritis valido quidpiam ad hunc ſibi Magiſtratum, aut Imperium expetendum juris dabat. Chavignius qui ſe ab Mazarino labefactatum, aut certè deſertum credebat, clàm Angiani, atque Condæi Patris fidem ſequi cœperat, neutrum tamen de Brezæi morte per litteras monere eſt auſus, maluitque ad Alteſium eâ de re ſcribere, atque unà ad Michaëlem Mazarinum, ut ne hanc alterum celaſſe voluiſſe videretur.

Senſit tamen Mazarinus fraudem, neque dubitavit Chavignii voluntate factum, ut ne ſuâs de Brezæi morte litteras aut Curſor, aut Aletſius Michaëli fratri redderet. Eò inter Mazarinum, & Chavignium crevêre ſimultates, nam quamdiù in Provincia fuerat, nihil ad illum dederat litterarum, Aquas Sextias adveniens Michaëlis fratris hoſpitium erat averſatus, ac poſtremò cùm è Provincia diſceſſurus eſſet, atque uti ſibi vale diceret, Michaëlem navi ad ſe Antipolim properare ſciret, priùs indè profectus fuerat, quàm alter adveniret. Chavignius negabat ſe in ſcribendo ceſſaſſe, verùm hoc officio erga Michaëlem quamdiù in Provincia fuerat functum, quod ampliùs atque acceptius Mazarino futurum credidiſſet: Michaëlis hoſpitio ſeſe uſurum fuiſſe, ni ſibi cum Aletſio vetus conſuetudo, & familiaritas, prætereà in Urbe vicinitas interceſſiſſet: poſtremò qui Provinciam obtineret, ei ab ſe Antipolis Præfecto morem geſtum oportuiſſe: ad ſe denique diſcedentem Antipoli Michaëlem venire planè neſciviſſe: ſed præter hæc, Daugnionum aiebant haud inconſulto Chavignio Broagium abiiſſe, ut id ſibi retineret: quæ res cùm ad rempublicam pertineret, idonea Mazarino viſa cujus ſpecie Chavignium comprehenſum, atque in cuſtodiam conjectum vellet. Id huic magnoperè ſuadebant Henricus Sannectarius, atque Almericus, qui Chavignium ſecundis in rebus ejus diligentiſſimè coluerant, atque obſervaverant, eidem tunc quia adverſæ erant, ex Aulæ ingenio iniquiſſimi. Obſtitêre alii multi, atque Mazarinum ab hoc conſilio deterruêre, *a* Claudius Auvrius Abbas ſingillatim, huic Cubiculi Magiſter, vir officii plenus in primis, qui patronum monuit plurima in eum Chavignii merita eſſe omnes arbitrari, quamobrem ſatius videri, ſi quam acceperat ab eo injuriam, ut eam diſſimularet, quàm quid gravius in eum conſulendo ingrati animi famam ſubiret, quæ homini rempublicam gerenti ſummoperè fugienda ſit, huic Mazarinum auſcultaſſe ferunt, atque tùm ſibi temperaſſe.

a L'Abbé Auvry, depuis Eveſque de Conſtance.

Mirum eſt quantùm in excitandis Sociis Civitatibus ad bellum hoc anno ſtrenuè gerendum laboratum ſit, tametſi Rex plus ipſis pecuniæ, quàm antehàc polliceretur. Miſſus eâ gratiâ ad Henricum Arauſium Rohanetus eſt, qui cùm eò quid utrimque faciundum eſſet conſultaret: ſed in eo præter rerum uſquè geſtarum famam, vix reliquum quidquam fuit, corpus infirmum, neque mens ſanior, quibus hominis ambitio ægrè ſuſtentabatur. Rohanetus Regis verbis hortabatur, uti Gandavum oppugnare vellet, validum, atque opulentum ad Scaldim, Legiamque amnes oppidum, quòd quidem Henricus difficile eſſe aiebat, propter mœ-

nium amplitudinem, atque amnes, qui caſtra interfluituri eſſent, quò major copiarum numerus tanto, ac tam vaſto incæpto neceſſarius foret. Rohanetus Gaſtonem cum regio exercitu, atque Angianum eò venturos dixit, atque his gratiſſimum fore Henrici virtutis ſpectatores, atque adjutores eſſe. Contrà hic Gandavi negotium unis Gallis utile futurum aiebat, ſibi Civitatum Sociarum commodis ſerviundum, quæ magis ſuaderent Antuerpas, quàm Gandavum oppugnare. Ibi Rohanetus alteram rem alteri proficuam fore & utramque fieri poſſe reſpondit, neque Arauſio defutura utrobique Gallorum auxilia: cæterùm neutrum horum factum eſt, Henrico in ſuâ ſententiâ de oppugnandis poſthabito Gandavo Antuerpis permanente, quod huic ſicuti poſteà videbimus fruſtrà fuit. 1646.

Sed apud noſmetipſos haud diſſimilis de eo quod optimum æſtivorum initio factu eſſet, controverſia fuit, Gaſtone Cameracum Rivieræ impulſu oppugnare volente, aliis verò Duacum, Tornacum, Baſſæam ſuadentibus, ac tandem autore Ramſavio ut ad Curtracum iretur decretum eſt. Rex ab Compendio ad Ambianos proceſſerat, atque omnes copiæ circùm Atrebates convenerant, quo & Angianus exercitum cui Imperator erat, adduxerat: hic ubi cum Gaſtonis exercitu conjunctus eſt, numerum triginta trium millium peditum, equitumque confecit: nequedùm quibuſdam Cohortibus advenerant ſupplementa: prætereà frequens nobilitas Gaſtonem, & Angianum comitabatur, gloriæ ut ferè fit avida, ac tantorum virorum autoritatem famamque ſecuta, ad hoc apud Regem Reginamque matrem, tùm apud Mazarinum maximè cujus arbitratu cuncta fiebant, gratiam inire ſtudens. Copiæ omnes V. Id. Junias ad Avendini pontem ière, quò & hoſtes tranſmiſſo Scaldi contendere velle viſi: nam in eo operæpretium erat, utri pontem antecaperent, quoniam hæc eſt loci natura uti ſi hunc hoſtes duûm millium præſidio tenuiſſent, noſtros tranſitu facilè arcere potuiſſent. Sed hi ante illos venerant, neque Avendini pontem modò occupaverant, verùm & ad Spinoyum ultrà progreſſi omni ſtudio depoſcebant pugnam: quod ubi hoſtes ſenſêre, converſo agmine ſubitò undè venerant rediêre, tranſmiſſoque iterum Scaldi, eò ſe amne adverſùm noſtrorum conſilia munivêre.

Gaſto ad Curtracum ſubitò flectit iter, & quartis caſtris cùm haud ita procul abeſſet oppido, equitatum præmittit, qui omnes inſideret vias, ut ne quid auxilii, aut commeatûs introduceretur. Caracena apud Ypras, circùmque quinque millia peditum, equitum duo millia in ſtativis habebat. Is ſuſpicatus Gaſtonem Curtracum oppugnare velle, tam opportunè Joannem Lipontium cum Cohorte unâ cui Tribunus ipſe erat, & Germanos ducentos eò miſit, uti ſimul hic oppidum ingrederetur, & equitatus ab Gaſtone præmiſſus circùm adventaret. Lipontio ab Caracenâ dati erant equites trecenti, uti peditibus quos ducebat tutius iter eſſet, ſed illi cum peditibus in oppidum ab noſtris compulſi ſunt. At ea res Gaſtonem nihil ab incœpto deterruit, qui poſtridiè ante oppidum po-

ralium Caſtrorum Præfectum, quatuor equitum alas, & Cohortes tres evocat, uti Gaſſio qui quâ parte agitabat, hoſti opportunior erat, ad primum hujus impetum excipiendum firmior, atque validior eſſet, ſi quid uti diei tempus erat, aut ante, aut per noctem incipere auderet. 1646.

Intereà Angianus, atque unà Gramontius Equitum Tribunus Ramſavium quem Gaſto uti de hoſtibus cognoſceret præmiſerat, ſubſecuti ſunt. Sed omni exploratâ re, hanc tùm quietam fore Ramſavius nuntiavit: nam hoſtibus acie decertare conſilium non eſſe, qui planitiem ab dextrâ deſeruiſſent, ut ad ſiniſtram loco naturâ munito ſeſe tenerent, quare clàm acturos, & auxilia in oppidum introducere conaturos videri. Gaſto tamen ſicut acie poſtridiè dimicandum foret, cuncta maturè providet, tormenta advehi jubet, atque in Angiani caſtris eam noctem milites craſtinæ ſpe pugnæ læti agitavêre: ut ne tamen ab oppugnatione noſtri tantiſper animum avertiſſe hoſtium adventu viderentur, totâ eâ nocte moliri, atque idoneis locis ante oppidum diſponere tormenta, quæ primâ luce mœnia quatere cæpêre. Sed hoſtes quod noſtros feciſſe antehàc æquius erat, totâ nocte muniverant caſtra: quod ubi eſt animadverſum, neque prælii, ſed diuturnioris conatûs eſſe rem, continuò & noſtri munire cæpêre. Caſtra hoſtium noſtris propè collata erant, adeò ut non modò tormentis utrimque, ſed & ſclopetis agi poſſet, quod ab neutris eſt omiſſum, cominùs factum nihil eſt. Poſtridie hoſtes Haërlebecam vicum ad Legiam infrà Curtracum occupavêre, atque munivêre: reliquum menſis quà opportunum viſum mutavêre caſtra, tormentis noſtra infeſtavêre, horum oppugnationem quandóque tentavêre, diſceſſum ſimulavêre, dein ex improviſo redeuntes foſſas caſtrorum aggere, atque virgultis implere conati ſunt; poſtremò ſibi, atque noſtris magnam attulere moleſtiam, neque tamen operæpretii quidquam fecêre: nam nihil intermiſſo oppugnandi labore, atque operibus, tametſi Lipontius eruptionibus, atque omni alio pacto egregiè propugnaret, nihilo ſeciùs tamen ubi ad oppidi foſſam perventum, atque Semilunâ quæ objecta erat captâ cunicularius ad murum oppidi eſt applicitus, ab Lipontio denique IV. Calend. Quintiles facta deditio eſt.

Curtracum oppidum erat civium multitudine magis, quàm operibus, & ſitu celebre: nam eò multi opifices lanificio dantes operam commorabantur: quòd ubi deditum Regi eſt, complures dilapſi ſolitudinem loco fecêre: cæterùm ubi Armentaria, & Menene ad Legiam amnem penes Regem fuêre, Hiſpani Curtraco metuentes id egregiè ab ultimis æſtivis muniverant. In media Flandria poſitum eſt, Legia oppidum in duas dividit partes, Gandavum, Ypræ, & Brugæ nobilia oppida haud procul ſunt, neque jam difficile videtur cum Sociarum Belgii Civitatum copiis noſtras ſicubi opus erit conjungere, atque alteros alteris auxilio eſſe. Hoc maximè conſilio Rex Curtracum, atque alia duo ad Legiam oppida ceperat, ratus ſcilicet nihil ad ſuam, & ad Sociarum Civitatum rem magis pertinere, quàm uti ſui utrique fines quàm propiores eſſent. Sed longè alia Sociis Civitatibus mens fuit, queis eò maximè potentia Gallorum

1646. ſuſpecta, vicinitas formidoloſa eſſe cœpit, & quos procul ſitos amicos habuerant, eos propiores factos penè hoſtium loco habere, Hiſpanos verò adversùm quos fœdus, & belli Societatem nobiſcum fecerant, quod eorum modò excidio deſinere debebat, ſibi quàm Ludovicum vicinos eſſe malle; poſtremò multa indicio eſſe, fœdus antehàc factum, atque nos Belgico bello implicitos voluiſſe, non uti devictis Hiſpanis (ſicuti convenerat) Belgium Rex, atque ipſæ ex fœdere poſſiderent, ſed uti noſtris viribus freti ad pacem ſecum ſanciundam (ſicuti ſupra diximus) Hiſpanos adigerent: quod certè per Regem licebat, modò ut idem nobiſcum fieret, neque aliter Sociæ Civitates cum Hiſpanis ſicuti fœdere cautum fuerat, pacem facerent.

Rohanetum antehàc ad Henricum Arauſium de Gandavo oppugnando miſſum diximus, qui hunc eò adducere nequiverat, ſed in ſuâ de oppugnandis Antuerpis ſententiâ permanſerat, ſi quid ipſi Rex auxilii præbere vellet. Sed eâdem de re ad hunc miſſus eſt Eſtrada, qui hominis ingenium jam diù noverat: cumque de Gandavo nihilo plus impetrare potuiſſet, poſtremò de Antuerpis huic Eſtrada morem geſſit, convenitque uti Rex tria equitum millia ad Brugarum foſſam mitteret, quò obviam miſſi ab Henrico equites noſtros acciperent, & ad hujus caſtra deducerent. Hic prætereà tria peditum millia poſtulabat, quorum ſpem quidem faciebat Eſtrada, ſed ſi fortè mitti non poſſent, nihilominùs Henricus ſe Antuerpas oppugnaturum recipiebat. Eſtrada eâ lege tria millia peditum pollicebatur, ſi apud Antuerpas Religionem Catholicam noſtram in eodem ſtatu quo tunc erat, permanere per Socias Civitates liceret, quod tametſi fœdere cautum antehàc fuerat ita futurum in omnibus locis quos ipſæ per id bellum occuparent in Belgio, tamen ab illis nuſquàm fuerat obſervatum, præ nimio Sectæ ſuæ ſtudio. Ita ſi Sociæ Civitates eâ de re fidem dare nollent, integrum Regi, aut Gaſtoni futurum erat, tria peditum millia ad Arauſium nuſquàm mittere, ſin de hac fidem darent, haud exiguam talis hujus auxilii mercedem, ac regiâ pietate digniſſimam Eſtrada pepigerat. Poſtremò ubi hæc Gaſtoni renuntiata, placuit morem Henrico gerere, atque huic equitum tria millia, ac totidem peditum duce Gramontio Equitum Tribuno tradere, quæ cum omni exercitu ipſe Gaſto deduxit ad Brugarum foſſam. Eò Guillelmus Henrici filius cum tribus equitum millibus venit, qui Gaſtoni patris verbis ſalutem dixit, gravem hominis & ætatem & valetudinem cauſſatus, quæ hunc eòdem venire prohibuiſſent. Guillelmum Gaſto cum Angiano, cæteriſque Ducibus de belli rebus in conſilium adhibuit, quod adoleſcenti perhonorificum fuit, dein unà cum Gramontio, & auxiliaribus Gallis ad patrem rediit. Nihildùm Henricus per hæc æſtiva incæperat, ſeu ſponte, propter ætatem, & valetudinem, ſeu Sociæ Civitates ad pacem, aut inducias plus æquo propenſæ quæ bello gerendo neceſſaria erant, eâ indiligentiùs huic ſuppeditabant. Certè Thuillerius Regis apud eas Legatus nihil in his auxihi futurum poſthàc continuò monebat, tantùm iis pacis, aut induciarum ſtudium erat. Id Æmilia

Solmia Henrici uxor magnoperè fovebat, ſeu ex ingenio mulierum viri conſiliis adverſa, ſeu muliebri indignatione, quòd hujus operâ Mazarinus apud virum huic quò vellet impellendo non uteretur, quem planè in ſuâ eſſe poteſtate credi volebat, atque ex eâ re ſibi ingentem quæſtum ſperabat acceſſurum. 1646.

Sed eunti ad Brugarum foſſam Gaſtoni hoſtes qui priores Legiam tranſierant, in Brugarum planitie obviam facti, ſicuti acie decertare vellent: aſt ubi noſtri contra inſtruxêre, illi Brugas maturè receſsêre, & ſub ipſis mœnibus conſtitêre: dein Carolus Lotharingiæ antehàc Dux quà noſtris reditus erat, ad Tieltem vicum poſuit caſtra: ſed ubi hos adventare nuntiatum rursùm Brugas abſceſſit, nihilò tùm ad pugnandum firmior, aut audacior. Gaſto priuſquàm Curtracum rediens adveniret, omnes copias uti ſtativa proximis ad Legiam locis haberent dimittit: nam & oppugnatione oppidi, & expeditione ob immodicos calores moleſtiſſimâ fatigatis quiete opus erat, quæ tamen haud diuturna fuit.

Dum hæc in Belgio geruntur, Thomas in Italia apud Orbitellum quæ ad oppugnationem oppidi pertinebant, ea faciebat ſedulò, neque tamen eveniebant ex ſententiâ: nam & Carolus Gatta, & qui in oppido unà erant, acriter eminùs, & cominùs eruptionibus propugnabant. Ad hoc poſt Claſſis noſtræ diſceſſum, hoſtes maris potiti clàm, & plerúmque noctu auxilia, & commeatum ſcaphis per lacum introducebant, nihil interdiù, atque palàm auſi, ſcilicet prohibentibus undequâque noſtris, ſed id parùm erat, neque eo pacto ſatis oppidum adjutabant. Itaque XIV. Calend. Quintiles viginti quinqueremes ab cæterâ Hiſpanicâ Claſſe dimiſſæ milites quingentos Portum Herculis advexêre, qui cum totidem Neapolitanis eódem antehàc advectis conjuncti quidpiam operæpretii facere decrevêre, quò ſuppetias oppido ita ferre poſſent, uti vix poſthàc expugnari, aut ad deditionem redigi poſſet.

Paulùm ſuprà Herculis portum, ad Iſthmum, quo ad Promontorium adiri memoravimus, Caſtellum Philippi de quo jam diximus poſitum eſt. Ex hoc Caſtello, atque ex Portu Herculis egreſſi hoſtes tripartitò ad proximos montes lacum versùs iêre: ædiculam quæ ad lacum poſita erat occupare, & munire velle videbantur, ut indè ſcaphas, & lembos in lacum immitterent, atque deinceps ad oppidum commearent. Eâ parte Caſtellum ab noſtris exſtructum fuerat, atque opportunis circùm locis cuſtodiæ habebantur: hæ ut ampliores atque firmiores eſſent, Navaillius eò cum ducentis militibus partim è ſuâ, aliis è quinqueremium Cohorte venire juſſus fuerat: qui ubi hoſtes montibus digredientes, atque ad ædiculam deſcendentes conſpicatur, centum & quinquaginta militibus omninò comitatus ipſis occurrit, quos haud procul ædiculâ adortus pedem referre cogit.

Biduò poſt animadverſum hoſtes Philippi Caſtello egreſſos ad Iſthmum iter intendere, qui mare inter, & lacum eſt, uti noſtros ab ædiculâ ſecluderent, atque eâ gratiâ munire in proximo monte: tùm noſtris montem alium ædiculæ propinquum occupare viſum, in quo pernocta-

1646. vêre. Cohors una erat quinqueremium videlicet, prætereà qui biduum cuſtodias agitaverant milites ducenti, eò manere ab Sirone qui his præerat juſſi: eòdem venit, manſitque Tillius, cum pari militum numero, qui in Sironis vicem ſuccedere debebat. Primâ luce hoſtes tormenta ad eâ quæ tenebant, ac muniebant loca advexiſſe eſt animadverſum: de quâ re continuò Thomam noſtri fecêre certiorem, quoniam pluribus, quàm quas habebant ad arcendum hoſtem, copiis indigebant. Thomas Barrium Santaunenſium Caſtrorum Præfectum qui in eo exercitu equitatui præerat, eò properè mille pedites, & paucos equites ducere jubet: unà iêre Crequius, *a* Buada Frontenacus Normannicæ Legionis Tribunus, atque Vicetribunus Franciſcus *b* Berardus Baro Crucæus. Ubi Santaunenſius advenit, hoſtes quadripartitò montem inſediſſe videt: in radicibus montis munire, in medio caſtellum exſtruere cœperant, quod maris oram proſpectabat, duo tormenta idoneis locis collocaverant, alterum quò maris oram noſtris infeſtam facerent, ut ne hâc ad ſe venire poſſent, alterum ut ædiculam defenderent: in orâ maris ſclopetarios quinquaginta inter ſaxa, rupeſque qui viarum anguſta adversùm advenientes noſtros defenderent, diſpoſuerant.

a De Buade Comte de Frontenac.
b De Berard Baron de la Croix de Bleré.

Ubi hæc ſatis explorata fuêre, bipartitò noſtri ad hoſtes iêre: Frontenacus è Normannicâ cujus Tribunus erat, Legione ſclopetarios decem deligit, qui duce haſtato initium pugnandi faciant, his Procenturionem cum triginta militibus, rursùm iis Centurionem cum quinquagintà, dein equites quindecim, præterea quod è Normannicâ Legione reliquum fuit, poſtremò Vxellanam Cohortem ſubſidio eſſe jubet: hi omnes adverſo colle ad hoſtes evadere properant. Parte aliâ Santaunenſius cum ſuâ, atque Vernateli Cohortibus, ac quindecim ex Crequii alâ equitibus, eodem ordine obliquo itinere ſubibat ad montem, ſicuti prohibiturus hoſtium fugam: qui ſubitò ut ne Herculis, & Philippi Caſtellis intercluderentur omiſſis quas incœperant munitionibus, caſtelloque, tormentis, omnique ad muniendum quem advexerant apparatu, abſceſsêre: Siron, & Tillius qui cum militibus ſuis, atque aliis ex quinqueremium, Lugdunenſi, & Provinciali Cohortibus, ad cuſtodiam montis manſerant, ſi quid fortè noſtris durius accidiſſet, poſtquàm horum adventu perterritos hoſtes abſcedere conſpicantur, tùm denique per colles acriter hos perſequi cœpêre: idem Crequius cum reliquâ alâ ſuâ facit: hoſtes conturbatis denique ordinibus capeſſunt fugam, pauci cæſi, trecenti, & quinquaginta capti. Dum hæc terrâ gerebantur, ab mari quinqueremes, atque aliæ hoſtium naves, quæ ex adverſo Telamonis, & Stephani portuum ſtabant, haud ceſſavêre noſtros tormentis territare, atque exſcenſionis metum facere, uti Thomæ conſilia, vireſque diſtraherent.

At huic ad oppugnationem oppidi nihil ſatis procedebat: muſculum quem in foſsâ ex firmiori materiâ refectum ſuprà diximus, ultrà promoveri hoſtes prohibebant ex tranſversâ quam in eadem foſsâ exſtruxerant munitione: ad hanc irrumpere ab muſculo milites juſſi primò aquam minùs quidem altam nacti limo tamen in fundo tenaci impediebantur,

dein ubi munitioni appropinquabant, altiorem aquam invenêre, quàm ut vado tranſiri poſſet, atque adeò cæſis, ac vulneratis aliquot ea res denique omiſſa. 1646.

Iterùm hoſtes majori quàm antehàc conatu, nam ad quatuor millia cùm ab navibus, tùm ab Herculis, & Philippi Caſtellis exierant, ad oppidum perrumpere tentavêre. Primùm majora ſexdecim quæ velis agebantur navigia Telamonis, & Stephani Caſtella, & quæ in utroque portu vectoriæ noſtrorum naves fuêre, eas tormentis infeſtavêre, queis aliæ depreſſæ, aliæ vulneratæ, dein noctu quadraginta omnino milites expoſuêre: hi in lacum vado progreſſi ſcaphis ab oppido miſſis excepti, atque adducti ſunt. Sed id exiguum erat auxilium, majora introducere conati hoſtes, ad quatuor millia montes ſicuti nuper haud procul lacu occupavêre, quibus perindè, atque antehàc ab noſtris pulſi ſunt: hi haud amplius mille fuêre, ſed Thomas ipſe, & cum eo Santaunenſius, & Refugius Caſtrorum Præfecti, Frontenacus, Dubledus Vxellus, Crequius, atque alii Tribuni duceſque aderant, quorum exemplo, atque hortationibus milites permoti rem naviter geſſere. Intereà Stephani Portum versùs Navaillius curabat, ut ne quid eà hoſtes in oppidum introducerent, ſicuti per lacum nuper fecerant: ex hoſtibus mille, pauci è noſtris cæſi, inter quos a Amedæus Caraïlus, & Valdiſera è Thomæ comitatu: nam quæ cum eo erat Sabaudica, & Subalpina Nobilitas, præterea cuſtodes corporis fortem Regi, atque illi operam in eo omni negotio navavêre. Refugius faciem, Frontenacus brachium, Crequius femur glandibus vulnerati: huic præterea duo quibus inſederat confoſſi equi: Centuriones, Procenturiones item vulnerati complures, nam hoſtes quos montes obſederant, iis non niſi maximâ vi depelli quivêre.

a Amedée Caraïle. Le Comte de Vald'Iſere.

Nihilò ſegniùs apud Orbitellum Carolus Gatta rem ſuſtentabat, iterùm igne muſculum corruperat, aggerem qui pro muro propugnaculi ab aquâ paulùm exſtabat aliquid aggeris ſuperaddendo pedibus aliquot extulerat, adeò ut pro juſta munitione ante propugnaculum eſſet, quâ milites tecti adversùm noſtros muſculum promoventes glandes emitterent, atque operi intentos perturbarent, quo fiebat, ut ab ſummo, & imo muri petiti vix conſiſtere, atque adminiſtrare quidquam poſſent. Sed majora ex anni tempeſtate damna ſenſêre, nam ab Maio ad Julii finem, tantus inceſſit calor, ut adversùm hunc aut tabernaculis, aut tuguriis parùm protecti milites eſſent, is ab lacu, ab mari, & ab montibus, quò caſtra Thomas habebat, conduplicatus incredibile memoratu eſt, quàm graves noſtris morbos attulerit. Ita compluribus eâ peſte abſumptis, & qui ſupererant languore confectis, una modò in Claſſis reditu quæ ſupplementum advehebat, reliqua ſpes erat, atque hanc adventare fuerat nuntiatum.

Sed maturiùs copiæ ab Neapoli profectæ per Agrum Romanum iter habuerant: has octingentorum modò equitum, ac paucorum peditum fuiſſe ubi Neapoli profectæ fuerant, rumor conſtans erat: ſed ab Româ

1646. ad Herculis Promontorium bidui, aut paulò plus itinere ad equitum duo, ſex autem peditum millia creverant, quia his Pontifex benedixerat: nam haud ſpernendas copias tùm ad Voltumnæ-fanum habebat. Itaque illas demùm haud procul Thomæ caſtris abeſſe per ſpeculatores cognitum eſt. Is continuò peditum millia duo, trecentos equites ducit obviam, pedites trecenti qui operibus præſidio eſſent, in caſtris relicti: quod ubi eſt ab Carolo Gattâ animadverſum, hos eruptione factâ facilè propellit, atque opera omnia igne corrumpit. Eâ de re Thomas factus certior cùm ſe in nullam ampliùs ſpem cum hoſte decertaturum probè intelligeret multis partibus inferiorem, ad maris littus flexit iter, quò claſſis noſtra appulerat, atque tria militum millia in terram expoſuerat, opportunum ſi paulò ante adveniſſet auxilium, tantùm in bello temporum momenta valent. Pedites omnes navibus Thomas imponit, equites per Etruriam in Pedemontium dimittit, cujus rei ab Etruriæ Duce poteſtas facta, qui in eâ omni expeditione Gallis haud iniquus eſt viſus.

In Aulâ ubi rem apud Orbitellum ſecùs ceſſiſſe nuntiatum, & vulgus, & qui Mazarino adverſi erant, dictitare, *Nihil hanc ad Gallos attinuiſſe: ab Mazarino modò ſuſceptam, uti Pontifici quem oderit terrori eſſet, atque ut hunc ad Michaëlem fratrem Cardinalem creandum adigeret: tot ſumptibus in eam rem factis, tot hominum ferro, & cæli gravitate abſumptorum, ac maximè Brezæi jacturâ nihil præter dedecus quæſitum.* Quin & Mazarino conſilium fuiſſe aiebant, omnia ad Etruſcum littus, & ad Ilvam Inſulam Hiſpanorum oppida ſibi habere, quæ videlicet huic Rex poſtquàm capta forent, dono daret, atque adeò haud procul Româ novum conſtitueret Principatum, quo fretus aut ipſe Pontificatum adipiſceretur, aut quem vellet, eum Pontificem creare Cardinales adigeret. Augebat invidiam in Mazarinum Condæus, prædicando ſe ab hoc incœpto diſſenſiſſe, atque eo graviùs illi obtrectabat, quod hujus operâ Rei navalis Præfecturam Brezæi morte vacuam Angiano filio ab Reginâ negatam credebat, quæ hanc ſibi ipſi retinuerat, neque aliâ gratiâ Mazarinum id Reginæ autorem fuiſſe, quam ut ipſe ejus vices in re navali adminiſtrandâ, atque in opimis maximè hujus fructibus percipiundis gereret. Igitur Condæus eâ causâ offenſus Mazarino rus conceſſit, quod haud procul Fontebellaqueo habet, dein abſceſſit longiùs in Æduos, quam obtinebat Provinciam.

Sed hæc Condæi ſeceſſio ſolicitum habuit Mazarinum, non tàm illum, quàm Angianum filium metuentem. Is florenti ætate, ingens animi, ac rebus geſtis ferox, atque præclarus magis inferre injuriam, quàm pati poſſe videbatur: ad hunc & miſerat, & ſcripſerat Condæus, adoleſcentis animum adversùm Mazarinum exaſperans. *Hunc hoſpitem, atque advenam viris è regiâ gente Principibus illudere, rem publicam omnem invadere, & cum muliere alienigenâ regnare, ambos immemores quâ lege huic Procuratio Regni permiſſa ſit, ſcilicet ut in re omni publicâ gerendâ Gaſtonis, atque Condæi ipſius conſilio, judicioque uteretur, quo poſthabito ipſa, ac Mazarinus*

rei navalis Præfecturam ſibi ſumpſerint, quæ dubio procul magis ad Angianum ſpectaret, cùm quia Brezæo qui hanc habuerit affinis eſſet, tùm quod hæc Mommorantii Avunculi fuerat. Poteſtates quidem, & Imperia haud hæreditaria eſſe, conſuetudinem tamen invaluiſſe, ut in viris Principibus quæ propinquorum fuêre, eis ipſis facilè tribuantur, quod in Angiano fieri eò magis debeat, quòd in ipſo præter genus regium, etiam quæ id deceat virtus, rerum geſtarum gloria, atque in Regem, in Reginam matrem, atque in rem publicam ſumma merita ſint. 1646. Hic tamen nihil ſibi eâ tempeſtate movendum exiſtimavit, ſed magis augenda ſua in Regem, Reginam matrem, ac rem publicam merita, quibus ad ſummum gloriæ culmen adſcenderet.

Ægrè tamen huic erat, tantùm adversùm ſe auſum Mazarinum, uti rem propè ſuam ipſi ablatam voluiſſet: eò quandóque maledicta in hominem jactabat, contemptûs magis, quàm odii plena. Intereà magnoperè ſtudebat, uti Gaſtoni carus eſſet, huic obſequendo omnia, atque hujus gloriæ, & famæ ſerviundo. Jamque erat inter eos amicitia, ut inter tantos viros magna conflata, neque huic Riviera obſtabat, quin & Angiani de repulsâ in Mazarinum odium fovebat, dictitans Reginam inconſulto Gaſtone haud ſibi rei navalis Præfecturam ſumere debuiſſe: præthereà Gaſtoni autor fuit, ut ad Reginam ſcriberet, ſicuti res adhuc integra eſſet, ut hanc in ſuum ad Urbem reditum differre vellet: ita Reginam ſentire æquum exiſtimabat, ſe haud ſatis rectè, atque ordine de re tantâ nihil exquiſitâ Gaſtonis ſententiâ pro lubidine decreviſſe. Nihilominùs ipſe Riviera ad Mazarinum ſcripſerat, collaudans omnem ejus in eo negotio adversùm Condæum rationem, atque illi perpetuam Gaſtonis amicitiam oſtentans: cæterùm quam inter hunc, atque Angianum conflatam amicitiam diximus, eam fovebat impenſiùs, atque de hac ſolicitum eſſe Mazarinum placebat, id enim ſibi magnoperè profuturum judicabat, ubi hanc Mazarinus diremptam vellet, nam id hujus modò operâ fieri poſſe videbatur, atque adeò hanc ſibi Mazarini gratiæ magis, ac magis promerendæ novam occaſionem fore, quâ ſi rectè uteretur, ad Cardinalatum ſe perventurum denique ſperabat.

Tametſi Mazarinus Rivieram ſibi apud Gaſtonem magno uſui porrò futurum credebat, tamen & per Margaritam hujus uxorem hunc ſibi magis, ſimul & totam Lotharingicam Domum adjungere conatus eſt. Illa Caroli quondam Lotharingiæ Ducis ſoror eſt, ſicuti ſuprà diximus, cui ſpem fecit pacem cum fratre conditionibus poſſe componi, de quibus agi cœptum. Prætereà per Franciſcum Annibalem Eſtræum Equitum Tribunum, cum Cæſare Vindocino qui ipſi ſororis filius eſt egit, ut in gratiam ſecum redire vellet. Sed hæc Condæi, & Angiani filii metu inſtituta poſtquàm is deſierat, ſicuti de conditionibus convenire difficile eſſet, Mazarinus omiſit.

Nam Condæum in Aulam revocare planè fuit neceſſe, quoniam [illegible]blicani ex hujus ſeceſſione partes, & turbas, ac poſtremò bellum civile metuentes ſeſe publici negotii quidquam facere poſſe negabant.

1646. Jamdiù horum opibus, atque fide reſpublica ſtat, ſeu ad quotidianos ſumptus ærarium non ſufficit, ſeu id Adminiſtris uſui eſt, quæ fine anni, aut biennii è regiis fructibus percipienda ſunt, ea anni principio quo lubet pretio locantibus, uti præſens, aut certè maturior adſit pecunia, prætereà cum Publicanis novas corradendæ pecuniæ rationes ineuntibus, in qua utraque re liber ipſis quæſtui locus eſt. Condæus neque ſuâ causâ rem publicam labefactatam volebat, ac ne is quidem Publicanis iniquus erat, ex quibus ſi ſecedere perſeveraret, nullus ipſi quæſtus poſthàc erat futurus. Igitur cùm & Condæi, & Mazarini rationes poſtularent, ut ille in Aulam rediret, poſtremò & litteris, & miſſitationibus adductus eſt, uti Fontembellaquęum quò tùm Rex agitabat, veniret. Hunc Mazarinus & curatiſſimè, & benigniſſime accepit, Regina non item, ſcilicet quæ hunc ſentire vellet ægrè ſibi fuiſſe, expetitam porrò ab illo, aut ab Angiano filio rei navalis Præfecturam, poſtquàm hanc ipſa ſibi retinuerat. Id autore Mazarino ab Reginâ factum aiebant, quò Condæo, atque omnibus fides fieret, nihil rei navalis Præfecturam ad ſe, ſed ad Reginam modò attinere: cæterùm hæc poſtridiè cum Condæo benigniùs egit, atque bono animo eſſe juſſum, prætereà ingentibus pro ſe, atque Angiano filio promiſſis oneratum dimiſit, nam abſque comitatu ſolito, & familia venerat, feſtinans ex voluntate Reginæ, ut omnis partium, & belli civilis metus quantocyùs levaretur.

Gaſtonem ſupra diximus ad Legiam cum omnibus copiis rediiſſe, præter eas quas Gramontio Equitum Tribuno tradiderat Sociarum Civitatum exercitui conjungendas: hunc Arauſius ad Scaldim ducebat, quò fiebat, ut Hiſpani omnibus ad hunc amnem locis metuerent impenſiùs: Gallos Gramontio Duce Aldenardam, Arauſium Dendermondam, utramque Gandavo haud procul oppugnaturos credebant, hæc Antuerpas propior eſt. Sed Antuerpæ magnum, atque valens oppidum armis, viriſque opulentum, olim forum rerum venalium in omni hac regione maximè celebratum fuit, ubi incolere, & commercari conſueverant omnium gentium multi mortales. At poſtquam Batavi, cæteræque Sociæ Civitates ab Hiſpanis defecerant, illis finitimum eſſe cœpit, atque adeò Arce, & præſidiis ab Hiſpanis egregiè munitum. Contrà Sociæ Civitates haud procul ad Scaldim Caſtella exſtruxêre, ad pleraque hujus amnis oſtia, quibus Oceanum ſubit, quò difficilior navibus aditus ad Antuerpas foret, eò mercatura paulatim minui: tanta nihilominus æſtu ſecundo ſuperandi pluribus locis amnis, & ad oppidum ſubeundi opportunitas navigantibus eſt, ut omninò prohiberi nequeat.

Magnam tamen partem mercatura ab Antuerpis Amſterodamum eſt tranſlata, præcipuum Batavorum oppidum, quæ Civitas inter Socias longè potentiſſima, atque opulentiſſima eſt, atque adeò inter eas obtinet principatum. Huic haud temerè viſum ſi Antuerpæ in Sociarum Civitatum venirent poteſtatem, eò ab Amſterodamo redituras cum mercaturâ

caturâ antiquas opes: quò factum eſt, uti ſedulò quoties de his oppugnandis eſt conſultatum, huic incæpto ſit adverſata. Prætereà Batavorum Civitas quæſtui maximè, atque navigationi dedita jamdiù pacis avida erat, atque in ſententiam ſuam cæteras pertrahere nitebatur, nihil de fœdere quod Sociis Civitatibus cum Rege intercedit, ſicuti plerúmque plebis inconſulta ſtudia ſunt, ſolicita, atque ut ex opulentiâ audacia creſcit, ſæpiùs Arauſii conſiliis, atque incæptis adverſabatur, qui pridem ut huic ægrè faceret, ejuſque potentiam minueret, Antuerpis potiri velle videbatur: quod certè ipſi glorioſum, & Civitatum Sociarum rei publicæ utile futurum erat, neque aliâ causâ anno proximo Hulſtam oppugnaſſe, atque cepiſſe videbatur. 1646.

Sed tùm inter Arauſium, & Batavos de oppugnandis Antuerpis conveniebat: ſeu id amplum, ac magnificum Sociis Civitatibus viſum, ſeu in urbe ſi hac ipſæ potirentur, copiis quæ præſidio eſſent, plenâ, atque arci ſubjectâ haud ita commodè mercaturam exerceri poſſe, ut Amſterodamo damno eſſet, ſeu denique rem tantam ſi feliciter cederet, magnum ad cogendos uti pacem, aut inducias cum Sociis Civitatibus facerent, Hiſpanos momentum habituram ſunt arbitrati. Igitur Arauſius Bergâ ad Zoum quò tùm habebat caſtra, Antuerpas versùs movit, quibus metuens Piccolominius eódem & ipſe Hiſpanorum duxit exercitum, Carolus Lotharingus Gandavum inter, & Deinſem, Caracena ad Brugarum foſſam ſtativa habuére, quid Gaſtoni, atque Arauſio conſilii eſſet, magnoperè ſoliciti.

Quidquid Legiam inter, & Oceanum regionis eſt, id noſtris patebat, niſi quia & amnibus, & rivis, & foſſis frequentibus haud faciles aditus habet: ſed hujuſcemodi difficultates ſuperare jam anteà ſatis noſtri didicerant. Igitur Gaſto, atque Angianus conſilio habito, exquiſitiſque de eo quod optimum factu eſſet, omnium qui aderant ſententiis, Oceanum versùs ducere decrevêre. Eò Gaſto Gaſſionem cum equitibus ad Colmiam VIII. Calend. Sext. præmittit, difficile ſi ſentirent, ac eò properarent hoſtes, tranſitu flumen. Sed Gaſſio incredibili celeritate adhibitâ, priùs ad Hundſcotum traduxerat amnem, quàm id facturum Hiſpani ſatis intelligerent: dein Beentiſmullen Caſtellum inter Hundſcotum, & Bergam Fani-Vinoci ad Colmiam item poſitum oppreſſis viginti qui præſidio erant, militibus cepit: poſtpaulò ad alteram amnis ripam Bugius cum centum modò militibus advenit, ducenti alii properantem ſequi nequiverant cum trecentis profectum: eadem fermè cum Gaſſione ob ſimilem properantiam equitum paucitas erat: quâ ab Bergæ Fani-Vinoci Præfecto animadversâ, ducentos ab oppido in Gaſſionem emittit, quo cum ſuis egregiè more ſuo propugnante, qui in adverſa ripâ erant Bugiani milites, ii tantam glandium vim in hoſtes miſêre, uti pedem referre, atque in oppidum redire cogerentur: Bugiani in citeriori Colmiæ ripâ muniverant ſe, in ulteriori Gaſſio Beentiſmullen Caſtellum obtinebat, & continuò equites, pediteſque adventabant, tùm fieri pons cœptus, brevíque confectus eſt, & copiæ quantùm neceſſe fuit traductæ.

1646. Intereà dùm Gaſto, atque Angianus cum reliquis copiis advenirent, Gaſſio vir impiger aliquot caſtella cepit, ad utramque foſſam, quæ ab Colmiâ, ad Dunkercam pertinet: poſita Inſula in medio eſt, in quâ Berga Fani-Vinoci ad Colmiam, Dunkerca ad Oceanum ſita. Mox ubi Gaſto, atque Angianus cum omni exercitu advenêre, paratis ad Bergæ oppugnationem omnibus, ille cum Ramſavio Lincum, hic Hundſcotum versùs caſtra habuêre. Intereà Villequierus ſicuti juſſus fuerat, ex Icii portûs, Boloniæ, Gravelingæ, & Burburgi præſidiis copias accerſiverat, quas cum aliis apud Lincum Colmiam traduxit, atque ad foſſam quæ Galliam versùs ab Bergâ ad Dunkercam pertinet, caſtra ponit Bergam propiùs. Ubi oppido eſt appropinquatum, tantus ardor noſtrorum extitit, uti trajectâ propè nando foſsâ latiſſimâ, ſemilunam pro oppidi portâ pulſis hoſtibus qui propugnabant, primo impetu caperent, parùmque abfuit quin horum tergis inſiſtentes unà oppidum ingrederentur: quâ tantâ audaciâ perterriti qui mœnia defenſabant, ii poſtridiè deditionem fecêre: præſidium ſicuti convenerat Ypras deductum cum fide, dein triduum reficiundis oppidi munitionibus, perrumpendiſque molibus eſt abſumptum: his antehàc hoſtes qui apud Bergam, atque etiamtùm qui apud Dunkercam erant, prætereà Cataractarum idoneis locis poſitarum operâ Oceani per æſtum creſcentis, atque Colmiæ aquas coërcebant, uti reſtagnantes planitiem Bergam inter, & Dunkercam poſitam complerent, quò in eâ nullus noſtris conſiſtendi locus eſſet, ſed perruptis molibus dilapſæ ſunt: prætereà triduo aliquot eò Caſtella capta. In ſemilunæ quæ pro Bergæ portâ erat oppugnatione *a* Belinus Comes, Tonquedecus, Arſoïnus, atque alii cæſi, complures vulnerati ſunt.

a Le Comte de Belin. Le Comte de Tonquedec. Arſoin.

Poſtquàm ad Bergam cuncta retinendo, atque tuendo oppido ex ſententiâ confecta, Villequierus quos è finitimis præſidiis evocaverat, eos dimittit: dein ad Mardicum cum Gaſſione præmiſſus in hoſtium quindecim equitum alas incidit: hæ ab Dunkercâ ſecundùm maris littus venerant: ſed hoſtes acriter Gaſſio, atque unâ Villequierus agreſſi fugavêre. Gaſto, atque Angianus cum cætero exercitu Gaſſionem ſubſequebantur, qui omnes ad Mardicum trinis caſtris conſedêre. Gaſto Gravelingam, Gaſſio cum Ramſavio Dunkercam versùs, Angianus in medio. Biduo vallum quò biennio ante caſtra munita fuerant, refectum, dein VI. Id. Sext. foſſæ quà Gaſto, & quà Angianus curabant, ad Caſtellum duci cœptæ, tormenta idoneis locis collocata, mox de more munitionibus appropinquatum, quarum ſeries in omnibus fermè Hiſpanorum oppidis eadem eſt.

Nullædum naves aut noſtræ, aut Sociarum ſicuti convenerat Civitatum ante Mardici portum advenerant, quæ commeatus atque auxilia ab vicinâ Dunkercâ Mardicum ſupportari prohiberent, quod ab hoſtibus factum quotidie eſt, atque ægri, ſauciique abducti. Igitur diù, noctúque hoſtes erumpere, corrumpere opera noſtra, conturbare omnia, ac propè Caſtelli potiundi ſpem eripere. Id minimè tùm oppug-

nandum Mazarinus cenſuerat, rem enim Gaſtone haud ſatis dignam eſſe, ſed Dunkercam oppugnari malebat, de quâ poſteà memorabimus. *Mardicum exiguum certè oppidum, cæterùm probè munitum, atque ad Oceanum poſitum eſſe, quò ab vicinâ Dunkercâ quidquid illic copiarum ſit, navibus traduci poſſit, neque id ſatis prohibituras aut noſtras, aut Sociarum Civitatum cùm advenerint naves, ubi ventus hoſtilibus ſecundus erit. Igitur ad Mardici inceptum eâdem belli mole, ac ad Dunkercam ipſam oppugnandam opus eſſe, longè impari ſi illud expugnetur, aut dedatur, mercede. Quæ ſuprà Dunkercam ad mare, aut ab hoc haud procul loca poſita ſint, ea utiliùs oppugnari poſſe, Dixmudam, Furnas, Neoportum, ſi tùm ipſam Dunkercam oppugnare minùs placeat: nam ad hanc his captis oppidis commeatus ſupportare difficilius futurum: vix autem ullos Mardicum, atque adeò indè Dunkercam tùm ſubvectum iri, cùm omnis circùm regio in poteſtate noſtrorum ſit: Dunkercâ autem expugnatâ, aut deditâ neceſſario & Mardicum deditum iri.* 1646.

Sed Gaſtoni aliter viſum, qui properantiùs quàm par erat, Mardicum oppugnare aggreſſus eſt, nondum ab navibus noſtris, aut Batavis clauſo mari: quò factum eſt, uti nullo in loco ab hujus belli principio hoſtes acriùs propugnaverint, quotidianis ſicuti diximus aucti ſubſidiis. Eò *a* Rupiguidonus, ac Flexius Comites, eò Teminius, eò Nemoroſius, & ipſe Angianus graviter vulnerati, atque alii tam multi, ut horum numerum inire longum eſſet. Poſtremò ubi naves noſtræ, ac Sociarum Civitatum advenerant, atque ab mari, ſicuti ab terrâ res ab noſtris ſtrenuè gerebatur, ſibi denique faciundam deditionem hoſtes ſensêre, quâ de re Hiſpanos qui apud Dunkercam erant fecêre certiores. Ibi verò Caracena, atque Lamboïus cum tribus equitum millibus alter ſecundùm littus maris, alter paulò diverſus ad caſtra ex improviſo venêre, ſeu ab perfugis moniti magnam equitum partem abeſſe, ſcilicet qui pabulatum ierant, ſeu id fortè accidit. Continuò per exploratores cognitum hoſtes adeſſe, adversùm quos Gaſſio equites qui reliqui erant in caſtris raptim educit, pedites aliquot ex Prætorianis, atque ex Picardiæ Legione ſubſequi jubet, Villequierus huic adeſt ſocius, atque adjutor, qui ambo hoſtem propulêre. Is & mari periculum fecit, ſi quid auxilii Caſtellum introducere poſſet, atque eâ gratiâ navibus & milite, & commeatu completis noſtras quæ Dunkercam inter, & Mardicum in ſtatione erant, adortus quaſdam ex ſuis amiſit, quarum aliæ captæ, aliæ depreſſæ: minora utrimque navigia fuêre plano alveo, uti faciliùs ad Caſtellum inter vada pervenirent. Navibus noſtris Præfectus erat Clanlevius, de quo ſuprà memoravimus, vir fortis, qui egregiam in eâ re navavit Regi operam: Civitatum Sociarum naves & ipſæ interfuêre prælio, & quaſdam hoſtium naves cepêre.

a Henry du Pleſſis, Comte de la Rocheguyon. Le Comte de Flex. Le Marquis de Temine. Le Duc de Nemours.

Poſtremò qui Caſtellum defenſabant omni terrâ, marique ſpe auxilii damnatâ, atque cuniculi metu qui ſubter vallum (is Caſtello pro muro erat) actus fuerat, misêre ad Gaſtonem qui deditionem pollicerentur, ſi hujus honeſtas conditiones dicere placeret: hi ad Angianum quoniam eâ parte quâ ipſe curabat Mardico egreſſi erant, primùm deducti, cùm-

1646. que hos ad Gaſtonem duci juberet, ipſe Angiani tabernaculum rei quæ agebatur famâ excitus introiit: prætereà poſt acceptum ab Angiano vulnus ex quo decumbebat in lectulo, frequens apud eum fuerat. Igitur cum eo collocutus duriores conditiones hoſtibus tulit, ſe nihil ipſis præter vitam dare poſſe, cætera in poteſtate ſuâ futura, poſt tres horas ne vitam quidem daturum. Regreſſi in Caſtellum hæc ſuis renuntiant, qui continuò accipiunt conditiones, & VIII. Calend. Septemb. Ferdinandus Solis Mardico Præfectus cum omni præſidio Caſtello egreſſus eſt: cæteri traduntur in cuſtodiam, Præfecto, atque aliis quinque uti Dunkercam proficiſcerentur facta copia, uti de ſuâ, cæterorumque captivorum aut permutatione, aut redemptione cum ducibus ſuis agerent, ſinguli cum ſingulis ſui ordinis permutarentur, qui plures captivos haberet, ei in ſingula capita pro dignitate, atque ordine plus minúſve pretii daretur: tria millia captivorum Caſtello egreſſa penes noſtros fuêre, Hiſpani, Germani, Sequani, Belgæ præſidium numero, & virtute validum. Ita Mardicum ab Hiſpanis dolo receptum, ab noſtris iterùm vi, ac propè pugnando captum eſt: eò tormenta viginti quatuor, & quæ his uſui eſſent permulta ſicuti convenerat, ab hoſtibus relicta.

Poſtquàm id ab Gaſtone ex ſententiâ confectum eſt, atque ſatis ad rem, famamque his æſtivis geſtum videbatur, Regina hunc in Aulam redire, atque ab tantis laboribus requieſcere æquum cenſuit: eò dat ad hunc litteras grati ob rem publicam tam benè, feliciterque geſtam animi pleniſſimas, neque erat ingratum Gaſtoni quod ab Reginâ poſtulaturus erat, ejus ſibi ultrò poteſtatem factam. Prætereà Gaſtonem ab Angiano ſejungere Mazarino haud diſplicebat, ut amicitia inter hos ex ſocietate militiæ conflata deſinente conſuetudine ut ferè fit, diſſolveretur. Neque illa fermè inter hujuſcemodi homines, aut omninò in Aulâ firma eſſe ſolet, ſuis rebus alium aliò trahentibus.

Angiano ingentis ſuprà quàm cuiquam credibile eſt, animi adoleſcenti id erat ſolatio, quod Gaſtonis diſceſſu ad ſe ſumma Imperii in eo exercitu redibat. Jamque aliquid operæpretii quòd ſuprà omnia in Belgio anteacta foret, moliebatur. In propinquo erat Dunkerca oppidum & rei navalis famâ, & oppidanorum virtute, munitionibuſque maximè celebre, atque in ea parte quâ ſitum eſt, totius arx Belgii: eò enim naves ab Hiſpaniâ venientes appellere, eò omnia quæ ab Hiſpaniâ tuendo Belgio neceſſaria ſunt, advehere, eò deniquè agitare: indè armatæ, atque inſtructæ Claſſes adversùm hoſtes procedere: ipſi oppidani rei navalis ſcientiſſimi ſuis ſumptibus naves ædificare, atque adornare, & in Gallos, Batavoſque juſto bello magis, quàm prædonum more decertare, tantæ huic oppido opes erant, eò apud Philippum immunes, & levi imperio ſicuti fideliſſimi habebantur. Sed hic, & qui Belgium obtinebant, ne quid huic oppido ſecùs eveniret planè intenti poſt Gravelingæ, Mardici, & Bergæ Vinoci-fani caſum erant, atque adeò & oppidum in dies muniebant, & valido præſidio firmabant, quæ omnia tametſi vix tertia pars æſtivorum re-

liqua erat, haud quaquàm Angianum ab Dunkercâ oppugnandâ deterruêre. At priuſquàm rem tantam narrare incipio, pauca mihi dicenda ſunt, quæ ad famam Gallorum nuper in Italia labefactatam magnâ cum gloriâ reſtituendam ſpectant. 1646.

Nihil gravius uſquàm acciderat Mazarino, quàm rempublicam in Italia apud Orbitellum malè geſtam fuiſſe, eò vel maximè quod illîc belli gerendi ipſe potiſſimus Regi, ac Reginæ matri autor fuerat. Quamobrem optatiſſimum huic fuit, omnibus palàm facere, nihil in eo ſuâ, ſed alienâ modò aut culpâ, aut infelicitate offenſum, cæterùm rem benè conſultam, neque quidquam ab Aulâ, aut ab ſe defuiſſe, quò feliciter eveniret, nam & copiarum, & pecuniæ ad neceſſarios ſumptus affatim fuiſſe, fortunam neque ſe, neque quemquam omnium præſtare potuiſſe. Igitur priuſquàm hic elaberetur annus, quam famæ jacturam in Orbitelli incœpto feceramus, eam haud procul ab eo loco operæpretii quidpiam faciundo ſarcire decrevit. Fortè Melleraius de quò ſæpiùs memoravimus, tùm erat in Aula, quem Mazarinus ei quam moliebatur expeditioni idoneum ratus de hac cum eo colloquitur: hic verò lætus ſibi oſtentandæ porrò virtutis, atque Mazarini ipſius gloriæ, atque famæ ſerviundi locum dari, operam ſuam lubentiſſimus huic pollicetur. Mazarinus Melleraium ad Reginam deducit, hanc quid inter ambos convenerat edocet, atque id quidem Reginæ gratiſſimum fuit, & quod ſibi, Regique filio, ac rei publicæ feliciter eveniret, quamprimùm paratis ad eam expeditionem omnibus proficiſci jubet. Ubi Mazarinus unà cum Melleraio ab Reginâ domum redierat, hic de Re tormentariâ cui Præfectus erat mentionem injecit: honorificentiſſimum, atque fructuoſiſſimum juxtà Munus eſt, in quo filium adoleſcentem ſibi conſociari poſtulat, ut utriuſque poſthâc id Munus foret, neque alteriùs morte vacuum cenſeretur, de quâ re Diploma regium fieri, ſibique tradi æquum cenſebat.

Longinquam adeunti militiam, & pericula terrâ marique ſubituro id magno fore levamento, ſi ſibi eo pacto cautum ſit, ut ne vitam cum ornamentis ſimul amittat, ſed hæc filii futura certò ſciat. Ad hæc Mazarinus benignè, cæterùm non omninò ex Melleraii ſententiâ reſpondit. *Rectiùs id eum poſtquàm ab Italia victor redierit, poſtulaturum: nam tùm citrà cujuſvis invidiam, aut offenſionem factum iri, in præſentia non item, quoniam multi quorum merita in rem publicam haud talia ſint, neque futura videantur, idem tamen ejus exemplo pro filiis ſint poſtulaturi. Ne dubitaret iſthuc poſt reditum ſuum factum iri, de qua re fidem dare ſe, atque intereà ſi quid illi humani eveniat, fore uti quæcumque ab Regibus habeat ea haud ſecùs, ac ſi Diplomate regio cautum eſſet, in filium recidant.* Ita certæ ſpei plenum dimittit, quâ unâ adductum Melleraium ſuam in Italiam profectionem Mazarino obſecutum eſſe non dubito, atque illi nonnihil moleſtum fuiſſe, quod hanc rem in reditum ſuum dilatam voluerit. Secundùm hæc iterum in Etruſci maris orâ bellum decernitur, daturque hæc Melleraio provincia: legionibus ſupplementum, aliæ prætereà mittuntur in Provinciam copiæ: quinqueremes reficiuntur properè: ab Luſitaniâ ſex grandiores naves Tauroën-

1646. tum appulére, una tormentis æneis ſeptuaginta, cæteræ minore numero, ſingulæ quadringentis militibus erant inſtructæ: id auxilii ab Joanne IV. ſocio, atque amico Luſitaniæ Rege Ludovico opportunè miſſum eſt.

Ubi apud Mardicum munitiones refectæ, & Caſtello iterum Clanlevius cum idoneo præſidio præfectus eſt, Angianus probè curatis, ſanatiſque vulneribus de oppugnandâ Dunkercâ ſeriò cogitavit. Poſt Bergam Vinociſani, & Mardicum capta opportunum videbatur & Furnas habere in poteſtate, namque is locus haud procul Neoportu, Ypris, Brugis, atque Dunkercâ poſitus eſt, quo ab his oppidis ſinguli amnes, aut foſſæ pertinent: eò illìc ſtativa hoſtibus opportuna fore videbantur, ab quibus & militem ſubſidio, & commeatus Dunkercam intromitterent, quam iis adimere facultatem Angianus optimum factu eſſe decrevit. Igitur ad Furnas movet, oppidanos ad deditionem pellicere conatur, quibus abnuentibus admota tormenta tantum terrorem ſtrepitu, atque quaſſatione mœnium fecêre, ut ipſi, & qui præſidio erant milites deditionem fecerint: milites captivi fuêre, oppidanis ſua reddita omnia, nec quidquam hoſtile factum in oppido, cui Boſquetus cum idoneo præſidio præfectus eſt.

Poſtquàm quæ circùm Dunkercam erant loca, ea omnia penes Angianum fuêre, neque in propinquo hoſtibus convenire, atque parare commeatus, & ſubſidia copia erat, neque advenientes fallere poterant, XIV. Calend. Octobres trinis Caſtris ante oppidum conſedit. In unis Angianus ipſe, atque una Gaſſio Furnas, & Neoportum verſùs, in alteris Bergam Vinociſani verſùs Ramſavius, in tertiis denique Mardicum verſùs Villequierus curabant, hæc quinto die foſsâ, vallo, turribus, caſtelliſque planè munita: ante oppidi portum Civitatum Sociarum naves decem ſtationem habuêre, prætereà Gallicæ minores permultæ. His ita conſtitutis VII. Calend. Octobres foſſæ duobus locis ad oppidum duci cæptæ.

Quæ, quantaque facinora noſtri oppugnando, hoſtes propugnando fecerint, prorsùs incredibile memoratu eſt, poſtremò tamen deditionem fecêre, cujus leges Angianus hujuſcemodi tulit. Uti Leidæ Marchio qui oppido Præfectus erat, Tribuni, Centuriones, atque milites armati, inſtructique cum omnibus impedimentis oppido diſcederent, atque Neoportum deducerentur, ſi ante V. Id. noſtri ab Hiſpanis minimè ab caſtris pellerentur: præſidiarii intereà ceſſarent, pugnamque ſi hanc facere auderent hoſtes, otioſi ſpectarent. In hæc data fides, & accepta, cautumque obſidibus eſt, induciæ ad eam diem actæ, ac nihil operis utrimque factum: ut Hiſpani ſcirent quid rei ageretur, Leidæ Marchioni facta poteſtas eſt, uti Picolominium penes quem apud eos ſumma Imperii tùm erat, certiorem faceret: quo ceſſante deditum ſicuti convenerat oppidum eſt, præterea Leonis Caſtellum cum omni commeatu, tormentiſque. In eo negotio Angianus Gaſſionis, atque Ramſavii, Stampii Fertimbaltii, atque Almontii Villequieri, qui ipſi Legati erant bonâ, fideliqne operâ

1646.

uſus eſt. Caſtrorum Præfecti fuére Quincæus, Nigromonaſterius, Rohanetus, Clanlevius, Palüavius, Colinius Caſtillonus, *a* Mioſſanus Pontius, Arnaldus, Marſinus, *b* Goïonus Muſſaius, Chabotus, Caſtelnavius *c* Lavallius Sablæus, qui omnes noctem diemque unam per vices operibus, atque ſtationibus præfuêre, multaque facinora ſæpius hoſtes aut erumpentes, aut munientes, aut extrà oppidum propugnantes pellendo, atque abigendo edidêre. Inter hæc Lavallius Sablæus, & Chabotus è Melitenſi Militiâ vulnerati graviter poſtpaulò interiêre: prætereà cæſi *d* Semurius, atque Vignaltius quorum aciem inſtruere munus fuit, item *e* Ricardus, atque Tempæus quorum munus fuit opera ad propugnationem neceſſaria inſtituere, ac ducere, Ingenioſos appellant.

a De Pons de Mioſſans. *b* Le Marquis de la Mouſſaye. Goïon. *c* Le Marquis de Sablé de Laval. *d* De Semur, Du Vignaut, Mareſchaux de Bataille. *e* Richard, Tempe, Ingenieurs.

Suprà diximus Gaſtonem poſt Curtracum captum tria equitum millia, ac tantumdem peditum ad Arauſium miſiſſe duce Gramontio Equitum Tribuno: qui ubi Arauſii caſtris appropinquaverat, hic illi proceſſit obviam, atque adventum eſt gratulatus, Regi, atque Gaſtoni gratias agens, quod tam egregias cum eo ad ſe miſiſſet copias. Qui Arauſium comitabatur equitatus, is ornatiſſimus fuit, cæterùm ubi noſtri intravêre caſtra, horum ſeriem, atque ordinem, prætereà omnium rerum copiam ſunt admirati. Tum omnis Hiſpanorum exercitus ad Brugas versùm ierat, ſolicitis ſuprâmodum Ducibus, quid Gaſtoni, atque Angiano conſilii eſſet, atque adeò Arauſio haud difficile fuiſſet Dendermundam inter, & Antuerpas Scaldim traducere copias, ut ultrà amnem Urbem obſideret, quod & apud Illo Caſtellum rei navali in Zelandia Præfectus infrà Antuerpas facere poterat, nemine utrimque prohibente, intereadùm cis amnem cum Guillelmo Gramontius, atque auxiliares Galli Urbi appropinquaſſent, ac ſub mœnibus caſtra poſuiſſent: ita Antuerpæ priùs circumvallatæ fuiſſent, quàm ſatis maturè ad rem diſturbandam hoſtes advenire potuiſſent. Sed Arauſius hujuſmodi tùm morbo laborabat, qui mentem magis, quàm corpus afficeret: nam illum interdùm uſque opprimebat, uti ſui compos non eſſet: ubi morbus remittebat, equum conſcendebat ſtatim, & per caſtra vagabatur, obviis quibuſque quidpiam dictitans, uti valetudinem ſimularet: neque quidquam hominem magis ſolicitum habebat, quàm ut ne Guillelmus filius vice ſuâ quidpiam in exercitu præciperet, aut faceret. Mirum certè, ac miſerum homines ambitione occupatos naturam ipſam dediſcere, quæ filios patribus ſufficit.

Inter hæc Gramontius tantâ opportunitate corruptâ, quantam oppugnandarum Antuerparum fuiſſe diximus, id operam dabat, uti ſaltem Arauſius varia ſimulando Hiſpanos ad ſe versùm retineret, atque intereà Gaſto, & Angianus quidpiam operæpretii ad Oceanum facerent. Hiſpani ubi Arauſium Antuerpis imminere nuntiatum fuerat, ab Brugis, ad Dendermundam redierant, relicto qui noſtros ſubſequeretur, & obſervaret cum decem armatorum millibus Caracenâ. Sed Arauſius omiſſo de Antuerpis oppugnandis conſilio, ad Moſam duxit, ſicuti Venloum tentare vellet: at immensùm autumnalibus aquis aucto amne caſtra movere, atque abſcedere denique coactus eſt. Ita nullo operæpre-

1646. tio facto Gramontium per Eburones, & Ardüennam Sylvam cum Gallico equitatu, pedites navibus in Galliam dimiſit, quod ſecundo Moſâ dein mari facile fuit. Hæc æſtiva profectò documentô fuêre, nos ſolos abſque Sociorum ope ingentia facere poſſe: nam primùm his ceſſantibus Curtracum ab Gaſtone ad deditionem redactum fuerat, hoſtibus nihil contrà incipere auſis, tametſi cum omnibus copiis ſuis adeſſent: dein ubi Arauſius moverat, atque ad Antuerpas versùm duxerat, ita diſtractis hoſtium copiis Mardicum Gaſto, Angianus Dunkercam ceperant, tribus millibus equitum, ac totidem peditibus quos Arauſio Gaſto tradiderat, imminuto exercitu. Dunkercæ Ramſavius Equitum Tribunus præeſſe juſſus eſt, atque ex ea in deditionem Regis redactâ magna laus Angianum eſt ſecuta.

Poſtilla datum Gaſſioni negotium, uti Curtracum ſubvehi commeatus curaret: hi apud Armentariam quod oppidum ſicuti Curtracum ad Legiam eſt, jamdiù congeſti, paratique erant, qui eò ſecundo flumine vehi potuiſſent, ni Menenem quod intercedebat oppidum, dùm alia majora gerebamus, hoſtes recepiſſent: eò fiebat uti carris ad hos devehendos utendum eſſet, rem ſatis ubi hoſtes urgent, difficilem, qui noſtris interventuri videbantur, impeditum (ut ferè fit) inter carros Gaſſionis agmen aut profligandi, aut certè labefactandi conſilio. Quod ubi reſcivit Angianus, neque huic incœpto Gaſſionem cum his quas habebat copiis parem eſſe, ipſe cum equitatu *a* Viroviacum advênit: eò aductus ſecundo amne commeatus carris quantùm copia fuit eſt impoſitus, quod fuit reliquum ſingulis equitibus ponè ſe portandum eſt diſtributum, rem ſi pugnandum foret, haud ſatis commodam. Procedebat agmen Menenem inter, & Ypras, quò Carolus Lotharingus, & Picolominius in unum conduxerant copias: hi ſub veſperam quatuor equitum alas, & ſclopetariorum manipulos aliquot mittunt, qui noviſſimum noſtrorum agmen adorti ab Fertimbaltio qui eâ parte curabat, pelluntur: cæſi aliquot, captique, neque agminis, aut carrorum procedentium ordo uſquàm eſt perturbatus, reliquum itineris pacatum fuit, commeatuſque omnis Curtracum eſt introductus.

a Verbich.

Eò Angianus trajecto Legiâ, diverſâ parte amnis ad Viroviacum redit: primum agmen ductabat Villequierus, is per exploratores certior factus hoſtes apud Viroviacum pontem interrupiſſe, neque procul abeſſe, ſicuti rei benè gerendæ in tranſitu amnis caſum expectarent, properè mittit qui id Angiano nuntiaret: hic pontem ſubitò refici jubet, atque Villequierum primum agmen traducere, ipſe properè ſubſecutus cum reliquo exercitu ultrà amnem pergit, ibique uti quæque copiæ traductæ pontem erant, eas inſtruit, donec omnes ſtetêre in acie: neque hoſtis contrà quàm credibile erat quidquam movit, cùm id noſtro damno facere poſſe videretur, priuſquàm omnis traductus eſſet exercitus. Ubi caſtra poſita, ſtationeſque equitum locatæ pro caſtris, tùm demùm hoſtes has pellere conati, ipſi ab noſtris propulſi ſunt. Sub noctem Angianus ſeſe poſtridiè primâ luce ad hoſtes iturum pronuntiavit

nuntiavit, qui id fore ſuſpicati de tertiâ vigiliâ ſilentio abſceſsêre: dein 1646.
Angianus permiſſo Gaſſioni, atque Ramſavio Equitum Tribunis exercitu, qui hunc in hybernis collocarent, ipſe in Aulam rediit, quò ex rerum geſtarum gloriâ acceptus, celebratuſque eſt.

Intereà Melleraius in Italiam properans conſcenſis ad Tauroëntum unà cum exercitu qui ipſi decretus fuerat, navibus, apud Oneliam Pralinopleſſium cum cæteris quæ ab Pedemontio veniebant copiis, iiſdem navibus quarum ad id numerus erat idoneus, excepit: partitoque cum Collega imperio, nam ambo Equitum Tribuni ſunt, ad Planariam Inſulam navigavêre, dein ad Ilvam. Haud procul Longonis oppido millia peditum duo, equites ſexaginta in terram expoſuêre, ſimul ipſi Equitum Tribuni, & qui Luſitanicis navibus Præfectus erat exſcendunt: ab duabus partibus itum ad oppidum, pulſi qui in ſtationibius pro foſſâ erant hoſtes, *a* Curſellus, atque Faber caſtrorum Præfecti circùm oppidum agitare juſſi, cum his qui exſcenderant peditibus, equitibuſque, ut ne quid aut commeatûs, aut præſidii introduceretur: ſtabant ante portum naves, item ne quid mari ſubveheretur prohibituræ. Ex adverſo poſitum eſt in continenti Plumbinum oppidum, ab quo Ilva Inſula exiguo dirimitur freto, atque adeò ni Plumbino Hiſpani pellerentur, indè Longonis oppugnationem multum impedituri videbantur, facili ex propinquo in inſulam commeatu: eò Plumbinum priuſquàm Longonis oppidum oppugnare viſum, ut ea facultas hoſtibus adimeretur.

a De Courſelles. De Faber.

Sed nondum advenerat Jacobus *b* Soveræus è Melitenſi Militiâ cum quinqueremibus quindecim, & compluribus onerariis, quibus multa quæ ad oppugnationem uſui erant vehebantur. Soveræus tametſi difficili ut anni tempus erat navigatione, magno tamen remigum conatu adverſam tempeſtatem eluctatus ante Longonis portum ad cæteram denique ſe conjunxit Claſſem. Paulùm temporis ad quietem datum remigibus, nautiſque, dein de tertiâ vigiliâ ſublatis anchoris ad Plumbinum Claſſis curſum tenuit, actuariis navibus graviores remulco trahentibus, trajectoque quod interjacet freto III. Non. Octob. ſub meridiem Plumbino haud procul noſtri exſcendêre, pulſiſque centum, & quinquaginta equitibus Hiſpanis, qui longiùs ab oppido in ſtatione fuêre, ambo Imperatores propiores facti, quà parte oppidum oppugnare facilius eſſet, ipſimet exploravêre: dein proximâ nocte foſſæ ad oppidi portam quæ ab mari diverſa erat, duci cœptæ, & cunicularii ad murum appliciti. Sed his ab hoſte cæſis admovere tormenta neceſſe fuit, quorum operâ cùm nihil hoſtibus in muro tutum eſſet, cunicularii nihil illis prohibentibus ſubtùs murum cuniculum fecêre, quibus rebus perterriti hoſtes oppidum ſe dedituros dixêre: abnuit Melleraius, ni unà Caſtellum, & Arcem dederent: negabat Præfectus id ſe facturum, donec Melleraii minis fœdiſſimum ni ex voluntate deditionem faceret, ſupplicium denuntiantis victa hominis pertinacia, pactuſque poſtremò eſt ſeſe arcem, Caſtellumque, atque munitionem quam *c* Rupellam appellant, dediturum, ſi per triduum Hiſpani ceſſarent, neque noſ-

b Le Commandeur de Souvré.

c La Roquette.

1646. tros pellerent caſtris. Itaque exacto triduo ipſe cum præſidio armato, & inſtructo, item cum impedimentis abſceſſit, deductuſque Herculis portum eſt. Oppidanis cuncta ſalva, atque integra fuêre, poſtquàm Ludovico ſe fideles fore juraverant, cujus jurisjurandi eadem iis qui belli metu abierant, facta ubi rediiſſent poteſtas eſt.

Plumbino dedito Pralinopleſſius, & Soveræus cum quinqueremibus Longonis portum versùs iêre, dein hos Melleraius ipſe ſubſecutus oppidum oppugnare cœpit. Præter ſpem hoſtium maturatum eſt opus, foſſæ ductæ, advecta per aſpera, atque invia loca tormenta magis hominum, quam jumentorum operâ, cuniculo factus ad foſſam oppidi aditus, perrupto, dejectoque pulveris tormentarii vi hujus latere, atque cunicularii tum demùm ad propugnaculum appliciti vectibus dimovere ſaxa, humum egerere, & quæ opus erat cætera facere, dùm noſtri ſemilunam proximam oppugnabant, ab qua pernicies cunicularriis aderat, propugnaculi videlicet ultrà ſemilunam poſiti latus effodientibus, ſed hac brevì noſtri potiti. Intereà factus in propugnaculo cuniculus, atque impletus puluere tormentario fuerat, cui ubi admotus eſt ignis ingentem ruinam edidit: ſtabant noſtri parati, intentique, qui impetu ſicuti præceptum fuerat facto, per ruinas in propugnaculum evasêre, atque in medio adſcenſu locum occupavêre, ac munivêre, altiùs eniti prohibuit hoſtis, ſummâ vi eminùs ſclopetis, omnique miſſilium genere, cominùs haſtis brevibus, longiſque propugnando: dein quatriduum foſſis, atque muſculis ulteriùs in propugnaculo perducendis eſt conſumptum: quæ res ubi parùm procedebat, omnia opera corrumpente hoſte, viſum denique vi apertâ diſturbare defenſores: ad id delecti viginti ex ſingulis Cohortibus milites, atque his ductandis haſtati, Procenturiones, ac Centuriones quorum erat Imperatoribus ſpectata virtus.

Hi ubi datum pugnæ ſignum, alacres ſubeunt, atque in ſummo nequicquam prohibente hoſte locum capiunt: ſed hunc munire perdifficile erat, collocatis ex adverſo tormentis ſeptem, quibus quidquid aggeris objiciebant noſtri, haud difficulter disjiciebatur: prætereà ſæpiùs erumpebant hoſtes, atque opus turbabant: nihilominùs tamen noſtrorum ſtudio, atque virtute victa hoſtium pertinacia eſt, ac illi denique locum munivêre, atque tenuêre. In eo negotio tam difficili, atque aſpero Centuriones quatuor, complures milites cæſi, prætereà a Pileus Balmius quinqueremi Præfectus, qui quoniam in mari nobis tranquilla res erat, Regi in expugnando oppido navabat operam. Ubi hoſtes eò noſtros progreſſos vidêre, neque quidquam ampliùs iis ad oppidum aditum tardabat, quàm recèns exſtructa, atque objecta munitio, IV. denique Calend. Novemb. vitam, res ſalvas, atque ut armatis, inſtructiſque cum tormentis duobus abſcedere liceret, pacti deditionem fecêre, navibuſque Herculis portum deducti ſunt.

a Pile de Baume.

Longonis oppidum propugnaculis quinque munitum eſt è quadrato ſaxo, ſicuti & qui intercedit murus: ſingulæ ex aggere ſemilunæ inter propugnacula murum protegunt: prorsùs firmiſſimus locus. Is

Plumbini Principum ſicut & omnis Ilva Inſula olim fuit, quam partim 1646.
Etruriæ Duci, partim Hiſpanis permiſêre, huic adversùm Afrorum, atque Turcorum exſcenſiones, populationeſque tuendæ: cæterùm pleroſque omnes cùm Inſulæ, tùm Plumbiniani Agri fructus cum ſummo jure, judicioque in omnes qui utrobique incolunt retinuêre, quibus etiamtùm Nicolaus Ludoviſius Plumbini Princeps fruebatur.

Is Romæ agitabat, quò Pontificis fratris filiam cui Olympia de quâ ſuprà memoravimus, mater erat, uxorem duxerat: eò Plumbini negotium ad Pontificem magnoperè pertinebat, cui ægrè factum gaudebat Mazarinus ex Michaëlis fratris repulsâ infenſus. Hiſpanicæ naves Neapolim, aut Siciliam petentes eò quòd Plumbinum, & Longonem interjacet freto curſum antehàc tenebant, breviori, atque tutiori, quàm Planariam inter, & Corſicam viâ: præterea ſi quæ tempeſtas imminebat, aut ubi ſi commeatus, aut aqua deficiebant, Longonis Portum recipiebant ſeſe, commodam, firmamque ad omnia ſtationem, quæ ipſis facultas tunc adempta eſt, atque ita res apud Orbitellum labefactata, egregiâ Melleraii, atque Pralinopleſſii operâ apud eamdem Etruriæ oram reſtituta: ac poſtremò palàm fuit, haud temerè Mazarinum ut eâ parte bellum adversùm Hiſpanos gereretur, Reginæ autorem fuiſſe. Ob hanc denique rem benè, feliciterque geſtam, Rex, atque Regina mater, Senatus frequens, atque aliæ Curiæ, Urbanique Magiſtratus in maius Urbis Templum ſupplicatum iêre.

Ubi Pontifex Galliæ res ſecundas, & ſi quid offenſum ſit, id continuò corrigi videt, flexit denique animum ſuum, uti Ludovici rogatu Barberinos ſecùm reductos in gratiam vellet. Igitur poſtquàm diù, multùmque Regis, atque Reginæ matris verbis cum eo Romæ actum fuerat, poſtremò placuit, ut Avenionem Cavarum Pontificiæ ditionis Urbem Barberini peterent, atque eo pacto Pontifici ſeſe permittere viderentur. Cæterùm Avenio Urbs opulenta magis, ac magna, quàm adversùm Regis potentiam, atque opes ſatis firma, præterea inter medias Galliæ provincias poſita eſt. Eò cùm adventarent præter morem his honoris nihil habitum, nam id convenerat: dein ubi allatæ ab Pontifice litteræ, quibus hos receptos in gratiam ſignificabat, ibi verò facta omnia ſedulò, ac propè conduplicata, quæ conſultò omiſſa fuerant honoris indicia: quæ antehàc ablata fuerant prædia, Sacerdotia, annuæ penſiones, Magiſtratus, ea reddita, atque reſtituta, poſtremò quæ ab Urbano patruo per multos annos in hos congeſta fuerant, dein malevolorum invidiâ detracta, ea omnia, præterea patriam, atque penates per Regis clientelam recepêre.

Per hæc æſtiva nihil magnoperè in Inſubribus geſtum, quo bellum fieri quotannis conſueverat, nam hoc omnì ad Etruriæ littora tranſlato: quæ res magis ad Arcoſium Ducem Neapoli Proregem pertinebat, quàm ad eum qui Mediolanum, atque Inſubres provinciam obtinebat. Is erat ſicuti diximus Bernardinus Fernandus Velaſcus Caſtiliæ Equitum Magiſter, Conteſtabilem appellant, qui ſeu parùm refectis

1646. ex nuperâ Vigevani oppugnatione copiis, ſeu quia haud ſatis amplæ fuêre, nihil operæpretii fecit: Ponſonem modò ignobile Caſtellum in Montisferrati Agro per Serram Marchionem rei tormentariæ Præfectum ad deditionem redegit: ipſe intereà ad Aquas Statiellas ſtativa habebat, ut ne omnibus copiis rem tam exiguam incæpiſſe fama ferret. Caſtellum id ac prætereà alia duo apud Aquas Statiellas, & Cencium diruere viſum, prætereà apud Bremam Caſalio, atque Pado haud procul, Munitionem, penuriâ militum, qui præſidio forent, ſeu metu ut ne hæc noſtri reciperent, idem Vigevani Caſtello factum. Intereà dùm bellum ad' Etruriæ oram gerebatur, quæ reliquæ fuerant in Subalpinorum, & Inſubrium finibus regiæ, & Sabaudicæ copiæ, eæ Guidoni *a* Villæ per Pralinopleſſii abſentiam permiſſæ. Ille Italici generis homo, multorum ſtipendiorum, genere, atque virtute clarus rem publicam per hæc æſtiva quoniam ampliùs facere paucitas militum prohibebat egregiè ſuſtentavit.

a Le Marquis Ville.

At Pralinopleſſius re apud Longonem, & Plumbinum ex ſententiâ confectâ, cum pleriſque omnibus copiis, quæ eò egregiam Regi navaverant operam in Cataloniam navigavit, quam omnem penes Regem eſſe diximus, præter Dertoſam ad Iberum, Tarraconem ad Oceanum, ac Ilerdam ad Sicorim, quam Henricus Lotharingus qui hanc Prorex obtinebat provinciam, hujus anni principio oppugnare decrevit. Oppidum eſt per antiqua, & recentia bella celebratum, quod hoſtes ante biennium receperant, fruſtrà obnitente Mottæo, quò majus Harcurio hujus recuperandi ſtudium fuit. Eò atque omnibus circùm locis perpetua propè ſtativa habebant hoſtes, atque indè crebras in provinciam noſtram quæ cis amnem eſt faciebant excurſiones, ſcilicet quibus apud Ilerdam pontis copia erat. Paulò ſuprà ad Sicorim poſita eſt ſicut aliò diximus Balaguiera inter utrumque Nogueram amnes: quidquid inter hos jacet agri id noſtris qui apud Balaguieram erant, patebat, ultrà amnes excurrere copia non erat. Harcurius primùm Sicorim apud Balaguieram quò pontis item copia eſt, dein alterum Nogueram partem copiarum traduxit, ac circùm Ilerdam aliqua caſtella cepit, ut ne quid propiùs caſtra in hoſtium poteſtate eſſet, hæc cis, tranſque amnem poſita, munitaque ſunt: quâ amnis munitiones interfluebat, ratibus ſuprà, atque infrà oppidum junctus eſt.

Cis amnem Villanoveta vicus haud procul ab Ilerdæ ponte poſitus eſt, quò Chabotus Comes cum parte copiarum habuit caſtra: hoſtes ad caput pontis firmas munitiones objecerant, quas dùm Chabotus acriùs oppugnat glande ictus occubuit, vir genere, & virtute juxtà clarus, Præfectus Caſtrorum in hoc exercitu fuit: huic qui eâ parte curaret ſuffectus eſt Franciſcus Potierus Geſvræus & ipſe Caſtrorum Præfectus. Is poſt paulò pulsâ noſtrorum ſtatione hoſtium impetum objectâ Baltaſaris equitum alæ parte non ſuſtinuit modò, ſed & hos numero plures in munitiones ſuas compulit, quos dùm acriùs urget, eodem quo Chabotus cui ſucceſſerat fato abſumptus eſt: hæc alia ſuper

aliam clades Renatum Potierum Treſmæum patrem perculit, nam altero majore natu filio apud Theodonis-villam ſimiliter orbatus fuerat, ſicuti antehàc memoravimus. Fragam versùs, & Cingam amnem *a* Covongius Harcurio in eo exercitu Legatus curabat, cui *b* Sancolumbus, & Chavagnacus ambo aciei inſtruendæ Præfecti attributi, Harcurius haud procul Sicori quà ſuper oppidum ratibus junctus erat habuit caſtra, cui Boiſſacus caſtrorum Præfectus, qui & equitatui præerat *c* Campobonus, & Malgironus è Melitenſi Militiâ ambo aciei inſtruendæ Præfecti adfuêre. Poſt ubi animadverſum Covongii caſtra longiuſculè ab Harcurii caſtris abeſſe, quarta denique inter utraque inſtituta, queis Campobonus præeſſe juſſus. In Geſvræi demortui locum apud Villanovetam *d* Franciſcus Monſtierus Merinvilla Comes caſtrorum Præfectus qui nuper advenerat, ſuffectus eſt. 1646.

a De Couvonge.
b De Sainte Columbe. Chavagnac.
c De Chambon. Le Chevalier de Maugiron.
d François de Monſtiers, Comte de Merinville.

Oppido quinque cùm equitum, tùm peditum millia præſidio erant, cujus adeò cùm difficilis eſſet oppugnatio, reſtabat uti diuturnâ obſidione, atque inopiâ rerum neceſſariarum ad deditionem adducerentur: quæ res multos uti fermè cuncta quæ tempore ad conficiundum egent, recipiebat caſus, ſicuti tùm accidit: nam conſumptis in hac obſidione omnibus æſtivis, poſtremò hoſtes opportunitatem nacti commeatum in oppidum ſupportavére, atque adeò noſtri fruſtrà tamdiù eò commorati ſunt. Intereà enim hoſtes ſatis certi quam ad diem in oppido commeatus ſuppeteret, otioſi copias circùm Fragam in unum conducere, frumentum, atque alia neceſſaria conferre, neque quidquam omnium tentare, quò noſtros ab incæpto deterrerent, id fruſtrà denique ipſis, atque cæteris rebus ſuis ſaluti fore arbitrati. Gregorius *e* Britus oppido præerat, qui eruptione factâ funes quibus rates in Sicori junctæ erant, præcidere conatus eſt, quæ res ipſi ſecùs evenit, propulſis qui id erant aggreſſi militibus.

e Brito.

Ita ab Maio, ad Novembrem continuata obſidio, atque intereà nihil utrimque operæpretii factum, donec exeunte Septembri *f* Jacobus Philippus Guſmanus Leganes Marchio Hiſpanorum copiis ab Philippo Rege datus Imperator, has apud Fragam convenire omnes jubet: tria militum millia nuper Hiſpanica claſſis Tarraconem advexerat, qui Fragam advenêre, haud exiguum ad rem quæ inſtabat gerendam incrementum, ac tum demùm Leganes Ilerdam versùs ducere decrevit. Peditum millia duodecim, equitum quatuor millia, tormenta viginti in eo exercitu fuêre, ſimul dierum octo cocta cibaria vehebantur: Sebacus Baro Germanus Legani Legatus erat, Infantadæ Dux præerat equitatui. Igitur pridiè Calend. Octob. caſtra movêre, eaque haud procul Alcarras poſita: ſecundis caſtris ad Sicorim pervenêre, quem è regione turris cui ab amne nomen inditum eſt, ratibus junctis omnes copias traduxêre: quæ res indicabat hoſtibus conſilium eſſe noſtra apud Villanovetam caſtra oppugnare, atque adeò Harcurius eò firmiores ex cæteris caſtris copias, duceſque evocat, Covongium ipſum Legatum, Præfectoſque caſtrorum, atque tormenta omnia eòdem advehi jubet:

f Jacque Philippe de Guſman, Marquis de Leganés.

1646. his caſtris præerat ſicuti memoravimus Merinvilla, cujus operâ cuncta ad propugnandum probè inſtructa, atque comparata Harcurius invenit.

At Gregorius Britus Ilerdæ Præfectus tametſi initio commeatum in menſes complures ſuppetere eſſet arbitratus, tamen eo per pauciores ut ferè ſit conſumpto, rem eſt orſus ab multis quidem in tali negotio uſurpatam, cæterùm atrocem, atque crudelem: mille ducentos omnis generis, atque ætatis oppidanos abigit, qui ubi ad ſtationes noſtras venêre, ad oppidum redire juſſi ſunt. Sed hos Britus arcere mœnibus, atque glandibus territare: ita triduum miſeri inter oppidum, & caſtra herbas, atque radices mandendo vitam toleravêre. Intereà Harcurius per Tubicinem monere Præfectum, ut ne tam prava, nihilque profutura inciperet, nam quas deditionis conditiones tulerit, ut ubi ea fieret, viginti dierum commeatus oppido ſupereſſet, in eo ſe horum quos oppido ejecerit rationem habiturum, atque adeò ſeu hos porrò prohiberet, ſeu reciperet mœnibus, perindè ad deditionis conditiones futurum, cæterùm tot homines ſalvos velle æquius videri, quod ni faciat, nihil poſthâc ab ſe in deditione niſi durum, atque acerbum expectet, cujus exemplum invito dederit. Ad hæc Britus quæ Harcurio tanto Principe, & quæ ſe ipſo digna eſſent, ea ſe ab illo ſi res cogat, expectaturum reſpondit, cæterum ut ne opus ſit operam daturum: quod ſublevandæ inopiæ quoſdam ejecerit oppido, id & more majorum, & rectè, atque ordine feciſſe, neque aliter certo ſe ſcire Harcurio videri. Sed hic miſeris Ilerdenſibus priuſquàm hos fames abſumeret, abſcedendi poteſtatem fecit, documentô omnibus Ludovicum Catalanos pro ſuis, Philippum pro alienis habuiſſe. Nam Arces, Caſtella, oppida munita non tam Principum gloriæ, atque magnitudini conſervandæ, quàm tuendis, ac defenſandis civibus inſtituta fuiſſe videntur, niſi ſi in eo maximè illam poſitam exiſtimaverint.

Sed ubi Leganes ad Albatarem caſtra moverat, quo ab Harcurii caſtris tormentum adigi poterat, ſimul Britus pro munitionibus pontis copias eductas oppido ocyùs inſtruit, haud ceſſaturus ubi Leganes quidpiam inciperet. Adversùm Britum Harcurius quod ſatis militum viſum eſt, collocat, cæteros adversùm Leganem paratos, intentoſque eſſe jubet. Nec mora hic cum Legatis, Tribuniſque, & mille ducentis equitibus haud procul Villanovetæ caſtris poſitos colles occupat, atque indè centum, & viginti equites cum Sebaco Legato, & Infantadâ Duce equitum Præfecto, Carolo Padillâ Propræfecto, atque aliis propiùs munitiones noſtras ecquid eas perrumpere ſpei eſſet, exploratum mittit: hi paucis præmiſſis properè ſequuntur: qui præmiſſi fuerant in equitum noſtrorum quæ pro caſtris erat, ſtationem incidêre, ab quibus pulſi, dein ſuorum ſubſidio freti invicem noſtros propulêre: hos omnis ſtatio, Baltaſaris, atque Merinvillæ equites erant, excipit, & cum ne id quidem ad ſuſtentandam hoſtium vim ſufficeret, Harcurius eò turmam equitum quos cuſtodiæ causâ habebat, ipſe ducit, atque ſuo more

egregius in medios, & confertiſſimos hoſtes incurrit. Ibi verò tanti viri impetum haud ſuſtinuêre, ſed coacti referre pedem ad ſuos recepêre ſeſe: triginta ex hoſtibus, quinque ex noſtris omninò cæſi, capti hoſtes duodecim. Poſtridiè tormentis ab oppido, & utriſque caſtris certatum, dein poſt meridiem hoſtes ad munitiones propiùs acceſsêre, jamque ad teli jactum proceſſerant, atque has oppugnaturi videbantur, cum ſeu res difficilis viſa, ſeu id ſimulandi gratiâ fiebat, quò conſilii ſibi quid eſſet occultarent, continuò in caſtra rediére, quin & ipſa movére decem ab oppido paſſuum millia, Borgem inter, & Junedam: Britus copias ſuas omni ſicuti videbatur, auxilii ſpe damnatâ in oppidum reduxit. Legani una modò cura in ſpeciem erat reliqua, uti noſtros commeatu intercluderet: ſed cis Sicorim omnia huic iniqua, Harcurius æquiſſimis Catalanis utebatur, Joſephi maximè Margariti operâ, de quo ſæpiùs memoravimus: hic apud populares gratiâ, atque potentiâ pollebat Hiſpanis infenſiſſimus, quoties opus erat populares armare, commeatus ſupportare, oppidis, caſtelliſque quibus hoſtes imminebant, præſidia mittere, aut ipſe ductare, locorum ſcientiſſimus hoſtes fallere, prorsùs ad omnia intentus, Harcurio noſtriſque magno uſui eſſe, collectitio quem habebat militi, cæterùm bono fideliquе, quædam è noſtris copiæ duceſque periti adhibebantur, omnes huic parere juſſi. 1646.

Ubi Leganes nihil operæpretii cis Sicorim ſe facere poſſe intelligit, noſtris commeatum ſupereſſe, ſibi popularium odio propè deeſſe, copias ultrà amnem reducere ſe velle ſimulat, neque ullam ſibi obſidionis ſolvendæ ſpem reliquam eſſe oſtentat. Igitur præſidio, ad Agramontem Caſtellum in Urgellarum planitie relicto, ſicuti cis amnem Hiſpaniam versùm redire ſibi opus foret, Pontem, id oppido nomen eſt quod ad Sicorim occupaverat, incendit, ad Sicoris turrim quò traduxerat copias, tormenta, impedimenta, & quidquid in agmine gravius fuit, præmittit, rates quibus jungatur amnis expediri jubet, ſubſequitur agmen, neque quiſquam omnium fuit, quin hoſtes abire ultrà Sicorim, ſpemque de Ilerdâ omnem abjeciſſe crederet. Ita remiſſis qui in ſtationibus erant, atque omiſsâ per noctem quæ præter ſolitum inſtituta fuerat, per hoſtis propinquitatem equitum cuſtodiâ, cuncta hoſtibus dolum inſtruentibus opportuna fuére.

Miſerat tamen Harcurius ſub noctem qui de his cognoſcerent *a* Alet-ſii, atque Baltaſaris equites, ex quibus Henricus unius turmæ dux Merinvillam qui caſtris ſicuti ſuprà memoravimus, apud Villanoyetam cis Sicorim præerat, monet ſclopetarios quingentos, equitum turmas octo ad *b* Rebæi Caſtellum contendere. Id ad Sicorim fuit, præſidio ratibus, quibus noſtri ſuprà Ilerdam junxerant amnem, quo Rebæus Tribunus cum eâ cui præerat cohorte cuſtodias agebat: vix hæc Henricus dixerat, ſimul hoſtes aderant. Harcurius trium tormentorum ſtrepitu, hoſtem adeſſe omnibus caſtris ſignificat. Merinvilla ad Rebæi Caſtellum ocyùs advolat, quò hoſtes vallum trangreſſi qui in Caſtello

a Le Baron d'Alets. Baltaſar.

b Le Marquis de Rebé.

1646. fuêre, eos ab tergo quà verſùs caſtra apertum erat, invaſerant, necaverantque, atque eâ parte collatis, congeſtiſque omnibus quæ obvia fuêre, Caſtellum properè adverſùm caſtra muniverant. Præter Merinvillam, Harcurius ipſe, atque ab aliis caſtris Covongius evocatus cum multo equitatu, peditibuſque hoſtem caſtris pellere magnâ vi conantur: hoſtes Caſtello freti haud minore vi reſiſtunt: ſed eo ab omnibus caſtris concurrebatur, quod noſtris denique fraudi fuit. Nam *a* Hardius Truſſæus ubi quà ultrà Sicorim curabat, nihil videt quò hoſtem eâ quidquam tentaturum ſuſpicio eſſet, relictâ illic levi cuſtodiâ, quò tumultus hoſtilis, & prælium erat, eò & ipſe properat: ſed poſtpaulò quàm diſceſſerat, hoſtes hâc parte quod accidit id futurum ſuſpicati, quoniam ab eâ in quâ res acriter gerebatur, diverſiſſima erat, facilè ad oppidum perrumpunt: nam Britus ut auxilia, & commeatum exciperet, oppido inſtructus cum copiis eruperat: mille & quingenti pedites, octingenti equites oppidum introiêre, qui ſinguli aliquid farinæ ponè ſe equis vehebant.

a Le Hardy Marquis de la Trouſſe.

Harcurius intereà impigrè capeſcebat pugnam, cùm præſidium, & commeatum oppidum introiiſſe nuntiatum eſt. Ita res tanto tempore, atque labore cœpta momento temporis eſt corrupta. Ubi nihil ſpei ſupereſſe videt, id modò moratus, quod conducendis in unum copiis neceſſe fuit, omni commeatu, & parte impedimentorum igne corruptis, ſimul omiſſis præter unum tormentis, quoniam jumenta ad vehendum deerant, Balaguieram primùm, atque idoneo illic præſidio relicto Cerveram ducit, hoſtes ut ne quid eis Sicorim molirentur prohibiturus: at hi tanto operæpretio facto quievêre. In eo prælio *b* Vaillacus Campanicæ Legionis, & Orignius unius Cohortis Tribuni occubuêre, præterea Hyeronimus Tamaritus item Catalanicæ Cohortis Tribunus, turmarum duces aliquot, Centuriones, Procenturioneſque, atque alii quingenti numero: plus hoſtium, & plerique inſignes cæſi. Nihil omnium jucundius uſquàm Legani accidit, quàm quod ab Ilerdâ Harcurium abegerat, tantum virum, ab quo pridem Caſalio ipſe, quod ſimiliter obſidebat, pulſus fuerat, niſi quod nihil tùm clam, aut per tenebras Harcurius, ſed palàm, & interdiù Leganis caſtra circùm Caſalium poſita, atque egregiè munita expugnaverat, & intrà vallum longè paucioribus copiis ingenti fretum exercitu fuderat, fugaveratque, pro quo aliquam gratiam homini fortiſſimo, & uſque feliciſſimo retuliſſe Legani glorioſiſſimum fuit.

b Le Comte de Vaillac. D'Origny.

At Harcurius vinci inſolitus more humani ingenii rem adverſam detrectare, Truſſæum accuſare graviùs, quòd eam caſtrorum partem quam uti defenderet acceperat, injuſſu ſuo deſeruiſſet, eâ locum hoſtibus introëundi, ſicuti ex compoſito dediſſe, tametſi pauci eſſent, quos adeò propellere facilè fuerit, ſi ipſe cum his quos fruſtrà ab ſuâ ſtatione abduxerat, adfuiſſet. *Seſe hujus operâ nihil egiſſe, qui intereà adverſùm univerſum hoſtium exercitum egregiè rem gereret. Id verò militiæ flagitium ingens eſſe, cùm in bello ne rectè quidem, niſi & ordine, & ex diſciplinâ facere*

quidquam

quidquam liceat. Quod ad ſe attinuerit, viciſſe, nam quâ parte pugnaverit pulſos, atque oppido prohibitos hoſtes, idem & quâ parte Truſſæus curare juſſus fuerit, futurum fuiſſe, ſi is locum non deſeruiſſet. Contrà Truſſæus multa quæ factum haud ſatis expurgarent, cæterùm fidem, atque virtutem hominis inviolatam oſtenderent. Sed utrique tacito opus erat, nam diſceptando nonnulla quæ in rem neutrius erant, dicta ſunt. At res apud Ilerdam ab Legane benè geſta Philippo dolorem quem ex filii morte paulò ante ceperat, paulùm levavit: hunc unicum habebat, cui Baltaſari nomen fuit: hoc anno & Maria Philippi ſoror Ferdinandi III. Imperatoris uxor mortem obiit. 1646.

In Germaniâ ab noſtris nihil admodùm per hæc æſtiva factum, neque enim eâ parte bellum ſibi, ſed magis Suecis amicis, ſociiſque gerebant: hi ultrà Rhenum cuncta ſibi obnoxia eſſe æquum cenſebant, uſu tamen edocti ſi noſtri perpetuò cis amnem hybernarent, ſibi in his parùm præſidii fore, ubi quid durius accideret, facilè adducti ſunt, ut hos in ulteriori Germaniâ locum hybernis capere vellent: ſed horum operâ tunc cùm maximè egebant, quoniam Baioari ſeſe Auſtriacis conjunxerant, qui antehàc diverſi geſſerant bellum, aut ſuſtinuerant. Maximilianum Baioariæ Ducem ſuprà diximus pacem vehementer velle, atque eâ causâ apud Imperatorem perviciſſe, ut Alſatiam, cum Briſiaco Regi permiſſam vellet denique. Sed cùm illum Sueci bello porrò premerent acriter, hunc ſibi & porrò tuendum Maximilianus duxit: nam antehàc inducias in Germaniâ fieri fruſtrà poſtulaverat, quæ uti de pace per otium ageretur, idoneæ videbantur. Is tamen ſibi omnia cum Gallis integra eſſe ſtudebat, atque eò rem adducere, ut citrà Regis offenſionem ſibi Auſtriacos armis adversùm Suecos juvare copia eſſet. Sed his pro virili opitulari Ludovicus fœderis quod ipſi cum Chriſtinâ Sueciæ Reginâ intercedit, legibus tenebatur, quo cùm caveretur eoſdem hoſtes Gallis, Sueciſque in Germaniâ fore, Ludovico adversùm Maximilianum bello abſtinere fas non fuit. Cùm itaque id acriter unà cum Auſtriacis contra Suecos gereret, atque hi ab Rege poſtularent, uti copias ſuas quibus Turena cis Rhenum præerat, amnem traduci, ſibi conjungi, atque communi conſilio, atque operâ rempublicam geri vellet, id verò ipſis eſt obſecutus, eò Maximiliano tùm infenſior, quòd Auſtriacos æquiſſimas pacis conditiones quæ his apud Monaſterium, & Oſnabrugam ferebantur, abnuentes ſummâ ope juvaret, qui magis ceſſando ad has accipiundas cogere deberet. Rex igitur Suecos non ad defendendum modò bellum, ſed & ad id Maximiliano inferendum copiis ſuis adjutos voluit, caſtigando videlicet homini, uti reſipiſceret, nam perditum Galli noluère.

Apud Veſaliam quod oppidum Sociarum Civitatum eſt, Turena ratibus junctis Rhenum traduxit copias, ſuprà ad Confluentes uſque navium copia non erat: ſi ſuprà Confluentes tranſiret, medius inter hunc, & Suecos fuiſſet hoſtis, qui conjungi prohibuiſſet. Poſtquàm Galli, & Sueci conjunxerant caſtra, ibi verò Auſtriaci, atque Baioari præter mo-

1646. rem caſtris vallum addere, ſpeculari, explorare omnia, atque munito agmine ſicubi moverent, incedere. Quia tamen amica circùm erant omnia, & æquis earum regionum Principibus, atque cultoribus utebantur, nihil properabant abſcedere, ni Galli, atque Sueci ad Danubium versùs moviſſent. Apud hos ſummam imperii tùm obtinebat Helmus Vrangelius Legatus, per Leonardi Tortenſoni abſentiam, quem jam diù apud Lipſiam detinebat morbus. Coniſmarcus ſeorſim copiarum partem ductare ſolitus præmiſſus ad Danubium eſt, quæ res metum hoſtibus fecit, ut ne hoc flumine excluderentur, atque Baioaria quæ ultrà eſt, hoſtibus pateret. Turena ipſe eódem properavit, Stinheimo, Selegenſtadio, atque Aſciburgo ad Mœnum ex itinere captis, quæ loca ab Baioaris brevì poſteà recepta: dein Schnordorfium ad Remſium amnem in Vitembergenſi agro cepit, tenuitque, undè Laugingam ad Danubium profectus eſt. Oppido deceſſerant hoſtes, pontemque abſcedentes interruperant, quo refecto duo equitum millia amnem Turena traducit, qui Donaverdam infrà poſitam iêre, quò & Sueci Danubium tranſire decreverant. Sed noſtri in præſidium quod hoſtes metu Donaverdâ deduxerant, fortè incidêre, quod quidem ad Rhainum Arcem, in propinquo recepit ſe, atque intereà Vrangelius, & Coniſmarcus apud Donaverdam traduxêre amnem copias.

Haud longè Auguſta Vindelicorum ad Lincum flumen poſita eſt, urbs & famâ vetuſtatis, & multitudine civium, & Imperii Comitiis, quæ eò ſæpiùs habita ſunt, maximè celebrata, quam multi ex Auguſtanâ Confeſſione (Luteranos appellant) pridem incolunt : hi antehàc Magiſtratus, atque honores obtinebant, dein ubi in Germaniâ Auſtriaci plus potuêre, finitimuſque Auguſtæ Maximilianus Baioariæ Princeps Catholicis favebat, abrogati Luteranis Magiſtratus ſunt, mandatique Catholicis, qui adeò tametſi pauciores, tamen Maximiliano freti cæteris imperitabant: his arma adempta, ut ne quid appropinquantibus Suecis moverent, prætereà Catholici Baioarorum præſidium in urbe acceperant, quò factum eſt, uti Galli, atque Sueci hanc ſibi oppugnandam eſſe cenſerent.

Intereà Auſtriaci, atque Baioari partim apud Ratisbonam, alii ſuprà, atque infrà oppidum ratibus Danubium tranſierant, magniſque ut in ſuâ regione ab Maximiliano copiis aucti ad Lincum acceſsêre, quæ res Auguſtæ ſaluti fuit, nam acriter ab Gallis, Suecïſque oppugnata deditionem poſt triduum parabat. Id poſtquàm his fruſtrà fuit, magnis in Baioariâ, atque ulteriore Sueviâ factis prædis, captiſque infirmioribus locis in citeriorem rediêre hyemandi causâ, ac Turena ſingillatim apud Laugingam hyberna egregiè muniit, ut eò pontis ſicubi in Baioariam tranſeundi rurſùm conſilium foret, copiam haberet.

Hoc anno mortem obiit Adrianus Monlucius *a* Carmainus Comes, vir & genere, & virtute, & ingenio clarus, quod elegantiſſimum, atque omni urbanitate, & humanitate pleniſſimum habuit, Blaſio qui Equitum Tribunus fuerat, nepos digniſſimus. Obiit & *b* Carola Urſina

a Le Comte de Carmain, dit de Cramail.

b Charlotte des Urſins,

Ulciæ Vicecomitis uxor, quæ & latinè ſcibat, & noſtra linguâ com- 1646.
poſitè ſcribebat: prætereà *a* Rogerius Sanlarius Dux Bellogardius oc- Vicomteſſe d'Auchy.
tuagenario major: is elegantiam, & munditiem ad ultimum coluit, pla- *a* Roger de Saint Lari, Duc de Bellegarde.
cido magis, quàm valido ingenio, primùm his qui gratiâ valebant ob-
ſequi, dein ſi id fruſtrà fecerat, adverſari ſolitus, quod in *b* Concino An- *b* Concini, Marquis d'Ancre.
crio pridem impunè factum, idem homini in Richelio fraudi fuit, cujus
operâ omnibus exutus ornamentis, ne larem quidem, quò ſe receptaret
habuit, coactus clientis ſui rure agitare: luculentas ædes Lutetiæ Pari-
ſiorum exædificaverat, quæ æri alieno diſſolvendo divenditæ dudùm
Petro Seguiero Cancellario fuerant: poſtremò Richelio mortuo in Au-
lam eſt revocatus, atque ab Annâ Reginâ tam liberaliter habitus, ut
ejus beneficio huic abundè eſſet, quò reliquam vitam ex priſtinâ for-
tunâ exigeret. Henricus Condæus vir è regiâ gente Princeps fine anni
mortuus eſt, pace quàm bello clarior, nam id quoties attigit, toties ſe-
cùs ceſſit, non animi, aut virtutis, ſed fortunæ inopiâ: rei plus æquo,
quàm tali loco virum deceat, ſtuduit, quæ huic ampla, ac propè regia
fuit. Richelium demiſſiùs quàm par eſſe videretur coluerat, atque ob-
ſervaverat, quod multi hominis prudentiæ tribuêre, qui per hanc ob-
ſequelam rem, famam, dignitatem difficillimis temporibus tenuit, quæ
Mariæ ipſius Ludovici XIII. Regis matri, atque Gaſtoni fratri qui Ri-
chelium perdere ſtuduerant, ſuprà quàm dici poteſt acerba, atque aſ-
pera fuêre. Tunc Ludovicus filius Angianus eſt vocari deſitus, Con-
dæumque poſthàc patris nomine appellavêre. Item hoc anno mortem
obiit Gaſpar Colinius Caſtillonus Equitum Tribunus, magnâ rei mili-
taris famâ. Is primùm Gallis auxiliaribus apud Socias Civitates præfuit,
dein per noſtra adversùm Hiſpanos bella clarus horum oppida muni-
tiſſima cepit, exercitus fudit, prorsùs majorum ſuorum ſimilis: fuêre
qui properantiam in eo deſideraverint, tarditatem objectantes, cui ad-
verſa quædam, ſecunda fortunæ tribuêre, ego virtuti malim.

JOAN· LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER QUINTUS.
EPITOME.

1647. SOCIARUM *Civitatum Legati de pacis ſuæ conditionibus cum Hiſpanicis clam Gallicos conveniunt. Servianus eâ de re Hagam Comitis proficiſcitur. Quid illîc fecerit. Avauxius. Oſnabrugam proficiſcitur, Paci inter Imperatorem, Suecos, atque Imperii Ordines conciliandæ. Apud Monaſterium Veſtfalorum Longavilla cum Hiſpanicis Legatis de pace porrò agit. Angianus mortuo Condæo patre Condæus appellatus. Præfectus Palatio creatus, patris demortui loco in Conſilium de re omni publicâ unà cum Gaſtone adhibitus. Induciæ inter Gallos, Suecoſque, ac Baioariæ Ducem. Brigantium necopinatò ab Vrangelio, Suecisque captum ad Acronium lacum. Lindavia in eo lacu fruſtrà oppugnata. Tubinga ad Nicrum amnem in Vitembergenſi Agro ab Hocquincurio capta. Schombergius Tribunus Helvetiorum mercede conductorum creatus. Iuxium Caſtellum in Sequanis Neocaſtello finitimum Longavillæ datum. Cadomum in Normanniâ quam obtinet Provinciâ cui Præfectus eſſet permiſſum. Leopoldo ab Philippo Hiſpaniæ Rege Belgium data Provincia. Fontenaïus Marchio iterùm Romam extrà ordinem Legatus. Olympia Aldobrandina quæ priùs Marco Antonio Burghеſio Sulmonis Principi nupſerat, hoc haud ita pridem mortuo, Camillo Pamphilio Pontifici fratris filio nubit. Camillus eâ cauſa Cardinalatum abdicat. Condæo data Catalonia cum exercitu provincia. Fruſtrà Ilerdam oppugnat. Polus è Melitenſi Militia ſex navibus fretus Neapolim versùs navigat, atque Hiſpanos perterrefacit. Rex ad Ambianos proficiſcitur. Inquiſitionis Romanæ decretis Gallos nihil teneri Senatus decernit. Britanniam Regina ſibi ſumit quam*

obtineat provinciam. Leopoldus in Belgio Armentariam ad deditionem redigit. Landrecium item ad deditionem redigit. Gaſſio Baſſæam, Ramſavius Dixmudam ſimiliter ad deditionem redigunt. Gaſſio Lentium oppugnat, quod deditum denique eſt. Ipſe ex vulnere quod eò acceperat interiit. Summa Quæſtura Bailleulio abrogata, atque Almerico mandata. Quid apud Neapolim geſtum. Eò Guiſii profectio. Franciſcus Ateſtinus Mutinæ Dux adverſum Hiſpanos bellum ſumit unà cum Rege, huic adeſt Eſtrada cum Gallicis copiis. Cremonam ducit. Fœdis tempeſtatibus regredi cogitur. Caſalium majus, & Rivarolam in Cremonenſi Agro cepit, quo Galli hybernavère. Germani equites pleríque ab exercitu Turenæ ſecedunt quia in Lucemburgenſem Agrum abducebantur. Fine anni in Germaniam redit. Joannes Philippus Schombornius Herbipoleos Epiſcopus Moguntini Capituli ſuffragiis Moguntinus Archiepiſcopus & Imperii Septemvir creatus ex voluntate Ludovici, qui Moguntiam præſidio tenebat. Garnerius Caſtellum ad Moguntiam, Bonicauſen Vormatiam fruſtrà tentat. Sueci rem ſtrenuè in Boiohemo gerunt adverſùm Auſtriacos. Maximilianus Baioariæ Dux Joannem Vertium injuſſu ſuo ad Imperatorem cum equitibus profectum ſimulat. Ab induciis palàm denique diſcedit. Pace Philippum inter, & Socias Civitates conſtitutâ Trautmanſtorfius Monaſterio Veſtfalorum diſcedit Hiſpanorum hortatu. Turbarum in Urbe ſemina. Longavilla primùm, dein Avauxius Monaſterio Veſtfalorum Trautmanſtorfii exemplo diſcedunt. 1647.

TOT tantaque anno proximo ab noſtris præclarè geſta magnam quidem nomini Gallico gloriam, famamque addiderant, cæterùm quotidianis ſumptibus opes minuebantur, quò factum eſt, ut hoc anno non eadem quæ antehàc fortuna Regni futura videretur. Præterea ab Sociis Belgarum Civitatibus ceſſatum, cùm propter graviorem in dies Henrici Naſſauvii Arauſii valetudinem, tùm quia omnia quæ ad pacem inter has,& Philippum Hiſpaniæ Regem, faciundam erant neceſſaria, inter earum,& illius Legatos apud Monaſterium Veſtfalorum convenerant. Nam Pavium, atque Knutium quos Hagam Comitis veniſſe diximus, nuntiatum Philippum Hiſpaniæ Regem Pacis ſuæ cum Gallis conditiones Annæ ſorori Reginæ permiſiſſe, ſimul de regiæ virginis Hiſpanicæ cum Rege nuptiis agi, tantùm de utraque re metum ſicuti propè confecta eſſet, Sociis Civitatibus injecerant, ut huic quovis modo prævertendum cenſerent, nam rati quæ ad ſe attinerent, ea Gallis quibus Philippus animum expleret, nihil curæ fore: plerúmque enim homines de aliis, perindè ac de ſe judicant. Cæterùm Pavium, atque Knutium Sociarum Civitatum Legationis facilè principes ab Hiſpanis multo auro corruptos fuiſſe aiebant, quò ſuis commodis ſervirent. Sed nihil apud utrumque largitione opus fuiſſe credo, nam iidem ante decennium Sociarum Civitatum nomine fœdus cum Ludovico XIII. Rege ſanciverant, quò unà bellum adversùm Hiſpanos poſthàc gererent, cujus fœderis leges hujuſmodi fuère, ut has propiùs intuenti haud difficile ſit animadvertere, Pavio, atque Knutio conſilium fuiſſe, uti poſtquàm Gallia Hiſpanico bello implicata foret

1647. Sociis Civitatibus ab hoc expedire ſe copia eſſet, cum Hiſpanis pacem faciundo, ad quam ut hi adigerentur, majore quàm Sociarum Civitatum opes ferrent, vi opus erat. Neque tùm fefellerat Richelium id Sociis Civitatibus conſilii eſſe, neque illi magnoperè probabatur nos id bellum ſumere, quod uti fieret, pervicerat Hercules Charnacæus Regis apud Socias Civitates Legatus, rei ſuæ ſtudens, quam ipſi amplam per id bellum fore Arauſius, atque hujus Uxor Æmilia Solmia receperant: adjuverat & Joſephus Clericus Tremblaius Capucinus, qui ſe negotiis quæ foris agebantur, apud Richelium immiſcuerat, & quò plus horum eſſet, eò ſuam huic operam magis neceſſariam fore arbitrabatur, quâ Cardinalatum promereri ſtudebat. Ita res publica ſicuti privata monet, ſæpiùs ab hominibus geritur.

Igitur ubi Pavius, atque Knutius Monaſterium redierant, eò pacis ſuæ cum Philippo negotium brevì deduxêre, uti propè confectum inſciis Gallis eſſet. Codicillis tamen qui de hujus conditionibus perſcripti fuerant, adſcribere nomina ipſis religio fuit, priuſquàm de re tantâ, & quæ tantoperè ad Regem pertinebat, cum hujus Legatis communicaſſent: ridiculum profectò fuit, hac communicatione videri voluiſſe fœderi ſatisfeciſſe, cùm id in ſtabiliundis pacis ſuæ conditionibus neglexiſſent: nam iſthuc fœderis legibus niſi nobiſcum unà, atque properantiùs facere vetabantur. Id verò Regis Legati expoſtulare graviter, & quæ Sociarum Civitatum Legati in eo negotio feciſſent, negare ſe adduci poſſe, ut ea crederent ex illarum voluntate facta: quamobrem ſpatium petere, ut harum eâ de re ſententiam exquirerent, quod uti facere poſſent, ægrè denique dies decem ab Sociarum Civitatum Legatis impetravêre, qui ubi exiſſent, illi ſeſe Codicillis nomina adſcripturos edixêre. Sed Gallicis Legatis ſubitò Hagam Comitis eâ de re Servianum mittere viſum, qui Sociarum Civitatum Conclium, Fœderatos Ordines appellant, de Legatorum ſuorum properantiâ doceret, atque operam daret, uti quæ uſquè fecerant, ea correcta, aut ſaltem tantummodò rata ſe habituros hoſtibus ſignificatum vellent, ubi & his cum Gallis de pace conveniret, intereà uſque Legatis ſuis præciperent, ut ne ſua Codicillis de pacis conditionibus nomina adſcriberent. Præterea quando hi tantoperè ab fœderis legibus diſceſſiſſent, ipſe cum Fœderatis Ordinibus, quæ ſecundùm fœdus ad firmandam, ubi ſancita cum utriſque foret pacem, providenda ac faciunda eſſent, de iis ita ageret, tranſigeretque, ut ab his diſcedendi neutris poteſtas, aut ullus in eâ re poſthàc ſi quâ fieri poſſet, calumniandi locus foret. Iſthuc ultimum & Adminiſtris in Aula venerat in mentem, probatumque his quidquid de Serviani profectione ad Hagam Comitis ipſe cum Longavillâ Legationis principe, & Avauxio Collegâ decreverat, ac denique miſſæ ad eum Regis litteræ ſunt, quas Fœderatis Ordinibus redderet, & quibus ſignificabatur, hunc ad eos extrà ordinem legari, rogabatque Rex, uti de omni republicâ dicenti, agentique fidem habere vellent: præterea huic miſſa ab Rege, atque Regina matre man-

data ſunt, quibus de mutuâ inter Regem, ac Socias Civitates Cautione, quò utriſque conditiones futuræ pacis ab hoſte ſervarentur, ſeriò agere jubebatur, ex ſuâ ipſius, Collegarumque ſicuti diximus ſententiâ: ſed hæc Regis mandata longè ampliora fuére, quàm quæ ipſi apud Monaſterium Veſtfalorum unà decreverant. 1647.

Fabium Chigium Pontificis Nuntium, ac Ludovicum Contarinum Venetorum Legatum quos Pacificatorum partes apud Monaſterium Veſtfalorum ſuſtinere diximus, haud ſatis nobis æquos eſſe Regis Legati ſuſpicabantur, atque id experti fuerant, in quibuſdam noſtris cum Hiſpanis controverſiis, quos ſimulaverant acriores in his fuiſſe, quàm reverà fuerant. Eò Legati Gallici omne pacis inter Ludovicum, & Philippum negotium Sociarum Civitatum Legatis rectiùs ſe permiſſuros exiſtimaverant, quod nobis denique fraudi fuit. Nam Pavius, & Knutius eò ampliorem maturandæ pacis ſuæ copiam habuêre. Ille miſſus ab Batavorum Civitate hujus de pace ſtudio naviter ſerviebat, namque hæc navigationi, & quæſtui maximè dedita magis ad ea quibus ſinguli ditantur cives, quàm ad bellum, quo res Sociarum Civitatum publica uſquè crevit, attendere ſolet: hic Zelandiæ publicè Legatus, privatim Arauſii cliens erat, qui tum ob perditam valetudinem, ſicuti fermè homines tali ſuo tempore, in uxoris Solmiæ fuit poteſtate: quæ quoniam ab Mazarino haud ſatis ſe cultam arbitrabatur, eò nobis infeſta erat, atque omni ope nitebatur, uti pax Hiſpanos inter, & Socias Civitates poſthabito fœdere noſtro ſanciretur, de quâ re Knutium continuò, ſicuti & Batavorum Civitas Pavium, fatigabat. Sed hunc ipſum Civitatem ſuam in hac confirmaſſe ſententiâ Legati noſtri aiebant, & utrumque Hiſpanos docuiſſe, quid ipſis facto opus eſſe cenſerent, quid Legatorum Sociarum Civitatum, quid Gallicorum poſtulatis reſpondendum, ac denique ſi quos ex illis fœderis noſtri religio teneret, eos metu territandos eſſe, ut Hiſpani poſthabitis Sociis Civitatibus, cum Gallis pacem conficerent: facile certè fuit Sociarum Civitatum Legatis quam lubuit moram pacis noſtræ, ſuæ autem negotio properantiam adferre, cùm Legati Gallici nihil niſi illorum operâ cum Hiſpanicis agerent.

Fuere eâ tempeſtate qui ita exiſtimarent, non tam eâ de causâ quam diximus, ab Fabio Chigio, & Ludovico Contarino res noſtras ad Sociarum Civitatum Legatos tranſiſſe, quàm quòd illi cum Longavillâ colloquentes Celſitudinis titulo ſe abſtinebant, nihil ampliùs huic tribuendum arbitrati, quàm cæteris Legatis, quibus Excellentiæ titulus proprius eſt. Longavilla verò alterum Principibus è regiâ Gente viris debitum ſibi tribui æquum cenſebat, cujus majores jam indè ab Caroli VI. Regis temporibus tales habiti fuiſſent.

Sed ubi Servianus Hagam Comitis advenerat, datumque huic Sociarum Civitatum Concilium eſt, in hunc fermè modum diſſeruit. *Eò ad vos Ampliſſimi Ordines ab Rege legatus ſum, uti vobis redigam ad memoriam, quàm pulchrè fœdus antehac ictum utriſque proceſſerit: ita ut ſi bel-*

1647. *lum continuare placeat, huic victoriâ integrâ, ac pulſis omni Belgio Hiſpanis finem facere copia ſit. Quod tametſi amplum, atque magnificum utriſque futurum fuiſſe Rex judicaverit, tamen me, atque Avauxium, dein Longavillam de Pace Legatos Monaſterium miſit, quod certiſſimum illius de hac faciundâ ſtudii argumentum eſt. Cùm eòdem Legati veſtri nondum adveniſſent, Hiſpanici nuſquàm deſiêre nobis ferre conditiones, quas omnes conſtanter reſpuimus, atque his ſignificavimus nullam Regi pacem niſi cum Sociis Civitatibus unà futuram.*

Ubi vero Legati veſtri advenerant, his ſtatim omne cum Hiſpanis pacis noſtræ negotium permiſimus, atque his interpretibus, & quaſi arbitris uſi ſumus, quâ ſociali fide nulla major uſquàm fuit. At illi de pace noſtrâ nihil ſoliciti in ſuâ tantùm adproperavêre, uti contra quàm fœdere cautum ſit, de omnibus hujus conditionibus cum Hiſpanicis convenerint, & vix ab illis dierum decem mora ſit impetrata, uti priuſquàm Codicillis, qui de his conditionibus perſcripti ſunt, nomina ſua adſcriberent, quid de tantâ properantiâ ſentiretis reſciſcere poſſemus, & quantùm hæc rei publicæ noceat vos edoceremus. Id verò facturus ad vos veni, ſimul oſtenſurus poſtquàm Legati veſtri Monaſterium Veſtfalorum advenêre, nihil nos in pacis noſtræ negotio tergiverſatos; ſed ipſos Hiſpanicos Legatos, qui ubi veſtri de hujus conditionibus cum illis collocuti ſunt, aut ubi ſcripta noſtra illis tradidêre, omnia in his difficilia, nec ſatis æqua invenire ſe ſimulavêre, quæ autem ad vos pertinuêre, in iis ſe faciles de induſtriâ præbuêre, uti vobiſcum pacem Gallicâ infectâ ſancirent.

Tantùm autem hujus ſtudium Legatos veſtros tenuit, uti nihil nos expectantes, aut quemadmodum fœdere cavetur, ſuſtinentes ſe pacis veſtræ negotium eò deduxerint, uti nihil propè ad hanc conſtabiliundam reliquum ſit, quàm uti conditiones de quibus cum Hiſpanis convenêre, in Tabulas referantur, neque abeſt ſuſpicio, quin & his ſpem fecerint, id propediem factum iri, niſi quæ vobis æquæ conditiones videbuntur, eas Galli acceperint. Nos vero veſtrâ Ampliſſimi Ordines fide freti negavimus id nos arbitrari ex veſtrâ ſententiâ factum. Nam haud veriſimile nobis fuit, vos fœderis noſtri oblitos eſſe, quo præter bello parta, hunc fructum ingentem cepiſtis, uti vobiſcum pacem Hiſpani factam vehementer velint, qui antehàc ad inducias ægrè impelli potuêre; pacem videlicet per cujus conditiones Socias Civitates liberas, & ſui ipſarum juris eſſe cognoſcant.

Sed quemadmodum ubi induciarum quæ cum his ſicuti cum liberis Civitatibus factæ fuerant, tempus exierat, rurſùm has Hiſpaniæ Regi ſubjectas eſſe debere contenderunt, ita ubi illis bonum erit, atque commodum pacem quam nunc invitiſſimi faciunt, violare, nemini dubium eſt, quin iterùm illas liberas eſſe debere negent. Certè ut huic rei prævertatur, nihil utilius, ac magis neceſſarium Civitatibus eſt, quàm Regis Cautio, hunc videlicet quoties Hiſpanis iſthuc facere conſilium erit, toties adverſùm hos arma unà cum Sociis Civitatibus denuò ſumpturum, qui ſic perpetuus veſtræ libertatis vindex futurus eſt. Hæc certè Cautio fœdere noſtro pridem ſancita eſt, quo alteros quæ pace ſancita forent, ea alteris præſtituros convênit. Sed illâ confirmatâ, atque corroboratâ opus videtur, ut ne poſthàc in ea re ullus calumniandi locus eſſe poſſit.

Scio

Scio enim nonnullos quibus haud magna fœderum religio eſt, hanc noſtri conditionem coarctatam velle, atque eâ gratiâ Juriſperitos conſuluiſſe, qui ſuo more pro eorum ab quibus conſulebantur lubidine reſpondêre, fœdus Civitatibus Sociis cum Rege æquum intercedere, quo illæ non plus Regi, quàm hic illis præſtare teneatur. Id quidem verum eſt, ſed non ſicuti Juriſperiti cenſent: hi enim fœderis æquitatem, atque adeò Cautionem mutuam quibuſdam terrarum terminis finiunt, quos nobis intra Pyrenæum, & Alpes conſtituêre; quidquid pacis noſtræ cum Hiſpaniæ Rege legibus cautum fuerit, id vos nobis intra hos fines modò præſtare debere cenſent. Sed fœderis inter Reges, Populoſve æquitatem, non ex regionum quas poſſident, magnitudine metiri mos eſt, ſed ex omnibus utrorumque rationibus, ubi has alteri ut alteris præſtent, illo fœdere cautum eſt. 1647.

Ex hac norma, quæ veriſſima, ac certiſſima eſt, ubicumque Hiſpaniæ Rex quam cum Rege ſanciverit pacem eam violaverit, hanc vos Ampliſſimi Ordines huic præſtare debebitis, non ultrà Pyrenæum, & Alpes bellum unà cum Rege adversùm Hiſpanos gerendo, ſed in Belgio modò id ſumendo denuò, ſicuti fœdere cautum eſt: quemadmodum ſi viciſſim Hiſpaniæ Rex pacem quam cum eo ſanciveritis violabit ubicumque terrarum, etiam in India, Rex item adversùm hunc non eò bellum gerere tenebitur, ſed hoc unà vobiſcum ſumere denuò in Belgio ex fœdere. Mirum profectò tantùm quibuſdam apud vos ineſſe pacis ſtudium, ut hanc vel poſthabito fœdere noſtro faciundam exiſtiment, homines præproperi, neque ſatis perſpicientes quantùm rei ſuæ publicæ interſit, pacem hoſtis, an amici, ac ſocii Regis fidei permittere, illius nullam, aut fluxam, hujus non modò uſque inviolatam eſſe, ſed & egregiâ liberalitate, ac perpetuâ erga Socias Civitates munificentiâ cumulatam: quæ ſi moram aliquam in pacis ſuæ negotio patientur hujus honoris causâ, officio modò fuerint functæ, nedum ullam tantorum Regis erga ſe meritorum partem aſſecutæ: nam illud fœdere cautum eſt, compluria autem Rex Ludovicus XIII. ac Ludovicus filius eaque ingentia ſupra quàm fœdere caveatur, Sociis Civitatibus utiliſſima perpetuò fecere.

Atenim hunc in pacis negotio tergiverſari aiunt: ſed id Hiſpanicorum Legatorum fraude, ac nimiâ veſtrorum contra quàm fœdere cautum eſt, properantiâ factum ſuprà oſtendi. Profectò vix adducor, uti credam tantam ineſſe præterea quorumdam animis inſcitiam, aut pravitatem, uti pacem ſuam fore firmiorem exiſtiment, ſi porrò inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges bellum erit, quàm ſi pace cum utriſque factâ hanc Rex Sociis Civitatibus præſtare debeat ex fœdere, atque adeò ab hoc diſcedere nihil penſi habeant. Nam præterquàmquod ex alienis, ac maximè amicorum, & ſociorum incommodis ſua comparare commoda flagitioſiſſimum eſt, hoc certè pacto pax firma vobis foret, quamdiù bellum inter ambos Reges eſſet, quod alterius victoria denique eſſet deſiturum: Si Regis Ludovici victoriâ, omne Belgium quod tunc in Regis Hiſpaniæ ditione eſt, in illius ditionem tranſibit, quod certè vobis haud æquè cordi futurum puto, quàm ſi hujus partem quæ vobis fœdere noſtro deſtinata eſt, habueritis, cujus rei vobis tamdiù ſpes erit, quamdiù fœderi noſtro ſteteritis: ſin contrà Philippi Hiſpaniæ Regis victoriâ bellum deſinat, hanc certè Ludovico Regi noſtro feret conditionem, ut ne vos ulla re deinceps juvare velit, qui adeò Gallico au-

1647. *xilio deſtituti tantò infirmiores adverſùm illum tàm inſigni victoria præclarum eritis.*

Quamobrem longè præſtat utrimque colere, atque ſervare fœdus, nam hoc pacto pacis violandæ ubi facta fuerit, idem metus injicietur hoſti, quo nunc adductus hanc ſibi neceſſariò faciundam ſentit, ſcilicet ut ne adverſùm Regem, & Socias Civitates denuò bellum defendendum habeat. Id mutua Cautione quæ fœdere ſancita eſt, planè fiet, ac maximè ſi hanc confirmatam, atque corroboratam hoſtes intellexerint, cujus rei gratiâ iſthùc veni ſimul vos Ampliſſimi Ordines quibus conditionibus Rex ſuam cum Hiſpanis pacem factam velit, edocturus, ut earum æquitatem pernoſcatis, neque per hunc ſtare, quin ab utriſque unà fiat. Intereà neceſſe videtur, uti quod ab Legatis veſtris properantiùs cum Hiſpanicis factum eſt, id nullam vim habiturum edicatis, uſque dùm & cum Gallicis convenerint: dein ut id hoſtes ſentiant, bellum ſummâ vi ſicut antehàc factum fuit, ita & porrò geri velitis, quâ re nihil validius eſt, ad pacem utrimque æquis conditionibus habendam. Poſtremò hæc Regis erga vos benevolentia eſt, uti longè plura quàm fœdere tenetur, ſicut uſquè fecit, veſtrâ causâ porrò facturus ſit, neque quidquam ab ſe quod præſidio, aut ornamento Reipublicæ veſtræ futurum ſit, huic deſieri paſſurus.

Priuſquàm Serviano Sociarum Civitatum Concilium daretur, harum Legatos apud Monaſterium Veſtfalorum Codicillis de pacis ſuæ conditionibus nomina ſua adſcripſiſſe, atque ſigna appoſuiſſe reſciverat, ac vix exſculptum fuiſſe ab his, ut hanc conditionem Codicillis adſcriptam vellent, fœdere videlicet inter Regem, & Socias Civitates confirmato anno CIↃ. IↃC. XLIV. cautum eſſe, ut ne hic, aut Sociæ Civitates pacem cum Philippo Hiſpaniæ Rege ſancirent, niſi unà, atque ex communi ſententiâ, neque adeò quæ cum Hiſpanicis Legatis conveniſſent, ea fœderis vim habitura, niſi ubi & cum Gallis de pacis conditionibus conveniſſent. Unus modo Niderhoſtus Trajectenſis Civitatis Legatus negavit ſe ne cum hac quidem de Gallicâ pace clauſulâ nomen ſuum Codicillis adſcripturum, aut fidem Civitatis tantâ adverſùm Regem potentiſſimum, amicum, ſociumque injuriâ labefactaturum, dignus certè cujus fama vel ob tantam integritatem, fidemque, ad poſteros perveniat. Sed iſthæc Servianus ubi primùm apud Fœderatos Ordines de re publicâ diſſeruit, ſibi diſſimulanda eſt arbitratus, ut ne graviùs in Pavium, & Knutium ſicuti res monebat, dicere cogeretur, quod tamen poſteà fecit.

Delecti deindè ex Fœderatis Ordinibus quidam, cum quibus Servianus ageret: hic ipſis mutuæ de pace ab Hiſpanis ſervandâ utriſque ubi ſancita foret Cautionis conditiones tulit. *Uti videlicet Hiſpani omni Belgio faceſſerent, atque omnes provincias, Urbes, oppida, atque Arces Philippus Hiſpaniæ Rex Belgis quibus videretur permitteret, ac Belgii quibus finibus id poſſidet Ordines pacem certam, ac firmam fore Gallis, ac Sociis Civitatibus caverent, ab qua tamen conditione Rex, ſi Sociis Civitatibus videretur, diſcedere non recuſaret. Quæ Sociarum Civitatum Legati cum Hiſpanicis uſquè egiſſent, tranſegiſſentve, ea ut ne illis rata eſſent, donec Hiſpani & cum Gallis de*

omnibus Pacis conditionibus conveniſſent, & ſicuti fœdere cautum ſit, nulla pax niſi quæ unà ab utriſque facta fuerit, eſſe cenſeatur. Legati Civitatum ut ne ultrà quidquam de pace cum Hiſpanicis faxint, & ab Gallicis admoniti uti ceſſent, id ipſis continuò obſequantur, quod & Gallici ſimiliter admoniti facturi ſint, ſicuti fœdere caveatur. Intereà utrimque maximâ vi adversùm Hiſpanos bellum geratur, donec de pace convenerit, & utriſque ratam eſſe conſtet. Omnis ſpes Hiſpanis utrimque præcidatur, alteros ſeorſim ab alteris pacem facturos, atque id ipſis alteri quoties alteris viſum fuerit, ſignificent. Si poſt ſancitam cum utriſque pacem, Imperator, Hiſpaniæ Rex, ſeu quis ex Auſtriaca Gente horum ſocius, clienſve, aut qui horum ſequatur Sectam, provincias, oppida, arces, quas ubi pax fiet Rex, aut Sociæ Civitates obtinebunt, aut quæ per pacis conditiones penes alterutros manſerint, aut his traditæ fuerint, oppugnabunt, ibi Rex, & Sociæ Civitates adversùm hos denuò bellum ſumant, gerantque, neque pacem faciant, niſi ex præſcripto legum V. IX. *&* X. *fœderis anno* CIↃ.IↃC. XXXV. *icti, id & Hiſpanis ubi pax fiet, ſignificetur. Cùm Sociæ Civitates de induciis quas primùm habere decreverant ſententiam mutaverint, ac pacem malint denique, ita & quas Regi ut harum commodis ſerviret inducias in Catalonia eſſe placuerat, earum vice uti pax in Catalonia ſit, ipſæ per Legatos ſuos operam dent, ad quam ſi Hiſpani adduci non poterunt, triginta annorum illic induciæ ſint, atque ubi harum tempus exierit, Sociæ Civitates unà cum Rege Hiſpanos armis adigant, ut has continuatas velint, & abnuentes bello perſequantur, nullis conditionibus niſi quæ fœdere ſancitæ ſint, deſituro. Hæc cæteris omnibus fœderum priſtinorum conditionibus nihil obſtent.* 1647.

Quamvis maturando pacis negotio ab Civitate ſuâ Pavius mandata habuiſſet, præceptumque huic fuiſſet, uti Codicillis de hujus conditionibus nomen ſuum adſcriberet, quod & idem Solmia Knutio faciundum edixerat, ambo tamen ubi Servianus Fœderatos Ordines edocerct, quantùm in eâ re ab fœdere diſceſſiſſent, metuebant ut id præproperè, neque ex ſententiâ ſuâ factum fuiſſet, ac fortè quidpiam graviùs de ſe decernerent. Eò comparavêre inter ſe, uti Pavius Monaſterii Veſtfalorum maneret, qui Longavillam, & Avauxium Gallicos Legatos vanâ Gallicæ pacis ſpe deluderet, Knutius verò Hagam Comitis proficiſceretur, cum tribus collegis, Pavii, ac cæterorum qui nomina Codicillis adſcripſerant, cauſam acturus adversùm Servianum, quem in hos graviùs dicturum, neque enim aliter poterat, non ambigebant.

Ex his tribus erat Niderhoſtus, qui ſe Codicillis nomen adſcripturum negaverat: nam per ejus abſentiam omnia ſibi liberiora fore ad malefaciundum Pavius exiſtimabat. Intereà hic atque unà Collegæ qui Monaſterii Veſtfalorum reſtitêre, ad Gallicos, & Hiſpanicos Legatos commeavêre, ut horum controverſias minuere velle viderentur. De Longonis portu, atque Plumbino oppidis ad Etruſcum mare poſitis tunc magna inter illos erat contentio: nam hæc Hiſpani ab Rege ſibi reddi æquum cenſebant, eò freti, quòd convenerat ambos Reges quæ oppida in Italia præſidiis tenebant, ea dominis reſtituturos, Pinarolo,

1647. Caſalio, ac Moneco exceptis: contra Galli dicebant iſthuc de oppidis modò quæ ante hæc bella Italicorum Principum fuiſſent intelligi, at Longonis portum, ac Plumbinum Hiſpaniæ Regis fuiſſe, quæ Ludovicus bello ceperit, atque adeò cum cæteris eodem modo captis penes hunc manere debere.

Serviani ad Hagam Comitis profectio non Pavium modò, ac Knutium, ſed & Hiſpanicos Legatos magnoperè ſolicitos habuit: nam ſi amborum fides apud Socias Civitates, aut Fœderatos Ordines minueretur, jure metuebant, uti ſibi utriuſque opera poſthàc minùs procederet. Quamobrem Antonium Brunum eòdem mittere decrevêre, his patrocinaturum, ac ſimul de republicâ quàm egregiè utrimque geſta eſſet, Fœderatos Ordines edocturum, ut ne ab his quæ apud Monaſterium Veſtfalorum conveniſſent, uſquàm recedere vellent. Hic fori rerum in quibus ætatem egit, prudens, neque aliarum ignarus eſt, cæterùm ingenio populari, aptiſſimoque fuco plebi faciundo. Eâ gratiâ libellos ſæpiùs apud Monaſterium Veſtfalorum edebat, haud illepidos hos quidem, ſed qui ſaperent Atellanum, & quibus plebeiâ planè laſciviâ ipſi ab naturâ inſitâ maledicta in Legatos, cæteroſque Gallos jaceret, omnemque eorum tàm in bello gerendo, quàm in pacis negotio rationem vituperaret. Gaſpar Bracamontius Comes Pegneranda Hiſpanicæ Legationis princeps hunc ſe mittere Bruſſellas fingebat ad Caſtellorodericum Marchionem, ut hujus de Longonis portu, & Plumbino ſententiam exquireret, quam ubi reſciſceret, ſpem faciebat Gallicis Legatis, nihil opus fortè futurum Philippi mandata eâ de re opperiri: cæterùm Brunum ubi ab Bruſſellis rediret, Hagâ Comitis iter habere juſſerat, atque eò obniti Serviano, & quidquid diceret, faceretve, quò fœderis noſtri religio Sociarum Civitatum mentibus porrò inhæreret, id aut confutaret, aut eluderet, ac denique ex ſententiâ Knutii quæ ad augendam hujus, atque Pavii fidem, & gratiam apud Socias Civitates pertinerent, ea ſedulò diceret, ac faceret.

Sed ubi Brunum Hagam Comitis venturum fama vulgaverat, ibi Servianus ſi id hoſti per Fœderatos Ordines liceret, continuò ſe abiturum edixit, de quâ re ubi Fœderati Ordines conſultavêre, Solmia Arauſii uxor pro Bruni adventu apud amicos egit, vir autem cujus ſententiam de re tam gravi Ordines exquirendam cenſuerant, Bruno veniundi poteſtatem faciundam eſſe negavit, qui ſicut ille cenſuerat, ita decrevêre. Id ubi Brunus reſcivit, porrò iter facere perrexit, neque Hagam Comitis venit: ſed Deventere ad Fœderatos Ordines litteras dedit, quarum hæc ſumma fuit.

Hiſpanis non eſſe conſilium Gallorum, atque Civitatum Sociarum dirimere fœdus, ſed ſicut hæ pacis æquas conditiones acceperint, ita illi conſimiles accipiant. Socias Civitates in eo negotio ſua, Gallos & aliena curare velle. Sed quæ utriſque communia ſint, de iis modò ſtatuendum videri: at hæc non ultrà Pyrenæum, & Alpes quærenda: quæ his finibus continentur, ea certè ad Gallos, & ad Socias Civitates pertinere cenſeantur. Sed quid his cum Principibus Italicis? cum

Caſalio? cum Rhætis commune eſſe? quorum controverſiæ, bellaque ante Gallorum cum Sociis Civitatibus fœdus cœpta, dein conditionibus compoſita ſint. Quid ad eos Joannis Bragantiæ Ducis ſeſe Luſitaniæ Regem ferentis, quid Eduardi fratris merito in vincula conjecti res? Quid Epiſcopi, & Capituli Leodienſis? queis oppida quædam reddi, ac reſtitui Galli poſtulent? Non pro victoribus modò, ſed & ſuprà victores agere, qui non ea ſolum quæ armis ceperint retinere, ſed & de alienis pro lubidine decernere æquum cenſeant. 1647.

Sociis Civitatibus cum Gallis æquo jure fœdus conſtitutum intercedere, quod hujuſcemodi non eſſet, ſi plura illæ his, quàm hi illis præſtare deberent. Præterea tàm Sociis Civitatibus licere cum Hiſpanis clam Gallos, aut ſeorſim, quàm his cum Imperatore, Baioariæ Duce atque aliis clam Socias Civitates, aut ſeorſim de pace agere. Gallos ingentia, infinita, iniqua poſtulare, ut ne Sociis Civitatibus, aut ulli niſi ubi velint, atque ambitionem ſuam, ac dominandi lubidinem expleverint, pacem habere copia ſit: quibus ſi rem, & ſanguinem ſuum diutiùs gratificari Sociæ Civitates velint, inauſpicatò Philippi Legatos Monaſterium Veſtfalorum veniſſe, ac tantùm laborem ferendis, accipiundiſque conditionibus fruſtrà ſuſceptum.

Sed hæ quandò Hiſpanis, ac Sociis Civitatibus placuerint, neque Galli quæ his æquiſſimæ vel ipſo Sociarum Civitatum, aut Legatorum quos Monaſterii habeant judicio latæ ſint, eas accipere velint, poſthabitis iis pacem omninò inter Philippum, atque eas ſanciundam. Sin aliter Sociis Civitatibus videatur, id maturè, quàm ſeriùs ſignificare tolerabilius fore: nam rem tantam diutiùs incertam eſſe, nec earum fidem, neque Philippi dignitatem pati: eò ſe Hagâ Comitis ſi per eas licuiſſet iter habiturum fuiſſe, uti quid ipſis ſententiæ eſſet, bellum porrò an pacem mallent ab ipſiſmet coràm reſciſceret: non ambigere ſe quin pax magis placeat, quâ iis jus parare, aut bello partum Philippi ad quem ea res plane pertineat voluntate tenere, copia ſit, cujus rei occaſionem ſibi oſtentatam ſi amitterent, eamdem fortè, poſthàc fruſtrà expectaturos: nam quandò nulla cum Gallis pacis ſpes ſit, hos ſi opperiri velint, ſeſe cum cæteris Hiſpaniæ Legatis Monaſterio abiturum, uti Philippo majori quàm antehàc conatu adverſùm tantam hominum pertinaciam bellum apparanti adeſſe poſſint. Inter hæc non omiſerat Brunus commemorare quid fidei Hiſpani Sociarum Civitatum Legatis habuiſſent, quos ſuarum cum Gallis controverſiarum arbitros cepiſſent: *Idem ſe porrò, Collegaſque facere, aut ſi placeret Civitatibus ipſis ea de re cognoſcere, hanc ipſis plane permiſſuros.*

Amicitia, fœdus, belli Societas, quæ Sociis Civitatibus cum Rege intercedebat, Fœderatos Ordines monebat, impellebatque, uti Bruni litteras Serviano illius Legato haud occultas haberent, quibus ille ſedulò perlectis, cognitiſque omnibus quæ iis continebantur, ad hæc eo fermè modo reſpondit. *Quòd Bruni litteras Ampliſſimi Ordines mecum communicatas voluiſtis, id enimverò mihi indicio eſt, fœdus noſtrum vobis magis curæ eſſe, quàm veſtris apud Monaſterium Veſtfalorum Legatis fuit. Non omnes accuſo, ſed eos modò, quos cum Hiſpanicis Legatis congruere prope nemo neſcit. Eorum conſilio, judicioque Philippus quidam Rex iſthuc venit, miſſus ab Caſtelloroderico Marchione, uti quæ vos docenda haberem, iis præverteret, atque nos in pa-*

1647. *cis negotio conſultò tergiverſari falsò demonſtraret : iiſdem autoribus Brunus Bruſſellas iit, Caſtelloroderici de Pacis conditionibus conſulendi ſpecie, reverâ autem uti Monaſterium Veſtfalorum rediens iſthâc haberet iter, & quæ Pavio, atque Knutio viſa ſunt, ea vobis narraret, ac pacem poſthabito fœdere noſtro ſicut ab illis cœpta eſt, ita conficiundam eſſe perſuaderet.*

Eâ de re habitâ ab Hiſpanicis Legatis cum utroque conſilia ſunt, atque illi primùm optimum factu cenſuerant, ut ambo Hagam Comitis proficiſcerentur : ſed tùm uterque Hiſpanos docuit, hâc amborum profectione palàm fore ea quæ occulta eſſe oporteret : eò rectius exiſtimare alterum modò iſthûc proficiſci, dein Brunum Bruſſellis redeuntem hâc iter habere, ut ex compoſito inter hunc, ac Knutium quæ facto opus eſſet apud vos fierent.

Rectè certè, atque ordine Bruno iſthûc veniundi poteſtatem facere noluiſtis, ſcilicet & Galliæ, & Sociarum Civitatum hoſti, qui fœdus inter utroſque pridem ſancitum non magis ex Hiſpanicorum Legatorum, quàm ex Pavii, & Knutii cum quibus planè congruit ſententiâ diſturbatum, ac profligatum veniebat. Falsò igitur hic litteris ſuis negat Hiſpanis id conſilii eſſe, qui jamdiù iſthuc in Gallia tentavêre, per Pontificis Nuntium, per Matthæum Marchionem, qui uti ſibi Lutetiam Pariſiorum venire liceret, ſæpiùs per litteras poſtulavit, pacis conditiones quàm æquiſſimas ſicut aiebat laturus : hic vero liquidò ſcripſit, fruſtrà Gallos hærere fœderi, quod ſibi cum Sociis Civitatibus intercederet, cùm his non eadem religio eſſet : id ſe nobis demonſtrare paratum Codicillis de conditionibus pacis Hiſpanos inter, & Socias Civitates ſanciundæ perſcriptis, quibus Knutius nomen adſcripſiſſet. Sed Matthæo non eſt facta Lutetiam Pariſiorum veniundi poteſtas, neque quidquam ſibi de pace cum hoſtibus agendum Rex uſquàm exiſtimavit, niſi unà cum Sociis Civitatibus, & quo convenit loco. Sed & ne illîc quidem Hiſpani deſiêre tentare nos, ſi quo pacto ad pacem ſeorſim faciundam adducere poſſent.

Certè ſi nobis pacatis uterentur, faciliùs ſibi porrò fore bellum adverſùm Socias Civitates judicabant, quàm ſi pacatis Civitatibus, id adverſùm nos porrò gererent. Sed cùm nobis domi, foriſque eamdem fœderis religionem, eamdem fidem eſſe ſenſêre, poſtremò ad Socias Civitates ab nobis ſejungendas animum adjecêre, jam freti Knutii Codicillis, quos ubi de nobis ſpes erat, parvi penderant. Igitur hoc, atque Pavio ſibi magis ac magis conciliatis, amborum operâ ita uſi ſunt, uti plus Philippo Hiſpaniæ Regi, quàm Sociis Civitatibus proceſſerit, eòque negotium pacis deduxerint, uti jam pro confecto habeatur. Falſum igitur planè eſt, quod Brunus dicit ſe fœdus quod Sociis Civitatibus cum Rege intercedit, inviolatum velle : neque id ab eo exigere, aut expetere nobis in mentem venit, ſed ab Pavio, & Knutio jure expectavimus. Contrà verò cum Hiſpanicis Legatis uterque congruit, contulitque cum his conſilia, ut in eamdem de fœdere noſtro in pace facundâ poſthabendo ſententiam vos Ampliſſimi Ordines adducerent, atque Collegas variis artibus ab hujus religione abducerent, quibus denique vix per hos licuit Codicillis de pacis conditionibus perſcriptis clauſulam quâ Galliæ utcumque cavetur, adſcribere.

Ipſius Pavii, atque Knutii operâ anno CIƆ. IƆC. XXXIV. & XXXV. *fœdus Ludovicum XIII. Regem inter, & Socias Civitates ictum fuit : nihil illi cau-*

ſæ tùm erat, quamobrem adversùm Hiſpanos ſuo nomine bellum ſumeret, quod tuendis modò amicis antehàc geſſerat. Id Sociis Civitatibus gratificatus eſt, quò validiores adversùm Philippum Hiſpaniæ Regem eſſent, libertati ſuæ, ac juri ab majoribus parto tuendo. Sed mirum fuit poſtquàm Rex bellum in Belgio ex fœdere magnâ vi cœperat, id contrà ab his ſegniùs geſtum, ac denique ubi tàm ſeriò, atque acriter in communes hoſtes egimus, uti ſi Sociæ Civitates pro virili anniti voluiſſent, omni Belgio brevì abigi poſſe viderentur, inventos eſſe Pavio, atque Knutio conſimiles, quos res proſperæ magis, quàm ſi adverſæ eſſent ſolicitos habuerint, & quod fœdere cautum fuerat, de abigendis omni Belgio Hiſpanis infectum vellent. 1647.

Id adeò palàm fuit, uti nullos propè, nedùm Gallos latuerit, quos cùm dominandi ſtudium ad id bellum non impulerit, eò facile ad pacem faciundam adducti ſunt. Sed hanc ſibi juxtà, atque Sociis æquam cupiunt, neque committent, ut ullo metu adducti hanc ſanxiſſe videantur. Hæ ſunt Regi opes, quibus fretus quod ſponte facere noluerit, id ab quoquam uti faciat cogi non poſſit. In Italiâ, in Hiſpaniâ, in Germania, in Sequanis, præterquàm in Belgio juſtos habuit, atque etiamtùm habet exercitus, quibus bellum adversùm quoſvis hoſtes gerere, nedùm defendere poteſt. Qui igitur ſi Sociæ Civitates pacem cum Hiſpanis fecerint, ad hanc & Regem adigi neceſſe eſſe credunt, ii vehementer errant. Sed ſicuti bellum adversùm Hiſpanos ultrò Ludovicus pater ſumpſit, uti Sociis Civitatibus gratificaretur, ita & Ludovicus filius id uti commodis earum ſerviat, lubentiſſime omittet, pacemque faciet, at æquis conditionibus, & quæ rebus ab patre, dein ab ſe præclare geſtis dignæ ſint, quarum copiâ, atque magnitudine pacem Sociis Civitatibus juxtà, ac ſibi peperiſſe magnificum exiſtimabit. Sed hunc ab eâ pace, quam ipſis ſuâ virtute, ſuis opibus, ſuâ Societate confecit, probiberi, ſicuti Pavio, & Knutio videtur, ab æquitate procul abeſt.

Quæ de utroque ſuprà dicta ſunt, ea certè ægrè adductus ſum, ut dicerem, cùm ſatis ſciam id horum propinquis, affinibus, atque amicis moleſtum fore, magnamque adversùm me concitaturum eorum invidiam. Sed quæ ad rempublicam pertinent, ea vos Ampliſſimi Ordines celare propiùs crimen eſſet, nec id patitur fœdus, quod Regi vobiſcum intercedit. Piget me multa, infinita, quæ Pavii, atque Knutii prava conſilia certò demonſtrant, proloqui. Cùm nos de republicâ Legatos veſtros quandoque adiiſſemus, ac de controverſiis inter Gallos, & Hiſpanos colloqueremur, eò Pavius, ac Knutius evasêre, cauſam illorum agentes, uti Matheneſſa fœderis, & amicitiæ memor, graviter utrique edicendum exiſtimaverit, indignum videri tantâ contentione pro hoſtibus, adversùm Socios, ac Fœderatos agi.

Cùm quidpiam grande moliri Hiſpanos reſciviſſemus, quod & ad Socias Civitates pertineret, ac Legatos veſtros pro fide ſociali ea de re feciſſemus certiores, continuò unus ex his ad Hiſpanos ſcilicet properavit, hanc rem ad eos deferens, ac ſimul monens, quæ domi dicerent, molirentur, ac facerent, ea foras efferri ac nobis renunciari.

Hiſpani nobis plerùmque dixêre, ubi in conditionibus pacis quidpiam nobis concedere vellent, id ut ne facerent Legatos veſtros ſæpiùs obſtitiſſe, quod ſingillatim in Cataloniæ negotio clarum fuit, quò cum Hiſpanis ſatis placeret triginta an-

1647. *norum inducias eſſe, Pavius ut ne plus viginti quinque annorum eſſent nobiſcum contendit: in Caſalii item negotio, cùm id ipſi permiſſum ab Hiſpanis fuiſſet, hujuſmodi conditiones nobis tulit, quas accipere non poſſemus, ſcilicet quæ duriores eſſent, quàm quæ ab Hiſpanis ipſis priùs latæ fuiſſent, quin & has ipſe quas ſponte ſuâ, judicioque Gallis tulerat, eas Collegarum injuſſu perſcriptas tradidit, uti penes communes hoſtes eſſet, quò nos arguere poſſent, ne Sociorum quidem noſtrorum ſententiæ in hoc negotio ſtare voluiſſe.*

Quàm liberaliter, ac munificè Henricus IV. Ludovicus XIII. ac Ludovicus XIV. Reges Socias Civitates habuerint, omnibus notum eſt, neque his Regibus invidiam moviſſe quidquam, quod bello geſſerint, ſed eas ſemper florentes, atque auctas voluiſſe, atque id operam quantum ipſis copia fuit dediſſe, uti verè dici poſſit rem harum publicam eorum quidem qui hanc geſſerint virtute, cæterùm illorum Regum opibus creviſſe. Cæterùm ubi Ludovicus XIII. bellum adversùm Hiſpanos ſumpſit ex fœdere vobiſcum icto, id hunc non ſuâ magis quàm veſtrâ causâ feciſſe argumento eſt, quòd Arauſium Principem, ac vos ipſos perpetuò hortatus eſt, uti quæ vobis digna eſſent, ea incipere velletis. Si Dunkercam oppugnare placeret, haud procul ab finibus ſuis, auxilia Gallorum, atque alia huic incœpto idonea pollicitus eſt, urbem ſi expugnaretur penes vos fore, donec toto capto Belgio ſicuti fœdere cautum eſſet, illud inter utroſque divideretur, ac Dunkerca Regi tùm demùm quibus tùm conveniret conditionibus redderetur.

Idem uti faceretis Rex filius vobis autor fuit, atque eadem eſt pollicitus: certè ambos in eâ re veſtris commodis ſervire voluiſſe nemo negare poteſt, quibus utiliſſimum fuiſſet Dunkercam ad Oceanum habere, haud mediocre navali quam habetis potentiæ futurum incrementum: hanc urbem certè penes vos perpetuò manſuram fuiſſe clarum eſt, cùm jam Belgium quod Philippus obtinet, inter Regem, ac Socias Civitates ex fœdere dividi nequeat. Vicinitas veſtra nobis tùm ſuſpecta non fuit, ſed magis exoptata, ſcilicet quam in propinquâ amicitiæ parte eſſe putavimus. Ita & vicinitatem ſuam vobis ſuſpectam, aut formidoloſam eſſe poſſe nuſquàm Regi in mentem venit. Neque enim ſatis intelligi poteſt, cum quo fœdus feciſtis, ut huic vicini eſſetis, ejus vicinitatem jam pertimeſcatis: certè nihil minus veriſimile eſt, quam Ludovicum XIII. vos auctos voluiſſe mediâ parte Belgii, quod Philippus obtinet, ut non modò hâc, ſed & ut cæteris quæ poſſidetis terris ipſe vos poſteà, aut hujus poſteri ſpoliarent: nemo præter Pavium, & Knutium hujuſmodi narrare poteſt fabulas, neque ambobus auſcultare quiſquam qui humani ingenii quidpiam habeat: poteſt modò imperita, ac omnis publicæ rei ignara multitudo, quæ pro lubidine eorum quorum eſt in poteſtate circumagitur. Inter Reges uter dignitate, gloriâ, magnitudine, famâ alterum antecellat plerúmque contentiones, ac bella ſunt, inter Reges verò, & Populos non item: neque fermè illi horum damno creſcere ſtudent.

Incredibile certè eſt Pavium, ac Knutium qui fœdus Sociarum Civitatum nomine cum Ludovico XIII. Rege pepigêre, ſpem Hiſpanis feciſſe, ac magis ſpopondiſſe quæ ad Regem filium in Belgio, aut ad ſummum inter Pyrenæum & Alpes pertinerent, ea modò in pace Gallicâ Sociis Civitatibus curæ fore, in quibus ſi Galliis Hiſpani fecerint ſatis, cæterarum extra hos terminos rerum nullâ

habitâ

habitâ ratione pacem ſuam cum Hiſpanis facturas. Ubi fides, ubi utriuſque religio? qui tametſi ſibi conſcii ſint pepigiſſe, fore ubi Sociæ Civitates de Rhætorum, de Sabaudiæ, atque Mantuæ Ducum rebus Galliæ caverent, his tamen poſthabitis illas pacem facturas receperint. Quæ mens, quod conſilium amborum fuit? ubi iſthæc, ubi ſocietatem belli, ubi Hiſpanorum expulſionem ab omni Belgio, ubi dividundas Gallos inter, & Socias Civitates illorum terras, urbes, atque oppida ſancivêre? ſcilicet uti nihil horum fieret. 1647.

Id certè vulgi ſermonibus nunc iſthîc celebratur, quod plerúmque inconſultum omnia in pejorem accipit partem, & quod pravum eſt facilè credit, probatque: dictitant enim plerique, ubi fœdus ictum fuerit, Socias Civitates non arbitratas eſſe, tam facile, ac promptum fore Hiſpanos pelli omni Belgio, ac Gallos ſibi vicinos futuros. Præclaras has, atque ab fide ſociali alieniſſimas opiniones complurium animis Pavius, atque Knutius inſinuavêre, quos adeò haud dubium eſt ita ſenſiſſe, ac voluiſſe, ubi fœdus, ac ſocietatem belli nobiſcum pepigêre, atque in bello gerendo, ſicut & in pace faciundâ omnem operam dediſſe, ut hæc ita evenirent. Sed quæ vulgò perſuaſerint, ea apud ſapientiſſimum Sociarum Civitatum Senatum, vos videlicet Ampliſſimi Ordines, penes quos totius reipublicæ cura, atque adminiſtratio eſt, parùm valuiſſe Rex arbitratur, ac vobis fœderis noſtri quantam deceat religionem eſſe, ac porrò futuram, nec vos ab fide publicâ vel minimùm diſceſſum velle. Eò magnoperè confidit quod contrà hanc factum ab Pavio, & Knutio apud Monaſterium Veſtfalorum eſt, id vos lubentiſſimè correcturos, atque in pace, belloque quorum Regi vobiſcum Societas intercedit, ex fœdere rempublicam geſturos.

Haud inſcitum Hiſpanis fuit, de nuptiis Ludovicum inter, & Hiſpanicam virginem regiam rumores jacere, cui Belgium omne doti diceretur: nam hæc violatæ fidei ſocialis merces ampla Ludovico Regi futura videbatur, neque fabula hæc multitudini modò, ſed & ſapientibus viris decipiundis idonea fuit. At nuſquàm Regi, ac Reginæ matri venit in mentem iſthuc ſibi faciundum eſſe, quin Sociis Civitatibus ex harum ipſarum ſententiâ caverent nihil ipſis fraudi futurum, verum eâ re magis jus ipſis ab majoribus quæſitum perpetuò confirmatum iri, atque omnes belli cauſas inter vos, ac Philippum Hiſpaniæ Regem ſublatum iri. Sed jam hæc omnium animis excidit fabula, cùm ne ipſi quidem Hiſpani negent Hiſpanicam virginem Ferdinando Imperatori nupturam, Imperatoris verò ſororem Philippo Hiſpaniæ Regi. Fruſtrà igitur hanc larvam Populorum veſtrorum oculis quò hos perterrerent, atque ad pacem ſeorsìm faciundam impellerent Pavius, & Knutius objecêre. Sed vobis contrà ſeriò providendum eſt, quibus præſidiis adversùm Imperatorem totius Germaniæ opibus fretum, ac ſimul contrà Hiſpaniæ Regem muniti poſthàc eritis, contrà quos unius Galliarum Regis opes ſatis validas eſſe per hæc bella uſu, atque experimentis compertum eſt.

De Lotharingia modò, de Rhætis, de Caſalio, de Sabaudiæ, & Mantuæ Ducibus mentio facta eſt in fœderum Tabulis, de quorum rationibus Regi cavere ubi pax fieret teneremini, quia nullæ tùm Gallis aliæ foris rationes fuêre. Poſteà verò Catalani Ludovico XIII. dedidêre ſe, Luſitani cum eo fœdus fecêre, Monœci Princeps Monœcum huic tradidit, quod præſidio teneret, Ruſſinonenſis

Kk

1647. *Ager in Galliæ, atque Hiſpaniæ finibus, alia aliò loca bello capta, atque occupata, de quibus omnibus vos Regi cavere haud minùs æquum eſt, ac de illis quæ ante fœdus ictum poſſidebat: nam illa ad fœdus, & belli ſocietatem Regem inter & Socias Civitates initam minùs pertinuêre, quàm quæ poſt fœdus, & belli ſocietatem factam armis parta ab Rege ſunt, ſcilicet quæ ad Civitatum propè æquè, ac ad Regis opes videntur acceſſiſſe. At Brunus ait Gallos non ſua modò, ſed & aliena curare, ſicuti tria oppida Leodienſi Epiſcopo, atque Capitulo, Bozzolo Principi Italico Sabionetam, Scipioni Ajacetto Hadriæ Duci avita in Regno Neapolitano bona reddi. Sed quæ ad rempublicam pertinent, ea nec ab Rege, nec ab Sociis Civitatibus aliena ſunt, qui illius maximè causâ, non autem uti ſuis modò commodis ſerviant, fœdus fecêre.*

Certè ad rempublicam magnopere pertinet, ut ne hoſtes Hiſpani ex alienis bonis creſcant, & quibus Regis, aut Civitatum amicos ſpoliaverint, ea uti Dominis reſtituant: finitimi, atque amici earum æquè, ac Regis Leodienſes ſunt, & utrorumque juxtà intereſt, ut oppida illorum tria ad Moſam amnem, ſeu haud procul poſita in Hiſpanorum manu diutiùs non ſint: poſtremò nihil quod non æquiſſimum ſit poſtulamus, nec quo Hiſpani ab pace faciundâ deterreri debeant. Sed has conditiones ſe negant accepturos? Imo & nullas alias quas Galli tulerint, accipient, freti videlicet Pavio, atque Knutio, qui his poſthabitis Socias Civitates pacem facturas recepêre, quam contrà ſi negaveritis vos niſi ex fœderis legibus facturos, hanc continuò in noſtras leges habebimus: haud enim dubium eſt, Hiſpanos metu adductos, quem de amborum armis cepêre, ad pacem adigi, ac ne vos quidem Ampliſſimi Ordines dubitatis, eò majorem hunc de Gallicis eſſe, quò Regi quàm vobis opes ſunt ingentiores, quæ non modò huic ad res gerendas ampliſſimas, cis tranſque Rhenum, Alpes, & Pyrenæum ſuffecêre, ſed & ad vos præterea copiis ſuis adjuvandos, quod quidem nihil interruptâ belli ſuo more adversùm communem hoſtem gerendi ſerie fecit. Iſthuc certè eò majus regiæ erga vos benevolentiæ argumentum eſt, quod ſuprà fœdus fuit. Sed & aliud non modò ſuprà, verùm & contrà quàm fœdere caveatur, Rex fecit, ubi per omne hujus belli tempus grandem vobis pecuniam quotannis in hujus ſumptus curavit: pro quibus ſuis ingentibus in vos meritis omninò non dubitat, quin ſaltem in pacis negotio officio veſtro ex fœdere ſatisfaciatis.

Quod Brunus litteris ſuis dixit, vobis æquè licere cum Hiſpanis ſeorſim de pace agere, atque tranſigere, ac Regi cum Imperatore, cum Bavariæ Duce, cum cæteris in Germania Principibus, atque Ordinibus ſeorſim ab Sociis Civitatibus, nihil magnopere reſponſione eget, cùm alterum fœdus vetet, alterum nuſquàm. Quod autem de Legatorum Hiſpanicorum ab Monaſterio Veſtfalorum diſceſſu addidit, atque adeò finem de pace agendi facturos minatur: id enimverò autoribus Pavio, atque Knutio fecit, quod & ſæpiùs antehàc iiſdem autoribus Hiſpani fecêre, uti Legatis veſtris perſuaderent ſeſe pacis negotium omiſſuros, ac deſerturos, quò ubi id in horum Civitatibus multitudo reſciſceret, eò ſtudioſiùs pacem vel poſthabito fœdere noſtro fieri vellet.

Si qua vos res adigeret in pacis negotio properare, Rex haud dubiè hujuſcemodi neceſſitatis excuſationem acciperet: ſed omnia vobis ſecunda ſunt, ac porrò futura videntur: quamobrem nihil eſt quod contrà fœdus, pluſquàm nos prope-

retis: quod ſi feceritis certiſſima vobis & in præſens, & in poſterùm, juxtà ac nobis pax futura eſt, quam alteri alteris ex fœdere præſtare debebimus: quod uti fiat utrimque accuratiùs de Cautione mutuâ vobiſcum porrò acturus, atque ubi videbitur, tranſacturus ſum. 1647.

Hæc atque alia hujuſcemodi Servianus Fœderatis Ordinibus ſcripto tradidit, quæ Pavio, atque Knutio, ſimul & aliis qui cum his ſentiebant, contra nitentibus parùm profuêre. De ambobus illis ita ad Mazarinum Servianus ſcripſerat, ut qui cenſeret neutri quidquam quod ad Galliam pertineret, porrò permittendum, nedum his interpretibus in pacis negotio ſicut uſquè factum fuerat, utendum. Cæterùm quandoque dicendi ſtudio cùm apud Fœderatos Ordines de republicâ diſſereret, elatus eò evaſit, ut ambos pudenda rei publicæ appellaret, quod eſt ab Bruno haud illepidè correctum, ubi Serviani Scripto poſtea reſpondit, eoſdem rei Sociarum Civitatum publicæ virilia appellando, quæ Servianus excæcare vellet, ut huic minùs maſculæ virtutis ineſſet, quò tutari ſe aut adversùm hoſtes poſſent, aut adversùm ſocios æquè propè damnoſos, qui videlicet omnem ſocietatis fructum ſibi habere ſtuderent, de ſociorum commodis nihil ſoliciti. Servianum inter, & Brunum præter publica quæ inter hoſtes ſunt odia, privatæ fuêre ſimultates, hunc illo ſpernente, quod in æquo Legationis jure cum Pignerandâ, ſicut ipſe cum Longavillâ non eſſet, atque id ſæpiùs huic exprobraverat, haud ſatis animadvertens ubi ſe ſuprà Brunum tametſi jure extollit, huic ſecùm litigandi locum dare, quæ res maximè homines etiàm genere, atque fortunâ diſſimiles, in omnium animis exæquat: ita ambos ſicuti æmulos, atque adeò pares & Monaſterii Veſtfalorum, & Hagæ Comitis, & quocúmque aliò horum fama perlata fuerat, habuêre, rem Serviano ſuprà quàm dici poteſt moleſtam. Sed huic omnia nobilia, magnifica, excelſa fuêre, Bruno verò vulgaris ac popularis omnis ratio: eò factum uti quò ſimilior his, cum quibus agebat, ita & apud ipſos validior fuerit: prætereà Servianus vero, ac ratione nitebatur, quâ nihil gravius hominibus eſt, ubi lubido contrà ſuadet, quæ Sociis Civitatibus de Pace cum Hiſpanis ſeorſim ab nobis faciundâ ingens fuit: poſtremò quod Serviani Scripto Brunus reſpondit, id leve, futile, tricis, ac calumniis plenum fuit, quibus homini Sociarum Civitatum de pace ſtudio fretus plebeiâ planè oratione illudebat.

Poſt Serviani ab Monaſterio Veſtfalorum diſceſſum nihil antiquius fuit Longavillæ, atque Avauxio, quàm omnia quæ ad pacem cum Hiſpanis, Germaniſque ſanciundam pertinerent, negotia maturare, ut hujus rei confectæ gloria, atque fama amborum maximè foret: quæ Serviano eſſent cum Avauxio ſimultates ſuprà diximus, cui Longavilla æquior quam Serviano erat. Ex compoſito igitur Avauxius Oſnabrugam petit, uti Suecorum cum Brandeburgico Septemviro de Pomeraniâ controverſias minueret, nam illi hanc omnem quam dudùm præſidiis tenebant, ſibi retinere cupiebant, belli per tot annos pro Germanorum Principum, atque Ordinum ſicut aiebant libertate geſti merce-

1647. dem. Obſtabat ſedulò Brandeburgicus Septemvir, cui hæc Provincia per Bogiſlai ultimi Principis mortem obtigerat: convenerat enim inter utriuſque majores, ut alteri alteris extinctâ alterutrâ gente ſuccederent, quamobrem Bogiſlao qui unus ex Pomeraniæ Principum gente reliquus erat, extincto, Brandeburgicus Septemvir ſuam jure Pomeraniam eſſe contendebat.

At Sueci contrà cùm hanc tenerent, nequedùm Brandeburgicus in hujus poſſeſſionem veniſſet, eò ſibi facilius eſſe credebant, Imperii Ordines, ipſumque Imperatorem Ferdinandum eò adducere, ut hanc penes ſe manere paterentur: poſtremò cùm Pomerania duplex ſit, citerior, atque ulterior, Avauxii operâ factum, ut alteram modò, cum quibuſdam extrà hanc oppidis, Sueci ſibi retinere vellent, alterâ Brandeburgico Septemviro relictâ: alia prætereà Suecis in Germaniâ attributa, de quibus poſtquàm convenerant, rursùm tamen ipſam Pomeraniam integram poſtulavêre, atque alia perindè iniqua, pro ſociis, amiciſque, qui omnes aut Luterani, aut Calviniſtæ fuêre, illam enim Sectam ipſi profitentur. Iſthuc de Pomeraniâ integrâ rursùm poſtulandâ ab Axelio Oxenſtiernâ ortum aiebant, qui Legatis Suecicis tametſi alter ex his Joannes ejus filius erat, graviùs ſuccenſuit, quod de alterâ Pomeraniâ relinquendâ conveniſſent, coëgeratque Chriſtinam Sueciæ Reginam ad ambos ſcribere, ut id quovis modo corrigerent, ſignificarentque omnibus, de Pomeraniâ ſe hanc ſibi omnem, ſicuti tùm præſidiis tenebat, retenturam.

Pudebat certè Reginam, quod Legati ſui hujus antehàc mandatis freti receperant, ab eo diſcedere, ſed pervicerat Oxenſtierna, cujus ob ætatem, omnis rei publicæ peritiam, ac Cancellarii quem dudùm gerebat Magiſtratum, ſumma in Sueciæ Conſilio autoritas erat, ut non idem quam Reginam pudor cæteros teneret Senatores, qui Sueciæ Regno amplum, ac magnificum eſſe ſentiebant, omnem habere in Germaniâ Pomeraniam, quam cum reliquis, quæ ſibi eódem tribuebantur, novi Electoratûs titulo ornari cupiebant, uti ſibi poſthàc in creandis Imperatoribus ſuffragium eſſet, atque in eâ re tantâ Proteſtantes Catholicis propè pares forent: nam & Carolo Ludovico Palatino Friderici Septemviri filio inferiorem Palatinatum reddi, ac novum Electoratum qui paterni loco huic daretur, creari voluêre, in quo ab Gallicis Legatis haud mediocriter adjuti ſunt, res enim æqua erat. Sed hi maximè in Ameliæ Elizabethæ Hannauviæ negotio laboravêre, quæ in Procuratione Haſſiæ Caſſellanæ fuit, ut huic, filioque pro tantâ quam in hoc bello impenderant operâ, ſatis digna merces tribueretur.

Inter hæc ſumma Avauxio contentio fuit, cum Suecis, atque eorum, noſtriſque Sociis, de bonis Eccleſiaſticis, quæ aut ſibi, aut his quorum bona ſibi retinere conſilium erat, in horum æſtimationem dari, aut relinqui poſtulabant: negabat enim æquum eſſe Regem pati eo bello, quod unà cum Suecis geſſiſſet, bona Eccleſiaſtica ad Proteſtantes tranſire, cùm fœderis legibus cautum fuiſſet, uti religio Catholica ubicum-

que Sueci bellum gererent, eodem quo antehàc fuiſſet loco maneret:hujus rei laborem, atque invidiam Trautmanſtorfius Avauxium ſuſtinere, & ſinebat, & lætabatur, ex quâ ſimultates Gallos inter, & Suecos interceſſuras ſperabat, quæ tamen aut leves, aut nullæ fuere, ac denique rerum ſummæ nihil obſtitêre: poſtremò Gallorum in omnibus quæ ad ſuam cum Ferdinando, atque Imperii Ordinibus pacem pertinebant, æquitas, ac moderatio cæteris ut hanc imitarentur, hortamento fuit, ac prætereà ut ex illorum ſententiâ propè res ſuas omnes componerent. In his certè tanta Avauxii peritia, virtus, atque induſtria fuit, ut omnium judicio ſummus pacis arbiter haberetur, & quod æquum cenſeret, ab eo nemo diſcedere vellet. Huic maximè curæ fuit, quod erat in Chriſtina Sueciæ Reginâ pacis ſtudium, id per Chanutum alere, quò factum eſt uti majorem Salvio alteri ex Legatis Suecicis, qui paci ex animo ſtudebat, quàm Oxenſtiernæ qui adverſabatur, fidem haberet. Salvius magnam pridem cum Avauxio amicitiam conflaverat, quâ hic fretus pleraque cum Suecis, atque Germanis ad pacem pertinentia faciliùs confecit. *a* Chanutus Regis negotia apud Chriſtinam Stocolmæ procurabat, qui poſteà Legati Titulo ab Rege ornatus eſt. 1647.

a Chanut, depuis Ambaſſadeur en Suede.

Sicuti Avauxius apud Oſnabrugam, cum Ferdinandi Imperatoris Legatis, cum Suecicis, aliiſque de pace in Germania conſtituendâ agebat, ita Longavilla apud Monaſterium Veſtfalorum pacis cum Hiſpanis negotium per Serviani abſentiam maturare geſtiebat, atque eâ gratiâ contrà hujus ſententiam, quas de pace conditiones Rex Hiſpanis ferri æquum cenſebat, eas omnes Sociarum Civitatum Legatis ſcripto tradidit, de quibus cum Hiſpanicis agerent, neque quidquam penſi habuit in ea re Pavii operâ porrò uti, tametſi hunc ab omni quod ad Galliam attineret negotio amovendum Aula cenſeret: adversùm Longavillam eâ causâ Servianus ad Mazarinum ſcripſit, graviùs accuſans hominem, quod hoc pacto omnes ſibi rationes apud Hagam Comitis conturbaſſet, quò omnium quas Rex Hiſpanis latas vellet conditionum Commentarium Fœderatis Ordinibus daturus erat, ni hunc Longavilla Sociarum Civitatum Legatis dare properaſſet, atque ſibi hujus rei gratiam præripuiſſet, quâ fretus de mutuâ Cautione ab his ſe faciliùs impetraturum confidebat.

Ludovicum Contarinum aiunt Venetorum Legatum cui nihil ſatis in pacis negotio feſtinabatur, propterea quod Venetis quietâ Chriſtianâ omni Republicâ opus eſt, uti ſibi adversùm Turcos Chriſtiani Principes auxiliari poſſint, Longavillæ perſuaſiſſe, hujus maximâ intereſſe, qui Legationis Gallicæ princeps eſſet, uti ſuâ magis operâ pax inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges apud Monaſterium Veſtfalorum fieret, quàm Serviani apud Hagam Comitis, quò Brunum ubi Bruſſellis rediret, iturum fama tùm erat. Prætereà quidpiam & Fabii Chigii Pontificis Nuntii, ſicut & Contarini intereſſe videbatur, uti non aliò hæc pax ſanciretur, quàm quò omnium Europæ Principum, aut qui pro Prin-

1647. cipibus ſunt, loco Conventus habebatur: nam tametſi Longavilla Sociarum Civitatum Legatis in eo negotio ſicuti interpretibus, aut ſequeſtris utebatur, tamen in tantâ rerum varietate, atque diverſitate ſententiarum, ac rationum, ſæpiùs accidebat, ut & illorum amborum, aut alteriùs opera utilis, aut neceſſaria videretur: quò fiebat uti Pacificatorum hoc pacto titulum ipſis perhonorificum tuerentur: eò Contarinus Longavillam impulerat, uti Gallicorum omnium poſtulatorum Commentarium Sociarum Civitatum Legatis traderet, qui Hiſpanicis ab his daretur: & quò Longavilla id faceret, lubentiùs, conditionum quæ hoc Commentario continebantur, æquitatem laudabat impenſiùs, & quid ex eo Hiſpani abnuere poſſent, ſe ſatis cognoſcere negabat.

Longum eſſet narrare cuncta, quæ in hoc negotio utrimque dicta, ſcriptaque ſunt, dicemus modò de Luſitaniæ Rege maximam interceſſiſſe controverſiam: nam huic Longavilla tantiſper inducias eſſe poſtulabat, quò pacatâ omni Chriſtianâ Republicâ utrique Regi, ſicut & cæteris Principibus, Populiſque Chriſtianis bellum adversùm Turcos omnium hoſtes gerere vacuum eſſet. Hiſpanici verò Legati negabant ſe ullam Luſitanorum, ac minùs horum Regis mentionem in Pacis legibus fieri paſſuros, qui ab Philippo Rege ſuo defeciſſent, atque adversùm hunc hoſtilia facerent: contrà Longavilla negabat Regem illos planè deſerturum. Ita ratio ineunda fuit, uti de Luſitaniæ Rege, ac Luſitanis tacendo, tamen Galliarum Regi his auxiliari liceret: eò cavendum videbatur utrique Regi integrâ inter ambos pace poteſtatem fore Sociis, aut amicis copias ſuppeditare, quibus ſe ſuaque tueri poſſent. Sed Hiſpanis cautio erat, ut ne auxiliares Galli Luſitaniæ finibus egrederentur, ac in ſuos tranſirent, hoc enim pacto tantum Gallorum immitti in Philippi fines poſſe, uti belli gerendi locus modò mutatus, non pax facta ipſi cum Ludovico eſſet. Sed cùm magnum æquoris ſpatium Galliæ, atque Luſitaniæ fines interjaceat, vix Regi copia eſt complures eò copias trajicere, quæ & finiri pacis legibus potuiſſent: cæterùm cùm auſpicio ductuque Luſitaniæ Regis militaturæ fuiſſent, quocúmque ipſe, aut hujus Legati moviſſent, eò rectè ituras haud dubium erat.

Viciſſim Ferdinandus Imperator ſibi integrum fore volebat, ſalvâ ſuâ cum Rege pace, Philippo Hiſpaniæ Regi adversùm ipſum Galliarum Regem opitulari, quod Legati Gallici negabant rectè huic licere poſſe: nihil enim hunc juvabat dicere, ſeſe id non ſicuti Imperatorem, ſed ſicuti Principem ex eâdem quâ Philippum Gente ortum pro conſanguineo Principe facturum, quem ſatis piè deſerere non poſſet, nam hoc, aut illud perindè futurum erat: ſed iſthuc firmius, ac validius fuit, nihil eſſe ampliùs, quò Regi copia eſſet Luſitaniæ Regem adversùm Philippum tueri, quàm ſibi Imperatori Philippum adversùm Ludovicum, atque adeò res eò redire videbatur, ut utrimque auxiliarium copiarum numerus finiretur, ac ſub ſignis Philippi, atque Joannis Luſitaniæ Regis in Hiſpaniam, ac Luſitaniam miſſæ mi-

litarent: ſed alia denique ratio inita eſt, quò Ferdinandus Hiſpaniæ Regi opitulari ſalvâ ſuâ cum Rege pace poſſet, ſicuti poſteà memorabimus. 1647.

Poſtulabant prætereà Philippus juxtà, ac Ferdinandus, uti Carolo antehàc Lotharingiæ Duci redderentur omnia, quæ Ludovicus XIII. adversùm hunc bellum gerens manu ceperat, Lotharingiam videlicet omnem, ac Baris Ducatum. Philippus amico Principi, quîcum ſibi fœdus intercederet, & qui ſecùm cauſam ſuam communicaſſet egregiis copiis fretus, quibus ſibi utiliſſimam operam dediſſet, ſeſe conſulere æquum cenſebat: Ferdinandus vetuſta Imperatorum cum Lotharingiæ Ducibus fœdera commemorabat, quorum legibus Carolum tueri omni ope teneretur. Sed eò negabant Legati Gallici *Carolo licuiſſe adversùm victum Galliarum Regem pluſquàm hoſtilia facere, fœdera violare, datam ſæpiùs fidem deſerere, etiam poſt huic redditam ultrò ab Ludovico XIII. omnem Lotharingiam, eâ lege, atque omine, uti ſi pro more ſuo ab conditionibus fœderis quò hæc illi reddebatur diſcederet, atque iterùm ab Rege armis reciperetur, nulla porrò ipſi hujus habendæ ſpes eſſet, quam conditionem Carolus cupidiſſimè acceperat, ac jurejurando ſibi gratam, ratamque eſſe firmaverat: quod cùm ingenii mobilitate violaverit, nihil eſſe huic loci relictum repetundæ ab Rege Lotharingiæ, quam hujus voluntate tam ſancto fœdere, ac jurejurando firmatâ poſſideat: adversùm quæ Carolo Imperatoris fidem ex vetuſtis fœderibus implorare fas non ſit. Nam fidem alienam implorare uti ſuam impunè deſerat nemini omnium licere: neque Imperatorem rectè, neque pro bono facturum, ſi hanc ſibi ſuſcipiundam cauſam exiſtimet: cæterùm neque huic, neque Philipppo Hiſpaniæ Regi licere recipiundæ Lotharingiæ Carolo opitulari, cùm hæc jam Regis tàm benè prædium ſit, quàm ipſa omnis Gallia. Poſtremò ubi Lotharingia Carolo primùm adempta, deìn ob proditam ab eo fidem Ludovico XIII. ex fœdere ultimùm icto obtigerat, nullam illi cum Hiſpanis belli ſocietatem, nullum interceſſiſſe fœdus, quo jam operam dare teneantur, ut in integrum reſtituatur: quod ſi jure, ac merito ſpoliato poſteà polliciti ſint, id unum reſtare, quandò illud ipſi præſtare nequeant, uti de ſuo ſi ita videatur, ſatis faciant.* Gallici tamen Legati hanc denique de Carolo tulêre Hiſpanicis conditionem, ut huic Rex, atque Franciſco fratri aliquantùm pecuniæ annuatim curaret, modò ut ille in Italia, aut quo alio pacato, neque ſuſpecto loco agitare vellet. Intereà ſi diem ſuum obiret, cui ex Gente Lotharingicâ antiqua Lotharingia tùm hæreditate obvenire deberet, hanc ei Regem redditurum, dirutis arcibus, atque oppidorum munitionibus, ac manentibus penes hunc omnibus, quæ Galliæ, Metenſi, Tullenſi, ac Virodunenſi Diœceſibus obnoxia ſunt.

De Rhœtis, ac de Valle Tellinâ quæ his ſubjecta eſt, has primùm Legati Gallici tulêre Hiſpanicis conditiones. Uti quæ ad illos, atque ad hanc pertinerent, ea in eumdem quo ante bellum inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges cœptum erant ſtatum reſtituerentur, ſeu ad normam Muſonienſis fœderis, Ludovicum XIII. inter, & Philippum IV. ſanciti, anno CIↃ. IↃC. XXV. Quæ per nuperi belli tempora Hiſ-

1647. pani cum Rhætis pepigiſſent, ea abrogata, atque antiquata eſſent. Si quid durius in Muſonienſis fœderis legibus Rhætis videretur, id amborum Regum voluntate corrigeretur. Poſtremò tamen eò Legati Gallici deſcendêre, uti de priſtinis fœderibus ſententia Rhætorum exquireretur, quâ reſcitâ in alterutrius Regis Aulâ cum alterius Legato qui in hac agitaret, de utriuſque in Rhætorum, ac Vallis Tellinæ negotio rationibus ageretur, ac tranſigeretur intrà ſex ab Pace inter ambos Reges ſancitâ menſes.

Mirum eſt Gallicos Legatos tantos viros primis quæ tulerant conditionibus non ſtetiſſe, cùm æquiſſimæ eſſent, nixæ videlicet Muſonienſis fœderis legibus, ac jure communi, quo quidem qui bello potior eſt fretus ſaltem ab invalidiori petere poteſt, uti quæ per bellum innovavit, ea in integrum reſtituat. Id eò pertinebat uti fœdus ab Philippo IV. Hiſpaniæ Rege cum Rhætis ictum anno CIↃ. IↃC. XXXIX. antiquaretur, quo hos ab vetuſtiſſimo nobiſcum fœdere, quod perpetuum eſſe debuit, averterat, ac præthereà ab altero fœdere, quod ab ſingulis Regibus noſtris cum his unà, atque Helvetiis renovatum uſquè fuerat, cujus lege ſecundâ cautum, uti quidquid alterutri contrà id fœdus facerent, id irritum, infectum, ac nullum haberetur: quâ lege quod Rhæti cum Hiſpanis pepigerant, id certè irritum, ac nullum cenſeri debuit. Id autem fuit hujuſmodi, Philippo Hiſpaniæ Regi ac poſteris Regibus facultatem fore, copias apud Rhætos ſcribendi, ac ſuas per horum fines traducendi, non autem hujus hoſtibus: quæ eadem facultas cùm Regibus noſtris uſquè fuiſſet, atque horum hoſtibus item negata, neceſſe planè erat fœdus Rhætorum cum Hiſpaniæ Rege antiquari.

Fuit & alia de Carlomontio, Philippivillâ, ac Mariæ Burgo quæ Leodienſi Epiſcopo, ac Capitulo reddi Rex poſtulabat, gravis cum Hiſpanis controverſia, ſcilicet qui hanc rem nihil ad Regem attinere contendebant, cui Leodienſis Epiſcopus, aut Leodienſe Capitulum nullo fœdere conjuncti eſſent. Sed ad rem publicam pertinebat ſua cuique reddi, ac maximè hæc tria haud ita procul Galliæ finibus oppida.

Intereà Servianus de mutuâ Cautione cum Fœderatis Ordinibus, aut cum his qui delecti fuerant, agebat ſedulò: de quâ re variæ Civitatum ſententiæ fuêre. Trajectenſis, atque aliæ cum Serviano ita conveniundum cenſebant, uti Cautio mutua de omnibus eſſet, quæ ad Regem, & ad Socias Civitates in Pacis ſanciundæ legibus ubicùmque pertinerent, ita ut ſi Hiſpani ab his diſcederent, bellum adversùm hos utrimque denuò ſumeretur: Batavorum verò Civitas ſtandum fœderi quod annis CIↃ. IↃC. XXXIV. & XXXV. ictum fuerat, ac XLIV. confirmatum, neque quidquam ſuper eâ re ampliùs cum Serviano paciſcendum: Cautionem autem mutuam tùm ſancitam ad ea modò quæ Rex, atque Sociæ Civitates in Belgio, ac Germaniæ finibus, Rex verò ſingillatim in Gallia, in Belgio, in Sequanis poſſideret, atque ad

Ruſſinonenſem

Ruſſinonenſem Agrum pertinere debere contendebant, ſicuti Juriſperiti ab his conſulti cenſuerant. 1647.

Poſtremò Servianus, atque Thuillerius cum Sociis Civitatibus de mutuâ Cautione fœdus renovavêre, quo cautum denique eſt: Uti pace ab Rege cum Hiſpanis ſancitâ ſi ab hac diſcederent, ita ut hi, Imperator, aut quis ex Auſtriacis Principibus Galliarum Regni fines invaderet, ibi bellum adversùm Hiſpanos Sociæ Civitates unà cum Rege ſumerent denuò, ac gererent ex priſtino fœdere. Idem ab Rege fieret, ſicubi Hiſpani, Imperator, aut quis ex Auſtriacis Principibus contra pacis leges item harum fines invaderet. In Galliarum Regni finibus Pinarolum, Ruſſinonenſis Ager, Alſacia, & quod in Lotharingia, & Belgio Rex poſſidet, aut ubi pax fiet poſſidebit, eſſe cenſerentur. Idem de Cataloniæ finibus quamdiù induciæ in hac perdurarent, cautum. Alteri Socios, aut amicos adversùm alteros ne juvarent. Quæ priùs icta fœdera eſſent, ea integra forent, niſi quid in hoc ultimo illis contrarium ſancitum fuiſſet. Ubi pax inter Regem, & Philippum convenerit, ac ſancita fuerit, ibi modò hoc ultimum incipiat fœdus, atque hujus legibus utrique teneantur.

In hoc ultimo fœdere ab prioribus anno CIↃ. IↃC. XXXIV. XXXV. & XLIV. ictis quidpiam Servianus, & Thuillerius diſceſſerant, nam his quæ Pacis futuræ legibus ſancirentur, ea omnia Sociæ Civitates Regi, ſicuti viciſſim hic illis præſtare debebat, quod ex Sociarum Civitatum lubidine hoc ultimo fœdere imminutum eſt: dein de amicis, ac Sociis adversùm has haud juvandis nihil uſquè cautum fuerat, ac denique diſertis verbis cavendum videbatur, ut ne Sociæ Civitates Pacem cum Hiſpanis niſi cum Rege unà ſancirent, quod quidem Servianus factum ſatis ſe credere ſimulavit eâ lege quâ cavebatur priora fœdera integra fore. Sed hæc Sociarum Civitatum Legatos nihil attinuiſſe ſcibat, quo minùs de Pacis conditionibus cum Hiſpanicis Legatis convenirent, atque his adſcriberent nomina, ſignaque apponerent, neque has brevì in Tabulas relatum iri dubitabat: præſtare tamen exiſtimavit aliquâ ex parte Socias Civitates Regi adhærere, quàm in perpetuum alienatas videri, uti reſipiſcentiæ locus foret. Sed Suecis minimè probabatur ſicubi bellum adversùm Socias Civitates (ut ſunt humana) fortè gererent, Regem nihil illos adjuturum hoc ultimo fœdere promiſiſſe. Cæterùm id de mutuâ Cautione fœdus Servianum quovis modo factum voluiſſe aiebant, ut ne cujus rei gratiâ Hagam Comitis ierat, eâ infectâ Monaſterium Veſtfalorum rediret.

Præfectus Palatio qui maximus in Gallia Magiſtratus eſt, Henricus Condæus fuerat, quem Magiſtratum hujus morte vacuum Rex Ludovico filio mandavit: prætereà quas obtinebat Henricus Provincias Bituriges, Æduos, Seguſianos, eæ & ipſi filio datæ, Campania verò quam is uſque obtinuerat, Armando Contio fratri attributa. Ludovicus Condæus ſicuti antehàc Henricus pater ab Reginâ in Conſilium de re publicâ deinceps cum Gaſtone eſt adhibitus, atque cæteris Regis Con-

1647. ſiliis ab quibus hunc abeſſe conſuetudine invaluit, uti per Gaſtonis abſentiam ipſe præeſſet, decretum.

Per hyemem ſaltationibus, & Comædiis Aula delectabatur, quæ Regi puero grata, neque aliis ingrata fuêre: aderant Comædorum ex Galliâ, atque ex Italiâ greges: ſed hi quoniam nova, & externa magis placent, potiores fuêre, atque eorum ſcena magis frequentabatur, aut ipſi fabulis in Regiam agendis accerſebantur, in jocis, atque facetiis de more gentis mirifici. Sed Mazarinus egregiam quandam, atque inſignem fabulam ſedulò apparabat, quæ more Italico cani, agi, ſaltari debebat. Quamobrem ab Italia qui muſicam apprimè callerent, eos accerſere, fabros machinamentis ad ſcenarum varietatem faciundis peritiſſimos, Pictores, Poëtas, præthereà qui ſaltare, & pſallere, & qui fidibus ſcirent: poſtremò cujuſcumque modi homines, mulierеſque, qui in eam rem uſui eſſent, planè ſumptui nihil parcere. Bacchanaliorum dies qui gaudium, atque lætitiam oſtentabant, huic agendæ fabulæ dicti fuerant, jamque hi advenerant, nequedùm ea apparata erat, ita ut in Quadrageſimam dilata res videretur. At hoc quoniam Pœnitentiæ in Eccleſiâ tempus eſt, id hujuſcemodi ludicris conſumere Annæ Reginæ religio fuit, quæ adeò Mazarino poſt Quadrageſimam agi poſſe fabulam dixit, cui ipſe & poſt annum æquè agi poſſe reſpondit: nam huic ægrè erat, rem quam dudùm tanto conatu, ſumptuque moliebatur, Reginæ, atque Regi filio oblectandis, ab illâ tàm parvi pendi, ut illi propè nullum hujus viſendæ ſtudium eſſet. Inde ſimultas orta inter eos, quæ quoniam utrique gravis erat, levi quorumdam operâ facilè deſiit. Dein acta per quadrageſimam fabula, quàm præſtantiſſimi ex omni Italiâ pſaltrii pſaltriæque, fidicines fidicinæque, ſaltatores ſaltatriceſque patrio more, atque linguâ cecinêre, atque ſaltavêre, varias Deorum, Dearumque, virorum, mulierumque perſonas ſuſtinentes. Inter hæc machinatione multiplici moveri cælum, ac nubes, Deos, Deaſque in terras dilabi, dein rapi rursùm, ipſum volare Cupidinem, aveſque complures, ſcenam in hortos, Sylvas, Templa, antra, maria, inferos, præter oculorum fidem mutari: poſtremò nihil quod & ad horum, & ad aurium voluptatem pertineret, deſideraveris: quod animum delectaret, planè nihil erat: fabula ter, quater, aut pluries tota inſtaurata, ac toties Regina ſpectavit, ſeu voluptati erat, ſeu quod in eo negotio ægrè Mazarino fecerat, id ſe hoc pacto corrigere eſt arbitrata.

In Germaniâ bellum hyeme, atque æſtate juxtà geritur, quem Sueci morem ſicuti antehàc diximus, introduxêre: cum his unà, atque Gallis adversùm Imperatorem, & Baioariæ Ducem plerique Germanorum jamdiù bellum ſumpſêre: nam ab Ferdinando II. Imperatore graviùs, ac regio more contra quàm in Germaniâ fas eſt, habiti Suecorum, dein Gallorum imploravêre fidem, uti ſibi auxilio eſſent, atque eâ gratiâ cum utriſque ſancivêre fœdus. Sed qui Principes inter eos fuêre, ii partim exortâ adversùm Suecos invidiâ ex alienis malis commoda ſua captantes, alii diuturni belli tædio, aut ab fœdere palàm diſceſſê-

re, aut malis fatigati detrectavêre porrò bellum. Una modò Amelia 1647.
Elizabetha Hannauvia, quæ Guillelmi Haſſiæ Caſſellanæ Langravii uxor fuerat, mulier tùm vidua, & quæ per Guillelmi filii pueritiam in hæreditatis procuratione erat, ad ultimum permanſit in fœdere, fœmina mulierum virtutes prætergreſſa, multiſque viris firmior, atque conſtantior: cæteri Germani inter quos & quidam genere Principes, & permulti Nobiles fuêre, quibus pleriſque res domi exigua, aut nulla erat, prætereà vulgus militum ad Gallos, & Suecos conceſsêre mercede militaturi: ſed major hujus belli ſumptus in Gallos recidebat, quos quia fama erat divites eſſe, eò Germani majora ab his, quàm ab Suecis ſtipendia poſcebant, nam cum Suecis rapto vivere aſſueverant, cum Gallis haud ſegniùs prædabantur, ſtipendium fermè lucro erat: prætereà Ludovicus quoniam Suecis, atque Ameliæ pecunia in belli ſumptus minùs ſuppetebat, hanc ipſis annuam ſatis grandem ex fœdere curabat.

Anno proximo diximus Maximilianum Baioariæ Ducem, atque Imperii Septemvirum, per Bagnium Pontificis apud Regem Nuntium hujus imploraſſe fidem, ut ne ſe Catholicum Principem ab Suecis planè perditum vellet, cum ſummo Religionis Catholicæ in Germaniâ periculo, quamobrem aut pacem, aut inducias fieri poſtulabat. Sed ut ad æquas pacis conditiones Ferdinandus Imperator adduci poſſet, nondùm ſatis hujus attritæ opes erant: quamobrem Rex, ac Sueci bellum ſolito acrius adversùm hunc per proxima æſtiva geſſerant: quod cùm Maximilianus unà cum Ferdinando defenderet, haud leve damnum & ille acceperat, atque adeò id ut ne majus in dies foret jure metuebat, nam in finibus ejus res agebatur. Igitur ejuſdem Bagnii operâ Regem obſecravit, atque obteſtatus eſt per communia ſacra, ut ne ſe diutiùs acerbiſſimis Religionis Catholicæ hoſtibus Suecis permitteret, qui hujus labefactandæ, ac ſi poſſent planè evertendæ causâ ſe profligatum cuperent, quod ut ne ex horum ſententiâ fieret, de induciis quas ante annum poſtulaverat Rex agi vellet: ſe operam datúrum, ut & ad has Ferdinandus Imperator adduci ſe ſinat, quod idem Ludovicus adversùm Suecos facere poſſit. Rex eâ tempeſtate, atque Regina mater de Sociarum Civitatum cum Hiſpanis Pacificatione valdè ſoliciti erant, neque dubitabant has per futura æſtiva ceſſaturas, atque adeò optimum factu videbatur, Turenam cum exercitu cui in Germania præerat, in Lucemburgenſem Agrum venire, quò aliquantam Hiſpanorum manum ſicut Henricus Arauſius cum Sociarum Civitatum exercitu ſolebat, diſtineret, nullo id negotio factum iri ſi induciæ in Germania forent.

Igitur ad Legatos apud Monaſterium Veſtfalorum ſcribunt, uti cum Baioaricis quid facto opus eſſet conſultarent, ut ad inducias perveniretur, atque omnia ex eorum ſententiâ ſedulò agerent. Sed Suecis ſumma perdundi Maximiliani lubido erat, quem Eccleſiæ Catholicæ in Germania columen eſſe probè ſcibant: prætereà apud Stokolmiam Axelius Oxenſtierna Regni Cancellarius cum omnibus amicis, & clienti-

1647. bus ab ſanciundâ pace abhorrebat, quam contrà plerique alii, atque omnes Ordines Regni & Chriſtina ipſa Regina quamprimùm factam volebant, ut aliquis denique finis tàm diuturnæ militiæ, quæ tot hominum millia exhauſerat, ac ſuppeditandi ſumptûs eſſet: poſtremò Vrangelius qui Suecis in Germaniâ Imperator erat, ab Pace, atque Induciis alienus erat, ſicuti fermè homines militares. At Suecici Legati apud Oſnabrugam longè diverſa ſuper induciis ſentiebant: nam alter Axelii Oxenſtiernæ filius Joannes paci, atque induciis adverſabatur, alter verò cum Reginâ ſentiebat, ſed omnem eam rem Vrangelio permiſêre. Hic ſe planè negabat de induciis agere velle, quæ belli fortunam omnem Suecis uſquè proſperam, & ex quâ poſthàc majora ſperabat, corrumperent: inſtandum debilitatis hoſtibus, quos omni Baioariâ pellere, ac fortè Boïohœmi Regno haud difficile foret.

Tametſi iſthæc Vrangelius cum Oxenſtiernâ altero ex Suecicis Legatis ſentiret, Salvius tamen qui res noſtras magis noverat, Collegam edocuit, Regi ubi ab Sociis Civitatibus deſertus foret, quod propediem futurum videretur, omne bellum adversùm Hiſpanos fore ſuſtinendum, quod vix facere poſſet, niſi & exercitum quem in Germania haberet, aliò traduceret, quò ſibi ad id bellum uſui foret: eò Suecis defutura Gallica auxilia, quibus freti adversùm Imperatorem juxtà, & Maximilianum Baioariæ Ducem validi, ac præclari uſquè fuiſſent. Cùm autem ſibi opes eò minutum iri certum ſit, rectè profectò facturos, ſi & hoſtes ſibi minuerint inducias cum Baioaris faciundo. Quamobrem cum Legatis Gallicis convenêre, fore uti Vrangelius Ulmam mitteret, qui de his agerent. Eò miſêre noſtri Alexandrum *a* Provillæum Tracium qui in exercitu noſtro Quæſtor erat Longavillæ clientem, & Antonium Fouquetum Croiſſium *b* in Senatu Conſiliarium, qui Avauxium Monaſterium Veſtfalorum venientem comitatus fuerat. Vrangelius verò Mortanium, ac Duglaſium Tribunos eódem miſit, qui denique ſicuti Galli inducias cum Maximiliano Baioariæ Duce pepigêre, non autem cum Ferdinando Imperatore, cui ſicuti nec Suecis ut inter ambos fierent, nuſquàm placebat.

a De Prouville de Tracy.
b De Croiſſy Fouquet.

Præter Sueciæ Reginam Chriſtinam, atque hujus, Regnique Sueciæ loca omnia in Germania occupata, exercitus, copiaſque, hæ induciæ ad Haſſiæ Caſſellanæ Langravium pupillum pertinebant, in cujus bonorum, ſeu paternæ hæreditatis Procuratione Amelia Elizabetha Hannauvia mater erat, & ad omnia loca quæ Guillelmus pater, aut poſt hujus obitum mater armis occupaverat, atque ad omnes hujus copias. Maximilianus verò pro ſe, pro fratre Colonienſi Archiepiſcopo Imperii Septemviro, ac totâ Baioaricâ Domo, pro Maximiliano Henrico qui electus Colonienſi Archiepiſcopo Adjutor, ac Succeſſor fuerat, atque pro horum omnium hæredibus, aut ſucceſſoribus has inducias pepigit. Sueci qui conſimiles antehâc cum Joanne Georgio Saxoniæ Duce item Imperii Septemviro, inducias fecerant, ut & illæ ad eum pertinerent caveri voluêre. Ita Saxoniæ, & Baioariæ Du-

ces in quos ſumma Imperatorum Auſtriacorum merita fuêre, nam 1647.
uterque Septemviratum horum beneficio habuerat, ſibi denique quieſcendum exiſtimavêre, & Hiſpanorum lubidini ſervientem Ferdinandum Imperatorem deſerendum, uti ſibi conſulerent. Per induciarum conditiones Maximilianus Hailbronam Regi, Memingam in Sueviâ, & Uberlingam ad Acronium Lacum Suecis tradidit, cui viciſſim hi Raïnum, ac Donaverdam ad Danubium reddidêre.

Dùm hæc apud Ulmam gerebantur, apud Acronium Lacum Brigantium ab Vrangelio qui Suecis Imperator erat, necopinato captum eſt: nam oppidum modò tentare, atque prædas agere conſilium fuerat. Sed hæ oppido capto factæ ſunt multò ampliores, quoniam undequâque qui accolebant, ii quod cariſſimum domi habuerant, eò ſicuti in tutum contulerant: pauci rebus ſuis in naves properè congeſtis Lindaviam profugêre, cæteri in ipſo fugæ conſilio, atque conatu oppreſſi, cum ipſis navibus præda hoſtium fuêre. Dein his navibus Vrangelius fretus, atque aliis ſedulò conquiſitis, Lindaviam contendit: milites pars navibus impoſiti, alii pedibus Lacum circumducti. Lindavia in ipſo Lacu poſita eſt, atque ab continenti tenui aditur iſthmo, novum adeò oppugnationis genus, reſque navibus, non uti ſolet, terreſtri machinatione gerenda erat: lacus ipſe Auſtriacis opportunus introducendis in oppidum commeatibus, atque auxiliis: nam præter Brigantium ab Suecis captum, omnia ad Lacum Auſtriacorum loca fuêre: neque ea fuit Suecis navium copia, ut his omne oppidum cingerent, atque adeò per poſitas laxiùs cuſtodias, ad id noctu evadere haud magni negotii erat. Eò factum, uti multis diebus in eo negotio fruſtrà conſumptis, poſtremò Vrangelius omitteret incœptum. Intereà tamen Meinaviâ in eodem lacu Inſulâ haud procul Conſtantiâ potitus eſt: noſtri Tubingam oppidum, atque Arcem ad Nicrum amnem in Vitembergenſi Agro deditionem facere coëgêre: ea res ab Carolo *a* Moncio Hoquincurio egregiè geſta, qui in exercitu Germanico Turenæ Legatus fuit.

a De Moncliy, Marquis d'Hoquincour.

Sed id anni tempus inſidiis inſtruendis, componendoque dolo, quàm bello gerendo aptius erat: ei rei Caracena in Belgio dabat operam, ut Armentariam ad Legiam amnem proximis æſtivis Gallis deditam per oppidanorum proditionem reciperet: complures tamen boni, fideleſque manſere, quoſdam Caracenæ promiſſa, tædiumque novi dominatûs tranſverſos egêre. Sed ea res levitate unius ex popularibus conjurationis, ut fere fit, palàm facta, nam pro more gentis largiùs in cauponâ vino cum cæteris indulgens rem incautiùs aperuit: pauci jam hoſtes oppidum clàm introierant, latebantque in conjuratorum ædibus, de quibus omnibus more majorum ſupplicium ſumptum: ſed mox ea res apertâ vi ſicuti poſteà memorabimus, quàm tùm dolo meliùs geſta.

Anno proximo ab Chriſtinâ Sueciæ Reginâ legatus in Galliam fuerat Magnus Lagardius, qui hujus verbis de pace inter hanc, & Chriſtianum Daniæ Regem ab Ludovico, atque Annâ Matre conciliatâ gra-

1647. tias ageret, quæ eò ampliores fuêre, quòd per hujus pacis conditiones Dani provinciis duabus quæ ſuæ uſquè fuerant, Suecis ceſſerant: hoc anno & ipſe Chriſtianus conſimiles Ludovico, atque Annæ matri gratias egit per Corvitſium Alefeldium Legatum, qui hanc pacem tametſi cum eâ jacturâ Regi ſuo jucundiſſimam accidiſſe ſignificavit.

Sub id tempus Carolus Schombergius Equitum Tribunus, Dux atque Franciæ Par, prætereà in Septimania quam Gaſto provinciam obtinebat, ipſi Legatus id ſponte Munus abdicavit, ſcilicet uti Reginæ, atque ipſi Gaſtoni morem gereret, cui & antehàc ipsâmet ceſſerat provinciâ, quam patris morte vacuam priùs obtinuerat, datam ab Ludovico XIII. Majores hujus ab Germaniâ in Galliam migraverant, quorum ſplendore, & virtute, ſed maximè fidei famâ clarus haud minora ſuæ ipſius fidei, atque virtutis documenta dederat: huic Regina Tribunatum militum Helvetiorum, qui Regi mercede militant, dedit, quod Munus antehàc Franciſci Baſſomperæi nuper demortui fuerât. Id ſibi expetebat Henricus Aurelius Longavilla, Neocaſtelli Princeps, quod oppidum cum ſatis amplâ, atque opimâ regione Helvetiis finitimum obtinet, apud quos tametſi & vicinitate, & genere, atque autoritate plurimùm valeat, tamen beneficiis, quorum ipſi maxima per id Munus apud eos copia fuiſſet, gratiam augere conſilium erat. Nam homines ferè ex benè, aut malè faciundi copiâ æſtimantur.

Fuêre qui ita exiſtimarent, Mazarinum Longavillæ hujus Muneris ſpem feciſſe, ſed Rivieræ operâ Gaſtonem obſtitiſſe, incertum Mazarini voluntate, necne. Cæterùm Gaſtoni ut ne Condæi potentia plus æquo creſceret cautio erat, cujus ſororem Longavilla uxorem duxerat, atque adeò hunc Helvetiis mercede conductis, quorum haud exiguus in Gallia plerúmque numerus eſt, præfici haud in rem ſuam eſſe ducebat: neque fortè in rem publicam, aut regiam fuit, tam vicinum Helvetiis Principem hujus ſibi conciliandæ Gentis tantam habere facultatem, atque hunc Tribunatum in ejus familiam ingredi: nam hic mos, hæc diſciplina hujuſcemodi viris Principibus eſt, ut ubi quid ipſis ab Regibus ſemel eſt datum, id familiæ ſuæ perpetuum eſſe debere contendant, ſicuti prædia hæreditaria eſſent. Mazarinus ut ne hæc repulſa Longavillæ ægrè eſſet, Cadomum oppidum huic, atque Arcem curatâ in æſtimationem Præfecto pecuniâ ab Rege permitti, prætereà Juxium Caſtellum firmiſſimum donari curat, quorum alterum in Normannia, quam Longavilla obtinet, provinciâ, alterum in Sequanorum, & Neocaſtelli Comitatûs finibus poſitum eſt. Hæc atque atque alia hujuſcemodi vitio temporum factitata, queis per Regis pueritiam virorum Principum vis leniunda, atque injuriæ occurrendum fuit: cæterùm ea erant Longavillæ in rempublicam merita, uti navatæ cùm in bello gerendo operæ, tùm paci faciundæ, hæc merces jure tributa videretur.

Hiſpani pace cum Sociis Civitatibus clàm ſancitâ ſatis certi has hoc anno quieturas, tùm denique tempus adveniſſe credebant, quò & rem ſuam prolapſam reſtituere, & noſtram labefactare ſibi maxima facultas foret. Eò Leopoldum Guillelmum virum ex Auſtriacâ Gente Principem ab Germaniâ accerſunt, experti videlicet Belgas ſibi amplum, atque magnificum ducere, ſi ab tali dignitate, tali genere viris regantur, atque ad omnia quæ imperentur obedientiores, ac promptiores eſſe. Is igitur ubi advenit primum copias omnes quas antehàc in finibus Gallorum, atque Sociarum Civitatum cogere mos fuerat, in unum modò, atque adversùm nos, quandò is modò reſtabat hoſtis, maturè conducit: hæc haud procul Rupe regiâ viſæ ad Picardiæ, & Campaniæ fines Aulam etiamtùm ludicris intentam aliò animum adjicere coëgere. Qui oppidis finitimis præfecti erant, ii properè eò proficiſci, Quincæus maximè, qui Caſteleto, is locus propiùs Cameracum eſt, præerat, prætereà Præfectus Caſtrorum omni circùm regioni proſpicere, hoſtium explorare conſilia, conatibus quoad poſſet obviam ire, & quæ opus eſſe intelligeret, ea providere, atque facere juſſus, copiæ eâ gratiâ eódem miſſæ, quibus præeſſet. Is homo per vaniloquentiam primùm, de ſe magnifica dictitando, prætereà ornatu militari ſæpiùs inuſitato, atque barbaro, & conſimili cultu corporis effecerat, uti ſtrenuus haberetur, dein ex eâ famâ ad hos ordines pervenerat, ubi quæ dixerat, ea facere neceſſe habuit, neque dictis facta fidem ademêre. 1647.

Inter hæc Duvallius Marchio Fontenaïus qui antehàc legatus Romam fuerat, ſicuti ſuprà memoravimus, eódem extra ordinem legatus eſt iterùm. Hunc Michaël Mazarinus Julii Cardinalis frater idoneum ratus, qui ſibi ab Pontifice Ludovici rogatu Cardinalatum impetraret, Romam mitti poſtulavit, neque magnoperè quidquam ei rei tùm obſtare videbatur, niſi quod fratribus duobus is honos raró conferri ſolet. Cæterùm Barberini cum Pontifice Ludovici, atque adeò Mazarini operâ redierant in gratiam, Gallorum arma Româ haud ita procul apud Plumbinum, & Longonis Portum erant, quæ res ad metum conferebat, quo magis quàm gratiâ plerique mortalium moventur. Ad hoc Romæ omnia eâ tempeſtate venalia, ſcilicet apud mulierem quæ per Pontificis affinitatem rerum omnium potens erat.

Eâ tempeſtate Odoardum Farneſium Parmæ Ducem cupido cepit Romanis ſeſe rebus pluſquàm opus eſſet, admiſcendi: eò hunc operam dediſſe ferunt ſedulò, ut Olympia Aldobrandina Roſſani in Neapolitano, Meldolæ in Romano Agro Princeps, mulier adoleſcens, ac formâ præſtantiſſimâ quæ ſibi propinqua erat, Camillo Pamphilio de quo ſuprà memoravimus nuberet: hic Pontificatûs hujus initio Cardinalis creatus fuerat, ſed vitam cælibem abnuebat, cupiebatque uxorem ducere. Aldobrandina Marcum Antonium Burgheſium Sulmonis Principem virum antehàc habuerat, qui haud ita pridem obierat mortem: his nuptiis Odoardus ſpem nactus erat ſeſe fretum Innocentio ex volun-

1647. tate uſurum, cui Camillus fratris filius eſt, & cùm uſque adhuc ille fuiſſet in Olympiæ poteſtate, quæ Camilli mater eſt mulier longè florentem ætatem prætervecta, facilè futurum exiſtimavit hanc ab adoleſcentiore Olympiâ ſuperari, quæ omni arte muliebri Pontificis gratiam huic præriperet. Sed iſtuc ipſum metuens ſenior Olympia primùm omni ope eniſa eſt has diſturbare nuptias, quod & hujus impulſu Pontifex fecit: ſed uterque fruſtrà fuit, nam Camillus Aldobrandinæ amore perditus, utrumque exoravit, ut hanc ſibi uxorem ducere denique liceret. Rure factæ ſunt nuptiæ, neque his adfuêre Pontifex, & Olympia, atque huic cautio fuit, ut ne poſthàc Romam nurus veniret. Cæterùm inter mulieres tametſi longè abſit culpa, tamen formæ, atque earum rerum, quibus ſe dignas deputant quæ amentur, fermè certamen eſt, neque ulla uſquàm aliam ſeſe formoſiorem æquo animo conſpexit. Igitur cum Olympiâ Fontenaïo magis, quàm cum Pontifice de omnibus agendum fuit, quæ res multo maximè indigna erat, fœminam rebus propè divinis præeſſe, atque ex ejus lubidine pendere omnia. Tamen nonnihil hoc erat, pretio quod cuperes efficere, nam Olympia tanquàm ſenis Pontificatus ſibi brevior futurus eſſet, omnibus modis ditari properabat. Camillus ubi uxorem ducturus fuit Corbiæ Abbatiam quam Rex ab Mazarino abdicatam illi antehàc dederat, & ipſe abdicavit, ac Regi reddidit.

Sub id tempus Condæus cui decreta provincia Catalonia fuerat, eò mutatis ad celeritatem equis citus abiit, quò factum eſt, ut ubi Barcinonem advênit, hunc pauci comitarentur: præterea mediocriter veſtitus veſte lugubri, patris nuper demortui causâ, vix ſe Condæum eſſe fidem fecit. Documentô Principibus & per inania vulgo ſerviundum, quoniam id ad famam pertinet, quæ ad res gerendas plurimùm valet. Maſſiliam item tùm abiit Armandus Richelius, cui nondùm ætas militiæ patiens erat: neque Aquiloniæ Amitæ ſub cujus erat tutelâ, hæc immatura profectio probabatur, ſeu id ipſa ſimulabat, uti ſumptui parceret, qui magnus faciundus erat, pro dignitate, ac nomine adoleſcenti quæſito, ſi illius voluntate hæc inſtituta profectio crederetur. Navibus longis Præfectus erat, quas ipſe ductare hoc anno decreverat, atque ex Conſilii ſententiâ, quoniam judicio ſuo per ætatem non poterat, cuncta facere. Poſtpaulò quàm Maſſiliam advenerat, adornatâ Claſſe Prætoriam conſcendit, naveſque longas cum grandioribus bellicis duodecim Tarraconem duxit, ſicuti urbem hanc Condæus eſſet oppugnaturus: quod ubi hoſtibus ſatis perſuaſum, atque eò versùs duxerant copias, Claſſis in Provinciam rediit, Condæus verò ad Ilerdam contendit, quò primùm Juvenis uſquè feliciſſimus offendit, ſicuti poſteà memorabimus.

Intereà quinque naves quæ in eo freto ſtationem habuerant, quod Ilvam Inſulam ab continenti dirimit, Plumbinum inter, & Longonis portum, Neapolim curſum tenuêre: his præerat è Melitenſi militiâ

Polus,

Polus, cujus nomen virtus magis, quàm genus, aut majorum imagines nobilitavêre. Is rei navalis ſcientiſſimus improvisò adveniens naves aliquot ad ipſam Neapolitani portûs molem applicatas deprehendit, abduxitque, ac magnum Urbi terrorem injecit. Eò res primùm Proregi *a* Roderico Ponſeleoni Arcoſio Duci incredibilis viſa, donec ipſe ad portum venit, & Poli naves fuêre in conſpectu. Ibi verò feſtinare, parare, atque tantam audaciam Gallis haud impunè eſſe velle. Ex omni navium quæ in portu erant copiâ grandiores bellicas ſex, quinqueremes decem ornari, atque inſtrui jubet, cujus rei in Urbe armis, viriſque opulentâ, atque è regiis navalibus ſumma facultas fuit. 1647.

a Roderic Ponſe de Leon, Duc d'Arcos.

Id adeò eâ nocte confectum, atque poſtridiè cùm luceſceret, portu egrediebantur. Bellicas grandiores quæ velis modò aguntur remulco quinqueremes trahebant, neque tùm his, aut illis ulla venti copia, quod noſtris grave, hoſtibus contrà erat, quorum naves remis pars ſuis, aliæ alienis agebantur: has pleraque nobilitas, atque delecti è Juventute urbanâ conſcenderant, bonæ ſpei pleni, quoniam & numero, & genere navium præſtabant: præterea animos faciebat omnis effuſa ad ſpectaculum multitudo, & ſuorum unicuique neceſſariorum conſpectus, ut in tantâ quæ aderat frequentiâ, nullum benè, aut turpiter factum latere poſſet. Gallicarum immenſa navium corpora quoniam venti inopia erat, immota manebant, neque duci, aut circumagi ſicuti res moneret, facilè poterant. Nam ea fermè navalis rei ubi pugna inſtat, peritia eſt, uti quâ parte ventus ingruit, in eam naves curſu obliquo ferantur, undè in hoſtem quàm maximâ vi venti ſicuti impetu facto præcipites ruant.

Hujus rei cùm hoſtium naves portu egrederentur, nulla noſtris ſpes erat, atque in tranquillo hoſtium actuariis æqua omnia fore videbantur. Iſciam Inſulam tunc cùm maximè ſuperare contendebant, cùm tenuis primùm ventus exortus momento temporis increbreſcere cœpit: huic Neapolitanæ naves obnitebantur fruſtrà, atque remigum operâ parùm proficiebant. Igitur noſtri tempeſtatem ex ſententiâ nacti incendiarias quas habebant duas præmittunt, quæ duabus Neapolitanis applicarent ſeſe, eaſque ac fortè plures incenderent, reliquæ ſubitò ſubſecutæ. Jam eò pervenerant, undè tormentum adigi poſſet, cùm hoſtes converſis navibus Neapolim versùs fugam intendêre: noſtri acriter perſequi, & cùm aſſequi nequirent velis, remiſque capeſſentes fugam, tormentis quod unum eminùs fieri poterat infeſtare, donec hoſtium conſpectum nox ademit. Iis Prorex cùm rem ſecùs cedere è portu animadvertiſſet, quò cum cæterâ multitudine ſteterat, quinqueremem ſubſidio miſit, & qui Claſſi præerat, ei ſuis verbis nuntiari jubet, uti nuſquàm niſi victor rediret. Eo metu ad pudorem qui ex fugâ haud exiguus inceſſerat, addito, totam noctem apparandis ad craſtinam pugnam navibus agitavêre. Ubi verò illuxit, naves evexêre in altum, actuariis rursùm majora navigia remulco trahentibus, atque hæc ita conſtituêre, ut eorum latera noſtrarum lateribus adverſa,

Mm

1647. atque proxima eſſent, nihil in velis, armamentiſque præſidii, quoniam nulla venti copia, omnis ſpes in virtute poſita erat.

Tormentis igitur, atque ſclopetis agere cœpêre: intereà quinqueremes Neapolitanæ circumagi, atque aliâ parte naves noſtras tormentis oppugnare, nam hoſtibus expropinquo decertare, aut prælium manibus facere nuſquàm in mentem venit. Dies quinque eo modo pugnatum, niſi ubi nox prohibebat: die ſextâ navigia majora ſeptem, atque quinqueremis una ab Prorege amplius ſubſidio Neapolitanæ Claſſi miſſa, quæ res denique Polum tanto navium numero imparem abſcedere coëgit. Tredecim majora navigia, actuariæ duodecim hoſtium fuêre, Polus ſex omnino naves, atque incendiarias duas habebat, quas omnes incolumes reduxit in Provinciam, atque ad cæteram Richelii Claſſem adjunxit: hoſtium non pauci deſiderati, complures vulnerati, item vulneratæ, atque peſſimè habitæ aliquot eorum naves, poſtremò ex eâ expeditione Polum magna laus ſecuta eſt, quæ tamen ſicuti pleraque alia quæ mari geruntur, nullius ad rempublicam momenti fuit.

Ineunte Maio Ludovicus Rex, atque Anna Regina mater, omniſque Aula profectionem ad Ambianos adornabat, ut eò in Regni finibus aliquandiù commorarentur: nam haud ita procul hoſtes multa moliri fama erat, ac de Armentariâ ad Legiam amnem quoniam dolus ſecùs ceſſerat, oppugnandâ cogitare. Igitur Matthæus Molæus primarius Senatus Præſes cum aliis Præſidibus, atque Senatoribus uti ſui Ordinis verbis vale dicerent Regi, atque Reginæ matri ad eos adiêre. Quod poſtquàm eſt factum Molæus hos edocendos exiſtimavit, quantùm ad rem publicam pertineret Decretum quoddam Inquiſitionis Romanæ, quod in vulgus Pontificis Nuntius nuper ediderat. Id in librum DE AUTORITATE PETRI, & PAULI fuit: prætereà in librum alterum DE ECCLESIÆ MAGNITUDINE SUPER PETRI, ET PAULI, AUTORITATE FUNDATA, quibus duobus libris hos æquales fuiſſe, in eadem Cathedrâ ſediſſe, Apoſtolorum, atque omnis Eccleſiæ principes fuiſſe ex Patrum, Pontificum ipſorum, atque Conciliorum ſententiâ ſatis, ſuperque probari pleriſque videbatur, neque eò tamen duos in Eccleſia ſummos Pontifices poſt-hàc eſſe poſſe; ſed amborum Apoſtolorum potentiam in unum Pontificem Romanum recidiſſe, ac porrò futuram. Romæ tamen viſum ex eo poſſe quoſdam adduci, uti crederent duos in Eccleſia Pontifices ſummos creari poſſe: quò factum eſt, ut his libris *ſi omnimoda inter Petrum, & Paulum æqualitas fuiſſe intelligeretur, ſine ſubordinatione, & ſubjectione Pauli ad Petrum in poteſtate ſupremâ, & regimine univerſalis Eccleſiæ, id hæreticum eſſe* Inquiſitionis Congregatio his omninò verbis decerneret, cæterùm hos libros ab Antonio Arnaldo de quo ſuprà memoravimus, ſcriptos, atque editos fuiſſe aiebant.

Super hoc Inquiſitionis Romanæ decreto Talonus Actor regius Senatum edocuit. *Inquiſitionis Conſilium, ſeu Congregationem ſeſe univerſalem prædicare, quod quidem jus quoddam, atque judicium huic eſſe ubicumque*

terrarum oſtentaret, certè uſquè adhuc ignotum in Gallia, nec de quo convenire 1647.
uſquàm poſſimus, multis gravibuſque de cauſis, ac magnoperè ad rempublicam
pertinentibus. Quæ ab ipſo Pontifice de fide, ac fidei ipſius doctrinâ proficiſcan-
tur ex formulâ (Bullas appellant) ea nobis ſummo in honore, ac pro legibus eſ-
ſe, modò ut in Senatu recitata ſint, atque in Acta hujus relata: ſed hujuſmodi
Conſiliorum, aut Congregationum Decreta non eôdem modò haberi, quæ ſicuti
Doctorum Conſulta modò eſſe videantur, quibus ſtare nequaquàm teneamur.
Præterea quæ Nuntius huic Decreto adſcripſerit, ſeſe videlicet Nuntium non
modò apud Regem, ſed & in univerſo Galliarum Regno eſſe, quem Pontifex
juſſerit Inquiſitionis Decretum iſthîc edere, atque ad Nuntiaturæ ſuæ Ordina-
rios hujus exempla mittere, ſicut in Acta Nuntiaturæ ſuæ relatum ſit, iſthæc
enimvero ad parandum ſibi in Gallia jus, judiciumque, aut ut id jam antehàc
paratum oſtendat, pertinere, rem inauditam uſque, atque inſolitam. Non alias
iſthîc Nuntii Pontificii, quàm aliorum Legatorum partes eſſe, ſcilicet uti quæ
ab Principibus ſuis juſſi ſint, ea apud Regem agant: cum cæteris nedùm cum
univerſo Galliarum Regno nihil ipſis eſſe negotii. Nulli civi quidquam publi-
cæ rei cum Pontificis Nuntiis, ſicuti nec cum aliis Legatis aut conſultare, aut
agere fas eſſe. Nuntiaturam Magiſtratum Pontificium in Gallia non eſſe, &
qui hanc gerat, eum nec imperii quidquam, nec juris, aut judicii in quemquam
habere. Quæ igitur Nuntius hujuſcemodi Inquiſitionis Decreto in vulgus edito
adſcripſiſſet, ea conficta eſſe, ſicut & Nuntiaturæ ſuæ Acta Tabulis conſigna-
ta, quibus tamen rebus Senatum obviam ire neceſſe videatur, ut ne ille iſthæc
omnia ſibi quoniam de his taceretur, conceſſa putet. Romanos perinde ac majo-
res ſuos potentiæ avidos, cujus in conſimilibus animis tametſi in rebus diſſimili-
bus eadem lubido ſit. Poſtremò Senatûs Decretum fit, ut ne qui Archie-
piſcopi, Epiſcopive, aut alii in Gallia Inquiſitionis, alteriuſve Con-
gregationis Romanæ Conſulta, Acta, Decreta, ac ne Bullas quidem,
aut alia ab Roma profecta accipere, edere, aut exequi velint, præter-
quàm ex Regis Edicto in Senatu promulgato, intereà Decreti Inqui-
ſitionis exempla omnia conquirerentur, & ne cui hæc penes ſe habe-
re liceret.

Hoc anno demum Anna Regina Britanniam provinciam ſibi ſump-
ſit, ſicuti Britannorum precibus fatigata, quod eam rem ſibi ſaluti, at-
que ornamento fore probè intelligerent. Fuêre qui Mazarinum eo pac-
to hanc obtinere voluiſſe provinciam dicerent, quam tamen Melle-
raius ſicuti Reginæ Legatus porrò adminiſtravit, neque quid lucri
Mazarino fuiſſet huic provinciæ abſentem præeſſe haud ſatis capio,
cui omnis reſpublica ab Reginâ permiſſa ſit. Sed illa modò ex omni-
bus Regni provinciis neque vectigal Regi pendere, neque quod cæ-
teris provinciis gravius eſt, aut Quæſtoribus, aut Publicanis, aut
huic omni hominum generi, quod malo publico alitur, prædæ eſſe:
id adeò eorum gratiâ, & potentiâ qui hanc obtinuêre, factum eſſe
Britanni ſatis ſciebant, quò magis Britanniam Reginæ provinciam eſ-
ſe ſtudebant. Si quid in rempublicam Rex ab hac conferri vult, id
dono datur, atque accipitur, eò Concilium provinciæ habetur, Eccle-

1647. ſiaſtici, Nobiles, atque Plebeii conveniunt, quid Regi donandum, quoque pacto id efficiatur inter ſe conſultant, cujus rei gratiâ quæ ſibi ipſis impoſuêre antehàc portoria, atque vectigalia, ea augent, ſuper vino ut plurimùm, quo advectitio quoniam humus præterquàm apud Nannetes viti infœcunda eſt, utuntur.

Intereà Ludovicus, atque Anna mater Compendium ad Eſiam amnem advenerant, quò nuntiatum eſt hoſtes Armentariam oppugnare: ea res Aulam ad Ambianos pergere coëgit. Jam anteà quoniam copiarum haud ſatis eſſe hoc anno videbatur, ut ex priſtinâ gloria, atque famâ res publica gereretur, Gaſto nullam ſibi belli partem attingendam eſſe decreverat, atque adeò ad Gaſſionem, & Ramſavium Equitum Tribunos, qui ipſi antehàc Legati fuerant, ſumma imperii redibat. Sed inter hos jamdiù ſimultates, atque odia fuêre, quæ res multas opportunitates corrupit. Gaſſio apud Curtracum hyemaverat, quò arcem properabat ædificare, cùm hoſtes circùm Armentariam eſſe nuntiatum. Igitur relicto in hybernis Bergeræo fratre, qui opus maturaret, ipſe cum centum & quinquaginta modò equitibus Bethuniam per media hoſtium præſidia contendit. Eò jam copiarum quidpiam advenerat, quas ad Mervillam duxit, quò ſtativa habuit, intereà dùm cæteræ omnes copiæ convenirent: hæ undequâque accerſitæ properabant accedere, quia tamen paucæ erant, id magnoperè ſolicitum habebat Mazarinum, metuentem ut eâ parte hoſtium conatus ſuſtineri poſſent.

Ad hoc pudebat quos ultrò laceſſere ſolebamus, eos ad oppugnanda quæ tenebamus oppida ſatis valere, ac varii eâ de re vulgi ſermones erant. *Exhauſtum anno proximo Ærarium, bello quod in Italia terrâ, marique geſtum ſit, atque incæpto duplici, quorum alterum fœde, alterum feliciter evenerit, quò fama quidem rei primùm corruptæ recuperata, cæterùm conduplicatus inſtaurando exercitui, & Claſſi ſumptus, qui jam ad Belgicum bellum fieri vix poſſit. Italicum procul ab Urbe, atque orbis terrarum prope diverſiſſimâ parte geſtum. Belgicum in ipſo Urbis conſpectu, aut certe viciniâ geri, quod adeò ad hanc magnopere pertineat.* His atque aliis hujuſcemodi Mazarinus impulſus, tantò ſtudioſiùs providere, atque facere omnia, feſtinare, parare, cunctos qui circùm Regem, & Reginam erant nobiles, hortari uti neceſſario maximè tempore reipublicæ ſubvenirent, ad caſtra ire ne gravarentur, fortem patriæ, atque Regi navarent operam, qui ad Regis cuſtodiam equites adeſſe ſolent, eos propè omnes ad caſtra mittere, poſtremò nihil omnium quæ uſui eſſent omittere.

Intereà dùm hoſtes Armentariam oppugnabant, Gaſſioni, & Ramſavio Equitum Tribunis aliquid conandum Mazarinus cenſebat, ſeu oppido ferrent ſuppetias, ſeu aliud in Regis Hiſpaniæ ditione oppidum tentarent, atque hoc quidem magis placebat, & ut Ypras oppugnarent, autor erat, magnam, ſed haud ſatis firmam, ac munitam Urbem. *In eo maxime per id bellum Hiſpanos offendiſſe, quòd Gallicæ ditionis oppida non oppugnaverint, quoties ſua Galli oppugnabant: nam hanc certam prope*

eſſe damni vitandi aut ſarciundi rationem : vitandi ſi hoſtis inceptum ſuum omiſerit, ut item tuum te omittere cogat : ſarciundi ſi illo non omittente, ita tu nec tuum omiſeris, quod aut confectum eodem ſpatio erit, aut tuis intereà probe munitis caſtris vix hoſtes hæc expugnare, atque oppido ab te oppugnato ferre ſuppetias poterunt. 1647.

Armentaria ad amnem Legiam utrimque poſita eſt, ingentis vici magis, quàm urbis inſtar: hanc ſatis magna incolit multitudo, cui ex lanificio quæſtus : perindè ac majora oppida immunis eſt, Dominum habebat Egmondanum, qui per hæc bella ad Ludovicum ab Philippo defecerat : oppidum cingit foſſa, quam Legiæ aqua ſubit: hujus foſſæ latus externum via tecta muniebat, quâ militi tutò commeare, & propugnare copia eſt, id modò firmi noſtri habuère, quod ſi hoſtis expugnaret, foſſam tranſgredi, & vallum qui pro muro erat, tranſcendere ne Equiti quidem difficile videbatur, nam recens congeſtus agger haud ſatis coaluerat: quatuor erant prætereà ex aggere ſemilunæ, prorsùs omnis ſpes in virtute militum, & Præfecti poſita: is erat Jacobus *a* Rugæus Belieropleſſius item Caſtrorum Præfectus. Oppidum noſtri biennio ante fine æſtivorum vix totum biduum oppugnatum ceperant, quod nunc duodeviginti hominum millia circumſidebant: his Picolominius, Lamboïus, Beccus *b* Bucoïus, atque Caracena Duces egregii, ſtrenuique præerant: Stephanus Gamarra Hiſpanus rei tormentariæ in Belgio Præfectus, atque Lipontius Italicus VI. Id. Maias cum tribus hominum millibus, pars pedites, alii equites fuère, ad oppidum qui rem aggrederentur præmiſſi fuerant.

a De Rougé, Marquis du Pleſſis Belliere.

b Le Comte de Bucquoy.

Sed equitatus Eterræ portam versùs propior factus noſtros excivit oppido, pedites vimineis doliis terrâ oppletis tecti, vinearum genus eſſe videtur, longiùs ſubſtiterant: at utroſque Belieropleſſius centum & quinquaginta omninò equitibus fretus propulſavit, & ab vineis longiùs abegit: dein inter macerias, quæ circùm oppidum ſunt velitationibus biduum abſumptum, donec eâ nocte quæ XVII. Calend. Iun. anteceſſit, foſſæ ad oppidum duci cœptæ. Id quatuor ab partibus factum, locataque viginti duo tormenta, hoſtes objectis vineis opus maturare, noſtri ſicut hos & ipſi oppugnaturi eſſent, ad eos versùm foſſas conſimiles ducere, qui propugnandi modus egregius non niſi ab fortiſſimis viris, & præſidio valido, atque adeò uſurpari rarò ſolet: XV. Calend. Junias ſclopetarii ſexaginta, equites triginta amotis equis, ſclopetis brevioribus de more inſtructi, prætereà falcibus inverſis eruptionem fecère: qui eâ parte in ſtatione fuère hoſtes, ii fuſi, fugatique, capti Centuriones duo, quorum alter graviter vulneratus, vineæ disjectæ, foſſæ, atque omne munitionum opus corruptum, cratium, viminum, virgultorum, atque hujuſcemodi materiæ magna vis igne abſumpta, ipſa tormenta in poteſtate noſtrorum fuère, at defuère quæ hæc aveherent jumenta.

Triduò poſt quâ parte Helvetii qui Regi mercede militant, habebant ſtationem, facta iterum eruptio : octoginta fuère Lensburgero

1647. Vexillario duce, fuêre & Galli ſexaginta duce Surino è Breziacâ Cohorte, qui in hac eruptione graviter femur glande vulneratus eſt: poſtquàm hi glandes ſclopetis miſerant, hoſtes eos pulſum iri facilè arbitrati acriter inſtare, noſtri primùm reſiſtere, ac ſuſtinere, dein hoſtem pellere: jamque omnis erat ea ſtatio ab his deſerta, noſtrique eo locata tormenta moliri, atque avehere nitebantur, ſed id fruſtrà tentatum, fatiſcentibus qui rem ſuprà vires aggreſſi fuerant: ab externo intereà foſſæ latere, nam id modò noſtri in via tectâ locati fermè tutati ſunt, perpetuò glandes in hoſtium propiores ſtationes miſêre, in quibus nihil tutum eſſe patiebantur.

At Leopoldus cui Belgium provinciam ab Philippo datam eſſe ſuprà memoravimus, rem apud Armentariam ſeſe per Legatos confecturum confidebat, neque hanc ſatis dignam operâ ſuâ deputabat. Ubi tamen lentiùs procedere intelligit, huic maturandæ poſtremò X. Calend. Jun. in caſtra venit: noſtris ob ejus adventum ſtrepitu in hoſtium caſtris facto ſpes oblata auxilii eſt, nam & eódem tempore ab Gaſſionis, & Ramſavii caſtris, qui propiùs acceſſerant, tormenta exaudita hos haud procul abeſſe ſignificaverant: dein noctu ex utriſque caſtris aliquo intervallo collucebant ignes, uti diverſa caſtra haud longè inter ſe diſtantia ſatis dijudicarent. Admoniti tamen noſtri ab quatuor militibus Gallis, qui antehàc capti ab hoſte in oppidum profugerant, nihildùm ipſis auxilii ſperandum IX. Calend. tertiò erupêre. Quinquaginta Helvetii fuêre, quos haſtati duo, triginta è Navarricâ Legione pedites, quos item duo haſtati ductavêre, præterea equites triginta, qui pedibus ſicut antehàc falcibus inſtructi pugnavêre: ad hoc malogranatorum (miſſilis ignis genus eſt) jaculatores duodecim: poſtremò qui hoſtium opera disjicerent triginta, idoneis ad eam rem inſtructi ferramentis: hæc eruptio perindè ceſſit, ac priores duæ: centum & quinquaginta hoſtes cæſi, opera eorum disjecta eâ parte, ac ſolo æquata.

Nihilo tamen ſegniùs Leopoldus agere, quæ disjecta, & corrupta fuerant, ea reſtituere, nihil noſtrorum impetu, atque virtute ab incœpto deterreri, quoniam omni ſpe auxilii ademptâ hos deditionem facere denique neceſſe erat: quod eò maturiùs factum iri intelligebat, quòd ab transfugâ certior factus fuerat, in oppido multa ad diuturniorem propugnationem deeſſe: hic pulveris tormentarii, cæterique ad rem tormentariam inſtrumenti inopiam eſſe indicaverat, pilas quæ tormentis mitterentur non ferreas de more, ſed lateritias eſſe, & plumbo oblitas, quo ſolita gravitas ineſſet. Igitur Leopoldus per Tubicinem de deditione Belieropleſſium compellavit, ſignificavitque hæc ſibi nota eſſe, ſed is nondùm ex ſententiâ reſpondit. Poſtridiè noſtri quartò erupêre, malogranatorum jaculatores quindecim fuêre, ſexaginta cum falcibus equites, è Prætorianis, Navarricâ Legione, & Breziacâ Cohorte ſclopetarii nonaginta, tantúmdem ex Prætorianis in ſubſidiis fuêre: hi omnes ſecundâ vigiliâ oppido egreſſi quàm proximè hoſtium

ſtationem tres horas delituêre: qui in ſubſidiis erant, paulò longiùs reſtitêre: dein ſigno tormenti ſtrepitu ex oppido dato ſubitò conſurgunt, neque ſegniùs hoſtes eódem tormenti, prætereà ſclopetorum ſtrepitu exciti extrà munitiones procedunt: noſtri repetitâ multoties glandium ab ſclopetis miſſione hoſtes abſcedere cogunt, trecenti ex his deſiderati, cæteri ad Munitionem in quâ tormenta locata erant, ſeſe recepêre, quorum pilis ſubitò emiſſis impetum noſtrorum inhibuêre: quindecim omninò ex his cæſi, quinque vulnerati, inter quos *a* Lagebaſtonus Brevillius Procenturio, qui primos duxerat. 1647.

a Du Breuil Lagebaſton.

Sed hæc glorioſa profectò, cæterùm ad prohibendam oppidi expugnationem haud ſatis valebant, cui deditione modò antevertere copia erat: quoniam verò in bello fortuna plurimùm poteſt, hanc Belieropleſſius opperiri decreverat, ſi fortè in Gaſſione, atque Ramſavio quid auxilii foret: eò tempus ducere, atque prolatare deditionem: prætereà Regis opes hoc anno haud æquè ac proximis firmas, quamdiù apud Armentariam hoſtis attineretur, tamdiù id reipublicæ ſaluti fore probè intelligebat, eò tempus lucri faciundum, nam intereà & hoſtium copias minui, neque his per reliquum æſtivorum aliud quidquam gerere copiam fore. Contrà Leopoldus maturare rem, pudore, atque irâ ſtimulari, quod ante oppidum unâ propè die antehàc ab noſtris captum tamdiù cum tanto exercitu ſederet, nequedùm fieret deditio.

Itaque de tertiâ vigilia ante diem VII. Calend. Jun. ad ſemilunas quatuor admovet copias, in queis quoniam neque palorum ordo, qui ſuccedentes, neque cervi qui ſubeuntes arcerent, uſquàm erant, nam cuncta hæc hoſtium tormenta disjecerant, in ſummum evadere facile fuit: ſex modò in una quâque milites fuêre, ne omninò deſertæ viderentur, cæterùm ubi hoſtis adventaret, ad oppidum ſeſe recipere juſſi. Igitur nullo negotio ſemilunas hoſtes ingreſſi ſunt: at continuò ex oppido tanta vis glandium ſclopetis in ſuperſtantes emiſſa, uti loco cedere, & ſemilunas viciſſim deſerere cogerentur, tantaque his ex glandibus pernicies extitit, ut avehendis qui eâ peſte perierant, diem unum inducias hoſtes petierint. Sed id propugnandi genus tantam pulveris tormentarii vim abſumpſerat, uti quò porrò propugnantes uterentur, nihil propè reliqui eſſet, quâ neceſſitudine adductus Belieropleſſius, atque opportunè ab Leopoldo de deditione compellatus ex ſententiâ denique reſpondit, atque oppidum pridiè Calend. Jun. dedidit.

Præfecto, Propræfecto, Quæſtori, atque Centurionibus abeundi cum omnibus rebus facta poteſtas eſt, arma adempta præter gladios, quibus de more ſuccincti abirent, cæteri retenti: hoſtes contrà pactorum fidem captivorum res retinuêre, item Quæſtorem, fratremque ejus, æris alieni ſpecie, quod alendo præſidio in oppido conflaverant. Leopoldus ſeſe captivos ſi Regi videretur, permutaturum edixit, mille, & ſeptingenti fuêre. Cæterùm Belieropleſſius eo damno accepto clarus factus, atque ab Reginâ collaudatus eſt, quod tam egregiè in

1647. loco infirmo propugnaſſet. Profectò haud aliàs cujuſquam virtutem ni res proſperè eveniſſet, laudari memini: ſed nobis res adverſæ magis, quam ſecundæ æqua noſcere ſuadent, docentque virtutem ab fortunâ ſecernere. Trecenti in oppido, quatuor millia in hoſtium caſtris aut cæſi, aut ab vulneribus, morbiſve interiêre. Id modò hoſtibus, atque ipſi maximè Leopoldo glorioſum, quod ubi provinciam adminiſtrare cœperat, loca ab noſtris capta ſeſe recipere poſſe oſtendit, nam & Cominium Caſtellum ad Legiam, dein Lentſium ipſi ſicuti Armentaria dedita ſunt.

Intereà Condæus in Cataloniâ dùm ſeſe Tarraconem oppugnare velle ſimulat, atque eâ causâ naves apud Barcinonem morari jubet, commeatum, atque cætera quæ uſui forent Cerveram contulerat, quò edixerat uti copiæ convenirent. Cervera æquo ab Tarracone, atque ab Ilerdâ ſpatio poſita eſt, neque eò copiarum profectio quidquam hoſtes ab eâ quam de Tarracone ceperant opinione avertebat: eòdem Condæus ipſe profectus eſt, poſtquàm ad Montisferrati-Fanum rei divinæ faciundæ diverterat, ut ne quid inauſpicatô inciperet. Fanum id totâ Hiſpaniâ celebre, quò confluere ſolent omnis generis multi mortales: B. Virgini Mariæ ſacrum eſt, ab quâ propè neminem fruſtrà auxilium petiiſſe, quin id ab Deo Opt. Max. impetraverit, vulgò creditur. Sed quò id ſæpiùs hoc in templo homines experti ſunt, eò plura appenſa illîc, aut in ſacrario repoſita ingentis pretii dona videas. Ubi primùm Condæus Cerveram advenit, Marſinum Legatum cum aliquot equitibus, peditibuſque ad Villanovetam præmittit, qui Sicorim iis ratibus quas ſecum plauſtris vehebat, paulò ſuprà Ilerdam jungeret.

Præmiſſus item eſt Colinius Caſtillonus, qui equitatui præerat, uti Sicori apud Balaguieram ponte traiecto, dein vadato Noguerâ, cum parte equitatûs ultrà Sicorim hoſtes Ilerdâ prohiberet, interea dùm Condæus cum cætero equitatu, peditibuſque, & reliquo graviori agmine ſubſequeretur. Tùm coorta in vicinis montibus tempeſtas nives proluerat, queis auctus Noguera altior, atque citatior fluebat: quò factum eſt, uti qui primi amnem ingreſſi incerto vado, ii aquarum impetu, verticibuſque abriperentur: dein objecti equites vi fluminis, carrique placidiorem infrà alveum fecerunt: ita traducto primo, ac ſecundo agmine binis eâ parte caſtris Condæus Ilerdam circumſedit, unis ipſe, alteris Gramontius Equitum Tribunus præfuit, hæc Fragam, illa Alguaïram versùs fuêre: dein quoniam longiuſculè inter ſe aberant, tertia minora inſtituta, quartis cis Sicorim Marſinus præfuit. Biduo caſtra munita, neque id Regi ſumptui fuit, milite operam in eo ſuam Imperatori gratificante, quod præter morem, atque diſciplinam fuit, neque operis quidquam miles niſi mercede facere anteà ſolebat, tamen per hæc bella uſu denique invaluit, uti caſtra ſine pretio munirent, quoniam id ad ſingulorum ſalutem pertinet.

Munitis caſtris maturè ad arcem oppidi foſſæ duci cœptæ: hæc eſt in edito ſita, aditu difficilis, quoniam ſubjecta hoſtium oculis, teliſque

1647.

omnia circùm ſunt, neque clàm moliri quidquam, aut facere quod in bello plurimùm valet, copia erat: hi intereà ſæpiùs erumpere, noſtros operi intentos perturbare, multa conari, nonnulla efficere: nec eò ſeciùs Arci eſt appropinquatum, applicitique ad Glaciarium cunicularii. Eò frequentius hoſtes ſclopetis glandes mittere, queis caput ictus a Valiera è Melitenſi militiâ Caſtrorum Præfectus occubuit. Is rei militaris atque muniendi apprimè gnarus, præthereà vir fortis, atque impiger egregiam dudùm Regi navabat operam, quò majus in eo damnum factum.

a Le Chevalier de la Valiere.

In oppido tria peditum millia, atque ampliùs ſexcenti equites fuêre, niſi quos ubi eruptionem fecêre noſtri ceciderant: ſemel improvisò advenientes ſtationem noſtrorum pepulerant, foſſas, munitioneſque tranſcenderant, atque loco potiebantur, ni Condæus properaſſet accedere, qui de more hoſtes fudit, fugavitque. Sed hi diutiùs quàm ratus erat propugnabant, nam pluſquàm menſem unum circùm Ilerdam conſederat, nequedùm aut deditionis, aut expugnationis ſpes ulla erat, cùm intereà milites in caſtris obſidionis tædium cepit, quos videlicet per æſtatem in his regionibus præfervidam æſtus immodicus conſumebat. Itaque dilabi in dies eò faciliùs, quòd hoſtis per fines ſuos hujus rei poteſtatem faciebat.

Quod ubi animadvertit Condæus, neque ſe Hiſpanis ſi caſtra oppugnatum veniant, ſimul & oppidi præſidio ſi erumpat, longè parem fore, ſibi abſcedendum eſſe conſtituit, ægrè quidem, quippe vincere ſolitus, & fortunam incuſans, quæ ſibi tùm primùm defuiſſet: nam quæ Imperatorem decuerat, ea ſatis proviſa, militum levitati, neque ſe, neque quemquam omnium mederi potuiſſe. Fuêre in caſtris qui ſeſe perditos arbitrarentur, neque Condæum etiam ſi certa peſtis adeſſet, uſquàm commiſſurum, uti ſe metu ceſſiſſe fama ferret: neque certè metu, ſed conſilio diſceſſit.

Nam qui exercitus ductant, eos non inani gloriæ ſervire, ſed rei publicæ conſulere decet, quam per vanam audaciam, æquè ac per metum labefactare flagitium eſt. Apud Fragam duodecim peditum, tria millia equitum fuêre, partim quos Philippus tuendis finibus ſcripſerat, alios ab Luſitaniæ finitimis regionibus nuper evocatos, alios denique quos Joannes Auſtrius Claſſe Tarraconem advexerat: tanta res Hiſpanis viſa Ilerdam retinere, nec injuriâ, nam eò ſtativa commoda, firmaque, atque ipſis ſuper Sicori pontis copia eſt, quò in Cataloniam exercitus traducere huic recipiundæ poſſint. Cæterùm Condæus advectis tormentis, impedimentis, atque omni qui multus in caſtris erat commeatu, ultrà Sicorim haud longè ab Ilerdâ reſtitit, ut ne pugnæ conſerendæ metu deceſſiſſe videretur, dein firmatis omnibus quæ ultrà Sicorim erant in poteſtate locis, amnem tranſit, atque ad Lesborges contendit: eò ſtativa habita, munitaque, in quibus pars copiarum præſidio adversùm hoſtes, qui apud Fragam erant, aliæ in Tarraconenſibus campis præſidio adversùm Joannem Auſtrium, qui cum Claſſe apud Tarraconem erat, agitavêre.

1647. At in Aulâ, atque in Urbe incredibile memoratu eſt, quantum gaudium fuit Condæum offendiſſe. Nam plerique quam virtutem imitari nequeunt, ei miſerè invident, ac multi ſunt qui rem publicam corruptam malint, quàm ex hac benè geſtâ alteri gloriam accedere. Itaque continuò ſuper eâ re carmina haud infaceta fieri, atque cantitari, his urbs, atque Aula perſonare, nihil pudor, atque viri Principis verecundia, nihil ex republicâ labefactatâ dolor valere, plus Aulicæ, atque Urbanæ juventutis, & vulgi laſcivia, ac petulantia poſſe, donec hanc Edicto coërcere conſilium fuit. Obſtitêre Condæi clientes in Urbe, ex hujus ſententiâ, ſeſeque ultrò ipſe cantitabat, ſatis gnarus, ea ubi neglectui habeantur, citiùs deſinere, ubi prohibeas cupidiùs fieri, eóque perdurare. Prorsùs id ætatis in eo & audacia, & conſilium, atque alia Principe viro digna erant, nec uſquè fortuna defuerat. Audaciæ multa, atque ingentia documenta dederat, tunc verò prudentiæ, cui audacia obſtare videtur incredibile ſpecimen edidit, uti conſilio non impetu, aut caſu, quæ antehàc geſſerat facta nemo ampliùs dubitaverit. Sed vitio noſtro evenit, uti virtutem hominum vix in adverſis videamus, nam tùm obſcura, in ſecundis illuſtris, & ſplendida eſt.

Intereà dùm Leopoldus apud Armentariam, circúmque ea loca ſtativa habuit, noſtri apud Gorgum quod ad Legiam eſt, atque apud Bethuniam habuêre caſtra, parati, intentique ſi quò tenderet hoſtis, hunc antevenire, aut ſi minùs poſſent, eumdem ſubſequi, atque attinere, ut ne quid operæpretii faceret. At quoniam vix ſatis copiarum in Gaſſionis, & Ramſavii exercitu fuit, placuerat ex præſidiis eorum locorum, ab quibus longiùs abeſſe periculum videbatur, milites accerſere, Helvetios quingentos ab Atrebatibus, Gallos ſexcentos ab Landrecio, quos *a* Subletus Hudicurius oppido Præfectus invitus, nec niſi juſſus iterùm dimiſit, quæ res ei denique ſicuti providerat, fraudi fuit: nam hoſtes facti certiores præſidium apud Landre[illegible]m imminutum, poſtquàm res alias agere ſe ſimulaverant, poſtremò [illegible] contendêre.

a Sublet Marquis d'Heudicour.

Gaſſioni, atque Ramſavio ſatis placebat prælio decernere, atque ita Hiſpanorum conſiliis occurrere: ſed alite[illegible] Mazarino videbatur, qui nihil fortunæ permittendum rebatur, intereà dùm de pace agebatur, ſed attinendos modò hoſtes, ut ne quid operæpretii facerent, hi V. Calend. Quintiles circùm Landrecium quinis caſtris conſedêre. Id oppidum ad Sabim amnem eſt naturâ loci, atque opere munitum: præ hujus amplitudine præſidium exiguum, quoniam pars militum abducta fuerat. Continuò caſtra probè ab hoſtibus munita, convectuſque affatim commeatus. Noſtri eódem poſt quatriduum profecti pulſo apud Caſtillonem Becco Sabim tranſiere, atque ad munitiones hoſtium acceſsêre. In eas, caſtraque viginti tormentis emiſſæ pilæ plus terroris, quàm periculi fecêre, cæterùm cum è duabus partibus noſtri auxilia in oppidum introducere tentaſſent, fruſtrà fuêre: nam neque fallere neque munitiones perrumpere copia fuit.

Ibi Mazarinus factus certior ab *a* Monteclaro Durlani Præfecto

a Monteclair Gouverneur de Dourlans.

paucos defenſores apud Baſſæam, atque apud Dixmudam eſſe, habito cum viris Principibus, atque Equitum Tribunis, qui tùm ad Aulam erant, conſilio, præter omnium qui aderant ſententiam Reginæ perſuadet, ſcribendum ad Gaſſionem,& Ramſavium, uti relicto in Regni finibus Henrico Fertæo Sannectario, cum duobus peditum millibus, atque equitibus mille ducentis, ipſi ad Baſſæam, atque ad Dixmudam cum cæteris abeant copiis: Gaſſio Baſſæam, Ramſavius Dixmudam oppugnet, quas deditum iri non dubitet, priuſquàm hoſtes Landrecio potiantur. Iſthuc utrique fieri non poſſe viſum, nam qui conjuncti ad alterum incœptum vix pares eſſent, eos diverſos rem utramque aggredi Regina jubebat, parendum tamen fuit. Igitur movent caſtra, abſceduntque: hoſtes agmen extremum carpere, noſtri haud timidi reſiſtere, ac propulſare, quod quidem noctu fiebat. Aſt ubi illuxit, Picolominius cum quatuor equitum millibus, & ſclopetariis mille inſtare acriùs, atque tormento uno quod fortè luto inhæſerat, fatiſcentibus quæ vehebant in tenaci humo jumentis, potiri velle: obſtitit Gaſſio, & cum eo unà Robertus Palatinus vir Princeps, Quincæus, atque alii: accurrit eòdem Ramſavius quò pugnatum acriter, & plerique hoſtium cæſi, cæteri pulſi. Dein Gaſſio, atque Ramſavius diverſi abiêre, hic ad mare, ille ad Legiam versùs, quæ res hoſtes ſolicitos habuit. Nam quid noſtri molirentur incerti misêre qui ſubſequerentur, & obſervarent, & ſi quò oppugnandi causa diverterent, eos antevenirent, atque oppida defenſuri ingrederentur. Ubi Gaſſio per Atrebatium fines ducit, neque procul Baſſæâ erat, miles gregarius quidam Gallus nuper oppido egreſſus ad eum venit, fecitque certiorem centum modò, & ſexaginta milites in præſidio eſſe, prætereà ex agris propinquis trecentos armis inſtructos, haud ſatis firmam ad propugnandum manum, quo denique pernovit Mazarinum haud temerè ad Baſſææ incœptum animum adjeciſſe. Eò igitur properè ducit, & IV. Id. Quintiles circùm oppidum caſtra ponit, munitque, dein quæ oppugnantibus uſui ſunt fieri cœpta. At III. Id. hoſtes qui Gaſſionem erant ſubſecuti, ad vallum acceſsêre, quâ parte Stampæus Fertimbaltius in eo exercitu Legatus curabat: illi ubi caſtra munita, neque noſtros animo omiſſo eſſe cognovêre, poſtquàm eminùs modò cum ſtatione quæ pro caſtris fuit pugnaverant, abiêre denique. 1647.

Ramſavius intereà Clanlevium Caſtrorum Præfectum Dunkercam miſerat, qui indè & tormenta, & commeatum, & materiam pontibus exſtruendis Furnas, dein Dixmudam versùs adveheret. Ab Dunkercâ ad Furnas, atque ultrà navibus per foſſas, atque amnes facilè cuncta ſubvehere copia eſt: adduxit & milites mille ſexcentos, quibus fretus turrim apud Knocquiam cepit: tùm Ramſavius hunc properare Dixmudam versùs jubet, qui opportuna circùm oppidum loca prohibendis auxiliis antecaperet. Haud procul Neoportus eſt, quâ parte B ergeæ us Gaſſionis frater ab Menene cum copiis quas ab hujus oppidi, atque Curtraci præſidiis éduxerat, agitare juſſus, ne quid illàc

1647. ſubſidii Dixmudam intromitteretur, is equites octingentos, paulò minùs peditum habuit. V. Id. Quintiles Ramſavius circum oppidum poſuit caſtra, quæ quoniam ſicuti res monebat in ea regione foſſis ac rivis conciſa plura fuêre: magis ut inter ſe pervia, quàm ut adversùm exteriorem hoſtem munita forent, eſt laboratum: nam rem ante confectam fore Ramſavius confidebat, quàm hoſtes idoneo ad ſubveniundum numero adventare poſſent.

Poſtridiè pernoſcendis oppidi munitionibus Ramſavius, atque Clanlevius quàm proximè foſſam iêre: hic regrediens glande leviter humerum ictus eſt: ſemiluna eâ parte triplex fuit ad quam ab urbis vallo pons pertinebat: dextrâ, lævâque ſemilunæ aliæ, quas omnes oppugnare noſtri primâ nocte aggreſſi ſunt. Igitur eò procedunt aggere ad complendas foſſas, bipennibus ad perfringendam omnem ex materiâ munitionem, vimineiſque ad muniendum ubi loco potiti eſſent doliis, cæteriſque quæ uſui erant, probè inſtructi. Itaque perruptis, exciſiſque omnibus quæ adſcenſum prohibebant, tametſi hoſtes glandibus, ſaxis, atque alio omni telorum genere propugnarent, in ſemilunas evasêre, ab quibus dùm hoſtes abſcedunt, & properè per pontem recipiunt ſe, noſtri cupidiùs inſecuti, pluresque quàm pons & capere, & ferre poſſet ſuperſtantes, cum eo ſimul in foſſam præcipitavêre.

Primi cum hoſtibus unà vallum erant ingreſſi, quæ res & præſidiariis, & oppidanis magno terrori fuit. Intereà in ſemilunâ locus ab noſtris eſt munitus, atque comportatus quo foſſa compleretur agger, quibus rebus hoſtes adducti deditionem fecêre. Quingenti milites erant, qui ſe, ſuaque Ramſavio permiſere: hi captivi facti, oppidani de more benignè habiti. Nigromonaſterius, atque Clanlevius caſtrorum uterque Præfectus hic humerum, ille brachium vulneratus eſt, dum ambo complendæ inter ſemilunam, & vallum foſſæ operam dant, opuſque maturare jubent, item *a* Gravius, cujus aciem inſtruere munus fuit, *b* Lavallus verò Nigellæ Baro Marchionis filius unicus tormento ictus occubuit, ac denique *c* Labroſſæus in Pedemontana Legione Centurio.

a De Grave.
b De Laval, Baron de Neſle.
c De la Broſſe.
d Michel Sublet Marquis d'Heudiçour.

Eâ re bene geſtâ Ramſavius ad Gaſſionem properè cum copiis rediit. Intereà Landrecium ab *d* Subleto Hudicurio deditum Leopoldo fuerat, qui vacuus ab ea curâ de Baſſæâ quemadmodum huic præſidio foret, anxius erat. Eò Picolominium cum copiis præmittit, atque intereà hoſtes quos ad Gaſſionis munitiones acceſſiſſe ſuprà memoravimus, id fecêre iterùm, atque has prætergreſſi quæ longiùs ab oppido primùm cœptæ, dein omiſſæ fuerant, jam ſibi rem ex ſententiâ ceſſiſſe confidebant, cùm propiores facti in ſtationes noſtrorum incidêre, ab quibus peſſimè habiti, atque glandium emiſsâ grandine cæſi, aut vulnerati abſceſsêre. Id noctu fiebat, neque tùm ex oppido ceſſatum, quò & ab hoſtibus facta ſignificatio, & ſtrepitus ipſe ſclopetorum, atque hominum cunctos excitaverat, qui per muros frequentes

& ipſi ſclopetis eminùs agebant, non auſi noctu erumpere: tertiò hoſtes ad vallum venêre, ab quo repulſi Picolominium denique opperiri viſi. Hunc appropinquare rumor conſtans erat, quò fiebat, uti noſtri diù, noctúque parati, atque intenti eſſent: dein reſtitiſſe nuntiatum, poſtquàm Ramſavium Dixmudâ captâ cum copiis ad Gaſſionem rediiſſe acceperat. 1647.

Nihil exterioris hoſtis metu noſtri ab promovendis ad oppidum operibus tardati fuerant: nam XIV. Calend. Sext. externo foſſæ latere potiebantur, & ad proximum propugnaculum cunicularios admoverant, quâ tantâ eorum virtute, & properantiâ perculſi hoſtes eâ die deditionem fecêre, neque in conditionibus altercatum, latæ perhonorificæ ſunt, quoniam ut ne Leopoldus adveniret, caſtraque oppugnaret, Gaſſio metuebat. Ita pro Landrecio, atque Armentariâ ab hoſte receptis, Dixmuda, atque Baſſæa in Regis poteſtatem venêre. Hanc jam ſatis munitam amplius munivêre poſteà Præfecti, atque eò tam firmum, ac frequens peditum, equitumque habuêre præſidium, ut in hoſtico procul, juxtáque ſitos ad collationes planè ingentes adegerint. Ob hæc oppida duo capta, tametſi duorum aliorum jactura facta fuerat, Deo Immortali honos eſt habitus, decretaque in majori Urbis Templo ſupplicatio, ut ne Plebes quidquam de felicitate ſolitâ mutatum ſentiret.

At Leopoldus poſtquàm Landrecium venerat in poteſtatem, hoc ſucceſſu præclarus eumdem ſe in Baſſæa recipiundâ habiturum eſt arbitratus. Id eò ſibi faciliùs perſuaſit, quòd hac Gaſſioni deditâ Ramſavius cum eo cui præerat exercitu abſceſſerat, nec cui præerat Gaſſio, is haud quaquàm par Leopoldi copiis futurus videbatur: ad hoc caſtra ab noſtris circà oppidum munita ſibi uſui fore ſperabat, nam disjiciundis munitionibus ſpatium non fuerat: poſtremò ubi de improviſo Gaſſioni interventum foret, ipſum opprimi, atque oppidum recipi poſſe: huic quindecim modò dierum commeatum ſupereſſe certior factus fuerat, eò ſi Gaſſio ſeſe oppidi mœnibus teneret, brevì ad inopiam redactum iri.

Igitur Leopoldus bonæ ſpei plenus ad Baſſæam versùs ducit, tantamque itineri faciundo adhibuit celeritatem, uti priùs per exploratores advenire nuntiaretur, quàm Gaſſio ad propugnandum quidquam ſatis providere potuiſſet: ſed queis ille caſtris ad oppugnandum uſurum ſe confidebat, iis Gaſſio hunc prohibere conſtituit. Itaque præmiſſâ parte equitatûs, quem tùm forte cum cæteris copiis recenſebat, ipſe cum peditibus, & tormentis ſubſequitur, tàm opportunè, ut ni equites cujus rei gratiâ præmiſſi fuerant, attinuiſſent hoſtem, huic munitiones caſtrorum ingredi, atque his ex ſententiâ potiri facile fuerit. Intereà advenit Gaſſio, pediteſque in vallo undique conſtituti, atque diſpoſita idoneis locis tormenta glandibus, piliſque magnum terrorem hoſtibus fecêre, qui priùs properè venientes tunc lentiùs iêre: dein ubi cadere pleroſque, alios ſauciari, atque omnibus periculum adeſſe

1647. vident, in proximum vicum qui mille & quingentos aberat paſſus, recepêre ſeſe, equites erant, quos noſtri inſecuti vico ipſo expulêre, & ultrà fugientes perſecuti nonnullos cecidêre, atque adeò ea res ab Leopoldo fruſtrà incœpta.

Is deindè Venantii-Fanum ducere velle viſus, quo Gaſſio Villequierum qui ſibi Legatus erat, properè miſit. Is ut hoſtem anteveniret, equites raptim ducit, qui ſingulos pedites ponè ſe vehebant: his apud Venantii-Fanum relictis, atque unà Belieropleſſio qui oppido præeſſet, ad caſtra cum equitibus rediit. Tria millia paſſuum ab Venantii-Fano tùm hoſtes aberant, quibus ubi eſt nuntiatum præſidium ſolito majus in oppido eſſe, ab incœpto deſtitêre.

Reliquum æſtivorum varia prælia, ſed ea levia, alia aliis locis ab Gaſſione, & Ramſavio facta, caſtella ignobilia capta, ac diruta, Lentſium ab Gaſſione fruſtrà tentatum, quoniam Leopoldus ſubſidio veniebat, dein Ypras oppugnare Gaſſio decreverat, ſed defuêre commeatus, atque alia quæ uſui forent, nam navibus advehebantur, quæ foſſæ cujuſdam vadis hæſerant, atque intereà hoſtes validum Ypras præſidium introduxerant. Poſtremò iterùm Lentſium oppugnare Gaſſio eſt aggreſſus, præmiſſo qui loca prohibendis auxiliis opportuna occuparet Villequiero: Is *a* Lametium Caſtrorum Præfectum quà ab Duaco iter ad oppidum eſt ſtationem habere jubet, ipſe ad Vendini pontem quà ab Inſulâ Urbe Lentſium itur, conſedit: poſtridiè reliquus cum Gaſſione exercitus, atque tormenta advenêre.

a De Lamet.

Sub veſperam hoſtes milites quingentos oppidum introducere conati ſunt, cui rei lacus qui ad oppidum fermè pertinet, opportunus videbatur, hunc fluminis aquæ latiori alueo paulò infrà oppidum exceptæ ſatis amplum efficiunt, ubique fermè vadoſum, quà parte noſtros fallere copia erat. Sed fortè in Gaſſionem ipſum hoſtes incidêre, qui pedites propè omnes fudit, fugavitque, præter centum & viginti, qui ægrè oppidum introiêre, dein equites qui peditibus præſidio venerant aggreſſus pleroſque cepit, cæteri fugâ ſibi conſuluêre. Poſteà foſſæ ad oppidum duci cœptæ, quæ ad externum oppidi foſſæ latus perductæ ſunt, atque in eo noſtri locum occupavêre, & munivêre.

At Leopoldus comperto per exploratores ad Vendini pontem ſtationem noſtrorum haud ſatis firmam eſſe, & cuſtodias agere negligentiùs, eò Picolominium cum tribus equitum, duobus peditum millibus properè mittit. Is viginti equites noſtros qui paulò longiùs ab cæterâ ſtatione fuerunt, pepulit, jamque hoſtium equites centum paulò infrà pontem notis vadis tranſibant amnem, primique ad ripam evaſerant, cùm more, inſtitutoque ſuo Villequierus ſtationes quâ parte curabat circuiens eò fortè advênit, atque hoſtes eòdem quò venerant regredi coëgit: viginti modò cum eo erant nobiles, quos gloriæ cupido movet, uti ſuâ voluntate, ſumptuque Regi plerùmque militent: hi cum quadraginta equitibus ex *b* Elmorubuſſii Alâ, qui in eâ ſtatione fuêre, hunc primum hoſtium conatum retudêre: fuêre prætereà

b De Buſſi Elmoru.

in eâ ſtatione Britanni, Anglos appellant, centum, & quinquaginta, 1647.
qui pontem obſidebant, ad quos ubi pedites hoſtium cum tormentis acceſsêre, ibi verò locum deſeruêre, neque Villequieri hortationibus, precibus, imperiis, minis denique àdduci quivêre, ut eò reſiſterent, ac propugnarent.

Ipſe intereà accerſitis Regis, atque Annæ matris cataphractis, leviſque armaturæ equitibus, item Gaſſionis, & Schombergii turmis ſuſtentare rem, donec & accerſiti pedites ſubſidio venirent. Hoſtes Vendini pontem Britannorum fugâ deſertum occupaverant, atque eò frequentes adventabant: ſed & pedites noſtri advenêre cum tormentis duobus, qui ubi glandibus equites hoſtium progreſſos infeſtare cœpêre, hi ad pedites recipere ſeſe, noſtri inſequi, & ponte ac munitionibus quas tumultuario opere eò ſtruebant, hoſtes pellere. Picolominius haud procul aberat, quò denique omnes propè fugientes contendêre, atque is primâ vigiliâ cum omnibus quas habebat copiis, abſceſſit.

Eâ nocte Gaſſio dùm more ſuo ad opus excubat, unâ ex oppidi ſemilunis impetu ab noſtris facto potitur, at poſtridiè hoſtes hanc eruptione factâ recepêre: ſed Gaſſio accerſitis recentibus, qui feſſis ſuccederent militibus eos arreptâ haſtâ ab proximo haſtato ipſe ad ſemilunam ducit, qui Imperatoris tantâ virtute accenſi hoſtes dejecêre, ac ſemilunâ iterùm potiti ſunt. Poſt paulò homo impiger ſemilunam aliam alterâ ampliorem oppugnari jubet: palorum munitionem hoſtes objecerant, quam cùm disjicere quibuſdam difficile videretur, ipſe ſicut in priori ſemilunâ præter Imperatoris morem, atque dignitatem eò properat, atque dùm palum molitur, glande caput ictus procubuit: eorum tamen qui comitabantur ope ſublevatus in Prætorium relatus eſt, atque poſtridiè perductus Atrebates, quò vulnus commodius curaretur, ab quo poſt paulò interiit. Idem Foliadæo, & Roaneto caſtrorum Præfectis quorum ille apud Lentſium, hic apud Baſſæam vulnerati fuerant, fatum fuit.

Poſtremò pridiè Calend. Octob. Lentſium deditum, pediti uti ſine armis, equiti ut equo vectus abire liceret poteſtas facta. Sed Gaſſionis in Aulâ leve deſiderium fuit, propter hominis ferociam, quæ pleriſque viris militaribus pro virtute eſt. Cæterùm Gaſſio patre, atque avo in Benearnenſi Curiâ Præſidibus natus bonam, fidelemque Ludovico XIII. atque Ludovico filio Regibus navavit operam, ac per omnes militiæ gradus ad Tribunatum Equitum magnis rebus geſtis adſcenderat. Ad hunc per hæc æſtiva ſumma rei publicæ in Belgio redierat: nam tametſi Ramſavius æquato cum eo imperio hanc illic unà gereret, tamen ad Gaſſionem qui antiquior erat in Equitum Tribunatu id maximè pertinebat. Ad ambos Rex, & Mazarinus quid agendum videretur ſcribebant. Sed Gaſſio Mazarini litteras plerúmque ludibrio habebat, quod ſingillatim fecerat, ubi Cameracum, vel Audomariſanum oppugnari juſſerat. Id enimverò ridiculum eſſe Gaſſio dixerat, negaveratque tantulis quas habebat copiis fieri poſſe, cùm tam

1647. munitis, ac validis oppidis oppugnandis neque Gaſto Regis patruus, neque Condæus propinquus omni Gallicarum virium mole antehàc freti, ac prætereà Sociarum Civitatum quæ nunc ceſſarent, operâ, quâ pleræque hoſtium copiæ ad harum fines diſtinebantur, animum adjeciſſent.

Quâ tempeſtate deditum Lentſium eſt, hoſtes tunc cùm maximè Dixmudam, uti reciperent, operam dabant. Huic Præfectus Clanlevius, Pedemontana Legio præſidio erat, quæ eruptione factâ & multos ex hoſtibus cecîdit, & tormenta duo corrupit: die tamen decimâ quintâ poſtquàm oppugnari cœpta, Clanlevius uti ſibi, militibuſque ſua omnia efferre, atque cum armis, tormentiſque duobus agmine abire liceret pactus IX. Calend. Novemb. oppido exceſſit. Ramſavius qui auxilio veniebat, haud procul tùm aberat, cæterùm tardiùs quàm par erat advênit: dein apud Lôom Cœnobium habuit ſtativa, donec Leopoldus Curtracum versùs movit, ſicuti oppidum oppugnare conſilium foret, cæterùm prædas modò egit, atque circùm omnia vaſtavit, ac denique copiæ in hyberna dimiſſæ.

Inter hæc belli negotia in Aula quæ apud Ambianos erat, ſumma Regni Quæſtura Bailleulio abrogata eſt, ac Michaëli Particello Almerico mandata, de quo ſuprà ſæpiùs memoravimus: hujus pleraque munia dudùm obibat, Bailleulio ſponte concedente ſeu hominis audaciæ, quæ ſua non eſſent, ea libenter uſurpantis, ſeu Mazarini voluntati, cui id ſatis placere noverat, ſeu denique famæ conſulebat, quam de ſe integram fore credebat, ſi earum rerum quas populo ægrè, atque violenter corradendæ pecuniæ facere neceſſe eſt, invidia in Almericum recideret, nam has ſummæ Quæſturæ partes maximè uſurpabat. In hac Avauxius Bailleulio Collega datus fuerat, per cujus abſentiam Almericus ſummam Quæſturam ſolus geſſit. Cæterùm hic quæſtoriis artibus imbutus, quibus inveteraverat, aſper in exigendo, parcus, ac malignus in omni ſumptu faciundo, decernendove, in his quæ ad ſummam Quæſturam, ut hæc tempora ferebant, gerendam pertinent, Avauxio cui Collega futurus erat potior videbatur, qui omnem propè vitam in Legationibus exegerat, inſolens malarum artium, quibus pecunia publicè quæritur, & impenditur.

Contrà Almericus omnis Publicanorum fraudis ſcientiſſimus erat, ſcilicet cum his à puero verſatus: hos tamen graviùs æquo habuit, quæ res indicio eſſe videtur, hunc minùs quàm fama erat, rei ſuæ ſtuduiſſe: nam qui id faciunt, iis diſciplina eſt, Publicanis æquiores eſſe, ut eorum operâ ditentur: qui jam grandem ſuper redemptionibus pecuniam dederant, eos majorem dare cogebat, nihil habitâ ratione dierum, quæ penſionibus ſolvendis dictæ fuerant, ſed omnia multò antecapere, alia, atque alia exigere, aut ubi ſi ceſſarent, eos ſe funditùs perditurum minabatur, quo pacto reſpublica aliquamdiù tolerata: nam hujus anni vectigalia, tributa, portoria, atque alia hujuſcemodi omnia dudùm permiſſa Publicanis fuerant. Sed Avauxio ſuprà quàm dici poteſt ægrè

fuit,

fuit, ſibi Collegam in ſummâ Quæſturâ datum Almericum, quem videlicet ſecùm antehàc de Pace Monaſterium Veſtfalorum legari æquum eſſe negaverat, perinde eſſe dictitans, ac ſi *a* Montoronem, is nobilis eâ tempeſtate Publicanus fuit, ſibi conſociarent. 1647. *a* Montoron.

Ubi Baſſæa capta fuerat, Rex, atque Regina mater ad Urbem per Normanniam itinere habito rediêre. Diepam paulùm commorati ſunt, quò Claudius *b* Falco Rothomagenſis Curiæ Præſes primarius, ſeptuagenario major, poſtquàm Regi, atque Reginæ ſalutem dixerat, atque adventum ſui Ordinis verbis erat gratulatus, nondùm regias egreſſus ædes, repentino morbo correptus interiit, ſeu dicendi conatus reliquam in homine ſene naturæ vim abſumpſerat, vir probitate, & juſtitiâ clarus, Claudius pater, atque Alexander Patruus eumdem geſſerant Magiſtratum: dein Aula ad Urbem contendit, & mox Fontembellaqueum Rus regium petiit, quò reliquum æſtivorum agitaret. *b* Le Faucon.

Ab noſtris in Italiâ nihil quod memoratu dignum ſit, hoc anno geſtum: ab Hiſpanis Nicia in Montisferrati Agro capta, ſatis amplum, at infirmum oppidum: ſumma rei publicæ quod ad Regem pertineret, in Italiâ penes Hieronymum Grimaldum Cardinalem fuit: Thomas Princeps Regis, ac Sabaudiæ Ducis copiis porrò Imperator erat, cui aderat de more Pralinopleſſius Equitum Tribunus: Claſſi quæ in Provinciæ portubus, ac mari propinquo fuit, Richelius præerat, cui & aderat Henricus *c* Stampæus Valancæus vir belli quod mari geritur, ſcientiſſimus, qui videlicet in Melitenſi Militiâ inveteraverat, ac Melitenſes quinqueremes ſæpiùs ductaverat. *c* D'Eſtempe de Valencé, Commandeur de l'Ordre de Malte.

Mazarinus more ſuo quid potiſſimum in Italiâ incipiundum eſſet, incertus hærebat: nam Herculis portum, & Orbitellum præter Plumbinum, ac Longonis portum, quæ oppida ad Etruſcum mare Rex præſidiis tenebat, in hujus eſſe poteſtate voluiſſet, ob Romæ vicinitatem, quò pleraque Cardinalium conſilia ſpectant: præterea hæc loca haud procul Neapoli ſunt, quò tunc cùm maximè Plebes tumultuabatur Hiſpanorum imperii pertæſa: poſtremò Mazarino conſilium fuiſſe anno proximo aiebant, ſicuti ſuprà memoravimus, illa omnia ad Etruſcum mare oppida ſibi ipſi habere, quæ tamen Galliæ clientelaria eſſent. Sed Thomas Princeps & ipſe rerum ſuarum ſatagebat, ac multa cum quibuſdam è primariâ Neapolitanorum nobilitate moliebatur, quò horum operâ Neapolis Rex crearetur: at inter nobiles, ac plebeios ingentia odia fuêre, quæ uti perpetua eſſent, Hiſpanis cautio fuerat, eò plebem per agros, quin & in ipsâ Urbe malè habendam nobilitati permittebant, quò ipſis hæc æquior eſſet, neque cum plebe his pellendis uſquàm congrueret.

Intereà illam vectigalibus, tributis, portoriis immenſis onerabant, premebantque, ac noviſſimè ſuper fructibus, quibus egena multitudo ubi tempore anni maturuerunt, in hac uberrimâ frugum, ac fructuum regione maximè veſcitur, ita & quæ miſerorum vitæ tolerandæ reliqua erant, iis ſe privare Hiſpanos velle dictitabant, ſicut huic, quemad-

1647. modùm & fortunis inſidiarentur. Tantâ horum avaritiâ permotus quidam Thomas Aniellus ex infimâ plebe piſcator, tùm quia uxor malè habita ab Publicano fuerat, ob farinam clàm domi inſoluto tributo aſportatam, primùm quingentos è miſerrimâ plebeculâ propiores adoleſcentiam pueros, dein ceſſantibus ob metum Hiſpanis, cæteram omnem multitudinem in Urde concivit, quæ arreptis armis, quà ad Arces tres, & ad Proregis ædes aditus eſt, eò vallum, foſſaſque objecit, tanto in Thomam Aniellum obſequio, uti quidquid juberet, id ſubitò factum redderet: publicani continuò peſſimè habiti, ac nonnulli cæſi, ipſe Prorex Arcoſius temerè domo egreſſus, uti multitudinis molliret animos, pulſatus, ac violatus ægrè ſe Plebis iræ ſubduxit: poſtremò eò res deducta, uti Cardinalis Filomarini Archiepiſcopi Neapolitani cui magna apud Populum fides erat, ſicuti fermè horum qui ſacris ac religionibus præſunt, operâ uti cogeretur, ut hunc in viam reduceret: quod denique factum eſt, his maximè conditionibus, uti quod ab Nonis Quintilibus Populus Neapolitanus deſignaſſet, id ne ipſi, aut quibuſvis è ſuo ordine fraudi, ac noxæ foret, ſed pro republicâ factum cenſeretur: vectigalia, portoria, tributa abolerentur, niſi quæ Caroli V. Imperatoris legibus ſancita fuerint. In hæc data fides, atque accepta, ac jusjurandum utrimque in majore Urbis Templo, manibus ad Evangelia appoſitis, Archiepiſcopo coram, ac frequenti Sacerdotum Collegiò editum: ſed hæc per ſatyram ab Arcoſio facta, quem hujus jurisjurandi religio nihil tenuit, ſicuti poſteà videbimus.

Intereà tanta Aniello de hoc negotio ſicuti rebatur, confecto, ac Populi Neapolitani re in tolerabilem ſtatum operâ ſuâ reſtitutâ, lætitia inceſſit, ut ad inſaniam evaſerit, quam alii epoto ab tanti gaudii impotente largiùs vino tribuêre, ac prætereà huic admixto peſſimâ Hiſpanorum fraude veneno: poſtremò Aniellus ob inſaniam ſpretus ab ipſâ quæ huic uſquè obedientiſſima fuerat, multitudine, Arcoſii voluntate trucidatus eſt, ſummo inconſultæ, atque ipſo Aniello inſanioris multitudinis gaudio, ſicuti rebellionis ab ſe admiſſum crimen Anielli morte expiatum foret: neque eò ſeciùs quæ cum Arcoſio Prorege de vectigalibus, tributis, ac portoriis convenerant, ea poſthàc ſervanda forent. Sed hic pleraque fecit, quibus Plebes ſeſe ludibrio haberi ſenſit, ac denuò arreptis armis de more tumultuata eſt. Franciſcum Toraltum Maſſæ haud procul ab Urbe regulum ſibi Ducem delegit, ac coëgit uxore in cuſtodiam conjectâ, id imperii accipere, quod hunc non Arcoſii injuſſu feciſſe aiebant, ſed cum eo clàm congruiſſe: namque Populi incæpta tardare, moram omnibus adferre rebus, poſtremò Hiſpanorum commodis omni ope ſervire, uti Plebes ſtationibus, excubiis, vigiliis, atque omni belli labore fatigata ad æquas pacis conditiones animum adjiceret, operam dare, quod denique factum iterùm, atque hæ in Tabulas relatæ, jusjurandum utrimque editum has inviolatas fore, ac poſtremò ab Hiſpanis ſicuti priores ludibrio habitæ, Toraltus proditionis Populo ſuſpectus capite pœnas pendit. Hujus morte ſumma re-

rum apud Neapolitanam Plebem ad Januarium Aneſem rediit. Is armorum faber fuit, homo rudis, agreſtis, truculentus, ad rem avidus, quam egregiè direptis multorum bonis auxit. 1647.

Magna Arcoſio Proregi in adventu Hiſpanicæ Claſſis ſpes fuit, quâ Plebi commeatus ab mari prohibitum iri confidebat, atque intereà uti Nobilitas Neapolitana è colonis ſuis copias cogeret, atque in unum conduceret, pervicerat: hæ juſti exercitûs numero apud Averſam habebant caſtra, queis Vincentius Totavilla præfuit, atque Plebem item ab terrâ commeatu prohibiturus erat. Joannes Auſtrius Philippo IV. Hiſpaniæ Regi natus ex concubinâ Hiſpanicæ Claſſi præerat, quæ Neapolim advenit denique: hic ex Arcoſii Proregis ſententiâ Plebem hortabatur, ut arma huic omnia traderet, ſeque Philippo Regi planè permitteret, in cujus benignitate, atque clementiâ omnem ſpem ſed certiſſimam de ſalute ſuâ, atque incolumitate poneret. At hæc fruſtrà fuêre, cùm Arcoſium ſibi infenſiſſimum, atque ultionis avidiſſimum eſſe Populus ſatis intelligeret, quod quidem brevî palàm fuit: nam & ab Arcibus, & ab Claſſe miſſæ tormentis pilæ in Urbem ſunt, atque hujus regiones diverſæ ab Hiſpanis acriter oppugnatæ, quæ res tamen denique ipſis haud magnopere proceſſit, ſed magis commeatus terrâ, marique prohibendo profecêre, quo paulatim inopia crevit, ac Plebes intelligere cœpit ſe alienæ opis indigere.

Romæ fortè tùm erat Henricus Lotharingus Guiſius, de quo antehàc memoravimus: hic primùm ex Ordine Eccleſiaſtico fuit, qui tametſi nondùm ſacerdos eſſet, Rhemorum tamen Archiepiſcopatum, atque alia opima Sacerdotia poſſidebat, neque adeò Catharinæ Henricæ Joüſiæ matri, atque propinquis conſilium fuit, ut uxorem duceret: ſed hic amori deditus ab naturâ, huic ita obſecutus eſt, uti nuptiarum ſanctitatem ludibrio habuerit, ſcilicet qui his ad expugnandam modò mulierum quæ aliter copiam ſui facere nollent, pudicitiam abuteretur, atque has poſteà brevî deſereret. Id non in Gallia modò, ſed & in Belgio fecit in muliere Viduâ, quæ Boſſuti Comitem priùs virum habuerat, haud ita pridem demortuum: nam ubi ſatietatem amoris copia fecerat, hanc deſeruit, atque in Galliam rediit. Sed eo denique ſi diis placet virginem nactus nobilitate, atque formâ præſtantem, hanc amare occœpit, neque opus fuit uxorem ducere, metuebat enim illa, ſi nubere vellet, uti ſe continuò ſicuti cæteras deſereret. At illa prior vidua hominem in jus vocavit, ut hunc ſibi virum eſſe Eccleſiaſticorum ad quos hujus cauſæ cognitio pertinebat, judicio decerneretur, atque ad ſe redire poſthabitâ quam ductabat virgine cogeretur: abnuebat verò ille, atque illius viduæ ſecum nuptias infirmas eſſe contendebat: & cùm judiciis ſuper eâ re in Belgio latis acquieſcere nollet, poſtremò ad Pontificem ipſum delata res eſt, apud quem uti cauſam diceret, Guiſius Romam profectus fuerat.

Eò ubi advenit, claritudo viri, ingenium come, fama majorum, qui ſacra in Galliâ difficillimis temporibus tutati eſſent, atque eâ tempeſta-

1647. te Pontifices impenſiùs coluerant, Innocentii benevolentiam brevî Guiſio conciliavêre: ad hanc acceſſit familiaritas, ita ut ſæpiùs cum eo colloqueretur. Magnæ Innocentio cum Mazarino ſimultates intercedebant, ſicuti antehàc memoravimus, atque adeò multa utrimque dicebantur, ac fiebant auditu gravia, atque acerba, ubi alteri renuntiabantur. Grimaldus Cardinalis, Fontenaïus Marchio Legatus, Henricus Arnaldus Sannicolaus Abbas dura, atque aſpera Pontifici dictitabant, neque inter hunc, ac Mazarinum lites deſinere velle videbantur: quamobrem omnis eorum ratio Pontifici diſplicebat, ita ut de Galliæ rebus lubentiùs cum Guiſio ageret, tametſi nihil harum attingere ab Rege, aut ab Reginâ matre juſſus eſſet. Sed nemo unquàm injuſſu ſuo quidpiam ſibi benefactum eſſe iniquo animo tulit. Itaque Guiſius Innocentium multa de Mazarino, multa de Grimaldo, Fontenaïo, Sannicolao expoſtulantem docuit, nihil huic eſſe facilius quàm ſeſe hac omni moleſtiâ liberare.

Mazarinum eum eſſe, qui ſibi benè, quàm ulli malè factum malit, cui adeò ſi animum de fratris Cardinalatu explere Pontifici placeat, nihil dubii eſſe, quin quantumvis in hunc illius odium, in æquè grande ſtudium, atque amicitiam continuò vertat, neque quidquam graviùs accidere poſſe his quorum operâ in Galliæ negotiis Romæ utatur, quàm ubi Mazarinum de perpetuo in hunc Pontificis odio faciunt litteris ſuis certiorem, ille ipſe quàm falsò iſthuc ſcribant, tàm claro, atque illuſtri teſtimonio demonſtret, quo ſibi Mazarinum, atque adeò Galliam planè devinciat. Intereà ſi videatur, ſeſe ad Mazarinum litteras daturum, quibus huic ſignificet Pontifici conſilium eſſe Michaëlem Mazarinum illius honoris causâ Cardinalem creare, ac deinceps cum eo de omni republicâ quæ ad Galliam Romæ pertineat agere, de quâ huic uni fidem habere poſthàc velit: nihilo ſeciùs tamen Pontifex cum Grimaldo, Fontenaïo, ac Sannicolao de more agat, neque ullam de creandis brevî Cardinalibus, nedum de Michaële Mazarino ſpem objiciat.

Factâ ab Pontifice poteſtate Guiſius iſthæc ad Mazarinum Cardinalem ſcribit, atque eadem ad Michaëlem fratrem, monetque hunc uti ſubitò Romam veniat. Mazarino haud quaquàm placebat Michaëlem fratrem Romam proficiſci, incertum, ac dubium quid Pontifex facturus eſſet: ſed ille more hominum, quæ vehementer volunt, ea ſibi feliciùs, quàm cæteri exiſtiment, eventura facilè credentium, ad Urbem properavit: huic proceſſit obviam Guiſius Innocentii juſſu, uti quam dederat de Cardinalatu fidem, eam firmaret, atque adeò hominem ſuis verbis bono animo eſſe juberet, nec quidquam aliorum ſermonibus moveri. Id denique poſt paulò factum eſt, ac Michaël unicâ Guiſii operâ Cardinalis creatus, quod ille Mazarino fratri ſicuti par erat, miſſo cum litteris qui properè tàm lætam rem nuntiaret ſignificavit: ſed huic majus ex eâ re gaudium fuit, quod hæc quantùm gratiæ ſuæ, atque potentiæ Pontifex tribueret, oſtentabat, quàm ex fratre aucto, atque ornato: nam haud magni faciebat hominem, levi, ac tenui contrà quàm ipſe ſentiebat, ingenio, atque adeò ſeſe omni publicæ rei admiſcere geſtientem, quam inſcitiâ, atque imperitiâ ſuâ plerúmque corrumpe-

bat. Eâ causâ tamen reconciliata inter Regem, ac Pontificem gratia 1647.
eſt, & cum eo deinceps clementiùs, atque benigniùs actum. Mazarinus ad Guiſium ſcripſit ſedulò, ſignificavitque quantam huic ex fratris negotio tam feliciter confecto gratiam ſe debere ſentiret, neque ſe ullam hujus viciſſim ornandi, augendique occaſionem quantùm gratiâ apud Regem, ac Reginam matrem valeret, prætermiſſurum, quod poſteà haud quaquàm ab eò ſibi præſtitum Guiſius exiſtimavit: neque id unum exemplum fuit, qui Mazarini commodis ſerviiſſent, eos ipſi graviores eſſe, quàm quibus ipſe benefeciſſet.

Sed Guiſio dùm Romæ agitabat, conſilium fuit Neapolitanorum in propinquo ſeſe rebus admiſcere: quamobrem multa primùm quò de ſe benè ſperare his in mentem veniret fruſtrà tentavit: nam quos Neapolim miſerat, ii omnes deprehenſi in itinere, in vincula conjecti, ac plerique fœdè periêre: poſtremò Italicorum duorum operâ uſus, ad Cicium Arpaïam qui Populi Neopolitani Caput erat, Electum appellant, litteras miſit, quæ ad hunc pervenêre denique. His Populo Neapolitano Gallica auxilia pollicebatur, ac *Se ſicut obſidem apud eos, ac fidei regiæ certiſſimum pignus futurum: ſe eo genere, eâ dignitate eſſe, cui omnes facilè in Republicâ quam inſtituendam haberent, principem locum concederent, qualem apud Socias Belgarum Civitates Henricus Naſſauvius Arauſius obtineret.* Reipublicæ nomen quod ſummam libertatem oſtentabat, Populo ſuprà modum placuit: neque id Eccleſiaſtico Ordini, neque Nobilitati diſplicere debebat, qui ſuas in hac Republicâ partes haud poſteriores fore, contrà verò quales decebat ſperare debebant.

Iſthæc igitur Arpaïæ, atque aliis grata, atque accepta fuêre. Sed apud Neapolim quieta tùm, atque tranquilla res erat, nam quæ cum Arcoſio Prorege convenerant, ea uti Philippus ſibi rata, atque grata eſſe ediceret, ac ſanciret, expectabant, ac propediem eâ de re Edictum adfore Hiſpani prædicabant. Sed qui ſuperbiam Gentis, atque perfidiam noverant, ii præſidia ſuſtinendo quod rursùm ab his geſtum iri non dubitabant bello aut quærenda, aut ab Guiſio ultrò oblata accipiunda cenſebant: quod eſt factum denique, atque huic reſponſum, ubi primùm Neapolitanis bellum adforet, ad hunc miſſum iri qui de omni hoc negotio cum eo agerent, ac tranſigerent.

Continuò Guiſius Mazarinum de hac omni re certiorem fecit, quæ opus tanto incœpto eſſent, ea poſtulando, ac maximè pecuniam in ſumptum, cùm cætera omnia ſibi affatim eſſe Neapolitani prædicarent: eadem propè ad eum ſcripsêre Michaël frater qui Sanccecilianus Cardinalis poſteà eſt appellatus, Fontenaïus Legatus, atque Sannicolaus, quibus omnibus maximè probabatur Regem ex Neapolitanorum ab Hiſpanis defectione quàm maximum fructum capere, neque enim quidquam Galliæ utilius futurum, quàm tantas opes, quantæ ex uberrimâ Neapolitanâ regione Hiſpanis accedunt, ipſis adimere, quibus maximè Hiſpanica res uſquè ſteterit. Mazarinus ad Guiſium reſcripſit liberaliſſimè, nihil huic ab Rege, neque ab ſe defuturum.

1647. Intereà cùm apud Neapolitanos multarum rerum inopia eſſe inciperet, qui videlicet & annonam, & pulverem tormentarium, atque alia muniendis Hiſpanorum Arcibus, atque oppidis avehi per induciarum tempus ſiverant, & Claſſis Hiſpanica ab mari, ab terrâ nobilium copiæ commeatus prohiberent, poſtremò ſeſe alienæ opis indigere ſenſêre, atque adeò qui hanc poſtularent, ad Fontenaïum Legatum, & ad Guiſium miſêre, Regis fidem implorantes, ac flagitantes, uti pellendæ Hiſpanicæ Claſſi Gallicam Claſſem quantocyus Neapolim properare, atque rem ſuam publicam Guiſium capeſſere vellet. Subitò Fontenaïus, ac Guiſius Mazarinum docuêre, nihil ſatis feſtinari poſſe in Neapolitanorum negotio, Claſſem properè mittendam, cum copiis, quæ non modò Hiſpanicam pellere Neapolis viciniâ poſſent, ſed & ſi opus foret, exſcendere navibus, atque Urbi adversùm Hiſpanos præſidio eſſe, Tormenta, pulveris tormentarii, atque commeatûs quamplurimùm, ac maximè pecuniam in belli ſumptum.

Sed quò plura in Italiâ agenda erant, & æquè reipublicæ proceſſura videbantur, eò Mazarinus incertior erat quàm dudum, ad quid potiſſimùm animum adjiceret: nam de Herculis portu, atque Orbitello nondùm conſilium abjecerat, his quas diximus de cauſis: eò ad Plumbinum copiæ in ſtativis fuêre, queis Eſtrada præerat. Præterea in Urbe Mazarinus, dein Genuæ Grimaldus Cardinalis cum *a* Calcagnino ab Franciſco Ateſtino Mutinæ Duce de fœdere, ac belli ſocietate miſſo dudùm egerant, quod poſt multas hujus hæſitationes ſancitum denique eſt, ſub Semptembris finem, atque tùm ſtativis movére copiæ, quas Gallica Claſſis ad Etruſcum littus adducta ab Plumbino, ad Marcallæ amnis oſtium devexit: eò exſcendêre navibus, atque in Rhegienſem agrum iter fecêre. Iſthuc Mazarino potiùs viſum incæpto Neapolitano, quod ex plebis ferociſſimæ, atque inconſultiſſimæ lubidine pendebat, quin & Herculis portûs, aut Orbitelli oppugnatione, quanquàm eò animus propter Romæ vicinitatem, atque ſibi conſtituendi Principatûs, ſicuti antehàc memoravimus, ſtudium ferebat: mirifica enim hinc Thomas Princeps ab Montisferrati agro cum exercitu regio Mediolanenſi Agro imminens, illinc Ateſtinus cum altero exercitu portendebant, neque Hiſpani tantæ moli belli pares fore videbantur.

a Le Marquis Calcagnini.

Intereà Neapolitani cum Fontenaïo Legato egêre, uti conſtituta apud hos Reſpublica in Regis fide, ac clientelâ eſſet, & eâ cauſâ quidpiam huic pecuniæ penderet annuatim. Fœdus inter Regem, & Neapolitanam Rempublicam eſſet, pellendis Regno Hiſpanis. Id clàm Guiſio factum, qui poſteà in eo offenſum credidit, quod hæc nova Neapolitanorum clientela, atque tributum Pontifici haud quaquàm probari poſſent, cui Neapolitanum Regnum clientelare eſt. Sed apud Neapolim omnium rerum inopia ita creſcebat in dies, uti ſibi Guiſium quantocyùs opus eſſe Populus cenſeret, atque hunc ut ad ſe veniret magnoperè urgeret: ita claſſis expectandæ ſpatium non erat, nam hæc

ab traductis ad Marcallæ oſtium copiis, ad Provinciæ littora redierat, 1647.
rurſùm ad rem tantam inſtruenda.

Igitur Neapolitani qui ad Urbem fuêre, ac ſingillatim Nicolaus Maria Mannara Guiſium, Fontenaïum Legatum, item & Cardinales Regis clientes, ac Sannicolaum Abbatem qui apud Fontenaïum convenerant docuit, *ſibi ſcaphas eſſe tam leves, ut harum curſum nullæ actuariæ naves æquare poſſent: nullam ab tumultûs Neapolitani principio ab Hiſpanis hoſtibus captam, ac ne quidem poſt Hiſpanicæ Claſſis adventum, per quam mediam Guiſius hujuſmodi navigio vectus triduò Neapolim advenire poſſit: adfutura alia, quæ comitatum ejus, & impedimenta ſimul advehant.* Iſthuc verò adeò periculoſum omnibus viſum, uti nemo id Guiſio autor eſſe vellet: Fontenaius tamen curſum brevem eſſe, nautas peritiſſimos, navigia leviſſima, ſi temporis opportunitatem rectè captarent, rem feliciter evenire poſſe ait. Guiſius verò nihil ſe magnitudine periculi ab profectione deterreri, ſi hanc Regi, ac rei publicæ utilem judicarent: dein ad Mannaram converſus hunc ad Neapolitanos ſcribere jubet, ut ſcaphas quantocyùs mitterent, ſeſe brevì aut his adfuturum, aut in itinere periturum. Mannara tantam animi magnitudinem admiratus, hominis genua advolutus gratias agere Populi omnis Neapolitani verbis, ac ſingillatim Januarii Aneſis, cui certiſſima cædes adeſſet, ni Guiſii, aut Claſſis ſubitò adventu prohiberetur.

Cardinales autem, atque Fontenaïus Guiſium laudibus in cœlum ferebant, nihil tam arduum ab ullis quorum terram calcarent Romanis factum uſquàm, neque ab his quos fabulæ omnes celebrent heroïbus dictitantes: dein dimiſſo Mannarâ Guiſius cum Cardinalibus, Fontenaïo, ac Sannicolao collocutus eſt, uti reſciſceret quid Regi, ac Mazarino de Neapolitano Regno conſilii eſſet: ſed hi negavêre id Regem ſibi, aut ſuorum cuiquam expetere, tantummodò ut Hiſpanis adimeretur, & quidquid eâ de re Nobilitas, ac Populus ſtatuerent, id illi probatum iri, & quem Regem voluerint, ei Galliam planè & benevolam, & adjutricem fore. Falſum id tamen, neque Mazarino conſilium fuit, uti Guiſius Neapolitanum Regnum ſibi ſumeret, atque adeò hunc ab Cardinalibus, atque Fontenaïo Legato monitum voluit, ut ne quid ſupra Henrici Naſſauvii Arauſii apud Socias Civitates potentiam ab Neapolitanis peteret, Condæum enim uti ſibi Regem habere vellent, omnem operam Mazarinus daturus erat, non illius caritate ullâ, ſed uti tantum virum cujus virtus, atque ambitio ipſi ſuſpectiſſima erat, Regiæ dignitatis ſpecie procul amandaret.

Eò ad Fontenaïum ſcripſerat cum Nobilitate magis, quàm cum Plebe Neapolitanâ agendum videri, ſicuti Thomas proximo anno fecerat: Rempublicam quàm conſtituere Plebes velit, ridiculam eſſe, neque conſtabiliri poſſe, niſi Nobilitas omnis de medio tollatur, ſicuti ab Helvetiis factum ſit, quod quidem nefas ſit cogitare: dandam igitur omnem operam, ut inter Nobilitatem, ac Plebem gratia concilietur, pellendis Regno Hiſpanis, atque huic tradendo cuipiam, qui ipſis cor-

1647. di ſit, cuique Galliam omnia huic conſervando ſuppeditaturam judi-cent. Mannara ſingillatim pulveris tormentarii Populo inopiam eſſe dixit, atque hujus aliquantum maturè Neapolim mittendum. Guiſius intereà Fontenaïum, ac Cardinales oravit impenſiùs, ut ad Claſſem ſubitò mitterent, qui hujus ad Neapolim profectionem maturaret, ab quâ totius hujus negotii eventus penderet, fœdus Regi, atque Galliæ futurus, ac denique ſibi exitioſus, ſi Claſſis moraretur, contrà autem felix, & ſecundus, ſi propediem adveniret.

Scribam deinde ad Regem, ac Mazarinum miſit, qui certiores de profectione ſuâ faceret, ac prætereà qui auxilia poſtularet: hæc ab Mazarino publicè, atque ab Joüſiâ matre, cæteriſque propinquis privatim promiſſa: neque quiſquam omnium fuit, quin huic deeſſe quidquam tanta molienti, atque incipienti injuſtum, iniquum eſſe diceret, neque parcendum publicè, privatimque ſumptui, quò feliciter evenirent. Sed quantùm res ab verbis, dicta ab factis plerùmque diſcrepent, Guiſius pluſquàm opus erat ſenſit: neque enim huic ſeu publicè, ſeu privatim curatum quidquam, præter duplicium nummorum Hiſpanicorum quatuor millia huic Fontenaïi juſſu, ac fide Romæ numerata, neque plus pecuniæ Regni Neapolitani candidato fuit.

Sed hic priuſquàm proficiſceretur, ſibi Pontificem adeundum eſſe decrevit, uti quid de hoc tanto ab ſe ſuſcepto negotio ſentiret, reſciſcere poſſet: nam ad eum magnoperè pertinere videbatur, cui Neapolitanum Regnum clientelare, atque obnoxium eſt. Mirum eſt ea de re Pontificem ita locutum eſſe Guiſio, ut qui hanc ipſi feliciter evenire cuperet, multa monens hominem, quæ faciunda, aut cavenda cenſeret, ac maximè ut ne fidem ullam haberet iis, qui Regis negotia Romæ procurabant, ac ſibi ipſi conſuleret, ab quo Equum vectigalem lubentiùs, quàm ab ullo alio accepturus eſſet: poſtremò haud ſecùs quàm pater filio, Guiſio vale dixit, ac ne lachrymas quidem tenuit. Guiſius tamen uti magis, ac magis ſententiam hominis noſcere poſſet, huic operam ſuam ſi Regnum ſibi, aut ſuis habere vellet, exhibuit: ſed ille nihil hujuſmodi ſibi in mentem veniſſe reſpondit, neque conſilium eſſe his ſeſe turbis immiſcere, aut ea incipere, quibus conficiundis reliquum vitæ ſuæ tempus ſufficere nequiret.

Intereà ſcaphæ ab Neapoli miſſæ advenerant, ſtudiumque ingens Fontenaïi Legati, ac Cardinalium Regis clientium erat, uti Guiſius denique proficiſceretur: quo horum ſtudio ipſe fretus, nonnihil dubitare ſimulavit, utrum ſe procelloſo eâ tempeſtate plerùmque mari tam infirmis navigiis, tot hoſtium quæ undequâque ſpeculabantur navibus, ſeſe permittere denique deberet, ratus videlicet quò majus periculum eſſet, eò Cardinales, ac Legatum majorem ſibi de maturis auxiliis fidem daturos, quod quidem fecère Theodolus, Urſinus, Michaël Mazarinus Cardinales, Fontenaïus Legatus, atque Sannicolaus Abbas, nam Grimaldus Cardinalis tùm aberat, Mutinam ad Franciſcum Ateſtinum profectus. Guiſio ut ab Urbe clàm proficiſceretur autores

toreſ erant, ipſe verò palàm id faciundum contendit, cùm Hiſpanos profectionem ſuam celare difficile eſſet, quam ſi palàm fieret, apertâ vi diſturbare non auderent, at verò ſi clandeſtina foret, id magis ſibi licere exiſtimaturi eſſent. 1647.

Itaque Idib. Novemb. cùm Guiſio nuntiatum eſſet ventum ſecundum eſſe, poſt meridiem unà cum Fontenaïo ad Pauli fanum rhedâ vectus profectus eſt, atque indè utrimque valedicto equum conſcendit, & omni Gallorum qui tùm Romæ erant multitudine comitatus ad mare pergit, ac multâ jam nocte ad littus advênit. Eò octo fuêre ſcaphæ, cum ſpeculatoriis navigiis tribus, viginti duo omninò qui his veherentur præter nautas fuêre, cum pulvere tormentario aliquanto, & eâ quam diximus pecuniâ, ſingulæ ſcaphæ vix trium vectorum capaces fuêre. Horâ poſt mediam noctem quartâ ſolvêre, atque vento ſecundo uſquè ad horam poſt meridiem quartam bellè navigavêre. Tum Guiſius quinqueremes Hiſpanicas duas ab Pontiâ Inſulâ venientes conſpicatus omnem ſuam claſſem ad ſe verſùm venire jubet, atque hanc ſicut uſquè fuerat conjunctam curſum tenere, neque quidquam moveri, ubi ſcapham ſuam ab cæteris deerrantem viderent: rectè enim judicaverat Hiſpanicas naves majorem ſcapharum numerum ſecuturas. Quinqueremes duæ Hiſpanicæ ab prorâ fumum ediderant, quæ adventûs Guiſii aliis quæ ad Tarracinam, & ad Cajetam ſtabant ſignificatio fuit. Scapha igitur Guiſii ſola ſubducto quo uno utebatur velo, remis ad terram verſùm contendit, ut hujus umbra quando dies inclinabat, obſcurata ab quinqueremibus difficiliùs cerneretur.

Ubi Cajetæ appropinquabat, nautæ alto mari ſeſe committere tutius exiſtimabant, at contrà Guiſius quampropiùs Cajetam curſum teneri juſſit, ratus ſcilicet hoſtes nihil ſolicitos fore, ubi ſcapham ad ſe venientem viderent: quæ ubi propior fuit, percunctanti ab Cajetâ vigili ecqui eſſent? reſponſum eſt, in ſcaphâ eſſe qui ab Ognato Comite ad Arcoſium Proregem miſſus Neapolim properaret. Sed cùm ſcapha Cajetæ portum non attingeret, atque pergeret curſum tenere, quinqueremes egredi portu properabant, at prohibuit ventus, qui tùm vehemens, atque adverſus flare cœpit, ita ut ubi velo uti Guiſii Navarcho viſum, quò ſcapha celeriùs curſum conficeret, hæc propiùs naufragium fuerit, maximâ vi venti diſrupto malo, ac duobus effractis gubernaculis, quorum loco remum in puppi poſuêre: poſtremò XVII. Cal. Decemb. ubi primùm luceſcebat propiùs Iſchiam Inſulam ſcapha fuit, quò nautæ cenſebant in aliquâ occulta ſtatione reliquum diem commorandum, uti de nocte Neapolim appellerent. Guiſius contrà hos hortari, ut ne ceſſarent remis contendere, atque maturè curſum conficerent: ſed his abnuentibus, ac vincente imperium metu, quem de Hiſpanorum Claſſe haud temerè ceperant, major ac vicinior intentandus terror fuit, quod factum ab Guiſio, diſtricto, ac micante ſuprà detrectantium capita gladio, quo denique coacti ad Neapolim properavêre.

1647. Ubi in conſpectu Claſſis Hiſpanicæ fuit, nautas ad Prætoriam Guiſius dirigere curſum jubet, quæ regio inſigni ad puppim erecto facilè agnoſcebatur, eò perſuaſum omnibus eſt, ſcapham ad hanc properare, quò negligentiùs eſt obſervata: ſed ubi eò devenerat quò tormentum adigi poſſet, non rectà quidem ad Urbem, ſed infrà hanc flexit, atque tùm adventûs ſui ſignificationem ab nautis magno clamore Guiſius fieri juſſit, ipſe ſtans in puppi ſeſe Neapolitanis oſtentavit, uti complures armati quò exſcenſurus videbatur, properarent. Hoc tanto clamore, atque Guiſii oſtentatione certiores facti hoſtes hunc adeſſe, continuò ab Arcibus, ab navibus, atque ab omni Claſſe pilas in ſcapham mittere, intereà dùm undiquè quæ remis agi poſſent omnia Hiſpanorum navigia ad illam properabant accedere. Sed Guiſius littus infrà Urbem legens, ſclopetariis qui ab Urbe eò venerant fretus, ubi opus erat in hoſtium lembos, ac ſcaphas quæ propiùs accedebant, frequentes emitti glandes jubebat, donec ad Lauretanum ſuburbium in plateâ quam Cabaleriſſam appellant, in terram exiliit, omni in occurſum effuſâ Plebe, quæ arreptum hominem inſigni equo impoſuit, atque ad B. Virginis Templum quod penes Carmelitanos eſt, deduxit. Eò Virginis ſimulacrum magno in honore habetur, neque aliundè magis libertati ſuæ præſidium Plebes Neapolitana ſperabat, cujuſmodi vulgi religionibus ſervire pleriſque uſui fuit: neque tùm primùm ab Guiſiis pietatis fama regnandi ſtudio quæſita.

Templum propiùs Januarius Aneſes habitabat in Turri quam Carmelitanorum appellant, loco tutiſſimo, & adversùm plebeiam vim munitiſſimo. Haud procul Aneſis ferraria fabrica fuerat, ab quâ facilè ad proximam Turrim per Plebis tumultum migraverat, quâ fretus cædes complures, ac prædas fecerat, atque ſe egregiè conlocupletaverat. In Templo ſub ſacrorum finem ſororius Aneſis hujus verbis ſalutem Guiſio dixit, hominem metu impeditum dictitans quo minùs ille ipſe hoc officio fungeretur, qui haud ſatis ſe tutum ab inimicorum inſidiis ſi Turri egrederetur, exiſtimaret. Ab Templo Guiſius ad Turrim iit, cui Aneſes in limine fit obviam, adventum gratulatur, qui ſibi ipſi ſaluti, atque omni Populo futurus eſſet: metuebat enim impenſiùs, ut ne ſe Plebes Hiſpanis ſicuti noxæ dederet. Pigebat Guiſium ubi hunc planè nihili hominem intuebatur, huic Fontenaii Regis Legati litteras reddere, ſcilicet multò quàm par eſſet honorificentiores, atque item ad Rempublicam Neapolitanam, ac denique ad Joannem Ferrum Regis ad hanc ſi diis placet Legatum tali Republicâ digniſſimum: nam hic poſt paulò advênit, diſtrictam tenens dexterâ machæram loco faſcium, ſicuti Aneſi Neapolitano Dictatori lictor eſſet: hic abſque pallio, pileoque ad Guiſii pedes procumbens, ei ſubmiſſiſſimâ, & quæ hujuſcemodi Legatum deceret oratione ſalutem dixit. Stupebat Guiſius harum rerum miraculo, quæ cùm tàm tenues, humiles, ac ſordidæ eſſent, tanta tamen earum fama Romæ Fontenaii, atque ipſorum Cardinalium Galliæ clientium mentibus, ac ſibi ipſi obverſata eſſet, mag-

niloquentiâ Neapolitanorum, qui centum & ſeptuaginta armatorum millia ſibi eſſe jactaverant, neque quidquam fermè deeſſe, præter Imperatorem qui ſuorum virtuti peritiam militarem, atque diſciplinam adderet. 1647.

Hac eâdem die Guiſius ad ſe vocavit omnes, in quorum manu res Neapolitana fuit, ſeu quorum conſilio Aneſes in hac gerenda utebatur, uti quo loco eſſet accuratiùs cognoſceret. Ibi verò vix duodecim dierum in Urbe annonam ſupereſſe reſcivit, neque multò ampliùs quatuor millium armatorum eſſe centuriatorum, cæteram multitudinem militiam detrectare, ni ſtipendium adeſſet, ſtationes infrequentes, excubias, ac vigilias negligentiùs agi: qui his in diverſis Urbis regionibus præeſſent, eos æquali imperio eſſe, ac nemini uni parere: ipſum Aneſem qui Mercatûs regioni cum Palumbo qui Conciariæ alteri regioni præerat, graves inimicitias exercere, ita ut altera alteri regio infenſa vallum, ac foſſam invicem objicerent, quos Guiſius redegit in gratiam: Aneſem Laſaris fretum, id infimæ plebi ſudibus lignorum faſciculos pice oblitos præferenti nomen indiderant, ædibus incendia, harum dominis cædem minitari, atque huic redimendæ pecuniam, atque alia corradere: viciſſim alios Aneſi ubi validiores eſſent, cædem minitari, prorsùs omnia perturbata furore, licentiâ, cædibus, rapinis, quæ omnia ſummâ cum prudentiâ Guiſius quandóque benignitate, quandóque ſeveritate opportunè uſus brevi correxit.

Qui alicujus rei erant in Urbe, eorum benevolentiam facilè promeruit fortunis eorum ut ne quis poſthâc inſidiaretur prohibendo. Nobilium autem amicitiam ſibi conciliavit omnem operam dans, ut qui in Urbe reſtiterant, eos ne Plebes exagitaret, ſicut ante adventum ſuum fecerat huic Ordini infenſiſſima, dein ubi foris res Neapolitana valida eſſe cœpit, Nobilium prædia ut ne militibus prædæ eſſent prohibendo: poſtremò ita ſe geſſit uti plerique omnes hunc digniſſimum judicarent qui Rex appellaretur, quod nomen ſæpiùs Populi acclamationibus ſibi datum reſpuit, ſeu nihildùm ſatis firmi in hoc omni Neapolitanorum negotio videret, quo tantam dignitatem ſibi delatam tueri poſſet, ſeu ut ne contrà Galliam peccaret, ab quâ ſibi præſidia miſſum iri ſperabat. Sed Aneſes vir agreſtis, truculentus atque ſtolidæ ſuperbiæ plenus non ante primas Guiſio conceſſit, quàm huic ab Filomarino Cardinale Urbis Archiepiſcopo poſt ſolemnia ſacra Gladius ſicuti Imperii teſſera traditus eſt, quem Imperatori per Urbis vicos Aulæis pretioſiſſimis ornatos ad Carmelitanorum Turrim redeunti prætulêre, acclamante Guiſio Plebe, mulieribus thura pro liminibus ædium accendentibus, flores, odores per feneſtras jactantibus, qui cultus adversùm hunc quamdiù apud Neapolim commoratus eſt, perpetuus fuit.

Quæ apud Plumbinum erant copiæ, eas in Mutinenſem, ac Rhegienſem Agrum deductas fuiſſe diximus: Padus hunc amnis ab Cremonenſi dividit, qui in Hiſpaniæ Regis ditione eſt. Eſtrada qui Gal-

1647. licis copiis præerat apud Gualtierum, quò omnis belli apparatus ab Franciſco Ateſtino Mutinæ Duce collatus fuerat, hunc tanto quod ipſe animo volvebat incæpto nequaquàm parem invenit, vix enim ampliùs ſex armatorum millibus hujus exercitus conſtabat: ſed quos Ateſtinus Italicos milites conſcripſerat, ii ubi ad hoſtem iri reſcitum, plerique dilapſi, Helvetii verò quos mercede conduxerat mille ægrè adducebantur, ut adversùm Hiſpanos in Mediolanenſi, aut Cremonenſi Agris bellum gererent.

Traductæ tamen Padum copiæ ſunt, tametſi Serra Marchio in adversâ ripâ quò noſtri exſcendere vellent explorabat: ſed mille ſclopetarii navibus impoſiti primùm adverſo flumine Brixellum petere viſi cùm jam adveſperaſceret: dein ubi nox advênit, ſecundo amne delati haud procul Ollii amnis oſtio navibus exſcendêre, priuſquàm hoſtium equitatus adeſſet, qui exaudito remorum ſonitu ſenſerant noſtros ſecundo flumine eò properare, quò ad Cremonenſis Agri ripam appellere ſe poſſe nullo prohibente ſperarent, atque muniendi ſpatium habituros, quod quidem ex ſententiâ factum, loco ſepibus, ac virgultis impedito, atque equitatui hoſtium qui mox advênit, importuno. Præterquàm quod noſtri munire caſtra cœperant, tormentis minoribus tribus freti his, ac prætereà crebrâ glandium è ſclopetis miſſione hoſtem arcere cæpêre: intereà reliquæ copiæ, carri, impedimenta, tormenta leviora Padum traducta: quò factum eſt, ut hoſtes diffiſi rebus ſuis, prout noſtri progrederentur, ipſi Cremonam versùs retrocederent.

Sed eò mœnia pluribus locis collapſa erant, ad portas vetuſtate corruptæ fores, qui penſiles fuerant pontes, ii corruptis item quibus allevari ſolebant omnibus, jacebant immobiles, planè Urbs patebat hoſti, qui foris validior eſſet: eò ingens in hac trepidatio, ac ne Serra quidem Marchio hanc defenſari poſſe credebat: plerique Picoleonis Caſtrum muniendum, ultrà Aduam concedendum, atque hunc amnem objiciendum hoſti cenſebant: quæ omnia Serra Caſtiliæ Conteſtabilem qui Mediolanenſem obtinebat agrum, per litteras edocuit: hic verò ſicuti fermè qui ab diſcrimine procul abſunt, propugnandùm apud Cremonam decrevit, neque id ſicuti futurum videbatur, ſecùs ceſſit. Ateſtinus intereà cum exercitu ad Caſalium majus proceſſerat, quò ubi habebat caſtra, miſit ad Thomam Principem, qui rogaret verbis ſuis, ut ad Cremonam maturè vellet accedere, quò Urbem omni belli mole oppugnare unà poſſent. Id ſe Thomas facturum amiciſſimè recepit, atque intereà Navaillium Comitem cum ſeptingentis, ac quinquaginta equitibus, & Septimanicam Legionem cum Vallone ad Ateſtinum miſit, qui ſi maturè ad Cremonam moviſſet, haud fermè dubium fuit, quin huic brevì dedita foret: in expectandis gravioribus tormentis, ac omni tormentariâ re mora facta tantam opportunitatem corrupit.

Nam intereà quò mœnia apud Cremonam collapſa erant, eò ob-

jectum ab Hiſpanis vallum eſt, ac ſuburbia in quibus noſtri ſub tectis 1647.
agitare, ſi maturè adveniſſent, nullo negotio poterant, ab illis vallo, foſſâque munita ſunt. His ſuburbiis potiri operæpretium fuiſſet, nam eò ab imbribus, qui propè perpetui hac anni tempeſtate fuêre, tectus miles, faciliùs munia ſua oppugnandæ Urbi obiiſſet. Tormenta graviora cum cætero bellico inſtrumento adverſo Pado navibus vehebantur, quo & commeatus advehi debebat: ſed Padus ab imbribus immensùm auctus rapidiùs ſolito longè extrà alveum decurrebat, quò fiebat uti jumenta vix contra vim fluminis tendere, & naves trahere poſſent, ac deniquc lentiſſimè per incertas ripas, vadis plerumque interruptas procederent.

Nihilò magis expeditum iter agmen habuit, viis omnibus ab imbre fœdè corruptis, præter quàm quod Ateſtinus conſultò morabatur, ut ne abſque tormentis, & commeatu circùm Cremonam adveniret: ſed hunc ut anni tempus erat ab meſſe fermè recens, ex villis, vicíſque in hoſtico petere copia erat, quod quidem factum neceſſario eſt, ſed rapto, & ab militibus eâ causâ deſerentibus ſigna, atque fœda, & indigna adversùm agreſtes deſignantibus, quò vetus adversùm Gallos odium renovatum: certè ſi id rectè, atque ordine factum fuiſſet ab equitibus, peditibuſve eâ gratiâ miſſis, haud ingratum agreſtibus fuiſſet, atque annona exercitui ſuperaſſet. Ubi Ateſtinus Cremonæ ſuburbiis appropinquavit, Hiſpanos in his foſſâ, valloque munitos invenit. Ita tanta Cremonæ hoc anno capiundæ opportunitas Ateſtini primùm in fœdere cum Rege conficiundo tergiverſatione, dein ubi confectum eſt, nimiâ ad Urbem accedendi morâ corrupta eſt.

Poſtremò caſtra movere, & ad Caſalium majus regredi viſum, atque eò, & apud Rivarolum hyberna munire, atque annonam, ac pabulum congerere: ſed his per nimiam conquiſitorum negligentiam, incuriam, atque licentiam factis, quæ eadem in utendo, ac potius abutendo fuit, brevì omnia quæ congeſta fuerant conſumpta, atque inopia milites, quin & ipſos Duces inceſſit, cùm nihil pecuniæ ab Aulâ curaretur: cæterùm hi haud ſatis inter ſe concordes fuêre, Eſtrada videlicet, ac Navaillius, de quibus ſuprà memoravimus. Ubi hæc Mazarino nuntiata, ibi Ducibus ambobus, quin & Grimaldo, Ateſtinoque maledicere, accuſare graviùs, quod non ad Cremonam properaſſent: ac nimiâ morâ rem publicam corrupiſſent: ſed qui procul abſunt, iis faciliora omnia videntur: quæ alii fecêre, ea otioſi reprehendunt: quæ autem ipſi peccavêre, ea ab omnibus tacita volunt, ac maximè ſi gratiâ, ac potentiâ valent. Certiſſimum enim eſt, non unum Ateſtinum in fœdere faciundo tergiverſatum, atque omnia quæ in Italiâ geri hoc anno proſperè potuêre, dubio, atque hæſitante quid potiſſimùm inciperet Mazarino, nec ſumptus neceſſarios ſuppeditante, aſpera fœdaque eveniſſe: quod huic tamen vitio non dederim, neque enim ſemper pecunia in promptu eſt, nec quid faciundum, aut omittendum ſit, ita facilè quandóque dijudicaveris, ut nihil offendas.

1647. Poſtquàm Guiſius apud Neapolim propè omnia in tolerabilem reſtituerat ſtatum, ſicuti ſuprà memoravimus, ibi verò foris ſibi dandam operam decrevit, uti commeatus deinceps ad Urbem tutò ſupportari poſſent. Id maximè prohibebat Nobilitas, quæ apud Averſam haud procul habebat caſtra: huic equitum copia, Guiſio multò plus peditum, quàm equitum fuit. Sed cùm circùm Urbem campi crebris interrupti foſſis, ſepibus, atque arbuſtis ſint, haud magnoperè equitatum hoſtium pertimeſcebat. Inter hunc, & Nobilitatem frequentes velitationes magis, ac ſubitaria prælia facta, quàm ſignis collatis eſt pugnatum, cæſi tamen complures, ac denique, placuit inducias per biduum eſſe, & ut intereà utrimque miſſi colloquerentur. Id eò fiebat, quod uſquè Nobiles, ac Populus non juſti more belli, ſed pluſquàm ferinâ rabie alteri in alteros ſævierant, quod quidem corrigendum Guiſius cenſebat.

Eò cum Andriæ Duce ex compoſito collocutus eſt, atque intereà dùm inter Nobiles, ac Populum conveniret, ſicuti denique neceſſe foret, docuit bellum non internecinum eſſe debere, ita ut qui in poteſtatem hoſtium venirent non excarnificarentur, ſicut uſquè factum fuerat, ſed pretio redimi, aut permutari cum ejuſdem ordinis captivis poſſent. *Utriſque propè eamdem ab Hiſpanis impoſitam ſervitutem, quam ab cervicibus ſuis depellere æque ſtudium eſſe debeat, neque eò tolerandam ab Nobilibus, quod contrà quàm Populus ſentiat, ſibi tendendum eſſe putet: hujus odio conciliandam magis eſſe inter utroſque gratiam, uti quæ partes Nobilitatis in Republicâ eſſe debeant, eæ ipſi tribuantur. Tali ſe genere ortum, uti ſe Nobilitati favere debere exiſtimet, atque apud Neapolitanos perviciſſe, ut id ipſis æquiſſimum videatur. Propediem adfuturam Gallicam Claſſem, quæ auxilia omnium libertati recuperandæ idonea advectura ſit. Regem nuſquàm ſibi Regnum Neapolitanum expetere, ſed uti modo Hiſpanis adimatur, atque ut illius Ordines quæ bis rei publicæ gerendæ ratio magis placuerit, eam deligant, ſeu uni, ſeu pluribus hanc permittere velint. Eſſe Regi Patruum, eſſe fratrem, quorum alterum ſi ſibi Regem eſſe velint, id illi pergratum fore: cæterùm quidquid eâ in re ſibi utilius eſſe duxerint, id æqui, bonique conſulturum, ac lubentem operam daturum, ut ne res Neapolitana in Hiſpanorum manus recidat.*

Andriæ Dux ſibi, atque ſociis Regem ſuum ſatis placere, neque alio quæſito opus eſſe reſpondit, cæterùm vix quemquam qui Regem Chriſtianiſſimum tantâ propinquitate attingant, ſicuti frater, aut Patruus Nobilitati Neapolitanæ cordi futuros, præterquàm quod alter valetudine ob podagram impeditâ, alter adhuc puer ſit, ac ſi Rex alius habendus eſſet, non longiùs abituros, & cujus virtus ſibi perſpecta eſſet, huic potiùs Regnum tradituros. Hæc haud ægrè audiit Guiſius, tametſi ſe ab hujuſmodi conſilio alienum oſtenderet. Conſtitutâ denique de captivis aut redimendis, aut permutandis lege Guiſius Andriæ Ducem de ſuâ adversùm Nobilitatem Neapolitanam benevolentiâ certiſſimum dimiſit.

Ubi verò in caſtra ab ſuo cum Andriæ Duce colloquio rediit, Claſ-

ſem Gallicam adveniſſe accepit, miratuſque eſt Hiſpanicæ cladem ſimul non eſſe nuntiatam: nam hæc in anchoris erat, defenſoribus vacua, armamentis nudata, omnibus propè malis procumbentibus, ita ut aut incendi, aut capi ab noſtris ſecundo vento advenientibus potuerit, quod quamobrem factum non fuerit, vix quiſquam ſatis intelligere queat. Poſtridiè Baſquius Abbas ab Claſſe ad Guiſium venit, atque huic litteras quas Fontenaïus ab Aulâ acceperat, reddidit: hæ quàm jucundus, Regi, Reginæ matri, ac Mazarino Guiſii ad Neapolim profectionis nuntius adveniſſet, ſignificabant: eódem Claſſem properare, quæ illi opus eſſent omnia advehentem: dein ubi ab Baſquio quantùm adferret pecuniæ quæſivit, ea planè nulla fuit: nihil enim juvit dicere Claſſem Genuæ Portum non attigiſſe, quò pecunia curari debebat, quingenta librarum millia eò numeranda fuiſſe, quæ ſi quis Neapoli curare vellet, ſtatim apud Genuam repræſentanda fore: nam ridiculum erat iſthuc in Urbe numeratum iri credere, cui nullum cum aliis rerum venalium commercium jamdiù erat. 1647.

Rogatus dein Baſquius quid militum exſcendere navibus poſſet, negavit ampliùs quam mille atque octingentos poſſe, cum duabus equitum turmis: aliquem præterea equitum numerum Guiſius ad ſe mitti poſtulaverat, cum ephippiis, brevioribus ſclopetis, atque aliis, quibus ſimul hos atque equos ornaret, quæ item nulla fuêre: ſclopetorum denique, atque prælongarum haſtarum aliquantum, ſed horum nihil in navibus fuit. Tormenta decem Baſquius promiſerat, ſed poſteà cauſatus pontones ad Poſilippi littus appoſitos infirmiores eſſe, quàm ut his traduci ad terram poſſent, hæc nequaquàm tradidit: pedites, atque equites quos Baſquius exſcenſuros navibus dixerat, ſine pecuniâ Guiſius ſibi oneri magis, quàm uſui fore judicavit: pulveris tormentarii millia octoginta poſtulaverat, ex quibus ſex doliola modò ipſi, triginta Aneſi ad defendendam Carmelitanorum Turrim tradita: cæterùm Baſquius ſeſe cum eo agere juſſum de re publicâ ait, penes quem hæc eſſet, atque adeò cum Januario Aneſe: huic, atque Populo Neapolitano cujus caput eſſet, miſſam Claſſem, neque alteri dicto audientem fore. Nihil profuit Guiſio Aneſis humilitatem, imperitiam, fatuitatem narrare homini, qui adversùm hunc facturus omnia ſedulò veniſſet, præterea omnem ſibi fidem de ſalute ſuâ Neapolitanos habere, imperium detuliſſe, Caput rei ſuæ publicæ conſtituiſſe, nihil credere Aneſi, qui & proditionis ſuſpectus eſſet. Poſtremò Baſquius *Ubi*, inquit, *cognovero te in Urbe potiorem, neque hanc alteri obedientem eſſe, ibi verò tecum ſingillatim agam, interea uſque quod juſſus ſum, id facere mihi certum eſt:* ab hac oratione Baſquius ad Claſſem, Guiſius Neapolim rediit.

Baſquius Aneſem quid in mandatis haberet maturè monuerat, qui per amicos populum in Guiſium accendere cœperat, hunc Galliæ inviſum prædicando, atque adeò impedimento futurum, quo minùs auxilia quæ in Claſſe adſint, ad Urbem advehantur: nam Galliam Neapolitanorum libertati, non Guiſii ambitioni ſervire velle. Sed Guiſius ea

1647. uſquè fecerat in Urbe adverſùm Hiſpanos, foris in prœliis adversùs Nobilitatem, queis Populi gratiam ſibi conciliaverat: quamobrem omnes eò adduxit, ut Aneſi quidquid imperii reliquum erat, abrogatum vellet: quin & eò proceſſit vulgi in Guiſium ſtudium, atque in Aneſem odium, ut ab hujus cæde unâ illius hanc prohibentis verecundiâ temperaverint: ſatiùs tamen fuiſſet hunc furciferum plebis furori permittere, atque omnem hujus rem quæ ex civili prædâ ingens erat, publicare, quàm huic uti lubens imperium deponeret, centum, ac quinquaginta librarum millia annua promittere, ex fructibus nobilium prædiorum, quæ huic dono darentur, cum Principatûs, aut Ducatûs Titulo, ubi primùm pax ſancita foret.

Inter Populi Guiſio acclamantis voces exauditum ſæpiùs Regis quod ipſi deferebant nomen, cúmque id conſtanter abnueret, huic denique Reipublicæ Ducis, ac Principis Titulus in quinquennium ſcripto tributus eſt, ex ipſius Aneſis ſententiâ. Certè Guiſio ea dies fauſta quidem, ſed non ſine moleſtiâ, ac labore fuit: ſex enim hominum millia in foro armata ſtabant, qui homini hunc Gallum eſſe exprobravêre, atque pro Gallis uti Neapolitanum Regnum obtinerent eniſurum, cujus rei periculum ſubire ſibi conſilium non eſſe clamitabant. Ipſe fidem ab ſe Populo de hujus tuendâ libertate datam opponebat, quod quidem Regis Chriſtianiſſimi voluntate feciſſet, atque ſe ab hac diſcedere nequire: poſtremò uni dicenti patriam ſuam dediſcere neminem poſſe, atque hunc in Galliâ natum, *Ego*, reſpondit, *in ſcaphâ natus ſum, quæ me hùc advexit.* Id comiter, necopinatò dictum uſque adeò placuit armatæ huic plebi, uti continuò neminem ſe alium uſquàm qui ſibi imperaret, toleraturam dictitaret.

Nihilò ſeciùs Baſquius cum Aneſe agere, atque Guiſio inſidiari perrexit, primùm per Vincentium quemdam Andream hominem alicujus rei, ſed peſſimum, ac vaferrimum, dein per Tonnum Baſſum, Saluatorem Gennarum, Petrum Damicum, atque alios: de tribus illis paratæ adverſùm Guiſium cædis convictis ſupplicium ſumptum more majorum, cæteris Guiſius delicti gratiam fecit. Baſquium tanti hujus ſceleris manifeſtum quoniam ab Rege, aut ab Mazarino, aut denique ab Fontenaïo Neapolim miſſus fuerat cum regiis mandatis, neque comprehendi, neque quidquam adverſùm hunc fieri, aut moveri voluit. At Claſſis poſtquàm in otioſâ ſtatione dies aliquot commorata eſſet, Caſtellum ad mare curſum tenuit, uti quinque naves Hiſpanicas incenderet, & hac ſaltem tantulâ re patratâ non fruſtrà veniſſe videretur: rediit denique in priſtinam ſtationem, ac Baſquius Guiſio ut ad Claſſem veniret, perſuadere niſus eſt, quod quidem hic dolo malo fieri ſuſpicatus abnuit.

Hiſpani denique probè quantùm licuit inſtructâ ſuâ Claſſe cum Gallicâ pugnavêre, res acta tormentis eſt, quam neutris cominùs gerere viſum: dein aquam ſibi deeſſe cauſati qui Claſſi Gallicæ præerant Longonis portum rediêre. Ita hæc nulli uſui Neapolitanis, neque Guiſio fuit

fuit, præterquàm quòd aliquot nobiles qui ab Provincia ad hunc venire voluerant, advexerat: hanc Guiſii pater diù obtinuerat, in qua & filio nobilia prædia ſunt, atque adeò nonnulli amici, ac clientes, ex quorum numero quidam Claſſem conſcenderant, qui Guiſio in hoc Neapolitano bello egregiam operam navavêre. Sed nihil Guiſio ab Claſſe graviùs accidit, quàm quod hæc fortè naves duas onuſtas frumento deprehenderat, neque has Neapolim commeatûs loco, quem ſibi advehi Guiſius poſtulaverat, mittere voluerat, quò Urbis inopiam ſublevaret. His omnibus Guiſius adductus Mazarinum, atque hujus voluntate Fontenaïum, ac denique omnes qui in Claſſe fuêre, ſibi iniquos eſſe credidit: ita quidem Gallos, uti nihil ſibi benè facere vellent, quando non licebat, Italicos verò, ne vitæ quidem ſuæ parcere voluiſſe. 1647.

Dum hæc apud Neapolim geruntur, intereà loci quæ apud Caſalium majus, & Rivarolum in Cremonenſi Agro & regiæ, & Franciſci Ateſtini Mutinæ Ducis agitabant copiæ, eæ longè latéque populabantur, niſi quà prohibebant amnes, qui hac tempeſtate immensùm creverant. Sed hanc opportunitatem Ateſtinus haud omittendam eſt arbitratus, quò Sabionetam in propinquo commeatibus intercluderet: nam id oppidum tribus ab Pado paſſuum millibus Ollium amnem versùs poſitum eſt, in finibus Agri Mantuani, regione ſoli propter humilitatem paludosâ, atque aditu tùm difficiliori, quod reſtagnante ex propinquis fluminibus aquâ nulla in palude, aut præalta vada erant. Præter Caſalium majus, & Rivarolum, Joannis in cruce-fanum, & Ponſonum Caſtellum quæ loca Ateſtinus in Cremonenſi Agro præſidiis tenebat, Comeſaſium in Mantuano Agro vicum occupat, ut ne quà ad Sabionetam adire Hiſpanis copia foret, ita qui in oppido erant, ii commeatûs inopiâ ad deditionem adigi poſſe videbantur.

Mediolanum, atque Inſubres Caſtiliæ Conteſtabilem obtinere diximus: ſed hæc provincia Ludovico Benavidi Caracenæ Marchioni decreta fuerat, quæ intereà dùm ab Belgio adveniret, Jacobo Ferdinando Velaſco Aro Comiti Conteſtabilis filio permiſſa eſt. Is Sabionetæ ſicuti par erat ab Gallis, & Mutinenſibus metuens eò copias duxit, ac primùm Joannis in cruce-fanum improvisò advênit, quod paucis defendentibus nullo negotio capit, atque eódem caſtra poſuit, munivitque, ut ne quid ab Rivarolo quò validum Gallorum præſidium erat, in propinquo damni caperet. Eò Eſtrada ubi de hoſtium adventu percrebuerat fama, cum ſclopetariis mille-ducentis, & ſexcentis equitibus venerat. Navaillius Caſtrorum Præfectus præerat oppido, quò pars Gallorum hybernatura erat: poſtridiè Eſtrada, & Navaillius uti de hoſtibus cognòſcerent, & quid ipſis eſſet conſilii, atque animi propiùs explorarent, ad eorum iêre caſtra, cum duabus modò equitum turmis, ſtationem equitum quæ pro caſtris erat, propellunt, dein Rivarolum rediêre. Ateſtinus eódem cum reliquis copiis advênit, atque habito cum Præfectis caſtrorum, Tribuniſque conſilio in craſtinum prælium

1647. facere conſtituit, ſi hoſtes egrederentur caſtris, & æquo loco pugnandi poteſtatem facerent, aut ſi ſe caſtris tenerent, vallum aggredi, & ſi quà fieri poſſet tranſcendere. At hoſtes relicto apud Joannis in crucefanum idoneo præſidio ponè vicum poſuêre caſtra, loco & opere, & naturâ munito, ac poſtridiè Bozzolum movêre.

Id oppidum Camilli Gonzagæ eſt, quo freti Hiſpani rem ipſam quæ agebatur incœperant, nam is & Bozzolum quod eſt caput parvæ ad Ollium flumen regionis, & Martini-fanum propiùs flumen in Hiſpanorum poteſtate futura, ſeque eos commeatu juvaturum fidem dederat. Apud Bozzolum ab noſtris pugnatum acriter, hoſtes ſub mœnibus oppidi propugnavêre, vallum, foſſamque objecerant, præterea illîc loca cava, maceriæ, ſepes, atque alia propugnantibus æqua fuêre, equitatus modò pro caſtris impetum noſtrorum ægrè ſuſtentabat. Eſtrada, & Navaillius dextrâ, lævâque, in mediâ acie Ateſtinus curabat: pro cornibus naviter geſta res eſt, compulſique in munimenta ſua hoſtes, magis in lævo noſtrorum cornu, quò tamen propè graviter eſt offenſum, nam longiùs ab mediâ acie progreſſi vacuum eò locum reliquerant, quem Ateſtinus ab Germanorum manu quæ in ſubſidiis fuerat, inſedi ſubitò jubet. Tantus erat in oppugnando equitum, peditumque ardor, uti quæ obſtabant omnia, ea ſe ſuperare poſſe confiderent: ſed aliter cenſuit Ateſtinus, tantamque ſuorum virtutem ipſis fraudi eſſe non eſt paſſus, atque adeò receptui canere juſſit. Neque tùm ab hoſtibus ceſſatum, qui ubi noſtros abire vident, munimentis egreſſi in lævum cornu impetum faciunt: hunc noſtri ſcilicet numero impares, atque prioris pugnæ labore feſſi ægrè ſuſtentabant, ni properè Navaillius Cataphractorum Mazarini equitum turmam eò duxiſſet, cujus virtute hoſtium vis inhibita, atque repreſſa eſt.

Sed hæc glorioſa modò Ateſtino, Galliſque, Hiſpani uſui paruêre: nam in eo omni negotio id ipſis curæ fuit, ut ne quid Sabionetam versùs euntes in itinere offenderent, in tuto caſtra ponere, de improviſo movere, munito agmine incedere, non niſi exploratò progredi, poſtremò quod Ateſtinus, & Galli pugnandi poteſtatem facerent, abnuentes objurgarent, ſtationes pellerent, caſtra tentarent, parvi pendere, modò ut Sabionetæ ſubvenirent, nihil tamen aut damni factum, aut dedecoris admiſſum. Igitur Martini-fanum quò initio profecti intenderant, pervenêre, atque eò ſtativa habuêre: dein jam otioſi uti commeatus, & milites Sabionetam introducerentur, operam dedêre: nam hujus rei per Agrum Mantuanum ſecundo Ollio, dein per foſſam quæ ab hoc amne ad Sabionetam pertinet, ſeu per paludem, quæ auctis ſuprà foſſæ altitudinem aquis compleverat omnia, magna copia fuit. Intereà loci Thomas, & Pralinopleſſius ut ab Ateſtino partem hoſtium averterent, Alexandriam ad Tanarum amnem oppugnare ſe velle ſimulavêre. Id ſemel, atque iterùm factum, dein ad forum Julii Valentinum movêre, Caſtellimontem per Santandream Caſtrorum Præfectum triduò cepêre, atque deſtruxêre, item Ponſonum Caſtellum: poſ-

tremò Thomas apud Caſalium ſancti Evaſii Padum traduxit copias, 1647.
atque ad Seſſitem movit, ſuperatoque amne Laumellinum, & Novarienſem Agros longè, latéque populatus eſt, Pralinopleſſius intereà morbo impeditus Aſtam conceſſerat, ac denique copiæ in hyberna deductæ.

In Germaniâ noſtri poſt deditam ſibi ab Maximiliano Baioariæ Duce per induciarum conditiones Hailbronam, nihil admodùm geſſêre: Aſciburgum ad Mænum, Steineimum, Hoſta, Germeſeim, atque alia loca haud difficulter capta, præter Hoſtam, cui potiundæ magna vis adhibita. Armſtadium ab quo alteri ex duabus Haſſiæ Langraviorum familiis cognomen eſt, propè improviſò occupatum: duæ equitum Alæ primùm oppidi portam ceperant, quo terrore impulſi oppidani hos ſtativis apud ſe recepêre, prætereà promiſſæ in ſumptum collationes, quamdiù eò agitarent, altera modo Germanici exercitûs pars penes Turenam tunc erat, altera Hocquincurio Legato permiſſa unâ cum Suecis adversùm Ferdidandum Imperatorem bellum gerebat.

Sed & hæc poſt paulò ad Turenam rediit, relictis modò qui cum Suecis porrò militarent peditibus mille, & quingentis equitibus. Omnis ab Turenâ exercitus in unum eſt conductus, ut in Lucemburgenſem Agrum, Galliam, & Belgium versùs duceretur: nam per hæc æſtiva Sociis Civitatibus ceſſantibus, opus erat qui eâ parte Hiſpanis metum faceret, cogeretque ex omnibus copiis, quas adversùm nos ductaverant, aliquas ſubducere: id tùm facere Turena juſſus eſt, adversùm quem Hiſpani Beccum misêre cum copiis tuendo quem obtinebat Lucemburgenſi Agro.

Cæterùm ubi inter Germanos qui in exercitu Turenæ Regi merebant, fama vulgavit hos extrà patriam ductum iri, ibi verò voces ſe id paſſuros negantium audiri cœptæ, circuli equitum haberi, turmæ, atque alæ conſilia conferre, dein turbæ, ac poſtremò ſeceſſio, tamen pars major manſit in fide. Roſa Tribunus huic rei caput eſſe videbatur, quem Turena comprehendi, atque Philippiburgum abduci jubet. Atque intereà per Tribunos, Præfectos, ac duces, qui manſerant in fide hortatur eos qui ſeceſſerant, uti redirent in viam, neu ſacramenti religionem violarent: hos tot jam annos Regi meruiſſe, quorum mercedem ne deſererent, neu committerent, uti Germanorum gentem virtute, ac fide inter cæteras præſtantem, hanc prodidiſſe fama ferret. Quæ ubi apud obfirmatos in rebellione animos parùm proficiebant, poſtremò id ipſis impunè eſſe ne Germanis quidem cæteris probabatur. Itaque ex eorummet ſententiâ, primò moventes caſtra rebelles proſequi, dein ubi commodum fuit, oppugnare viſum. Id apud Conigshovem oppidum ad Tauberem amnem factum, trecenti ex rebellibus cæſi, cæteri fugâ ſibi conſuluére, dein Hailbronam reditum, atque eò ſeptingenti è rebellium numero fugâ ſparſi, & quò ſeſe reciperent incerti ubi proximum erat in caſtra reverſi ſunt, neque tamen

1647. hæ copiæ quibus Turena Imperator erat, tribus peditum, duobus equitum millibus ampliores fuêre, at omnis veteranus miles, & per Germaniæ bella ad duritiem, atque omnes aſperitates, quæ haud exigua bellicæ virtutis pars eſt, aſſuetus.

Turena Rhenum, atque Moſellam traductis copiis, Lucemburgenſem agrum, quâ ſuprà memoravimus gratiâ ingreditur, præmiſſiſque Moſam versùs quà Belgium ab Lucemburgenſi agro dividit, qui de hoſtibus cognoſcerent, hos apud Givacum tranſmiſſos amnem Lucemburgum oppidum petere comperit: hos ut in viâ deprehenderet, loco idoneo collocat copias, & complures exploratum mittit, ab quibus certior factus hoſtes Lucemburgum ingreſſos, ad Montemmedium flectit iter, vicum qui haud procul oppido eſt, atque Turrim pugnando capit, ac tentato modò oppido aliquamdiù eò ſtativa habuit: nihil ipſi aliud conſilii fuit, quàm hoſtem attinere, ut ne rediret in Belgium, itaque fine æſtivorum in Germaniam ipſe rediit. Fuit ipſi præterea quidpiam cauſæ, quamobrem id faceret, nam Anſelmus Caſimirus Wamboltius Umbſtatius Archiepiſcopus Moguntinus, atque Imperii Septemvir obierat mortem, in cujus locum Joannem Philippum Schombornium Herbipoleos Epiſcopum ſuffici Rex volebat. Moguntiam Archiepiſcopatûs Metropolim Rex præſidio tenebat, quò magis hunc, atque unà Imperii Septemviratum homini amico mandari cupiebat, quod omnibus Moguntinæ Eccleſiæ Canonicorum ſuffragiis more majorum factum, creatuſque Archiepiſcopus, atque Imperii Septemvir Schombornius eſt. Id ut ne impediret hoſtis, circùm Moguntiam Turena cum copiis agitabat, quæ deindè in hyberna deductæ.

Poſtquàm Suecis ab Maximiliano Baioariæ Duce per inducias quies erat, ipſi in Boïohemo rem egregiè gerebant, Ferdinando etiam ſine Gallorum auxiliis pares. Qui ubi hos ſi diutiùs Maximilianus ceſſaret brevî potiores futuros probè intelligit, nihil omnium omiſit, quò pacem ejus cum Suecis minueret, ac poſtremò ab induciis diſcedere perſuaderet. Id clàm primò ab Maximiliano factum, Joanne Vertio qui huic merebat ad Ferdinandum cum ſatis magnâ equitum manu miſſo, ſicuti injuſſu ſuo ad illum tranſirent, quos omnes ac maximè Vertium improbos, atque inteſtabiles videri Edicto ſanxit, quandò ſacramenti quod ſibi dixerant fidem violaſſent, qui Vertium, aut cæteros quî unà diſceſſerant Tribunos, Præfectos, equiteſve interfeciſſent, iis impunitatem ejus rei, præterea mercedem haud exiguam pollicebatur, ſuique purgandi gratiâ ad Turenam, & Vrangelium qui Gallis, atque Suecis Imperatores erant, Cutnerum, atque ejus filium mittit, nec quidquam ſe ab induciarum legibus declinaturum ſanctè adjurat.

His cùm ab utroque Imperatore, tùm ab pleriſque omnibus ipſis qui Vertium ſecuti erant, fides habita, queis deterriti hunc ad Ferdinandum abſcedentem deſeruêre, ſeptem equitum alæ, tres peditum cohortes fuêre, cum Tribunis, Ducibus, & Centurionibus. Contra hæc Ferdinandus, *Maximilianum injuſſu ſuo cum Gallis, & Suecis inducias pe-*

pigiſſe ait, *quod ei fas non fuerit. Se Caput Imperii eſſe, cujus modò voluntate cum hoſtibus quidquam agere liceat. Quod ſacramentum Maximiliano Tribuni, Duces, Centuriones, ac milites dixerint, id Imperio, atque patriæ tuendæ dixiſſe, quam ubi is deſerat, ac ceſſando veluti prodat, jam nihil erga hunc, ſed erga ſe qui hanc omni ope tueatur, hujus ſacramenti religione teneri. Quæ ad patriam attineant, ea hos prima habere decere, neque privatis Maximiliani ſervire rationibus, aut commodis.* Quamobrem eos ad ſe & fidei ſpecie & præmiorum ſpe, & pœnarum metu quas graves minabatur, venire jubebat. 1647.

Intereà Maximilianus communire ſuos locos, arma, tela, tormenta, & quæ ad rem tormentariam attinerent, parare, feſtinare, in Aula Regis animum pertentare, ſi Suecos integrâ ſuâ cum Gallis pace laceſſere poſſet: nam in utroſque peccare, & prodere fidem periculoſius videbatur: poſtremò paratis omnibus quæ uſui eſſent, ibi verò Ferdinando palàm auxilia mittere, Groënsfeldium Comitem videlicet cum aliquanto equitum, ac peditum numero, qui X. Calend. Novemb. copias quibus præerat, cum Ferdinandi copiis conjunxit. Multa Maximilianus ſcripto in vulgus edidit, quibus ſe jure adductum contendebat, ut ab induciis diſcederet.

Has ſe accelerandæ modò paci feciſſe, ab quâ tamen Sueci ſeſe magis, ac magis alienos in dies oſtenderent, ingentia, immoderata poſtulando. Hos inducias ſingillatim cum Ferdinando paciſci voluiſſe, ut adversùm ſe omnem belli molem converterent. His ægrè eſſe quod in ſe Catholicæ Religioni in Germania potiſſimùm præſidium ſit, quam perditam velint. Colonienſem Archiepiſcopum Septemvirum fratrem ſuum ab his malè habitum, contra induciarum fidem, quod ut ne & ad ſe denique perveniret, rectè metuiſſet. Dolo malo ſibi Chriſtinæ Sueciæ Reginæ Diploma quo inducias ratas habere ſe edixerit, ſeriùs ab his traditum, uti ſi intereà perdundi, aut labefactandi ſui copia fuiſſet, hac uti potuiſſent. Addebat alia compluria hujuſcemodi levia, futilia. Sed reverà ceperat hominem metus, uti Sueci Ferdinandum profligarent, quo ſucceſſu elati quæ his pacis conditiones ſatis placuerant, eas poſthàc aſpernarentur, atque omni Germaniâ potiri vellent, aut certè in hac cuncta ab nutu ſuo pendére. Cæterùm Maximiliano non fuit conſilium, ita Ferdinando copias ſuas permittere, ut his ex voluntate uteretur, quod quidem ex omni Groënsfeldii ratione palàm fuit: nam hic multas de induſtriâ opportunitates corrupit, omnem operam dando, ut ne Auſtriaci Suecis, aut hi illis potiores eſſent, atque adeò pacem abnuerent.

Ubi Maximilianus ab induciis diſceſſerat, tametſi has cum Gallis inviolatas fore polliceretur, tamen his per fœdus pridem ictum cum Suecis haud licebat ceſſare, quandò & Ferdinandi, & Maximiliani copiis urgebantur, quibus ad Viſurgim uſquè amnem cedere coacti ſunt. Ibi verò Mazarinum ab Germania Turenam evocaſſe pœnituit, quod quidem fœdè evenerat, cùm ob equitum Germanorum qui ab hujus exercitu diſceſſerant defectionem, tùm ob labefactatos eâ causâ ſocios, & corruptam in Germaniâ rem publicam, quam uti reſtitueret,

1647. hunc eò mittere denuò viſum. Id vel adventûs hujus famâ eventurum Mazarinus ſperabat, quamobrem hominem per litteras monuit, ut ne quid ſuprà vires incipere vellet, quæ Germanorum equitum diſceſſu haud mediocriter imminutæ fuerant, cæterùm rem publicam modò in Germania ſuſtentaret, neque Suecorum immenſa animo agitantium ambitioni, ac lubidini ſibi ſerviundum eſſe duceret, ac ſingillatim horum in Maximilianum odio, quem Rex in viam reductum quidem, ſed nuſquàm labefactatum, nedùm perditum vellet: hic intereà Memingam quam Suecis per induciarum conditiones tradiderat, oppugnavit, atque ad deditionem redegit.

Iſthîc animadvertendum videtur, ſicuti Maximiliano Baioariæ Duci ubi copias ſuas cum Ferdinandi Imperatoris exercitu conjunxerat, cautio fuit, ut ne his fretus Suecorum vires attereret, ſed uti ſuas modò ſuſtentare poſſet, ita & eamdem Regi ſeu Mazarino fuiſſe, ubi Turenam in Germaniam redire juſſerat, ut ne videlicet Sueci Gallis iterum freti potentiores evaderent, ac Ferdinandi, Maximilianique profligandorum ſpe pacem quam in Germaniâ Rex factam volebat, detrectarent. Certè qui in belli ſocietate ſunt, eos uno animo, atque eódem tendere vix diverſa ſtudia, ac diverſæ in republicâ rationes ſinunt, quam tum ſummâ arte, & quæ ſuprà ſocialem fidem quandóque eſſe videatur, tractare neceſſe eſt.

In citeriore Hiſpaniâ cum parte copiarum Condæus cis amnem Sicorim apud Lesborges, dein apud Verdûum, copiæ reliquæ in Tarraconenſibus campis ſtativa habuêre: eò aliqui loci communiti, atque præſidiis firmati, dein ultrà Sicorim itum. Condæus apud Farfaniæ Caſtellum habuit caſtra, intereà dùm Arnaldus Corbevilla Caſtrorum Præfectus cum idoneo copiarum numero Agêrem oppidum, atque Caſtellum oppugnat. Id inter utrumque Nogueram, Aragoniam verſùs fermè medium eſt, magis ingenio loci, quàm arte munitum. In eo negotio octiduum abſumptum, locus pugnando captus, tametſi eò tormenta moliri perdifficile fuerat, non jumentorum, ſed hominum operâ: qui præſidio erant hoſtes ex iis cæſi centum, trecenti capti. Eâ re ex ſententiâ tàm brevî confectâ, nam eumdem locum antehàc ab noſtris captum hoſtes vix poſt unum, atque vigeſimum oppugnationis diem receperant, Condæus copias quas alias aliò prohibendis commeatibus, atque auxiliis dimiſerat, ad ſtativa redire jubet, dein impedimenta, atque omnem propè familiam in Galliam quò mox & ipſe iter habiturus erat præmittit.

Hujus diſceſſûs ſpe fretus Aïetona Marchio qui Hiſpanicis omnibus copiis Imperator erat, Franciſcum Tuttavillam cum quatuor cohortibus Hiſpanicis, Italicâ unâ, & quadringentis equitibus Conſtantinum oppugnatum miſit. Id Tarracone haud procul oppidum eſt, quod Condæus muniri antehàc juſſerat. Sed nequedum Conſtantinum, aut alia in Tarraconenſibus campis loca permunita erant, in queis Condæus Ilerdam verſùs proficiſcens præſidia reliquerat, nequedum ipſe ab Agêre

oppido longiùs diſcedere poterat, cujus mœnibus, atque munitionibus reficiundis tantiſper morabatur. Cùm igitur omnem exercitum eò ducere nequiret, Mottæi modò equitum alam, Helvetiorum centurias duas, & qui Mirapiceæ cohorti ſupplemento veniebant milites, eos Conſtantinum versùs ire jubet, prætereà ipſam ab Flixio Mirapiceam cohortem, atque Marini equitum alam: ipſe poſt paulò ut in Urgellarum planitiem deſcenderet movet caſtra, atque ubi Balaguieram advenit, hoſtes qui apud Fragam omnes coëgerant copias, Ilerdam contendere per ſpeculatores cognoſcit. 1647.

Hiſpani apud Ilerdam, Condæus apud Balaguieram, quoniam utrobique pontis copia eſt, Sicorim trajicere properabant: ſed hic continuò ſibi duo ex rerum copiâ faciundâ eſſe decrevit, ſcilicet ſuis apud Conſtantinum auxilio eſſe, atque hoſtes ſi amnem Sicorim tranſirent, aggredi, præliumque committere. Eo conſilio apud Tarragam habuit caſtra, Gramontium Equitum Tribunum, atque Hardium Truſſæum Caſtrorum Præfectum cum idoneo copiarum numero dimittit, qui unà cum Broglio, is apud Montem album haud procul Conſtantino copiis quæ eò præmiſſæ fuerant præerat, communicato conſilio rem gererent, cui omni rei Gramontius ſicuti par erat præeſſet. Sed is non auxilio modò eſſe noſtris, verùm & hoſtes malè mulctare avidus, per avia, atque invia poſthabito per montium fauces itinere, atque iis ſaltibus quos ab hoſte inſideri per ſpeculatores cognoverat, ad Conſtantinum properat, ſperans ſe hoſtes in ipſo oppugnationis conatu nihil de ſe ſuſpicantes oppreſſurum, ſed nihil hos fefellit haud ſegniùs ſpeculantes.

Qui ubi adventare Gramontium ſenſêre, ſubductis properè tormentis Tarraconem quæ urbs in propinquo eſt, abſceſsêre: agmen abeuntium equites noſtri carpsêre, capti aliquot, centum ultrò ad Gramontium tranſiêre. Pulſis ab Conſtantino hoſtibus præſidium quàm antehàc ampliùs eò Gramontius relinquit, curatâque reficiundis, perficiundiſque munitionibus pecuniâ ad Condæum properè redit: nam hoſtes Sicorim tranſituros, & ad eum venturos fama conſtans erat, qui ſi non ceſſaſſent, atque ubi Gramontius aberat, properaſſent ad Condæum accedere, hunc aut cum ingenti periculo pugnare, aut fugâ ſibi conſulere coëgiſſent: verùm hæc ejus fortuna fuit, aut induſtria, uti priùs Gramontius ad ſe redierit, quàm hunc omninò abiiſſe hoſtes ſentirent: prætereà Aïetonæ qui his præerat interdictum fuerat, ut ne cum Condæo prælium faceret, id modò ſatis haberet, tutari, atque ſuſtentare rem: tanta de Condæo fama, atque virtutis opinio fuit, ut ne cum eo vel mediâ copiarum parte potiores Hiſpani manum conſerere auderent.

Apud Tarragam Condæus ſtativa habebat, quò Gramontius ad eum redierat. Sed tùm puduit Aïetonam Conſtantinum fruſtra oppugnatum, viſumque homini ſi denique Sicorim tranſiret, ac Tuttavilla rem iterum tentaret, hanc ei feliciùs ceſſuram. Igitur copias omnes traducit amnem, atque ad Lesborges habuit caſtra ab noſtris nuper muni-

1647. ta. Condæus Belpuigam ab Tarragâ movet poſtridiè inter Ilerdam, atque hoſtes caſtra poſiturus, ut hos urbe, atque commeatu prohiberet. Advesperaſcente jam die parva equitum agmina alia aliò dimittit, uti quid hoſtibus conſilii eſſet, explorarent, ac ſi quà fieri poſſet ex his aliquos comprehendere, atque adducere jubet: tres ad Imperatorem adducti indicant ſuos poſtridiè ubi luceſceret, futuros in acie, ac prælium commiſſuros. Continuò Condæus cum Gramontio, atque Marſino Legato, & cum duabus equitum alis Joſephi Dardennæ Catalani, atque Baltaſaris uti de hoſtibus ampliùs ipſe cognoſceret, ad eos verſùm properat, noſtros eſſe in acie proficiſcens jubet, paratos, intentoſque ubi eos accerſat.

Haud longè proceſſerat, cùm ab Arbecâ tormentorum ſtrepitu ſignificatio facta eſt hoſtes Ilerdam abſcedere: ſubitò omnem acceſſit exercitum, ac pergit ire ad hoſtes: hi præmiſſis anteà impedimentis iter expediti faciebant, ut ad montem qui haud procul Ilerdâ eſt, pervenirent, eò caſtra habituri. Condæus ubi exercitus adfuit, maximam equitatûs partem eòdem ducit, Gramontius cum reliquis copiis ſubſequitur. Sed cùm hoſtes expediti maturarent iter facere, Condæo caſtra ponere viſum, atque intereà quid hoſtes agerent exploratum mittere, quos & caſtra poſuiſſe compertum eſt. Sed de tertiâ vigiliâ movêre, quod & Condæus fecit, ab exploratoribus factus certior hoſtes ad Ilerdam properare. Circùm oppidum locus eſt, Hortam incolæ appellant, credo ab hortis qui ut ferè fit pro Ilerdæ mœnibus ſunt, hunc ſepes, atque foſſa aquâ oppleta ſatis muniunt, quò hoſtes ſeſe in tutum recepêre, poſtquàm ab noſtris ex ultimo illorum agmine cæſi, captive ſeptingenti fuêre. Hæc certè Aïetonæ diſceſſio huic probroſa fuiſſe videtur, poſtquàm Barcinonem uſquè noſtros ſeſe abacturum prædicaverat, cùm vix diem unum in Urgellarum planitie agitare auſus fuerit.

Ubi hoſtes Ilerdam compulſi ſatis ſe victos fatebantur, Condæus Marſinum Legatum cum equitibus, peditibuſque quot ſatis viſum eſt, Conſtantinum properè mittit: nam Tuttavilla iterum oppidum magnâ vi oppugnabat Aïetonæ promiſſis fretus majoribus, quàm quæ præſtare potuerat. Ille igitur ſeriùs de Marſini adventu certior factus Tarraconem properantiùs recepit ſe, quàm ut tormenta omnia ſecum advehere poſſet, ex quibus tria, atque alia quæ ad rem tormentariam pertinerent in caſtris relicta apud Conſtantinum poſthàc noſtris uſui fuêre. Ita Cataloniæ rebus in tuto collocatis Condæus copias in hyberna dimiſit, ipſe in Galliam rediit.

Dum ubique eo quò ſuprà diximus pacto bellum gerebatur, intereà loci apud Monaſterium Veſtfalorum & Oſnabrugam de pace inter Ludovicum, & Ferdinandum, ac Chriſtinam Sueciæ Reginam, ſimul & Imperii Ordines qui horum partes ſequebantur, porrò agebatur, ac præterea Ludovicum ac Socias Civitates inter, & Philippum Hiſpaniæ Regem: ſed id ab Philippi Legatis per ſimulationem fiebat,

quæ

quæ & ad Sociarum Civitatum Legatos pertinuit. Nam hi de pace ſuâ cum Hiſpanis certiſſimi de noſtrâ cum his agebant, uti modò ſeſe omnem operam quò fieret dediſſe oſtenderent, ac per nos ſtetiſſe quò minùs ſanciretur. Ita fœdere ſeſe pacem ſine Gallis nuſquàm facturos fidem dediſſe aiebant, uti ſi hanc æquis conditionibus reſpuerent, ſibi ipſis conſulere poſſent, quod tametſi totidem verbis cautum non fuerit, tamen æquitatem omnium quæ homines paciſcantur normam eſſe debere, ab quâ ſi alter ex paciſcentibus diſcedat, alter huic fidem ſervare nuſquàm teneatur: ita ſe conditionum quibus Pax noſtra cum Hiſpanis fieri deberet, judices conſtituebant. 1647.

De quibuſdam jam convenerat, de quibus autem ambigebatur, eæ fuêre: ſcilicet quæ Urbes, quæve oppida bello capta Rex retineret, ea quibus finibus poſſideret: Rex uti quibus finibus hæc Philippus poſſederat, ea & ipſe poſſideret, Philippus uti ſi quid agri, ſolive in cujuſque urbis, aut oppidi re publicâ fuiſſet, id modò penes Regem foret, æquum cenſebat: ita non quod ſuum ſicuti cujuſque Urbis, aut Oppidi Domini, ſed quod urbis cujuſque, aut Oppidi rei publicæ fuiſſet, eo Ludovico cedebat: at ſicuti Ludovicus ſingulis oppidanis ſua bona, ita & cujuſque urbis, aut Oppidi reipublicæ adempta nolebat, ſed Philippo modò quæ ſua fuiſſent, ſeu prædia, ſeu agros, qui ab ſingulis penderent urbibus, ac oppidis: huic controverſiæ minuendæ Sociarum Civitatum Legati ut utrimque diſceptatores conſtituerentur, autores erant, qui ſi hanc litem dirimere non poſſent, hæc Sociarum Civitatum arbitrio permitteretur. Sed iniquum planè fuit quod cum his Hiſpani convenerant de urbibus, oppidiſve, quibus per conditiones pacis ipſis cedebant cum agris videlicet, prædiis, caſtellis, vicis, villis, atque aliis velut appendicibus, de eo cum Rege diſſimiliter agere velle.

De Carolo Lotharingiæ quondam Duce Hiſpani contendebant huic opitulari æquè Philippo copiam eſſe debere, ac Ludovicus ſibi fas eſſe vellet opitulari Luſitaniæ Regi: ſed hujus finibus tuendis Ludovicus id ſibi fas eſſe aiebat, atque id integrâ ſuâ cum Philippo pace fieri poſſe; Carolo verò Lotharingiæ quondam Duci nullos fines eſſe, quos Philippus tueretur, nam his planè ſpoliatus ad hujus partes acceſſerat. De Caſalio in Montisferrati agro id Rex penes Carolum Mantuæ Ducem eſſe æquum quidem cenſebat, ſed eò Helvetiorum militum præſidium introduci, qui Carolo ſacramento dicerent, ſtipendium verò ab Rege acciperent per annos triginta, dein utriuſque Regis voluntate Caſalio diſcederent: id uti neuter Caſalio potiretur neceſſe videbatur, quod quidem Philippo haud ita difficile foret, ſi eò Mantuæ Dux popularium modò præſidium haberet. De Eduardo Bragantio Luſitaniæ Regis fratre æquum eſſe hunc emitti cuſtodiâ, fide datâ ſe nihil adversùm Philippum moliturum. Iſthæc reſtabant de quibus Gallos inter, & Hiſpanos convenire ad pacem ſanciundam neceſſe erat, quæ certè hujuſmodi fuêre, uti Sociæ Civitates horum ſe iniquitate permotas poſthabito fœdere noſtro pacem ſeorſim ab nobis cum Hiſ-

1647. panis ſancire ſe poſſe jure dicere non potuerint. Sed apud Socias Civitates plerique omnes tantâ in nos invidiâ laborabant, uti qui perditos antehàc voluerant Hiſpanos, eos jam ſalvos, & honeſtos vellent, nos verò qui illas omni operâ auxeramus, labefactatos, ac imminutos. Vitio Populorum, qui ſibi jus, ac libertatem eſſe haud ſatis ſentiunt, niſi his vel in ipſos utriuſque autores, fautoreſve abutantur.

Sed ubi Hiſpani pacem ſibi cum Sociis Civitatibus fore Gallicâ infectâ non ampliùs dubitabant, ibi nec hanc Ludovicum inter, & Imperatorem fieri voluêre, neque item inter hunc, ac Suecos: namque hos Gallorum auxiliis deſtitutos, qui ſatis ſuperque negotii tuendis finibus ſuis habituri eſſent Imperatori, nos verò ab Fœderatis Ordinibus deſertos Hiſpaniæ Regi opportunos, & obnoxios fore ſperabant. Eò Trautmanſtorfium de quò antehàc memoravimus ſibi Monaſterio Veſtfalorum abigendum decrevêre, qui egregiam uſquè maturandæ Imperatorem inter, & Ludovicum, atque Sueciæ Reginam paci operam dederat. Trautmanſtorfius Ferdinando carus, acceptuſque erat, atque omnium domi conſiliorum particeps, quâ tantâ gratiâ plures qui abeſſent, quàm qui Principibus adeſſent excidêre. Hic igitur Monaſterio Veſtfalorum profectus eſt, atque ex itinere Joannem Georgium Saxoniæ Ducem, atque Imperii Septemvirum adiit, quem Maximiliani Baioariæ Ducis exemplo ad mutandam cum Suecis induciarum fidem hortaretur: ſed eam hic è Proteſtantium ſectâ Catholico Principe ſanctiùs coluit, ſervavitque: quo magis adducor ut credam Hiſpanos, & Ferdinandum Imperatorem tunc bellum, quàm pacem maluiſſe.

Sed cùm hæc hoſtium in bello continuando pertinacia pacis habendæ ſpem Regi, atque Reginæ matri tum adimeret, providendum neceſſariò fuit, ut ne his pecunia in illius ſuſtinendi ſumptum deeſſet, cui corrogandæ nova vectigalia, tributa, portoria inſtituenda, aut vetera augenda fuêre, quod populis ægrè futurum erat jamdiu ſub illorum onere fatiſcentibus. Sed hæc eſt Senatui inſita dudùm opinio uti ſublevandæ plebis partes ſuas eſſe in re publicâ deputet, atque adeò ubi Edicta de vectigalibus, tributis, portoriis aut novis inſtituendis, aut veteribus augendis promulgandi causâ ad hunc mittuntur, id ſæpiùs ſe haud ſatis rectè facere poſſe neget, aut his modum faciundum eſſe cenſeat. Hæc de ſublevando Populo cura magnam huic Ordini apud hunc gratiam conciliavit, quam omni ope ſibi tuendam arbitratur. Eò tùm decrevit uti quæ de vectigalibus, tributis, portoriis ſeu inſtituendis, ſeu augendis Rex ediceret, ea ut ne aliò quàm in Senatu promulgarentur more majorum: nam hæc & in aliis Curiis rectè, atque ordine promulgari poſſe Adminiſtri contendebant, quibus minùs firmitatis, quàm Senatui fore ſperabant ad hujuſcemodi promulgationes diſturbandas. Haud ita pridem quoddam Edictum in Vectigalium Curiâ promulgatum fuerat, quod ut ad Senatum adferretur Patres decrevêre, quâ de re certiores Rex, atque Regina mater facti Senatum quoſ-

piam è ſuo Ordine ad ſe mittere juſsêre. Aderant Regi, atque Reginæ matri Gaſto, Mazarinus, Seguierus Cancellarius, Almericus Quæſtor ſummus, atque unus aut alter ex Quatuorviris. 1647.

Ibi Seguierum inter, & Molæum nobilis controverſia fuit: hic enim *Edictum de Portoriis prope totum ad rem regiam quam domanium appellant, pertinere* ait, *de quâ uni Senatui cognoſcere, atque jus dicere copia ſit. Quod de vectigalibus, tributis, portoriis quibuſvis, atque de omni aliâ re edicatur ab Rege, id omne in Senatu promulgari debere more majorum, neque aliter vim legis habere poſſe. Ubi Edicta ad Vectigalium Curiam mittantur, id quidem non promulgandi causâ, quod priùs in Senatu factum oportuerit, ſed ut ex his Edictis in Senatu promulgatis jus ſibi poſthàc inter litigantes dicendum eſſe ſciat. Haud æquum eſſe Vectigalium Curiam Senatui in Edictorum promulgatione æquatam videri, qui ſicuti Romæ Senatus Conſilium Orbis terrarum fuerit, ita & univerſæ Galliæ Conſilium ab Regibus inſtitutum eſſe videatur, cujus rei teſtimonium ſit, atque eſſe debeat perpetua hæc Edictorum Regis quibus quidpiam ſancit, atque conſtituit, quod vim legis habere velit, promulgandorum facultas, priuſquàm ad alias ſeu in Urbe, ſeu in provinciis Curias mittantur, quæ profectò non ut autoritas Senatui, ſed uti labos minueretur, inſtitutæ ſunt. In hoc Ordine Regis jus Populis dicentis, ubi id facere lubet, atque Franciæ Parium, ex quorum, atque aliorum Senatorum ſententiâ id facere ſolet, ſedem eſſe, illìc omnis juris, & æqui fontem, ab quo cæteræ Curiæ ſicuti rivi derivatæ ſint. Si igitur antehàc Edicta Regis ad Vectigalium Curiam priuſquàm in Senatu promulgata eſſent, miſſa fuerint, id & temporum vitio, & Adminiſtrorum fraude factum, cui Curiam Vectigalium minùs obſtituram, quàm Senatum crediderint.*

Contra Seguierus Cancellarius: *Rectè, atque ordine Edictum regium de portoriis ad Vectigalium Curiam promulgandi causâ miſſum* reſpondit, *neque opus fuiſſe, ut ad Senatum priùs mitteretur. Id quidem factum antehàc ubi de vectigalibus, tributis, ac portoriis hic Ordo cognoſcebat, ſed Vectigalium Curiæ inſtitutione deſiiſſe. Regum Edicta leges eſſe, quæ ab his unis vim omnem ſuam habeant, neque ad hanc Latiæ ullâ ad Senatum, Populumve, nihil Rogatione, aut Promulgatione opus eſſe, quæ Promulgatio quandò hoc verbo uti lubet, nihil aliud ſit, quàm Edicti recitatio, & in Acta Senatûs, aut alterius Curiæ relatio. Quandoque Senatum, aut alias Curias Edicta quædam haud promulganda ſibi videri decreviſſe, quod quidem Reges æqui bonique conſuluerint: ſed eò Senatum, aut alias Curias arbitrari fas non eſſe, Regis Edictis intercedere, nedùm hæc abrogare ſibi licere: nam quidquid ſuper his decernant, id quod ad hunc attinet, conſilii modò vim habere, cui quantum lubet tribuit, neque neceſſe habet quidquam ex plurium in Senatu ſententiâ decernere. Poſtremò rectè Molæum dixiſſe, Edicta ad Curiam Vectigalium mitti, ut in hujus Acta ubi Curiâ coràm recitata ſint, referantur, atque ex his jus inter litigantes dicat, neque enim aliâ de causâ ad Senatum ipſum mitti, atque adeò nihil neceſſe eſſe uti Regis Edicta de his quorum cauſæ cognitio ad Curiam Vectigalium pertineat, ad Senatum priùs mittantur. Nam quod intereſſe Molæus velit inter Promulgationem Edictorum, & horum recitationem, atque in Acta*

1647. *alicujus Curiæ relationem, illam ad Senatum, hanc ad alias Curias pertinere, id planè fictitium eſſe: nam eamdem in cæteris Curiis quàm in Senatu de Edictorum Promulgatione decernendi formulam eſſe, ſcilicet his adſcribendum recitata, atque in acta relata fuiſſe.*

Seguieri orationem excepit Mazarinus, dixitque, *Mirari ſe hærere Senatum hujuſcemodi nugis, quo enim alio nomine præclaram hanc de promulgando in Senatu, aut in Vectigalium Curiâ Edicto controverſiam appellet, ſe haud ſatis ſcire. Hanc certè leviorem eſſe, quàm ut eâ causâ res omnis publica in diſcrimen adducatur, quod evenire neceſſe ſit, dùm diſceptatur ea de re, neque Edicta Regis quibus pecunia in belli ſumptus quæratur, intereà promulgantur: hanc enim in ſtipendium quod militibus detur defuturam: neque ullos gratis operam Regi, ac rei publicæ navaturos: hoſtes verò neglectâ de qua dudùm agatur pace bellum majori quàm antehàc conatu geſturos. Quamobrem Regem, atque Reginam matrem vehementer velle, uti Senatus his deſiſtat litibus, quibus omiſſis rei publicæ commodis ſervire velit. Nam hâc ſtante familiarem cujuſque commodiorem in ſtatum reſtitui poſſe, ſin verò illa corruat, hanc ſimul interituram.*

Super nugarum verbo quo Mazarinus uſus fuerat, Molæus hominem illiberaliùs habuit, quàm res monere videbatur, tametſi in eo nonnihil offenderat, nam Senatum nugas agere nemo ex hujus Ordinis dignitate dictum putet: cæterùm convênit Edicti Promulgationem ad Senatum pertinere, quia in eo de Regiâ re quam domanium appellant agebatur, ac præthereà uti de hoc negotio Molæus, atque alii ex Senatu cum Seguiero Cancellario, atque aliis ex Conſilio regio colloquerentur. Sed cùm ex hoc colloquio nihil ſatis æqui ab hoc Ordine ſibi ſperandum eſſe Adminiſtri judicarent, futuro ejus Decreto prævertendum ſunt arbitrati, Edictum abrogando, quod regio Diplomate ad Senatum miſſo factum.

Sed illius loco quinque alia Edicta ad hunc Ordinem promulgandi causâ miſſa, quorum uno Portitores novi complures creabantur, queis ſtipendium annuum ſuper ſingulis mercibus quæ ad Urbem adveherentur, tantum tribuebatur, quantum ſuper his Edicto quod abrogabatur exigi debebat. Eò factum eſt, uti Patres id Edictum haud abrogatum tùm maluerint, ſed quæ ad victum pertinerent, nihil ex iis exactum iri decretum, ac cæteris modus impoſitus, eâ lege, ut hæc portoria per biennium modò ſi tamdiù bellum duraret penderentur. Decretum hoc Reginæ, atque Adminiſtris nequaquàm placuit, quod adeò Rex ex Conſilii ſententiâ antiquavit, neque eò ſeciùs ex hujus normâ porrò exigi portoria Patres iterùm decrevêre, non univerſi quidem, ſed qui per ſolitos vacationum quotannis dies pauci cæteris ceſſantibus, atque in ſua rura dilapſis jus dicere ſolent.

Hac Senatûs ſuper Portoriorum Edicto conſtantiâ Adminiſtri permoti de hoc nullam poſthàc fecêre mentionem, ſed prioribus Edictis quæ antehàc in Senatu promulgata fuerant, ſtandum dixêre, quò ex his Rex fructum aliquem ſuſtinendis belli ſumptibus caperet. In Urbe ædes permultæ Regi vectigales ſunt, quarum videlicet in ſolo ſuo

ædificandarum ipſe, aut majores ejus oppidanis facultatem dedêre 1647.
eâ lege ut annuatim perexiguum quidpiam pecuniæ, cenſum appellant, huic penderent, ac præterea uti quoties venum darentur pars aliqua pretii item exigua Regi cederet. Illo cenſu, atque hac pretii quæ pars ad Regem pertineret ſolutione ædes liberare conſilium fuit, modò ut quanti in annum conductæ fuerant, tantum Regi penderetur, pars media proximo, altera altero anno, de quâ re Edictum in Senatu promulgatum antehàc fuerat: id quidem tolerabile uti rei publicæ tempus erat, Senatui viſum, & qui id rectè, atque ordine fieri curarent, ex Senatu delecti ſunt.

Hi ut ædium domini quæ ad has, atque ad cenſum earum causâ pendi ſolitum, ac denique ad harum locationem pertinebant, ea ut ad ſe perferrent decrevêre, uti quid quiſque proximo biennio Regi pendere deberet, edicerent. Sed iſthuc ædium domini nequaquàm ſibi faciundum conſtituêre, quò Patres ut ne his locationis pretium conductores perſolverent vetuêre. Id quidem ædium dominos movit, ut in Curiam venirent frequentes, ac Patrum implorarent fidem, uti ſibi locationis ædium pretium minui per biennium ne paterentur, quibus videlicet iſthuc alendæ ſingulorum familiæ neceſſe eſſet. Fortè accidit ut in Michaëlem Particellum Almerici filium Inquiſitionum Præſidem inciderent, cum quo aſperiùs, quàm cum cæteris egére, quia pater omnium quæ in Populum emungendæ pecuniæ fiebant, Reginæ autor erat. Id factum maximè ab duobus, quos comprehendendos Senatus decrevit, prohibuitque ut ne conventus, aut circulos habere Populus vellet, qui ſecùs feciſſent in eos animadverſum iri.

Regina uti quod Senatus de illis duobus comprehendendis decreverat, id vel invito Populo fieri poſſet, Prætorianos, atque Helvetios mercede conductos è regiâ cuſtodiâ in Urbem acceſſiverat. Hi ad ſancti Dionyſii vicum ſtationem habuêre, oppidani fremere, Templorum ſumma in hoc vico occupare, arma expedire, propulſandæ ſi qua fieret injuriæ cuncta parare: poſtremò Mercatorum Præfectus ad Reginam adire, docere quo in diſcrimine Urbs eſſe videatur. *Milites in hanc eſſe præter morem introductos, atque in ſtationes diſtributos inconſulto ſe, eò ignarum quid rei agatur Populum arma ſumere, ſibi, ac fortunis ſuis metuentem: quid porrò moturus, aut facturus ſit in incerto eſſe. Quamobrem Reginæ ſupplicare, uti milites omnes urbe faceſſere protinus jubeat, ſi hanc pacatam velit.* Regina *Haud exiſtimare ſe* reſpondit, *ſi quid Rex fieri vellet in Urbe, id ex hujus ſententiâ factum oportere: cæterùm de nihilo Populum territari, milites enim in Urbe eſſe, uti Regi ad majus Templum eunti de more adſint, eò enim jamjam iturum Deo Immortali de recuperatâ valetudine gratias acturum.* Quos comprehendere conſilium erat, ii maturè diffugerant, quamobrem poſtquàm Rex ab Templo redierat, Prætoriani, atque Helvetii ab Urbe dimiſſi, quin & hanc Regis ad Templum itionem eò factam aiebant, quò Populus ob hanc modò milites in Urbem introductos fuiſſe crederet.

1647. Poſt paulò quàm Trautmanſtorfius Monaſterio diſceſſerat, Henricus Aurelius Longavilla omni de pace Hiſpanicâ ſpe damnatâ, ac propè de Germanicâ poſt illius viri profectionem, de reditu in Galliam & ipſe cogitabat, ni Imperii Ordines ſummo oraſſent opere, ac denique exoraſſent uti maneret aliquamdiù, donec quid futurum eſſet ampliùs cognoſceret. In Aula de Carolo Albaſpinæo Caſtronovano Monaſterium in Longavillæ locum legando tùm facta mentio eſt, qui quanquàm diſpari dignitate tamen quia Procancellarius fuerat Regni idoneus habebatur, qui hujus Legationis princeps foret: huic cum Serviano qui erat in eâ Legatione magna intercedebat neceſſitudinis cauſa ex Quatuorviratu, quem Caſtronovani operâ antehàc adeptus fuerat, dein abdicare coactus: eò Servianus ſe Caſtronovani amicitiâ adversùm Avauxium Collegam cum quo ſimultates porrò exercebat, validiorem fore ſperabat, ſicubi Longavilla abſcederet: cæterùm eò denique deducta res eſt, uti Longavilla primùm, dein Avauxius Monaſterio Veſtfalorum diſceſſerint quò unus reſtitit Servianus. Id Mazarini voluntate factum vulgò exiſtimavêre, ut amotis arbitris cuncta deinceps licentiùs, ac pro lubidine in negotio pacis per hominem fidum ageret: ſed hæc ex invidia magis, quàm ex vero dictitata: nam pax cum Hiſpanis fieri nequiverat, tametſi Longavilla, atque Avauxius ſedulò omnia feciſſent, quò hæc ſanciretur, Germanica verò poſteà unius Serviani operâ ſancita eſt.

Per Autumnum Philippus Andium Dux Regis frater in gravem incidit morbum, ab quo ubi eſt recreatus Ludovicum ipſum ea lues quæ pueros ſolet, corripuit, periculoſa illa quidem, & quæ Medicos ſolicitos, atque anxios habuerit, tamen decimo octavo die meliuſculè habere cæpit, dein planè convaluit. Ubi major vis erat morbi, qui Gaſtoni ſtudebant, ii convivium celebravêre, multaque illîc dicta, factaque, ſicuti Gaſto de procuratione Regni ſi Ludovicus diem ſuum obiiſſet, atque de habendo in poteſtate Philippo fratre cogitaret: eò Schombergius apud Philippum qui tùm in D. Honorati Suburbio agitabat, cuſtodias ponere juſſus eſt, is regiæ levis armaturæ equitum turmæ Dux, atque Helvetiis mercede conductis Tribunus eſt Annæ fidus, atque amicus Mazarino: ſed ubi remiſit morbus, neque incipere quidquam illis, neque his cavere opus fuit.

Mottæum Hodencurium ab Cataloniâ quam obtinebat provinciâ redeuntem Lugduni in cuſtodiam conjectum ſuprà memoravimus, undè hoc anno Gratianopolim eſt deductus, uti quorum reus agebatur, de iis Curia Gratianopolitana quæſtionem haberet: at is ſe negare aliò quàm in Senatu capitis cujus arceſſebatur cauſam dicturum, id tali dignitate viris ab Regibus tributum, nam Equitum Tribunus eſt, neque quidquam hominem movit quod ſi in hac ſententiâ permaneret, de tacito, ſicuti de confeſſo ſupplicium ſumptum iri ſignificabatur, prætereà libello ab Senatu poſtulavit uti de ſuâ causâ more majorum cognoſceret, quò factum eſt uti primùm ea res omiſſa, poſtremò ipſemet dimiſſus fuerit.

Hoc anno Henricus Naſſauvius Arauſiorum in Gallia Princeps na- 1647.
turæ conceſſit. Naſſauviorum Gens in Germaniâ Comitum eſt, qui ter-
tium dignitatis locum obtinent , nam primus Septemvirorum, ſecun-
dus eſt virorum Principum: at virtute , atque rebus geſtis Henricus
perfecerat, uti Principibus facilè par eſſe cenſeretur, præterquàm quod
ex Arauſiorum Principatu in quo ſummum huic jus judiciumque erat,
id dignitatis habebat, quæ poſtremò ab Adolpho Imperatore, huic Gen-
ti quodammodo in ipsâ Germaniâ quæſita videtur. Henrico regia ab
Britannia nurus fuit: filia Brandeburgico Septemviro nupſerat, ipſe So-
ciarum Civitatum Imperator erat, Hiſpanos ſæpiùs acie vicerat, ple-
raſque horum in Belgio urbes pugnando, aut deditione ceperat: pla-
cidum huic ingenium, ſumma in animo, ſumma in corporis cultu æqua-
litas, prorsùs vir ingens fuit. Animadvertêre plerique hunc poſt fœ-
dus Regem inter, & Socias Civitates ictum, initamque belli ſocieta-
tem haud tanta geſſiſſe, quanta antehàc fecerat, ſeu ætas ad ſimilia in-
cipiunda ſegniorem reddiderat, ſeu Sociæ Civitates uti nimiùm Gal-
lorum potentia creſceret metuêre, atque eâ causâ ſibi temperandum
eſſe duxêre, neque moliunda, faciundàve quæ nobis pluſquàm ipſis
proficerent.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER SEXTUS.
E P I T O M E.

1648. *DE Annuâ pecuniâ ab Magiſtratibus Regi pendi ſolita. Rex in Senatum venit cum Reginâ matre promulgandis Edictis. Horum uno numerus Magiſtrorum Libellorum augebatur. Dura de Edictis Taloni Actoris regii oratio. Edicta in Acta Senatus referuntur. Poſtridiè de Edictis uti referretur Senatus cenſuit. Senatus ea de re Decretum ab Rege antiquatum. Joannes Labardæus ad Helvetios proficiſcitur. De pace apud Monaſterium Veſtfalorum, & Oſnabrugam porro agitur. Januarius Aneſes rem publicam apud Neapolim Hiſpanis prodit. His Neapolis traditur. Guiſius aufugit, capitur, & Caietam deducitur. Thomas Neapolim versùs cum Claſſe navigat, Prochytam Inſulam occupat. Salernum tentat fruſtrà. Franciſcus Ateſtinus Mutinæ Dux Victoriam Parmæ Ducis amitam uxorem ducit. Caracena ab Belgio in Italiam proficiſcitur, qui Mediolanenſem obtineat Agrum. Regis copiæ queis Pralinopleſſius Imperator erat, ab Tauroënto ad Ericis portum devehuntur, atque ad Mutinæ Ducis fines ducuntur. Joannes Paulus Balbus Genuenſis de Genua Gallis tradenda cum Michaële Mazarino Cardinali agit. Franciſcus Barberinus cum Thadæi frasris filiis Romam redit. Antonius frater in Montisferrati Agro reſtitit. Caracena propiùs Mutinæ Ducis fines copias ducit. Pelluntur Inſula quam in ipſo Pado occupaverant, dein ad Cremonam Caracena regreditur. Foſſam ab Pado ad Ollium alterum amnem per medium Cremonenſem Agrum ducit. Hanc tranſcendêre Galli. Hiſpani Cremonam, ac Picoleonis Caſtrum confugiunt. Ateſtinus Mutinæ Dux Cremonam fruſtrà oppugnat. Guidonem Villam ab Subalpinis ceſſantibus ea parte Hiſpanis acceſſit cum*

Gallicis,

Gallicis, ac Sabaudicis quibus præerat copiis. Hic apud Cremonam tormenti pila necatur. Obſidio Cremonæ ſolvitur. Pralinopleſſius in Montisferrati Agrum educit copias. Michaël Mazarinus in Catalonia Prorex Provinciam Regis injuſſu deſerit, ac Romam redit. Schombergius Dertoſam ad Iberum oppugnat, ac pugnando capit. Gallorum Turena Duce, Suecorum Duce Vrangelio adversùm Auſtriacos, & Baioaros pugna haud procul Auguſta Vindelicorum. Lamboii, & Auſtriacorum cum Haſſis quis Geiſius præerat, pugna apud Grevembroicum. Maximiliani Baioariæ Ducis ad Salisburgum fuga. Coniſmarcus altero Suecorum exercitu fretus Pragam novam improvisò capit, ac diripit. Omnes ad Urbem Curiæ Senatui conjunguntur. Delecti ex his in D. Ludovici Conclavi in commune conſulunt. Eò cum Aula lites ac turbæ. His ſedandis obtruſa Senatui Annuæ pecuniæ ſolvendæ, atque item aliis Curiis facultas. De non augendo Libellorum Magiſtrorum numero facta ſpes. Haud tamen Delecti ex Senatu, atque ex Curiis convenire deſiêre. Summa Quæſtura Almerico abrogata, ac Portæo Melleraio mandata. Quæ Delecti ex Senatu, ac cæteris Curiis in D. Ludovici Conclavi cenſuerant, ea Rex edixit, ut ne fruſtra antiquaret. Ypræ ab Condæo oppugnatæ, atque ad deditionem redactæ. Oſtendæ inceptum Ramſavio fœdè evenit. Condæi de Hiſpanis victoria ad Lentſium oppidum. Bruſſellus, ac Blammenius ex Senatu comprehenſi, atque abducti ab Urbe. Plebes arreptis armis tumultuatur. Poſtridie Seguierus cùm iret in Senatum ab Plebe compulſus in Luinæi ædes vitæ diſcrimen adiit. Senatus in Regiam venit, quo loco res in Urbe eſſet Reginam edocet, poſtremò impetrat uti Bruſſellus, & Blammenius ad Urbem reducerentur, quorum reditu Urbs ſua quies reddita. Poſtpaulò Rex cum omni Aula Ruellium rus altero ab Urbe lapide abiit. Chavignius apud Vincennas in cuſtodiam conjicitur, ea de re in Senatu Violæ oratio. Renovatur Senatûs Decretum de arcendis ab omni re publica peregrinis, ſed ab Rege antiquatur. Germaniſanum Molæus, atque alii ab Senatu miſſi cum Gaſtone, Condæo, ac Longavilla colloquuntur, ſemel, atque iterum tum Cancellarius adfuit. Convênit uti quæ in D. Ludovici Conclavi Delecti ab Senatu, atque ab aliis Curiis cenſuiſſent, de iis Edictum ipſi Patres perſcriberent, cui Rex ſubſcripſit, atque huic regium ſignum appoſitum, promulgatumque eſt in Senatu. Pax Monaſterii Veſtfalorum Regem inter, & Ferdinandum Imperatorem ſancita: utrimque adſcripti Fœderati. Belfortius Arce Vincennarum elabitur. 1648.

REm noſtram anno proximo foris labefactari cœptam vidimus. Jam domi lites, turbæ, atque res novæ. In ipsâ Urbe tumultuatum, concurſum ad arma, Regia imminuta Majeſtas, plus Plebis lubido, quàm recta ratio, aut Principis imperium poſſe. Senatus primùm movere, atque miſcere cuncta, dein viri Principes, utrique rei publicæ ſpecie, quam ab Adminiſtris corrumpi, atque ab Publicanis miſerè diripi aiebant. Quod cum Plebes maximè ſentiret, eò facilè uti cum Senatu congrueret, adducta eſt. Is profectò non ſuâ magis, quàm rei publicæ causâ ſibi Adminiſtrorum conſiliis, atque conatibus obſiſtendum eſt arbitratus, ſicuti poſteà videbimus. At viri Principes, & quæ hos ſectabatur Nobilium turba, ea verò more ſuo commodis ſuis ſtudebat: erant

1648. præterea quos ſuæ virtuti, quam ſibi magnam eſſe quiſque facilè credit, negata præmia ſtimulabant.

Initio Reges, uti quiſque vir bonus, probuſque videbatur, atque divini, humanique juris ſciens, ei Magiſtratus mandabant, dein ærarii inopiâ adducti venum dedêre. Id ab majoribus cœptum Ludovicus XII. eò frequentiùs, atque in omnibus propè Magiſtratibus fecit, quòd ultrò homines Magiſtratus commercabantur, quo modo pecuniam in rei publicæ ſumptus, quàm per vectigalia, tributa, portoria nova conficere maluit, placidiſſimo ingenio Princeps, qui cùm multa, atque ingentia domi, foriſque patraverit, tamen civium fortunis ſedulò pepercit, neque has præterquàm quod priùs quotannis pendi ſolebat, uſquàm attigit: eò pater, ac delitiæ populi appellatus, quem Titulum omnibus victorum, triumphatorum, invictiſſimorum Titulis antepoſuerim. Qui huic ſucceſsêre Reges, ii in ſingulos Magiſtratus pretia ſatis exigua conſtituêre: & ſi quis Magiſtratu ſuo alteri cedere vellet, hujus rei ſi illius pretii quartam Regi perſolveret partem, ei copia fuit: at ubi Magiſtratus emptoris morte vacuus erat, is ad Regem redibat, ſcilicet quem rursùm venum daret: poſtremò & eſt inita ratio, quò Magiſtratus hæredibus ejus qui hunc gerebat, obveniret, quem aut eorum uni retinerent, aut alteri venum darent alieno.

Eâ gratiâ Reges Annuam ſibi pecuniam ab his qui Magiſtratum obtinebant, pendi voluêre, præterea quoties hunc ipſi, aut eorum hæredes in alium transferrent, octavam pretii in ſingulos ſicuti diximus Magiſtratus conſtituti partem ſibi item ab novo emptore perſolvi: cæterùm nullus Magiſtratum ingreditur, quin ab Rege Diploma habeat. Sed hæc Annua pecunia in novennium modò conſtituta, quo elapſo Regi integrum foret, aut hanc denuò conſtituere, aut planè tollere. At tantus ex eâ re utrimque fructus fuit, uti ſemel conſtituta poſtremò deſinere nequiverit: nam & Regi magnus indè quæſtus annuatim venit, & qui Magiſtratus poſſedêre, hos ſicuti rem verè ſuam, ſuoque emptam ære aliis quæ item horum propria foret, quantùm lubuit venum dedêre. Primùm id bonis omnibus parùm probatum, quoniam Magiſtratus haud ſecùs, atque alia bona ex fructuum copiâ & æſtimatum, & venum iri certum erat, qui uti quàm maximi forent, daturos operam eos qui Magiſtratus gererent, atque adeò jus, remque omnem publicam quæ ad hos pertineret venalem futuram. At ubi primo, dein ſecundo novennio nihilo ſeciùs jus dici, remque publicam ab Magiſtratibus adminiſtrari compertum, poſtremò ea res uſu confirmata eſt.

Sed immane quantùm Magiſtratuum ubi hoc pacto hæreditarii facti, pretium creverit: nam ex venditorum, atque emptorum lubidine planè pendet, quæ illorum adipiſcendorum ingens apud nos eſt, illis enim fermè quis ab Plebe ſecernitur. Genus, virtuſque per ſe ipſa parùm æſtimantur, ni benè aut malè cæteris faciundi copiam habeas, quæ Magiſtratibus quibuſvis aliqua eſt. Iſthæc omnes qui Magiſtratus habuerunt cupidiſſimos fecêre, uti ſibi Annuæ pecuniæ eâ gratiâ Regi per-

ſolvendæ poteſtas porrò fieret: quod ubi ſemel, atque iterùm finito quo id ipſis facere licebat novennio eſt animadverſum, ſpes oblata eſt iis qui rei regiæ præerant, hujus unius cujuſque novennii fine haud mediocriter augendæ, ſi Regem Annuæ pecuniæ perſolvendæ copiam Magiſtratibus haud ampliùs facturum ſimularent. Id in minoribus Magiſtratibus ex ſententiâ ceſſit, qui ut hæc ſibi copia per aliud novennium fieret, ejus initio ſatis grandem ærario pependêre ſummam, at in majoribus Magiſtratibus nihil uſquè hujuſcemodi tentatum. 1648.

Erat eâ tempeſtate Almericus ſicuti ſuprà memoravimus ſummus Quæſtor, cui hos majores Magiſtratus carpere conſilium fuit, atque ab Rationum, ac Vectigalium Curiis, item ab Magno Conſilio initium facere, ut ad Senatum gradum faceret: hunc primùm ejus rei expertem habere placebat, ut ne cum aliis ad propulſandam injuriam congrueret, ita enim quam Rex illis non dabat Annuæ pecuniæ porrò eâdem quàm antehàc conditione perſolvendæ facultatem appellabant. Nam id fermè hominibus moris eſt, uti quod ſibi ſemel indultum ſit, id poſteà ſicuti debitum exigant. Neque Senatum fefellit alienam in præſentiâ injuriam ſuam poſthàc fore, quo faciliùs adductus eſt, ut aliarum Curiarum cauſam ſecum communicatam vellet, ſicuti poſteà videbimus.

Sed Adminiſtri ad rem publicam pertinere arbitrati, ut ne Senatus Edicta Regis pro lubidine promulgare, aut reſpuere ſibi jus eſſe crederet, aut quæ Edictis caverentur, iis modum prout luberet facere, Reginæ perſuadent, uti cum Rege filio in Senatum ire vellet, ſpem nacti Rege, ac Reginâ Matre coràm Patres Edictorum promulgationem diſturbare nequaquàm tentaturos, neque ubi promulgata forent, ea retractare auſuros. Copias in viciniora Urbi oppida diſtribuerant, ut ne quid Plebes moliri, aut Senatui obſequi vellet, ſi illa quieſceret, hunc ex voluntate Regis omnia facturum: cæterùm quod de ædium annuâ locatione Regi pendendâ Senatus decreverat, ex eo Populus huic Ordini minùs quàm antehàc æquus videbatur.

Igitur Rex, atque Regina mater XVIII. Calend. Februarias in Senatum venêre, ſex ad ferentes Edicta, quæ priùs cum Cognitore, atque Actoribus regiis præter morem communicata non fuerant, nam id triduò antequàm in Senatu recitentur, fieri ſolet, ita ut quid his Rex ediceret, id modò cognoverint, ubi recitata ſunt. Primo edicto complures Portitores in Urbe creabantur, quod menſe Septembri prioris anni Senatus reſpuerat. Secundo libellorum Magiſtri duodecim ad priorem horum Magiſtratuum numerum adjiciebantur. Tertio qui ex Eccleſiaſtico, atque ex Plebeio Ordine nobilia rura poſſidebant, ii quidpiam Regi pendere jubebantur, Eccleſiaſtici damno Regi ſarciundo, ex eo quod hujuſmodi quæ poſſideant rura, hæc nunquàm aliis venum dare poſſint, nam id ubi ab aliis fit, quo pretio Rus nobile venum datur, ejus pars aliqua Regi cedit, Plebeii quia his rura hujuſmodi nobilia poſſidere niſi ex Regis voluntate copia non eſt. Quarto quidam Magiſtratus in Conſilio regio creabantur. Quinto iterùm Edictum ex quo

1648. medium annuæ ædium locationis pretium per biennium Regi pendi debebat, promulgari jubebatur. Sexto Edictum quo ab locupletibus in Urbe quidpiam in belli ſumptus Rex ſibi pendi antehàc præceperat, abrogabatur.

Super his Edictis Seguierus Cancellarius ait, *Neque Ludovici XIII. Regis, neque Ludovici XIV. filii victoriis quas egregiâ Reginæ matris in procuranda re publica operâ, atque Imperatorum virtute reportaverit, ita fractam hoſtium pertinaciam, ut ad pacem animum adjicere velint. Huic conficiundæ fruſtrà uſque miſſos Monaſterium Veſtfalorum Legatos, fruſtrà Reginam de æquiſſimis quas tulerat conditionibus remiſiſſe. Quamobrem ſi pacem velimus, bellum ſummâ vi porrò gerendum. Id verò ſine militibus fieri, milites abſque ſtipendio haberi, aut ali non poſſe, cui perſolvendo pecunia nulla in ærario ſit. Hanc igitur Edictis quæ ad Senatum adferantur, quæri Regi, atque Reginæ viſum, ex re videlicet civium familiari, quandò regia ad id minime ſufficiat. Belli incommoda æquè ad alios, atque ad Regem pertinere, quò lubentiùs ad id ita gerendum, uti brevì deſinat, omnes quidpiam conferre deceat. Republicâ ſalvâ quod ex fortunis civium huic tuendæ delibatum fuerit, ex eo haud exiguum fructum & ſingulos, & univerſos pacem videlicet capturos, quâ freti belli damna denique ſarcituros. Certè hæc hujuſmodi uſquè fuiſſe, ut ea cives præterquàm quod ad belli ſumptus pertinuerit, minime ſenſerint: nam id ut in hoſtico, non in finibus Regni gereretur Reginam providiſſe. Id. porrò factum iri, ſi quem Rex fructum ex Edictis quæ allata ſunt ſperet, eum ceperit, cui rei operam Senatum daturum pro republicâ, ac pro fide ſuâ minimè dubitet, Edicta promulgando, atque in Acta ſua referendo, idque ſatius fore ducturum, quàm inopiâ ſtipendii dilabi milites, ac bellum quod uſquè geſtum in hoſtico ſit, in finibus noſtris defendi, àtque adeò civium fortunas, ex quibus ut illud foris porrò geratur, quidpiam in rempublicam conferendum ſit, hoſtium fines noſtros invadentium ſævitiâ funditus perire.*

Molæus orſus ab Regis valetudine, hanc Reginæ matris curâ, atque ſolicitudine recuperatam ait, *Quem adeò res publicæ incolumem poſt ſuum gravem morbum repræſentando non minùs hujus mater iterùm eſſe videatur, quàm ubi hunc pariundo Galliæ dederit. Sed reipublicæ ſalutem Reginæ haud minùs curæ eſſe decere. Nam Reges huic natos, non hanc Regibus natam eſſe. Quemadmodùm igitur Regina rei publicæ Regem conſervaverit, ita & hanc ipſi incolumem, atque integram conſervare debere, quæ videlicet illi tantiſper eâ gratiâ per ejus pueritiam permiſſa ſit. Magnam profectò eſſe de Regis incolumitate, Senatûs, Populique lætitiam. Sed ſi de reipublicæ ſalute nulla ſimul cura erit, hanc certè quantamcúmque lætitiam in luctum acerbiſſimum, & quod magis metuendum ſit, in deſperationem denique verſuram, qua incitatus populus ad ea poſtremò deſcendat, quæ cogitare ut his prævertatur, quàm dicere ſatius ſit. Qui motus animorum ſint probè ſcire Senatum, Reginam verò latere, quam de his celatam Adminiſtri velint. Ærarii inopiam quæ tot Edictis obtentui ſit, nullam eſſe debere, ſed magis ingentem copiam ex tot vectigalibus, tributis, portoriis, quæ ſi Quæſtores integra fide, atque è republica adminiſtrarent, huic ſuſtinendæ, tuendæ, ac porrò foris ex ſententia gerendæ plus ſatis fo-*

rent, neque illis auctis, ac multiplicatis, aut novis pecuniæ ab Populo corradendæ technis opus eſſet, quæ conlocupletandis magis iis, qui harum artifices ſint, quàm bello gerendo, aut militibus alendis conſumatur. Sed pacem, & bellum omnibus Edictis præfari jamdiu morem eſſe, alterum quod hoſtes abnuant, alterum quod geri neceſſe ſit, ut ad illam adigantur, neque id fieri ſine pecunia poſſe. Sed contrà bellum ab nobis ali, pacem abnui veriſimiliùs eſſe, ut ne cauſa prædandi, ac populum miſeris fortunarum ſuarum reliquiis ſpoliandi uſquàm deſit. Hæc ſe pro eo quem gerit Magiſtratu, ac pro fide ſua Reginam edocere debere, ac præterea tantam imminere tempeſtatem, ut ni huic ſumma prudentia, atque lenitate occurrat, vix res publica naufragium effugere poſſe videatur. 1648.

Haud abſimilia Audomarus Talonus Actor regius diſſeruit, niſi quòd miſeræ plebis egeſtatem pluribus Reginam edocuit, dixitque *Galliæ Regum imperium non in ſervos, quorum corpora, atque fortunæ omnes dominorum ſint, ſed in liberos homines eſſe, nam quod ex rectæ rationis normâ, non pro lubidine exerceri debeat, quorum alteri parere veram libertatem, alteri veram eſſe ſervitutem. Cæterùm Senatum antehàc Regum Edicta perpendere conſueſſe, atque de his & conſultaſſe, & ſententiam liberè dixiſſe. Quamobrem illudi jam ampliſſimum Ordinem, ubi cogatur Regis Edicta nihil his perpenſis, aut ſatis conſultatâ re, ac vix rogatis paucorum ſententiis qualeſcúmque fuerint, promulgare. Poſtremò qui antehàc eumdem quem ipſe gerat, Magiſtratum geſſerint, iis Regum Edicta ipſis coràm perpendere, atque his contradicere, nedùm Senatui fas fuiſſe.* Id tamen ipſe non eſt facere auſus denique, ſed ut hæc ſicuti Rex jubebat, promulgarentur poſtulavit: neque Senatus quo minùs id fieret quidquam obſtitit, ſeu Regis qui aderat, atque Reginæ matris verecundiâ, ſeu jam certus erat quid poſteà facturus eſſet. Sed illud contradicendi Regi videlicet verbum plus offenſionis habere viſum, quàm ut ab Talono uſurpari debuerit, nam ubi Patres ſententiam de quopiam Regis Edicto rogantur, ſi id minimè promulgandum cenſeant, in eo certè hos Regi contradicere haud rectè dixerimus, quandò quod jus, & æquum eſt, id modò edictum, ac promulgatum vult.

At libellorum Magiſtri omnes eò quò jus dicere ſolent loco convenêre, atque Edicto quo duodecim alii creabantur, ſibi intercedendum eſſe decrevêre: dein pacto, & fide ſancivêre, uti ſi quis ſui Ordinis eâ gratiâ abſcedere cogeretur, ei in ſumptum quatuor millia nummûm annua curarent: ſi Annuæ pecuniæ perſolvendæ conſervandorum hæredibus Magiſtratuum cauſâ ſibi copia negaretur, viduæ, atque hæredibus eorum qui intereà mortem obirent, mille nummos quotannis penderent: qui vacuos eorum morte Magiſtratus ab Rege coëmerent, eos ne in Ordinem ſuum admitterent, niſi ſi priùs demortui uxori viduæ, aut hæredibus facerent ſatis. De his rebus ab Seguiero Cancellario Rege, ac Reginâ matre coràm graviter objurgati ſunt, atque juſſi fœdus inter hos ſancitum ad Cancellarium adferre, quod quidem fecére, cæterùm nihilo ſeciùs fide inter ſe datâ porrò illi ſtetêre, quo fac-

1648. tum eſt, ut iis & Conſilio regio, & omni jure dicundo interdiceretur: præterea quidam cæterorum omnium nomine Edicto ex formulâ frequenti Senatu convocatis videlicet cunctis Claſſibus interceſsére, hæ legendo cuipiam in hunc Ordinem fuerant convocatæ. Ibi verò Joannes Perrotus in Inquiſitionum Claſſibus Præſes antiquior uti poſtridiè frequens Senatus haberetur, poſtulavit, quò de Edictis nuper in hujus Ordinis acta relatis conſultaretur, quandò id neque ex formulâ, neque more majorum, neque ex Senatûs ſententiâ factum fuerat. Poſtridiè igitur Senatus frequens eſt habitus, & ſingula Edicta ſingulis Senatoribus tradita, uti de his ad Senatum referrent.

Id ubi Regina, atque Adminiſtri reſcivêre, illa Senatum ad ſe quoſdam è ſuo Ordine mittere jubet. Venêre Molæus, atque alii: atque hic Reginæ percunctanti quorsùm frequens Senatus haberetur? reſpondit, uti de Edictis cognoſceretur more majorum, atque ex Senatûs diſciplinâ, quandò Rege, & ipsâ coràm de his cognoſcere, ac ſententiam dicere Patribus ſpatium non fuerit. Regina ſe quæcúmque tandem eſſet hujus Ordinis diſciplina, confidere ait, Senatum nihil quod Regis Majeſtati, atque potentiæ obſtet, deſignaturum, ac præſentem ærarii inopiam quam ſublevare neceſſe ſit, conſideraturum, neque quidquam decreturum denique quod Regem ad ea deſcendere cogat, quæ ab ſuâ adversùm Senatum optimâ voluntate aliena ſint.

Hâc Reginæ oratione ſicuti confirmata Senatûs de Edictis ex antiquâ diſciplinâ promulgandis poteſtas eſſet, ita de his ſingulos quibus tradita eſſent Senatores referre jubet. Quod Edictum de Eccleſiaſticis, & Plebeiis Rura nobilia poſſidentibus in Senatu Rege coràm recitatum fuerat, eò ſanciebatur uti tantam pecuniæ ſummam huic penderent, quantam horum fructus per viginti quinque annos percipiundi conficere poſſent, de quo ubi eſt relatum in Senatu, hic illam ſummam ad octo modo annorum fructus redegit. Quod ubi Reginæ, atque Adminiſtris nuntiatum eſt, Senatum in promulgandis Edictis ſuo jure poſthàc uti velle facilè cognovêre, ſeu id ab Regibus tributum fuerat, ſeu ab ipsâ rerum naturâ quæſitum, ſeu denique uſu invaluerat. Ibi verò Cognitorem, atque Actores regios, ſimul & Senatûs Decreti exemplum ad ſe mitti Regina juſſit, quò certiùs de hujus Ordinis ſenſu judicaret. Tum Præſides ut hujus Decreti lenirent aſperitatem, autores Senatui fuêre, ut huic adſcriptum vellet, quod hic Ordo decreverat, id non niſi Regis voluntate factum velle.

Sed iſthuc cæteris haud ſatis placuit, dictitantibus haud decere ampliſſimum Ordinem ab jure ſuo, quod recuperatum velit, ſtatim diſcedere, ac poſtremò viſum, uti Cognitor, atque Actores regii Reginæ ſupplicarent, uti quod Senatus decreverat, id æqui, bonique conſulere vellet. Fruſtrà dictitari hunc Ordinem regiæ potentiæ modum facere velle, cùm quæ de Edictis decernat, ea perindè ac ipſa Edicta ab eâdem potentiâ regiâ proficiſcantur: ſi tamen Reginæ videatur æquiùs eſſe, atque ad regiam Majeſtatem, ac potentiam quidpiam at-

tinere, uti quod Senatus cenſuit, id potiùs Regis Edicto quàm hujus 1648.
Ordinis Decreto ad Populum permânet, id quidem Senatui maximè probari, uti Populus uni Regi de imminutâ quam huic pendere Eccleſiaſtici, ac Plebeii debeant, pecuniâ ob nobilia quæ poſſideant rura, gratiam habeant.

Sed hæc ab Cognitore, atque Actoribus regiis Reginæ dicta nihil profuère, quæ Patribus edici verbis ſuis juſſit, ut ne quid de Regis filii Edictis ampliùs conſultare vellent, niſi ubi ſe feciſſent certiorem, utrùm regiæ potentiæ, ac voluntati quam in Senatu pro tribunali ſedens palàm fecerit, modum facere ſibi jus, faſque eſſe putent. Iſthuc Senatui renuntiatum Patres obſtupefecit, qui tametſi ſibi jamdiù copiam fuiſſe ſatis ſcirent, de Edictis utrùm promulganda eſſent, necne, aut quid ex his ſervandum, aut omittendum eſſet decernere, tamen pigebat eò redactos eſſe, ut utrùm Regis potentiæ, ac voluntati ubi maximè hanc pro Tribunali ſedens Senatui ſignificaſſet, modum facere ſibi jus, faſque eſſe crederet, necne, clarè dicere neceſſe eſſet. Id enimverò ipſis invidioſum, atque inſidioſum videbatur, nam de Edictis etiam ubi Rex adeſt, Patrum ſententias rogari ſolere, quod quidem clariſſimè demonſtret has ipſis liberè dicere jus, faſque eſſe, utrùm videlicet promulganda, necne, aut quibuſnam conditionibus videantur, quod ſi fecerit Senatus, an regiæ potentiæ, ac voluntati modum facere velle dicendum, ac non potiùs hanc pro re publicâ, ac fide ſuâ interpretari? Atenim paucos modò qui propiùs Cancellarium ſint, ſententiam rogari, atque id in ſpeciem fieri, & qualiſcúmque fuerit, nihilo minùs Edicta promulgari? quò intentiùs Patres ſeſe anniti debere contendebant, ut ne id ampliùs fieret, ſed omnium ſententiæ ex diſciplinâ rogarentur.

Hæc atque alia hujuſcemodi in Senatu dictitata, cæterùm variæ fuère ſuper eo negotio Patrum ſententiæ, nonnulli uti poſthabitâ hac Reginæ de jure Senatûs percunctatione Edicta porrò perpenderentur, ac de his referretur, decerneretur que cenſebant: alii qui Adminiſtros pecuniæ publicæ interverſæ arceſſere vellent, iis poteſtatem faciundam: quidam ad prima Regni Comitia hanc de jure Senatûs Quæſtionem rejiciundam: plures Acta Senatûs evolvenda, uti quid antehàc factum fuiſſet, ſciri poſſet, intereà pernicioſiſſima hæc Edicta omiſſum iri. Cùm nihil Senatus de eo quod Regina quæſierat reſponderet, Cognitorem, atque Actores regios iterùm acceſſi jubet, quibus edicit ſe reſponſum Senatûs habere velle, quod ſi non dabitur, non defuturas ſibi opes, quibus freta quod Rex filius, atque ipſa velit, id quoſvis facere cogat.

Poſtremò Senatus nihil ſibi ad Reginæ Quæſtionem reſpondendum eſſe porrò eſt arbitratus, ut ne ex eâ re lites, atque turbæ orirentur, quæ autem de Edictis decernerentur, ea uti Regis voluntate ſervarentur, decretis ubi fierent adſcribendum, quod denique de ruribus nobilibus quæ penes Eccleſiaſticos, atque plebeios eſſent jam decreverat,

1648. id uti Rex edicere vellet, Reginæ ſupplicandum cenſuit. Iſthæc Cognitor, atque Actores regii quemadmodùm in Senatu acta fuerant Reginæ renuntiavêre: aderant Gaſto, ac viri Principes, atque alii quos in Conſilium de omni re publicâ adhibere ſolet. Illi Reginæ præterea ſupplicavêre, uti Populi egeſtatis miſereretur, & quæ Senatus de Edictis cenſeret, ea uti comprobare vellet.

Reginâ habito ſeorſim Conſilio Cognitori, atque Actoribus regiis per Seguierum Cancellarium reſpondit: *Sibi Senatûs obſequelam cujus cæteris exemplum dudùm præbuerit gratam eſſe. Quod de Eccleſiaſticis, & plebeiis, qui nobilia rura poſſideant ab Rege edici poſtulent, id ſatis maturè factum iri, ubi cætera Edicta perpenderint, de quibus quid ſe edocere voluerint, lubentem auſcultaturam, & quid Populo benignè facere poterit, id quantùm res publica patietur facturam, ac maximè quod ad hunc Ordinem pertinebit, id ſibi curæ futurum. Maturarent igitur iſthæc conficere, ut quid ſibi Rex benè factum vellet, citiùs ſentirent.*

De Annuâ pecuniâ Adminiſtri Senatui ſpem ita objectam voluêre, quod quidem ſingillatim ad eos pertinebat, rati videlicet ubi animum ipſis explevíſſent, nihil aliena, aut negligentiùs habituros. Nihilò minùs tamen omnia Edicta poſtquàm de ſingulis relatum, ac ſeriò conſultatum fuerat, rejiciunda cenſuére, præterquàm illud de Eccleſiaſticis, & Plebeiis rura nobilia poſſidentibus, de quo Regem edicere ſicuti cenſuerant, poſtulabant. Id factum ab Molæo primario Præſide, quem eâ gratiâ Senatus cum aliis è ſuo Ordine ad Regem miſit, ſimul ut hunc, atque Reginam matrem edocerent, quibus rationibus adducti cætera Edicta rejeciſſent, atque iis ſupplicarent, ut id æqui bonique conſulere vellent. Poſt paulò Regina delectos ex Senatu ad ſe venire juſſit, quibus ſeriò ſignificavit, Regem omnia planè Edicta ſervari, neque quidquam ex his detractum, aut immutatum velle.

Principio hujus anni Joannes Labardæus de quo ſuprà memoravimus, Solodorum Helvetiorum advênit, eò ab Rege legatus. Continuò Civitates omnes, Pagique eódem misêre, qui adventum gratularentur, atque eâ causâ Concilium gentis Solodori habitum. Ibi ab cæteris graviter increpiti, atque objurgati Tigurini, quod Jacobo *a* Fabro San-Portio proximo Legato diſcedenti litteras ad Regem omnium nomine dederant, contrà quàm cæteri ſentirent, conſcriptas. In his maximè reprehendebant, quod ſicubi Rex hunc ad eos redire vellet, id ſibi gratiſſimum fore in litteris erat perſcriptum: quod quidem ſentire ſe, aut ſibi probari negavêre, decretumque, ut ne quid poſthàc hujuſmodi Tigurini incipere, aut facere vellent. Has ut haberet litteras San-Portius miſerat è ſuâ familiâ quempiam Tigurum, quæ ex ejus voluntate ab Scribâ amico perſcriptæ fuerant.

a Le Fevre de S. Port.

San-Portio fœderis inter Regem, & Helvetios renovandi lubido ingens erat, cujus rei gratiâ iterum eò legari extrà ordinem cupiebat: cúmque ſatis ſciret Reginam, atque Adminiſtros nuſquàm id ſponte ſuâ facturos, eò litteras ab Tigurinis quæ ſuum ad Helvetios reditum,

rum his gratum forè ſignificaret, poſtulaverat. Nondùm fœderis inter Henricum IV. Regem, & Helvetios ſanciti, quod & ad Ludovicum XIII. filium, & ad Ludovicum XIV. nepotem uſquè ad octo poſtquàm regnare cæpiſſet, annos pertinebat, tempus exierat; & jam San-Portius eorum animos pertentaverat, utrùm id antevenire vellent: quod tametſi præproperè feciſſet, tamen haud reprehendendum videtur: ſed quod ipſe alieno tempore facere nequiverat, id ut ſuo alius faceret, huic ægrè eſſe non debuit. Cæterùm Helvetiorum in San-Portium ſeu jure, ſeu injuriâ conceptum odium Labardæo uſui fuit, qui eo lætioribus animis acceptus eſt, atque his minùs grave fuit iis carere largitionibus, quæ ab omnibus advenientibus Legatis uſquè factæ fuerant, in quas ob penuriam ærarii haud ſatis pecuniæ ab Adminiſtris curatum fuerat. 1648.

Ita exiguâ hac quæ unicuique Civitati, Pagove ex fœdere pendi ſolet, ſummâ annuâ contenti fuère, ac vix poſthàc dimidia pars illius pecuniæ, quæ annuatim prioribus Legatis curabatur, eſt in Helvetios miſſâ, atque adeò conſueta largitio quâ unâ apud hos cuncta conficiuntur, fieri non potuit, eò difficiliora Labardæo cuncta fuère. Tres tamen ſicuti juſſus fuerat Centurias conſcripſit, in quibus ſingulis ducenti milites eſſe ſolent: dein de ſupplemento quod hujus Gentis copiis, quæ Regi militabant neceſſe erat, ab omnibus Civitatibus, ac Pagis Friburgo excepto impetravit, delectus eo trium militum millium habitus, qui proximis æſtivis Regi magno uſui fuère.

Per hyemem Monaſterii Veſtfalorum, & Oſnabrugæ de pace cum his qui aderant, ab Auſtriacis porrò agebatur: quæ autem inter Hiſpanos, & Socias Civitates ſeorſim ab Rege contra fœdus cum his ab Ludovico patre, dein ab ipſo filio ictum ſancita fuerat, ea tùm demùm planè confecta, ac jurejurando confirmata eſt: ſed non omnibus cordi fuiſſe vel ex eo exiſtimari poteſt, quod apud Zelandiam plebes Joannem Knutium fortè obvium maledictis primùm inceſſere cæpit, dein probra in hunc, ac denique ſaxa ingerere perrexit. Is ſicuti ſuprà memoravimus Zelandiæ Legatus apud Monaſterium fuerat, & cum Hiſpanis unà cum Pavio Collegâ maximè de hac ſanciundâ pace congruerat. In quâ cùm fœderis noſtri fides violata ab Sociis Civitatibus fuiſſet, illam his haud feliciter ceſſuram Tuillerius Regis apud has Legatus graviter Fœderatis Ordinibus edixit. Certè Regibus quàm Populis quibus & Imperium eſt, fœdera ſanctiora ſunt. Nam quæ fides ab uno datur, ejus ſervandæ religio hunc magis afficit, quàm ſingulos ex multitudine, ad quos fidei publicæ vel nulla, vel perexigua pars pertinet, quò fit ut ab hac facilè diſcedant. Quamobrem Principibus curæ eſſe debet, uti quidpiam ab Populis jurejurando firmius exigant, quo ſibi de fœdere ſervando caveatur.

Ab Monaſterio Veſtfalorum nuper Longavilla diſceſſerat Legationis Gallicæ Princeps, cujus tanti hominis verecundiâ Avauxius, & Servianus contentionibus ſeſe abſtinuerant, ſed hoc amoto obice rursùm

1648. erupêre. At Servianus cùm ſuâ, tùm Lionni ſororis filii qui unicus Mazarino negotiorum quæ ad rem publicam pertinerent Curator erat, gratiâ potior videbatur: Avauxius probitate modò quæ per ſeſe quandóque parùm tuta eſt, atque inſigni virtute nitebatur. Itaque tempori cedendum ratus, neque poſt pacem Hiſpanos inter, & Socias Civitates ſancitam quidquam ampliùs apud Monaſterium, & Oſnabrugam factum iri, poſtulat uti ſibi Regis voluntate in Galliam redire liceat: primùm id Mazarino parùm placuit, ſeu ægrè erat tantum hominem pacis negotium deſerere, ſeu ut ne ſe hunc ab eo amoviſſe famâ ferret, idque ſibi apud bonos invidiæ, ac fraudi foret.

Intereà Servianum celebrare, ornare, augere, nam tum Regni Adminiſter Reſcripto Regis creatus eſt, huic uni de Pacis negotio apud Monaſterium ſcribere, ſicuti jam alterum quoniam abſcedere ſe velle ſcripſerat, abiiſſe crederet. Quâ re Servianus ſuprà modum lætus, quæ ſibi uni perſcriptæ fuerant ab Aulâ litteræ, eas ad Avauxium legendas mittit: ſed is qui fortè nihil ſe obligatum Serviano vellet reſpondit, quæ ſe Rex, aut Adminiſtri celata voluiſſent, ea aliundè reſciſcere haud æquum eſſe, ac litteras nuſquàm inſpectas ad Collegam per eumdem qui attulerat, remiſit, dein poſt paulò Monaſterio profectus in Galliam eſt.

Ubi Lutetiam Pariſiorum advênit, huic neque Reginæ, neque Mazarini viſendi copia fuit. Avauxium dixiſſe ferebant Mazarinum pacem abnuere, aut Pontificis Nuntio, Venetorumque Legato dicentibus hanc abnuere Galliam, reſpondiſſe rectiùs Italiam dixeritis, quoniam Mazarinus Italicus eſt. Sed is haud in rem ſuam fore arbitratus, ſi eâ tempeſtate quâ plerique in Senatu ſibi iniqui eſſent, & cum Plebe congruerent, unà cum Avauxio fratrem ejus Henricum Memmium abalienaret, eò Avauxium ſecum redire in gratiam facilè paſſus eſt. Memmius in Senatu Pariſienſi ſecundus eſt Præſes, vir & ſingulari virtute, & ſuæ genti innatâ animi magnitudine, acceſſerant eæ artes, eaque ſtudia quibus in togâ ſumma claritudo paratur: hunc, atque hujuſcemodi alios ſibi Mazarinus adjungere ſtudebat, quorum operâ adversùm cæteros, ac maximè Juvenes, qui plerique in Senatu huic infenſi fuêre, uteretur. Igitur poſtquàm Avauxius ſeſe ſatis expurgare viſus, nullo negotio in gratiam cum Mazarino rediit, atque adeò in Concilium de republicâ cum cæteris Adminiſtris vocatus, atque adhibitus eſt.

Haud ſatis placuerat Regi, Reginæ matri, ac Mazarino Longavillam, & Avauxium ab Monaſterio pace infectâ diſcedere voluiſſe, quod quidem tantiſper obſtiterat, ut ne ille in Concilium de re publicâ cum Gaſtone, Condæo, & Mazarino vocaretur, quò & cæteri Adminiſtri adeſſe ſolent. Cùm tamen Ludovicus XIII. poſt Edictum de Regni Procuratione, atque de his quorum conſilio, judicioque Reginam in re publicâ gerendâ uti placeret, perſcriptum, ſignatumque ſingulari Diplomate Longavillam in eo Concilio ſeſſurum edixiſſet, ubi Monaſterio quò tùm legabatur rediiſſet, viſum iſtuc Longavillæ denegari non

poſſe, cujus cætera domi, militiæque opera ſemper reipublicæ proceſſiſſet. Is Hiſpanos pacem abnuiſſe prædicabat, neque per nos uſquàm ſtetiſſe, quò minùs fieret, quod magis credere lubet, quàm Mazarinum ſicuti vulgus ex invidiâ dictitabat, paci huic adverſatum. 1648.

Sed Mazarino diſciplina fuit, uti reipublicæ tempora varia tùm erant, atque incerta, cum hoſtibus, atque inimicis non tam acerbè exercere odia, ut ne reconciliandæ gratiæ locus eſſet, promptus ingenium ubicumque opus eſſet, flectere, quâ re haud ſcio an ulla in Aula parandæ gratiæ, atque potentiæ, aut ubi parta, retinendæ magis idonea ſit. Eò fiebat uti qui de ejuſmodi re quâpiam ſecum agere vellent, eos haud quaquam aſpernaretur, ſibi conditiones ferri, aut ipſe ferre nequaquam moleſtum haberet, intereà tempus procedere, atque ſicuti rationes ſuæ poſtularent, hæc ſeriò, aut negligentiùs agere, raró planè omittere: ita cunctos ſpe eorum quæ optarent, attinere. Igitur eâ tempeſtate virum quemdam religioſum è Minimorum Ordine Mazarinus lubens audiebat, qui cum eo de pace Regem inter, & Carolum Lotharingiæ quondam Ducem componendâ agebat. Huic egregius erat equitatus ex Lotharingica Nobilitate collectus, quo fretus Philippo Hiſpaniæ Regi militabat, ſpem nactus perditas res ſuas cum corruptis illius rebus miſcendo utraſque fortè ut ſunt humana, reſtitutum iri, potentiſſimo Regi multas reliquas opes, defuiſſe modò uſque fortunam, quæ fluxa, ac mobilis perpetuò nec æqua, nec iniqua eſt.

Carolum atque omnem hujus equitatum ab Hiſpanorum partibus avertere ad bellum adverſùm hos porrò gerendum haud levis momenti futurum fuiſſet: cæterùm Carolus eo ad Mazarinum confugiebat, quòd apud Monaſterium Veſtfalorum Gallici Legati negabant Ludovicum illi quidquam de ablatis antehac bonis tùm redditurum, ac tandem poſt longas altercationes vix adducti fuerant, uti veterem Lotharingiam disjectis apud Nancium, & quocúmque aliò munitionibus huic poſt decennium reddi æquum cenſerent, cui intereà, atque Nicolaæ uxori, ac Franciſco fratri aliquantam pecuniam in victum cultumque Rex annuatim curaret: ſi ante decennium Carolus diem ſuum obiret, qui huic hæres eſſe deberet, ei Rex veterem hanc Lotharingiam disjectis ubicúmque munitionibus item redderet: ſed cùm ab his conditionibus Mazarinus nuſquam diſcedere vellet, poſtremò vir religioſus re cujus gratiâ venerat infectâ ad Carolum rediit.

Anno proximo diximus Guiſium ab ſtativis quæ in omnibus propè vicis circùm Averſam habebat, Neapolim veniſſe, cùm ut Aneſem eò adduceret, uti quod huic erat imperii reliquum, id abdicaret, tùm uti quæ ſibi advecta ab Claſſe Gallicâ rebatur auxilia, ea acciperet. Sed poſt Claſſis diſceſſum ad ſtativa rediit, atque occupatis omnibus quâ ad Averſam aditus erat vicis difficillimè ad oppidum commeatus ſupportabantur. Quamobrem Nobilitas Regni quæ eò habebat caſtra, inde ſibi abſcedendum eſſe conſtituit, ita ut hujus profectio haud abſimilis fugæ videretur: nam ubi Guiſii copiæ reſciverant hoſtes Aver-

1648. ſâ diſceſſuros, continuò ſtativis movêre, quò factum eſt, uti properantiùs Nobilitatis copiæ faceſſerent, relictis ſignis, ac vexillis viginti, quæ Guiſius ſibi haud oſtentanda apud Neapolim eſſe duxit, ut ne Nobilitati quàm ad ſuas partes allicere ſtudebat, ægrè faceret.

In omnibus Regni provinciis quidam Guiſii, ac Populi partes ſequebantur, quæ haud mediocriter auctæ ſunt, ubi feliciter huic omnia cedere cæpére, ita ut pleraque oppida, atque Caſtella in provinciis ad illas ultrò accederent. Sed ab Aversâ ac vicinis oppidis, viciſque magna frumenti copia Neapolim eſt advecta, quod populo ſuprà quàm dici poteſt gratiſſimum fuit, nam hujus inopia eſſe cœperat, quam Guiſii operâ ſublevatam gaudebant, atque hunc laudibus ad cœlum ferebant. Certè tanto Populi in ſe ſtudio ſæpiùs huic opus fuit, nam incredibile memoratu eſt quoties Januarius Aneſes fretus ſicuti ſimulabat Adminiſtrorum in Galliâ, atque Romæ gratiâ, huic inſidias inſtruxit, ac ſimul Antonius Macella nuper Populi Electus creatus, atque Vincentius Andreas, de quo ſuprà memoravimus: incredibile item quoties Hiſpani honorificentiſſimas huic conditiones tulêre, per Filomarinum Cardinalem Neapolis Archiepiſcopum, ac per alios, Longonis-Portum, Plumbinum, atque omnia quæ ad Etruſcum mare Hiſpani tenebant, oppida, atque alia in Neapolitano Regno, Mutinæ, atque Rhegii Principatum, atque his adipiſcendis exercitus queis præeſſet, ac poſtremò Sardiniæ Regnum oſtentantes, quæ omnia quoniam Neapolitanum cordi ſine dubio erat, perpetuò reſpuit.

Sperabat propediem Claſſem, atque eâ vectum Rogerium Guiſium fratrem adventurum cum copiis, is è Melitenſi Militia eſt, quem adeò Equitem appellant, prætereà Neapolitanam Nobilitatem quæ huic haud iniqua erat, uſquè adeò æquam fore denique, uti ſibi Regnum deferret. Sed metuebat ut ne ſatis tutæ ſtationis inopiâ quinqueremes Gallicæ cum cæteris navibus grandioribus Neapolim versùs venire vellent, atque in aperto mari ſicuti cæteras in anchoris ſtare, quod his periculoſiſſimum fuiſſet. Eò Niſitam Inſulam propiùs continentem poſitam traducere copias, atque hac hoſtes pellere decrevit, nam illic tuta ſtatio quinqueremibus futura erat. Copiæ ſunt ex ſententiâ in inſulam traductæ, pulſi qui exſcenſionem prohibebant hoſtes, acriter oppugnata turris, quod unum in Inſula ſatis firmum propugnaculum hoſtes habuêre: hujus deditionem incraſtinum polliciti fuerant, quam dùm Guiſius opperitur, nuntiatum eſt Hiſpanos Neapoli Albæ portam ſibi ab Landio Tribuno qui hanc defenſare debuerat, traditam, dein cæteras Populi ſtationes fugâ defenſorum ſubitò deſertas occupaſſe, atque adeò Urbem totam in Hiſpaniæ Regis ditionem, ac poteſtatem rediiſſe.

Vix Hiſpanis unius diei annona in Arcibus apud Neapolim reliqua erat, atque has deſerere decreverant, & ad Caïetam, Baias, Iſchiam abſcedere, ac commorari, donec ab Hiſpaniâ auxilia recuperando Regno, advenirent, cùm ipſis illud incæptum præter ſpem feliciter ceſſit. Subitò omiſſâ Niſitâ Neapolim Guiſius advolat, omnes aditus explo-

rat, ſi quâ Urbem ingredi copia eſſet: dein abjectâ omni hujus recipiundæ ſpe, ad Mariæ-fanum haud procul Capuâ poſitum iter intendit, quâ ad Regni fines deviis itineribus pervenire ſe poſſe ſperabat. Sed receptæ ab Hiſpanis Neapolis, atque Guiſii fugæ ſparsâ undique famâ, Plebes armata omnia itinera obſederat, præterea multi ab Capuâ equites abeuntem ſunt proſecuti. Hunc primùm ſatis multi comitabantur, ſed dilapſis ſenſim omnibus Neapolitanis, uni Galli denique reſtitêre, & quocúmque conſiſtendi copia fuit, in anguſtiis viarum hoſtes attinuere: poſtremò equis, viriſque fatiſcentibus, ac pleriſque vulneratis capti cum Guiſio propè omnes, atque Capuam deducti, quò ipſe honorificentiſſimè, cæteri benignè habiti ſunt, quamdiù in manibus Nobilium Neapolitanorum, quibus Ludovicus Podericus præerat, fuêre. 1648.

Ubi verò Guiſius Hiſpanis traditus, atque Caïetam deductus eſt, ibi duriùs cum eo agi cæptum, neque mortem effugiſſet, ni Roderici conſilio uſus ſimulaſſet ſe graviter Galliæ Adminiſtris offenſum, quod eum apud Neapolim deſeruiſſent, neque ullâ re juviſſent, atque adeò Hiſpanis ſpem feciſſet, ſeſe horum commodis ſerviturum, ac lubentem adversùm Mutinæ Ducem bellum geſturum, atque alia his profutura in ipſa ſi opus foret Galliâ facturum. Hunc exitum Guiſii conſilia de adipiſcendo Neapolitano Regno habuêre, quæ haud dubiè huic feliciter ceſſiſſent, ſi paulùm auxilii ab Galliâ habuiſſet.

Tametſi in Hiſpanorum poteſtatem Neapolis redierat, Plebes tamen haud quaquam libertatis oblita ab Auſtrio, & Ognato qui tùm Prorex Arcoſii loco apud Neapolim erat, adduci nequibat, ut his arma, atque tormenta traderet, qui id uti ſuâ ſponte faceret hortabantur. *Hæc turbarum atque ſeditionis incitamenta ſi dimitterent, ac ſe Philippo, atque hujus Adminiſtris placidè poſthàc, atque benignè tractandos permitterent, fore ut omnium quæ uſquè deliquerant, ipſis gratiam faceret.* Sed nondùm fractus erat Plebis animus, quæ Ognatum tormenta quædam Urbis abducere conantem prohibuit. Ita cuncta apud Neapolim dubia, atque incerta erant, foris ab his qui Guiſii, & Populi partes ſecuti fuerant, nihil ceſſatum, Aquila oppidum captum, arx tunc cùm maximè oppugnabatur, capite tamen amoto reliquum corpus fruſtrà movebatur. Igitur ex eò tempore Populi opes contuſæ, atque intermortua Hiſpanorum res reviviſcere cæpit.

Quæ tamen reliquiæ belli civilis in Neapolitano Regno fuêre, ex iis ſi quem fructum Gallia capere poſſet, experiri viſum, eò Populo uti porrò Hiſpanorum imperium, & averſari, & abnuere vellet, animos facere, audaciam, & vires addere, nihil omnium omittere denique, quò minùs eâ parte Hiſpanis quietæ, atque tranquillæ res eſſent. Præmiſſus eâ gratiâ Neapolim versùs eſt Richelius actuariis navibus Præfectus, novemdecim fuêre, cum paucis incendiariis. In navibus erant Pleſſius Beſanſonus caſtrorum Præfectus, atque alii ab quibus omnibus nihil eſt factum memorabile: captæ modo naves ali-

1648. quæ commeatum Neapolim advehentes, cujus inopia in Urbe magna fuit. Aderat in hac Claſſe Grimaldus Cardinalis, cujus conſilio, judicioque res publica gereretur, Thomas cum reliquâ majorum navium Claſſe ſequebatur, penes quem ſumma Imperii terrâ, marique fuit. Prochyta huic primùm Inſula dedita, cui præſidium impoſitum, relictuſque Præfectus *a* Valernaldus, deinde Salernum versùs Claſſis curſum tenuit. Haud procul oppido exſcenſionem facere conſilium erat, ſicuti Politus Paſtena ſuaſerat, fretus ſui ſimilibus exulibus, quos Banditos appellant, genus hominum eſt cædibus, ac rapinis victum quærere ſolitum, capitis damnati plerique, ac ſupplicii effugiendi causâ profugi: hi quingenti ubi Claſſis fuit in conſpectu, viſi ab proximis collibus in planitiem deſcendere, ad quos ſcaphâ vecti Quincæus, Lambertus, & Launaïus properavêre: illi ab littore ſignificavêre ſe illîc adeſſe, ut his operam darent, qui adeò ſubitò exſcendêre, uti cum exulibus colloquerentur.

a De Valernaud.

Haud ita procul tùm viſæ hoſtium turmæ duæ, quæ properabant ad maris littus: ſed exules de quibus memoravimus nacti locum paulùm editum, atque ab naturâ munitum, inde glandes in advenientes hoſtes emisêre, qui & tormentis ab Claſſe noſtrâ petiti Salernum retroceſsêre. Ibi ab noſtris eſt exſcenſio facta: Quincæus Caſtrorum Præfectus autor erat, ut omiſsâ Turri quæ Salernum euntibus erat in viâ poſita, ad oppidum noſtri accederent, quò mœnia infirma, neque ponè quidquam aggeris fuit, atque eò inſtituto properè cuniculo murus disjiceretur: nam ad oppugnationem ex diſciplinâ faciundam neque ſpatium, neque ſatis copiarum noſtris erat. Sed ad Turrim morati hanc tantam opportunitatem corrupêre: nam in oppido leve præſidium, oppidani Gallis æquiſſimi, quos in libertatem ſe vindicaturos ſperarent. Vietri vicus ab noſtris eſt expugnatus, quò *b* Luſſeraïus, & *c* Broſſæus qui duabus navibus præerant, atque his & terrâ operam Regi navaturi exſcenderant, cæſi ſunt: dein oppido eſt appropinquatum quò dùm *d* Montadius in Claſſe noſtrâ Thomæ Principi Legatus, egregiam Regi, atque rei publicæ navat operam, vulnus accepit, ex quo mox interiit. Tria tormenta ab navibus quatiundis oppidi mænibus fuerant advecta, ſed hæc omnia fruſtrà fuêre denique, nam Hiſpanos ad quatuor peditum milliâ, ac ſexcentos equites adventare nuntiatum, quâ re perculſi noſtri tam properè, ac tam trepidè in naves regreſſi ſunt, ut ne ſibi tormentorum trium in naves revehendorum ſpatium ſumpſerint, atque id eò turpiùs fuit, quòd quos adventare hoſtes crediderant, ii nulli fuêre, nam id vulgatum modò ab Salerni Præfecto his territandis, & abigendis. Hic ultimus noſtrorum Neapolim versùs conatus fuit, quem ab Thomâ factum Mazarinum voluiſſe ferunt, ut homini animum expleret nondùm Neapolitani Regni ſpe dejectum, ſi fortè Populus Neapolitanus ubi Claſſis, & copiæ ab Rege adeſſent, iterùm ut arma caperet, ac jugum Hiſpanicæ tyrannidis excuteret impelli poſſet.

b Luſſeray.
c De la Broſſe.
d De Montade.

Sed tantæ hujus rei opportunitas prætermiſſa fuerat, quia Mazarinus nuſquàm adduci potuerat, ut hanc ſeriò ſuſciperet; eò factum eſt, uti nihil quò feliciter evenire poſſet ſuppeditaverit, ſed hanc omnem ſicuti privato conſilio uni Guiſio ex Plebis Neapolitanæ lubidine gerendam reliquerit, ac denique hoc comprehenſo, atque in carcerem conjecto ubi Plebes ſine duce, ſine opibus in priſtinam reciderat ſervitutem, atque Hiſpanis dedere ſe, ac permittere coacta fuerat, ibi modò Mazarinus Thomam, atque Claſſem eò miſit, cum exiguo commeatu, ac paucis copiis, non enim ampliùs duobus millibus quingentiſque peditibus, ac ſeptingentis equitibus fuêre. Qui omnem hominis rationem carpere conſueverant, ii dictitabant hanc in illo negotio fraudis, ac nequitiæ pleniſſimam fuiſſe: qui videlicet Neapolitanum Regnum Hiſpanis ademptum noluerit, his palàm, ac publicè hoſtis, privatim ob varia quæ animo agitabat conſilia, haud iniquus. 1648.

Sed incredibile memoratu eſt quot, quantaque exempla in Neapolitanos Hiſpani ediderint, tametſi his & rebellionis, & omnium quæ per id bellum patraverant, gratiam feciſſent, fide datâ nihil eorum cuiquam fraudi fore: ampliùs viginti hominum millia per biennium trucidata, indemnati propè omnes, inter quos & Januarius Aneſes fuit, quovis ſupplicio digniſſimus furcifer, præterquàm quòd ex publicandis hujus bonis quæ per civile bellum rapto quæſierat, haud levis quæſtus erat futurus: quin & pueros ſeptuaginta quos fames nondùm ſatis pacatâ Urbe panem tumultuoſiùs flagitare coëgerat, laqueo necare nihil penſi habuêre, quia libertatem ſimul inclamaverant. Tantùm Hiſpani ſeveritati ſtudent, ut ne huic quidem ætati parcendum reipublicæ causâ cenſuerint. Sed in omnibus rebus fermè nimii homines ſunt, quod tamen in ulciſcendo, quàm in ignoſcendo minùs offenſionis habet, nam quos ultus fueris, ab iis nihil ampliùs mali metuas, quorum verò vitæ peperceris, iis tuæ inſidiari copia eſt.

Per hyemem Ateſtinus ab omni belli curâ vacuus Parmam petiit, & eò Victoriam quæ Parmæ Duci amita erat, uxorem duxit: hæc affinitas noſtris ipſiuſque rebus peropportuna videbatur, uti ſibi finitimum Principem adjungeret. Sed is dùm Ateſtino, Galliſque res ſecundæ fuêre, haud iniquus fuit, dein ubi minùs ex ſententiâ procedebant, quò animi lubido ſuadebat, eò ſe convertit: poſtremò tamen ipſi in Hiſpanorum amicitiâ parùm præſidii fuit, ſcilicet quibus hanc non ex fide, ſed ex uſu colere diſciplina eſt.

Inter hæc Ludovicus Benavides Caracena Marchio cui Mediolanum provincia ab Philippo decreta fuerat, ab Belgio per Æduos, Sequanos, atque Sedunos in Italiam iter faciens hos, atque alios qui Rhodanum ab ipſis fontibus ad Lacum Lemanum accolunt, ſi Regi ſuo amici eſſent, id ipſi uſui fore probè intellexit. Eò ubi illâc tranſibat hoſpitem nactus ut in eâ regione magnis opibus, Stokalperum appellant, hunc eſt adortus, docuitque quo pacto Philippus cum iis fœdus lubens iniret, cujus ſi copiam facerent, magnam ab illo ipſis annua-

1648. tim mercedem fore. Helvetios Philippo nulli poſthàc uſui, atque adeò nec ſumptui futuros, cujus partem jam ad Rhætos contuliſſet, alteram Sedunis Sociiſque Populis ceſſuram. Hujus fœderis fructus Hiſpaniæ Regi haud exiguus fore videbatur, ſi quemadmodum ejus copiis ab Germaniâ in Italiam, aut ab Italiâ in Germaniam euntibus per Rhætorum fines iter habere copia eſt, ita & per Sedunorum, Sociorumque Populorum fines ab Sequanis in Italiam, aut ab Italia in Sequanos euntibus eadem copia fuiſſet. Sed hæc dicta privatim, nuſquàm res acta publicè eſt. Cæterùm Sedunis, Sociiſque Populis quos uno nomine nunc Valeſanos appellamus, cum Galliâ vetuſtum fœdus intercedit, utrimque cultum cum fide, quod deſerere mutuæ horum, & Gallorum rationes prohibent.

Mediolani Caracenæ adventus magnâ erat in expectatione, cùm ob ſummam virtutis opinionem, tùm quia tædio præſentium ut ferè fit, nova Mediolanenſes optabant. Hæc prima advenienti cura fuit, quo pacto Ateſtinum, Galloſque provinciæ ſuæ finibus dejiceret, eò cuncta quæ uſui erant parare, feſtinare, uti multa huic incœpto opportuna antecaperet, neque Ateſtino ab Galliâ quæ decreta auxilia fuerant, ea dùm advenerant. Sed hic intereà ne quid acciperet damni, atque ex copiâ rerum exiſtimans hoſtes Rivarolum tentaturos, quoniam longiuſculè in hoſtico ſitum erat, dirutis quæ per cauſam hybernorum factæ illîc fuerant munitionibus, tormenta, commeatum, atque præſidium indè abducit, quæ res Caracenæ majorem de abigendis omni Cremonenſi agro Gallis ſpem fecit. Sub id tempus valida quæ Rex ad Ateſtinum mittebat auxilia adventare cœpêre, queis Pralinopleſſius Imperator fuit: hæ copiæ ab Tauroënto ad Ericis portum navibus devectæ, factâ ab Genuenſibus poteſtate, eò tùm exſcenderant, dein quà proximum fuit, ad Ateſtini fines iter intendêre.

Sed eâ tempeſtate Genuenſes tametſi Philippo Hiſpaniæ Regi plerique ex privatis negotiis obnoxii, prætereà publicè amici, tamen Gallis haud iniqui fuêre, ſcilicet qui portuum ſuorum copiam his faciebant. Adversùm hos tamen quidpiam cum Joanne Paulo Balbo conſultatum eſt, non ab Mazarino quidem quod noverim, ſed ab Michaële fratre. Certè Balbus ubi re omni palàm factâ Genuâ profûgerat, remque cum fide narrabat cuipiam, de Michaële modò locutus eſt, qui avidus rerum gerendarum, id fortè injuſſu fratris incœperat. Cæterùm Balbus Genuâ ortus apud Mediolanum publicanus fuit, tenui levique ingenio, qui ſe tantâ re etiam temerè, atque fruſtrà motâ clarum arbitrabatur, magnificéque ſicuti operæpretium feciſſet efferebat. Portæ apud Genuam biduùm clauſæ, conquiſiti cum curâ qui Balbo conſcii fuerant, atque in vincula conjecti.

Principio æſtivorum Franciſcus Barberinus Cardinalis cum Thadæi fratris qui in Gallia mortem obierat liberis Romam rediit; Antonius Cardinalis alter ex fratribus apud Caſalium ſancti Evaſii in Montisferrati agro, atque in eâ omni regione, quæ ab Alpibus ad

Inſubres

Inſubres pertinet, rempublicam curare ab Rege juſſus. Guido Villa 1648.
per Pralinopleſſii abſentiam copiis eâ parte præerat, a Santandreas, Se- a S. André.
vignius, & Montius Caſtrorum Præfecti in eo exercitu fuêre: Anto- Scvigny. Mont.
nio hæc data provincia, uti Româ aliquâ probabili de causâ abeſſet, quoniam ipſi, atque Franciſco fratri tutiùs viſum, ſi alter non eſſet in Pontificis poteſtate, donec ejus, atque Olympiæ animus ergà ſe ut eſſet, periculum feciſſent.

Ad XIII. Calend. Jun. Caracena Cremonâ movit, millia peditum ſex, equitum duo ductabat, tormenta decem, atque alia omnia quæ uſui forent. Primùm ad Joannis in cruce-fanum iter intendit, quò hoſtem falleret, neque ſibi conſilii quidquam eſſe ſimularet, quàm uti commeatum Sabionetam introduceret: dein ad Ghiſciolam flectit iter, qui locus ab Caſalio majore duo millia modò paſſuum abeſt. Intereà Jacobus Quintana cum eâ cui præerat Cohorte, trecentis prætereà Italicis ſecundo Pado devectus, inſulam quæ eſt è regione Caſalii paucis defendentibus occupat: at noſtri majore quàm ubi pulſi fuerant numero eòdem brevi redeunt, pugnatur utrimque acriter, major Hiſpanorum cædes fuit, ſed inſulam tenuêre noſtris abire coactis. Apud Caſalium Navaillius erat cum Gallicis copiis, quò propter commeatuum difficultatem Ateſtinus metuens ut ne frumenti inopiâ laborarent, omnibus circùm ab hoſte terrâ, atque amne inſeſſis, moliti quantùm ſatis viſum introduxit, quam rem hoſtes prohibere conati fruſtrà fuêre: nam ab Caſalio Navaillius uti commeatum exciperet egreſſus, Hiſpanos ab tergo, dùm noſtri ab fronte urgent, eſt aggreſſus, qui ancipiti malo perculſi ſatis habuêre omni aliâ omiſsâ cura ſaluti conſulere.

Inter hæc Pralinopleſſius, ac reliquæ omnes quæ ad Ericis portum exſcenderant copiæ advenêre, quibus ſubitò viſum quidpiam operæpretii facere. Igitur adverſo Pado noſtri navigant, Rhegianum littus legentes, Mutinenſis equitatus, paucique alii qui tardiùs venerant ſecundùm littus ipſum iêre, neque agmen antecedebat naves, pariter terrâ, atque amne procedebant. Ubi ventum ad Lenzam amnem, qui haud procul Brixello Padum ſubit, Rhegianumque ab Parmenſi dividit agrum, ibi noſtri inſulam nacti propiùs Parmenſe littus, quæ tantùm in adversùm porrecta eſt flumen, ut ejus pars ultima ei inſulæ quam hoſtes propiùs alterum littus occupaverant, adverſa ſit, eò exſcendêre. In alterâ fluminis ripâ tùm adfuêre copiæ, quas ab Caſalio Navaillius eò miſerat, quò factum eſt, ut Hiſpani utrobique cernentes hoſtem imminentem ſibi, ibi verò incerti quid potiſſimùm facerent, omitterentve fugæ denique conſilium caperent, nihil fluminis latitudini, quæ ſatis magna inter utramque inſulam eſt, nihil navium quas in ſtatione probè inſtructas, armataſque habebant, nihil denique Caſtellis quæ conſtruxerant duobus, aliiſque munitionibus confiſi, poſtremò nihil ſibi ſpatii ad eas diruendas, & commeatus avehendos dedêre: tormenta modò duo ut ne his noſtri potirentur, quod ingens militiæ dedecus eſt, in flumen dejecêre, tanta in fugâ capiundâ properantia fuit.

1648. Poſt id locorum Caracena qui tàm ferox, atque præclarus venerat, Gallos omni agro Cremonenſi pulſurus, haud ſuos ipſe locos tutari potuit. Primùm tamen ut ne Sabionetæ potirentur, intereà dùm Cremonam defenſurus abſcederet, illam majori præſidio, atque commeatu firmat, nam & propiùs Ateſtini fines, & longiùs ab Cremonâ poſita eſt: dein nihil adversùm hunc Gallis fretum ſatis firmum arbitratus, ubi Cremonam advenerat, ab hac quæ ad Padum eſt, ad Ollium uſquè amnem foſſam duxit, quæ Cremonenſem dividebat agrum, hanc ſcilicet agri partem unà cum Cremonâ defenſurus, quæ ab foſsâ ad Aduam amnem pertinet, reliqua haud minori parte cedens hoſti. Hic in eâ meſſem fecit, quia matura tùm in agris erant frumenta: Ateſtinus enim, & Pralinopleſſius paulùm morati dùm omnes copias in unum conducunt, atque perſequendo hoſti omnia apparantur, poſtremò foſſam versùs movêre, & ad Carpanelam, & Doſenum habuêre caſtra: dein comperto per exploratores Ollium versùs faciliorem ad foſſam, & hoſtium munitiones aditum, atque infrequentiores eſſe eâ parte cuſtodias, eò Boiſſacum Præfectum caſtrorum primùm mittunt, qui initium oppugnandi faceret: in medio Navaillius item caſtrorum Præfectus impetum facere juſſus, uterque Gallis præerat, poſtremò Guignardus Lalevius & ipſe Gallus cum Mutinenſibus quibus præerat copiis Cremonam propiùs.

a Le Marquis de Chemeraud.

b De Choiſeüil, Comte du Pleſſis-Praſlin.

Quâ parte Boiſſacus curabat *a* Chemeraldus Tribunus qui pedites ducebat princeps foſſam tranſcendit, atque in munitionem evaſit, Cæſar *b* Choiſeulius Pralinopleſſii filius ubi cum Boiſſaco, ſimul, & equitatu ſubſequitur, inter primores dimicans occumbit: eò Neapolitani qui propugnabant octingenti queis Cinarga Tribunus erat, fuſi fugatique, prætereà omnis propè Mediolanenſis equitatus: ſed ex illis complures ſe in villam quæ ad ſiniſtram noſtris erat, ex fugâ recepêre: hanc Jacobus Quintana Tribunus, atque nongenti Hiſpani defendebant, foſsâ, atque palorum ordine munitam. At Navaillius, & Lalevius quâ parte juſſi erant munitionem ingreſſi in tempore advenêre, uti qui adversùm ſe propugnaverant, & qui ab Boiſſaco pellebantur, eos unà colligentes ſeſe iterum frangerent, qui ubi acriùs noſtri urgebant, neque conſiſtere uſpiam facultas dabatur, Cremonam denique profugêre. Caracenam ferunt ubi contrà ac ratus erat rem perditam vidit, caput objectaſſe periculis, ſicuti huic cladi ſuperſtitem eſſe puderet, donec cum reliquo equitatu Stuzzius Germanus qui alæ popularium Tribunus Philippo merebat, hunc è mediis hoſtibus ægrè retractum Cremonam abduxit. Is tamen ipſe Stuzzius mox unà cum Cinargâ capitis ab Hiſpanis eſt arceſſitus, criminantibus utriuſque ignaviâ rem corruptam, tametſi illius modò virtute inter cæterorum terrorem, & fugam aliquamdiù ſuſtentata fuiſſet: ſed Hiſpani id more ſuo facere viſi, queis aliena virtus ſimul uſui ſæpè, & odio fuit.

Cæterùm tormenta, commeatus, impedimenta, atque alia omnia quæ hoſtium intrà munitiones fuerant, ab noſtris capta, cæſi complu-

res, tyro, & collectitius fermè miles, quem Caracena municipiis, viciſque imperaverat: captivorum aliquantum fuit, inter quos inſignis a Galeaſſus Trottus Præfectus Equitum, præterea turmarum duces, & Centuriones: Serra Marchio in hoſtium exercitu Magiſter ut ipſi appellant, caſtrorum Generalis, atque alii graviter vulnerati: pauci è noſtris deſiderati, vulnerati permulti. Ubi id Ateſtino, & Pralinopleſſio benè proceſſerat, Cremonam hoſtem perſequendo facti propiores ſunt. 1648.

a Galeazzo Trotti.

Caracena quod res monebat Urbi metuens validum in eâ præſidium, & Vincentium Monſurim qui Præfectus eſſet relinquit, is Præfectus rei tormentariæ apud hoſtes erat. Ipſe poſt paulò cum cæteris copiis ad Picoleonis Caſtrum abſcedit, quò fugam ab nuperâ clade plerique intenderant: nam is locus probè munitus ad Aduam amnem eſt, qui ab Sorii amnis oſtio ad Padum defluens Cremonenſem ab Lodeſano dividit Agrum. Ex adverſo in altera amnis ripa eſt Ghierra vicus, quò Caracena traduxit copias, atque eò ſtativa habuit, utriuſque ripæ fluminis potens, ut ab ſtativis ad Picoleonis Caſtrum facilè commearet, quò validum præſidium impoſuerat, præterea frequentes in Lodeſanâ ripâ cuſtodias necubi hoſtis falleret. Primùm Ateſtinus, Gallique Cremonam oppugnare velle viſi, qui ſi hac omiſſâ ad Picoleonis Caſtrum ab recenti victoriâ properaſſent, per abſentiam Caracenæ dùm apud Cremonam cuncta ad propugnationem neceſſaria conſtituit, inter fugitivorum hoſtium metum, ac trepidationem quidpiam operæpretii facturi fuiſſe videbantur, quæ mora apud Cremonam facta, ea verò tantam opportunitatem corrupit: nam intereà Caracena quæ prohibendo noſtrorum conatui neceſſaria fuerant ſicuti diximus, anteceperat, ità ut mox quod optimum factu fuerat ſeriùs animadvertentes ad Aduam fruſtrà venerint.

Igitur ad Cremonam regredi viſum, atque hujus oppugnationi dare operam: permulta fuêre, quamobrem id factu difficillimum videbatur, vaſtus murorum ambitus, atque adeò caſtra circùm immenſa futura erant, quorum ſtationibus, ac cuſtodiis, ſimul ac oppugnandæ Urbi haud ſatis copiarum Ateſtino, nec Pralinopleſſio fuit: præterea ab Urbe ad Padum inſtituendis munitionibus locus non erat, quò fiebat, uti porrigenda caſtra ultrà amnem eſſent, ut ne hac hoſtibus ad Urbem eſſet aditus: ſed ultrà amnem Parmæ Ducis ſolum eſt, in quo per hunc nobis caſtra ponere non licebat, ſcilicet ut ne ex affine, atque amico planè adverſus Ateſtino, ac nobis fieret. In Urbe militum, atque commeatûs affatim, mœnia refecta, pro mœnibus ſemilunæ, atque alia opera, quibus rebus fiebat, uti ſaltem diuturna oppugnatio futura videretur, cujuſmodi incœpta multos recipiunt caſus, atque haud fermè ex ſententiâ eveniunt. Fuêre qui ità exiſtimarent Pralinopleſſium iis difficultatibus adductum ab eo conatu Ateſtinum deterrere voluiſſe, atque illum, & alios pleroſque ubi conſilium de ſummâ belli haberetur frequentes iiſſe in alia omnia, unum modò Ateſtinum cui id bellum gerebatur, potiundæ Cremonæ ſtudio perviciſſe, ut hujus oppugnationem aggrederentur.

1648. Primùm circùm Urbem caſtra foſsâ, valloque, præterea turribus, quas receptacula vocant, & caſtellis munita, unum quàm proximè amnem ſuprà Urbem exſtructum, arcendo eâ parte ſi fortè navibus deſcenderet, hoſti: in ipſo flumine armatæ, tormentiſque, ac defenſoribus inſtructæ naves collocatæ, dein ad Urbis Arcem foſſæ duci cæptæ, quâ ſi Ateſtinus potiretur, in Cremonenſibus nihil moræ forè confidebat, quin ſe, ſuaque ipſi dederent, eò nihil his, atque Urbi noceri per oppugnationem ſtudebat.

Sed eo pacto omnis belli Italici moles circùm Cremonam erat, quæ antehàc in Subalpinorum, Montisferrati, & Inſubrium finibus fuerat. In ea regione Guido Villa Regis, atque Sabaudiæ Ducis copiis præerat, qui ubi hoſtes eâ parte ceſſabant, atque omnis horum cura in Cremonam verſa erat, ipſe & eódem rei publicæ uſui eſſe decrevit. Igitur Santandream caſtrorum Præfectum ad Ateſtinum, & Pralinopleſſium cum duabus equitum alis præmittendum eſt arbitratus, cui quoniam in hoſtico iter difficile, atque periculoſum forè videbatur, huic ipſe cum parte copiarum ad Placentinum uſquè agrum præſidio eſſe conſtituit. Ex itinere Alexandriam tentare conſilium fuerat, ſed auctus crebris imbribus Bormia amnis tranſitum prohibuit: quamobrem Caſtellum novum ad Scriviam amnem pergit iter facere, quod huic Dertonâ haud procul habendum erat. Huic oppido Vincentius Gonzaga metuens Padum cum copiis trajicit, atque ad Salem habuit caſtra, undè Dertonam mittit qui præſidio eſſent: quâ re confectâ ultrà Padum regreditur, tametſi Gallos ſe tranſitu prohibiturum prædicaverat, delectus ab Caracenâ qui fines eâ parte tueretur.

a Villauri. Jacobus Villaurius[a] præſidium Dertonam ab Gonzagâ miſſus duxerat, qui ubi vicinæ regionis ſitum ſatis perſpexerat, ibi verò ipſe noſtros tranſitu prohibere, aut quidpiam ſi ultrà pergerent his adferre damni decrevit. Eò in villâ quæ viæ imminebat, atque inter proximas vites pedites collocat, ipſe æquiori loco cum equitibus in ſubſidiis fuit: qui Præfectus erat oppido, is pro mœnibus inſtruxit ſuos, ſi quid fortè duriùs accideret, rem ſuſtentaturus, & receptui omnium conſulturus. Ubi de hoſtibus Villa per exploratores cognovit, Montium qui cum equitibus in agmine princeps erat, hoſtes aggredi jubet: illi in Villaurii equites procurrêre, qui tametſi ſuo loco pugnarent, tamen primo impetu fuſi, fugatique ſunt. Ad Urbem ipſe Guido Villa progreſſus erat: atque unà *a* Caluſius Marchio, & pleraque Nobilitas, quæ Imperatorem comitabatur, præterea equitum turmæ aliquot: hi quidquid extrà mœnia fuit peditum, poſtquàm glandes ſclopetis emiſerant, propulêre, quos fugientes proſecuti ad portam ſubſtitêre, neque quidquam prohibuit ingredi, quàm quod nihil de occupandâ Dertonâ conſilii habuerant, neque id juſſerat Villa, qui tantæ rei caſum datum iri nuſquam ſperaverat: duo modò equites inconſultiùs oppidum ingreſſi ab multitudine facilè oppreſſi, captique ſunt: quinquaginta ex hoſtibus cæſi, vulnerati complures, octuaginta capti:

b Le Marquis de Caluſo.

è noſtris cæſi quindecim, inter quos *a* Aſcanius Maraſſanus, vulneratus Caluſius. 1648.

a Aſcanio Marazzano.

At ſclopetarii qui in villâ erant viginti, confiſi foſſæ, ac munitionibus, ubi deditionem facere ab Guidone Villâ juſſi ſunt, reſpondêre id ſe demùm facturos ubi tormenta in conſpectu forent: indignatus Guido ſclopetarios centum villam expugnare jubet, qui admoto ad portam igne, atque hac incensâ protinùs ingreſſi nihil hoſtibus pepercêre. Dein Guido Caſtellum novum ad Scriviam quò initio iter intenderat, petit, atque eò relictis peditibus, tormentis, & impedimentis poſtridiè cum equitatu Vogueram, ac ſecundis caſtris ad Placentini agri fines pervenit, indè Santandream cum duabus equitum alis, per pacata omnia ad Ateſtinum, & Pralinopleſſium dimittit, ipſe Caſtellum novum ad Scriviam redit. In propinquo ſclopetarii hoſtium equites apud Salem fuère, qui locus haud procul Pado, quo hunc Scrivia influit, poſitus eſt: hos abſcedens Vincentius Gonzaga eò reliquerat, uti quid noſtri ubique agerent, explorarent. Sed locum Villa obſideri ab idoneo militum numero jubet, atque oppugnari, ſi deditionem facere hoſtes abnuant, quam ſubitò fecère, dein apud Pioveram traductis Tanarum amnem copiis ad Baſſignaram Guido ſtativa habuit, interea dùm plures ab Galliâ copias opperitur.

At Santandreas cum mille fermè equitibus caſtra circùm Cremonam eſt ingreſſus, atque eòdem mox Ludovicus Dubledus Uxellarum Marchio mille, & quingentos pedites duxit. Sed ne his quidem copiis auctus Ateſtinus Cremonæ expugnandæ par eſſe videbatur, cùm vaſtæ, atque disjectæ Urbi, tùm quod in flumine haud ſatis erat præſidii, quo hoſtis arceretur.

Quod ab Urbe ad flumen intercedebat ſoli id hoſtes operibus compleverant. In flumine ab ſuperiori, ad inferiorem caſtrorum munitionem naves omninò tres in ſtatione noſtri habebant, triremium in morem, defenſoribus, atque tormentis inſtructas, alia navigia ad Portum Vitreum ex adverſo Cremonæ ſtabant, vectoria pleraque, nec ad uſum belli admodum idonea. Id hoſtibus cognitum ſpem fecit, ſi plures armarent, pelli noſtras ab majori numero, aut capi poſſe. Eò Vincentius Monſuri naves decem noctu deducit, probè inſtruit, ac militibus complet, hæ remis incitatæ ab Cremonenſi ripâ in noſtras incidêre, quæ majus quàm pro numero edidère certamen, poſtremò dilapſis in proximas ſcaphas, aut nando defenſoribus, captæ ab hoſtibus, atque abductæ, cum omnibus quæ ad Portum Vitreum ſtabant, Cremonam ſunt.

Ubi ad Urbem patuit ab flumine aditus, Caracena, atque alii Hiſpani Duces facilè ingredi, atque regredi, integros pro feſſis militibus, commeatum, atque alia quæ uſui eſſent introducere: quod ubi fit, ibi verò nihil eſt quod in oppugnatione, aut obſidione ſpei quidquam hoſtis habeat: eò mirum videtur, huic diutiùs Ateſtinum hæſiſſe, neque ab Pralinopleſſio quò minùs id faceret deterritum, viro rei militaris ſcientiſſimo, niſi ſi præceptum erat, omnia Ateſtino obſequi, atque ho-

1648. minis lubidini ſervire, ut ne fidem mutaret. Qui Cremonam defenſabant, jam non ſe mœnibus continere, ſed ultro erumpere, ac noſtros operi intentos aggredi, quibus ubi Lalevius Guignardus acriter reſiſtit, pellitque ab munitionibus, egregiè dimicans occumbit: is caſtrorum Præfectus, atque Tribunus militum apud Mutinenſes erat.

Cùm oppugnatio parùm procederet, viſum Ateſtino, & Pralinopleſſio, Guidonem Villam accerſere, cum reliquis quas apud Baſſignaram tàm Gallorum, quàm Sabaudiæ Ducis habebat copiis. Is tranſmiſſo Tanaro per Placentinum, & Parmenſem agros, factâ ab Duce poteſtate, Brixellum, dein ad Ateſtini caſtra profectus, egregiam more ſuo huic bello navavit operam. Data huic provincia eſt, ut ad Picoleonis caſtrum versùs, & Aduam amnem, quod optimum factu exiſtimaret, id exequeretur, auxilia, atque commeatus ad Urbem eâ parte prohiberet, Aduam ipſum, ſi quà fieri poſſet, traduceret copias, tutaque omnia extrà caſtra præſtaret. Sed nihil id prohibebat Hiſpanos per Parmenſem agrum, ac Padum traducere ad Urbem quæ vellent omnia, quò fiebat, ut eò commeatûs affatim, & militum ad propugnandum, quin & ad erumpendum eſſet, atque adeò inceptum Ateſtino fruſtrà futurum videbatur. In eo rerum ſtatu Guidonem Villam accerſere placuit, conſulique in medium, ecquid porrò ſpei de Cremonâ potiundâ eſſet. Cuniculum ad exteriorem, quæ pro Arce Cremonæ munitionem erat, noſtri duxerant, quem pulvere tormentario de more oppletum incendere cunicularius parabat, haud procul ſtabant Ateſtinus, Pralinopleſſius, & Villa, uti quid ruinæ cuniculus ederet, inſpicerent, cùm ecce ab Arce emiſſâ tormento pila Villam proſternit, necatque. Is fuit Ferrarienſis, genere, atque virtute juxtà clarus, qui Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci, dein Victori Amedeo filio, ac demùm Carolo Emanueli nepoti merendo, omnia militiæ decora, atque imperia fuerat conſecutus, ipſi Ludovico XIII. Regi propter multa, magnaque facinora carus adeò, acceptuſque, ut hunc in ſancti Spiritûs regiam militiam, qui honos vix ulli extraneo, præterquàm Principibus habetur, cooptandum reſcripto deligeret, atque eâ gratiâ civitate donaret, poſtremò nobilibus, atque opimis in Galliâ prædiis donatus eſt, nam quoniam Victori Amedeo, & Carolo Emanueli filio, cum Ludovico XIII. & Ludovico filio belli ſocietas dudùm intercedebat, Villa æquè de his Regibus, ac de Sabaudiæ Ducibus benè meritus erat, & quandóque Gallicis ſimul, & Sabaudicis copiis præfuerat.

Menſe Octobri denique, Ateſtinus ſolutâ Cremonæ obſidione Caſalium majus rediit. Id oppidum in Cremonenſi Agro eſt, quò ſicuti anno proximo, prætereà apud Pompaneſcum in finibus Agri Mantuani pars aliqua Gallicarum copiarum hyberna munivit. At Pralinopleſſius per Parmenſem Agrum eâ quâ Tarrus amnis alluit valle, & per Genuenſium fines exercitum in Montisferrati Agrum, Taurinos, & pacatas alias regiones in hyberna deduxit. Caracena ſi fortè quo itinere Guido Villa in Cremonenſem venerat Agrum, eódem Pralinopleſſius

agmen reduceret, equitatum, atque expeditos pedites ultrà Padum miſerat. At Pralmoplesſius quàm longiſſimè ab Pado ad mare inferum versùs iter intenderat, qui incolumi exercitu ab tàm longinquo bello redire ſatis habebat. Id adeò difficile per Italiam fore primum exiſtimaverat, uti de reditu in Galliam per Rhætos, atque Helvetios, pacatos, atque amicos populos agitaverit, atque eâ gratiâ Centurionem Helvetium ad Labardæum Ludovici in his regionibus Legatum properè miſerit, cum litteris quibus rogabat ut id Helvetiorum, atque Rhætorum voluntate facere liceret: cæterùm utrùm id ipſi venerit in mentem, an uti falleret hoſtem ſimulaverit, parùm compertum habeo. Ita apud Cremonam, & Neapolim cuncta ab noſtris benè cœpta malos eventus habuêre, & utrobique Hiſpani cunctando, remque modò ſuſtentando propè lapſam reſtituêre. Sed hujuſcemodi procul incæpta vix uſquàm nobis proſperè evenêre, nam ubi quid eò novi, ac præter expectationem accidat, ibi omnia priùs aut labefactata, aut perdita ſunt, quàm ſatis maturè occurreris: qui milites frequentes mittuntur, ii exiguo numero adveniunt, pleriſque ex itinere dilabentibus, ac longinquam abnuentibus militiam: poſtremò qui longè ab oculis, ii & longè ab animo ſunt, neque his pecunia in ſtipendium, atque alia ad belli uſum neceſſaria perindè, ac vicinioribus curantur. 1648.

In Hiſpaniâ res publica ab noſtris, quàm in Italiâ meliùs hoc anno geſta. Catalonia Michaëli Mazarino Cardinali nuper decreta fuerat: ſed eò ab Româ profectus poſtquàm tantiſper agitaverat, ſubitò ad Urbem rediit, ſeu hujus deſiderio tenebatur, ſeu Provinciam in quâ bellum gerendum erat, alterius cujus id operâ fieret magis, quàm ſuam fore rectè arbitrabatur, nam homini Eccleſiaſtico, ac Monacho bellum attingere fas non fuit: cæterùm Mazarino fratri conſilium fuiſſe aiebant, hominem eò mittere, quò plurimùm dignitatis, rei publicæ autem gerendæ aut nihil, aut minimùm haberet: neque illi ſatis placebat fratrem Romæ agitare, quò multa injuſſù ſuo movebat. Hæc igitur Provincia Michaëlis diſceſſu vacua Carolo Schombergio Equitum Tribuno continuò decreta, qui ne ipſe quidem lubens priùs in eam diſceſſit, quàm data huic fides eſt ſemeſtrem modò futuram: nam tametſi virtus, & audacia homini, atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen erat otii cupido, atque Aulæ deditus animus.

Hic ubi Barcinonem Provinciæ caput advênit, neque Tarraconem ad mare, neque Ilerdam ad Sicorim ſicuti antehàc cæteri ſibi oppugnandam eſſe conſtituit, quod illis tentatum antehàc ſecùs ceſſerat, ſed ad Dertoſam animum adjecit. Id oppidum ad Iberum amnem eſt, haud procul ab mari, cuncta ultrà Iberum in Hiſpanorum poteſtate, atque ditione ſunt, præter Ampuſtæ Caſtellaniam, ita appellant parvam quamdam regionem, quæ pars Cataloniæ eſt: eò Miraves oppidum haud procul Dertosâ, ſuprà hanc Flixium ad Iberum eſt. Ampuſtæ Caſtellania Valentianis finitima eſt, Tarraco cis Iberum ad mare ſicut antehàc diximus in Hiſpanorum ditione eſt, haud procul Dertosâ, quò

1648. fiebat, uti noſtros hanc oppugnaturos nuſquàm ſuſpicarentur, cæterà probè munitam, ad quam & ab mari adverſo flumine haud difficilis navibus curſus, atque aditus eſt. Oppidum in citeriore eſt ripâ, ab quâ rates junctæ ad ulteriorem pertinebant, has protegebat munitio ex aggere facta, atque valido defenſata præſidio, rupes aſpera, atque invia ad mœnia circumquâque fermè pertinet, præterquàm ad flumen, nam eò æquioris loci quidpiam eſt, quem hoſtes probè muniverant.

Inceptum ſuum hoſti occultare ſumma cura Schombergio fuit, ita ſicuti antehàc alii Imperatores itinere quod ad Tarraconem, aut ad Ilerdam ferre videretur, ducit agmen : aſt ubi eò ventum, quò ad alterutrum divertere neceſſe erat, ſi alterum oppugnare vellet, neutrò flexit iter, ſed medio itinere præmiſit equites, atque expeditos pedites, qui cis tranſque Iberum circùm Dertoſam ſtationes haberent, ut ne quid commeatûs, aut præſidii ampliùs introduceretur, intereà dùm omnis exercitus adveniret. Qui ultrà Iberum adversùm munitionem quæ rates in flumine junctas tegebat, ſtationem habituri erant, ii è regione Flixii tranſiêre : qui autem cis Iberum manſuri, ii quod æquioris loci rupes inter, & amnem eſſe diximus occupavêre. Illic Franciſcanorum Cœnobium eſt, quò pedites centum locati, idque futurum erat Schombergio oppidum oppugnanti Prætorium. Sed hoſtes facti in tantâ vicinitate certiores, cuſtodias eò ab noſtris negligentiùs agi, eruptionem ab oppido fecêre : primùm quadringenti, dein omnis in ſubſidiis equitatus, poſtremò oppidanorum magnus numerus, qui improvisò ad Franciſcanorum ædes advenientes oppreſsêre noſtros : nam hi inter tumultum, & trepidationem neque arma capere, neque providere, aut adminiſtrare quidquam potuêre : prætereà deſerti ab cæteris in quibus nihil auxilii fuit, deditionem fecêre, ac captivi omnes in oppidum abducti ſunt.

Ita ſeſe habebant principia, cum Schombergius, atque unà omnis exercitus advênit, quem hoſtes ex tantulâ re quoniam ex ſententiâ evenerat, ſuprà modum feroces clamoribus quæ ſui fiduciam, & noſtri contemptum oſtentarent, excepêre. Poſtpaulò cum Urbis ſitum contemplaturus propiùs mœnia Schombergius acceſſiſſet, pila tormento emiſſâ *a* Boſcum Roglium qui Imperatorem comitabatur, interemit, is vir fortis, multorumque ſtipendiorum fuit, cui ob rei militaris ſcientiam datum fuerat aciem inſtruendi munus. Primùm ultrà Iberum, quò propè omnia præter Flixium, & Miraveſem ſicuti ſuprà diximus, in hoſtium erant poteſtate, caſtra ab noſtris properè munita, atque amnis ratibus aliquanto ſuprà oppidum intervallo junctus, ut hinc, indè pervia caſtra eſſent, Uldecona, atque Roſella quæ loca hoſtibus ultrà Iberum haud procul caſtris opportuna fore videbantur, capta, direpta, labefactata. Hiſpanis Franciſcus Mello Imperator erat, is uti noſtros averteret ab Dertoſâ, Flixium tentavit, quò commeatus, atque alia ei rei quæ agebatur idonea congeſſerant : hæc advehere aut terrâ, aut ſecundo amne eò facilius erat, quod Flixium inter, & Dertoſam medius eſt Miraves, opportuna

a Boſc de Rogle.

portuna hinc indè commeantibus ſtatio, qui uterque locus, ut ne in poteſtatem hoſtium veniret, Schombergio cautio fuit. 1648.

Igitur Franciſco Hannibale *a* Eſtræo Coveræo Marchione in caſtris pro Prætore relicto, ipſe cum Marſino Legato, & Hardio Truſſæo, duobus ſclopetariorum millibus, & mille quingentis equitibus Flixium de ſecundâ vigiliâ contendit, atque ubi oppido appropinquabat, Marſinum cum Baltataris equitibus præmittit, qui ſpeciem omnis advenientis exercitûs Hiſpanis præberet: is ſtationes eorum pellit, ac ut ne quid ampliùs faceret, nocte prohibetur. Hiſpani vaſis ſilentio collectis clàm abiêre, quod ubi dies aperuit, Schombergius introducto Flixium majore præſidio properè ad caſtra rediit. Triduum tormentis quaſſatæ munitiones Dertoſæ ſunt, ac nonnihil labefactatæ. Intereà Schombergius Hiſpanos ad Matthæi-Fanum diei unius itinere caſtra habere per exploratores cognovit, atque auctos aliquanto copiarum numero de caſtris quæ ultrà Iberum erant oppugnandis conſilia inire, prætereà Claſſem ad Iberi oſtia propediem venturam, quæ ad Dertoſam accedere conaretur, ad hoc milites in terram cis Iberum exponeret, quâ parte neque vallum, neque foſſâ caſtra muniebant, ita undique cis, tranſque Iberum, terrâ, ac mari pericula inſtabant, ni maturè Schombergius hoſtium conſiliis præverteret.

a D'Eſtrée, Marquis de Cœuvre.

Igitur IV. Id. Quintiles quæ dies Eulaliæ virgini ſacra eſt, Divæ Barcinonenſium tutelari, & quæ ab cæteris Catalanis piè, ſanctéque celebratur, Schombergius per Tubicinem ſignum deditionis ſi hanc facere Dertoſani æquis conditionibus velint, cani jubet, qui ſi ceſſarent, nullam hujuſce rei poſthàc copiam eſſent habituri, ſed omnia quæ ſors belli ferret paſſuri. Quod ubi ſunt aſpernati ſtolidè feroces homines, Marſinum Legatum robora virorum ex omni exercitu ad tria millia peditum deligere Schombergius imperat, atque in munitiones hoſtium impetum facere, cujus rei gerendæ ſeriem huic præſcribit, niſi ſi quid aliud agentem, molientemque res moneat, ipſi caſtrorum Præfecti cum Legato unà adfuêre: ab haſtato qui prælium inituri erant, ab ſingulis vexillariis prima ſubſidia, ab Procenturionibus ſecunda, ab Centurionibus poſtrema acies ducebatur, Tribuni cum reliquis cohortibus, Caſtrorum Præfectis Eſtræo, & *b* Lafario, atque ipſo Marſino Legato ſequebantur: primi per ruinas evadere, ſecuribus palos, atque alia quæ objecta erant perfringere, malogranata, atque alios miſſiles ignes jaculari. Sed qui oppidum defenſabant, ii haud timidi reſiſtunt, continenti tormentorum, atque ſclopetorum flammâ, ac ſtrepitu munitiones collucent, ac perſonant, multi utrimque pilis, aut glandibus icti cadunt: qui è noſtris in foſſam deſcenderant cuniculo ab hoſtibus accenſo labefactati tantiſper ſuſtinuêre impetum, dein dilapſo periculo in ſemilunam quæ ultrà foſſam erat tranſcendunt: ſed in eam ab oppido tanta pilarum vis tormentis mittebatur, ut eò conſiſtere nequirent, atque adeò retulêre pedem. Id ubi Marſinus eſt conſpicatus, qui in ſubſidiis erant, eos evocari jubet: aderat Truſſæus & ipſe caſtrorum Præfectus,

b Le Marquis de la Fare.

1648. ſi cui uſui Legato in re tantâ eſſe poſſet, ab quo uti ſibi liceret quos evocabat adducere enixè poſtulat, atque factâ poteſtate dum quod imperatum erat facit ſedulò, adproperatque, glande ictus occubuit, vir genere, atque virtute clarus, pater Præfectus Prætorio fuerat, cujus rerum capitalium in Aulâ, atque venalium cognitio, ac judicium eſt.

Sed noſtri & qui evocati ab Marſino, & qui ab ſemilunâ pulſi fuerant, ubi & animam, & animum receperant, undique ſimul omnes in eam irrumpunt, pelluntque indè hoſtes, qui abeuntes cuniculo in ſemilunâ præparato admovent ignem: hac peſte quidam fortè ſuperſtantes, aut vicini abſumpti, at disjecta humus complevit foſſam, facilioremque ad ſemilunam cæteris aditum præbuit: noſtri perculſos, atque in propugnaculum fugientes hoſtes perſecuti, ſicuti continenti agmine unà cum his oppidum ingrediuntur, ita momento temporis urbs capitur. Hoſtes cum urbis Præfecto, is erat Jacobus Briſuëla Salcedus Hiſpanus, pars in arcem, alii in Templa confugiunt, Epiſcopus cum telo repertus capitur, abduciturque, diſcurritur ad prædam, pleraque avaritiæ, & lubidinis exempla eduntur, nam crudelitatem genti noſtræ nemo verè objectaverit, ubi per duas horas direpta urbs, ſedatuſque tumultus fuerat, noſtri ad arcem pergunt ire, quo Briſuëla cum aliquot militibus receperat ſeſe.

Is ex ingenio gentis ſibi, & profugo, & omnium rerum egenti conditiones ſicuti aliquamdiù propugnare poſſet ferri æquum cenſebat: ſed quas Schombergius voluit latæ, acceptæque: ut ipſe, Centuriones, Procenturiones, Vexillarii ſuccincti gladiis egrederentur arce, milites verò gregarii, captivi omnes in Galliam abducerentur: convênit præterea quod ſuâ ſponte facturus erat Schombergius, ut Eccleſiaſticis in oppido ſua omnia relinquerentur, oppidanis ubi Ludovico jusjurandum eſſent polliciti, manendi in Urbe copia eſſet, atque aliò ne migrare cogerentur. Reliquum æſtivorum refectæ Dertoſæ munitiones, ac muri qui haud mediocriter inter oppugnandum tormentis labefactati fuerant, præterea prælia levia alia aliis locis facta. Tarracone haud procul, atque in eâ regione Salonem ad mare poſitum oppidum, quod Hiſpani claſſe venientes oppugnaturi videbantur, noſtri tutati ſunt: poſtremò miſſi qui ab Fragâ ad Ilerdam commeatus prohiberent, nonnullos intercepere, dein copiæ in hyberna deductæ, Schombergius ſicut initio pepigerat, æſtivis confectis in Aulam rediit.

Vulgatum eâ tempeſtate eſt Philippum domeſticis ſimultatibus impeditum ſegniùs bellum hoc anno defendiſſe: nam optimates Hiſpaniæ Grandes appellant, Regi quò minùs hujus filia unica Maria Thereſa regni hæres Ferdinando Imperatoris filio nuberet, obſtare voluiſſe, rectiùs nupturam Joannis Luſitaniæ Regis filio dictitantes. Philippus Gentis ſuæ Auſtriacæ decus illis nuptiis auctum iri exiſtimabat, ſi Germanorum, Hiſpanorumque Imperium in filiam, atque generum caderet: Grandes autem Hiſpaniæ paci conſultum iri cenſebant, ſi Luſitaniæ Regnum per Philippi filiæ, cum Luſitaniæ Regis filio nuptias

denuò cæteris Hiſpaniæ Regnis conjungeretur, ac tota Hiſpania Hiſpanis, non Germanis Principibus parêret, quorum eos tædium jam indè ab Carolo V. cepit: ſatiùs eſſe pacem per has nuptias patriæ parare, quàm alteris civile bellum alere, quod perpetuum, aut diuturnum fore videatur. 1648.

In Germaniâ Maximilianus Baioariæ Dux pactarum cum Suecis induciarum fidem violaverat, ſicuti ſuprà memoravimus. Sed & hæ unà cum Gallis pactæ fuerant, adversùm quos tamen Maximilianus remittebat bellum gerere, ſi fortè eo pacto Ludovicum pacatum habere poſſet: at hunc fœderis quod ipſi cum Suecis intercedebat religio ceſſare prohibebat, cùm ipſi bello laceſſerentur. Igitur Turenam copias Rhenum traducere, & cum Suecis conjungere jubet, equitum tria millia & quingenti, ac totidem pedites fuêre, qui propè omnes Germanicis bellis inveteraverant Galli, Germanique. Vrangelius qui Suecis Imperator erat, apud Gaïlhauſem, Coniſmarcus qui ſeorſim exercitum ductabat, in quo Haſſorum auxilia fuêre, apud Saliſmonaſterium habebant caſtra, quæ omnes Suecorum copiæ in unum conductæ ſub armis, ſignisque ſicuti ad pugnam inſtructæ Turenam accepêre, utrimque tormenta perſtrepuêre, atque hæc exercituum inter ſe coëuntium conſalutatio fuit, dein inter tubarum, ac tympanorum ſonum epulæ per omnia caſtra, atque contubernia celebratæ.

Triginta quatuor cùm equitum, tùm peditum millia in his exercitibus fuêre, equorum, atque jumentorum centum amplius millia vehendis commeatibus, tormentis, impedimentis, quin & ipſis calonibus, lixis, pabulatoribus: nam quacúmque procedit agmen, Germani, Suecique omnia abducunt jumenta, atque his quamdiù idonea ſunt utuntur, clauda, atque invalida paſſim relinquunt. Auſtriaci, atque Baioari viginti octo millia fuêre, par equitum, & peditum numerus: at illi quoniam per hyemem geſſerant bellum, ipſis, atque equis eorum fatigatis aliquâ quiete opus erat. Præter has copias Maximilianus alias ad Danubium cogebat, quod idem Ferdinandus faciebat in Boïohemo, atque apud Viadanam ipſam per Bochaïmum, & Vertium. Ab Mæno ad Danubium plena militibus erant omnia, ſed ut anni tempus erat, plerúmque in ſtativis agitabant, nihil properantes ob pabuli per agros inopiam æſtivorum tempus antecapere. At hæc ubi incæpta, continuò noſtri, atque Sueci Danubium versùs movêre, Caſtella aliquot, atque alia loca minùs firma ex itinere illi cepêre, Sueci verò Dunkeſpielem.

Nondum tamen viſum Danubium trajicere, donec Coniſmarcus Ægram in Boïohemo commeatum introduxiſſet, quam Auſtriaci poſitis haud procul circumquâque præſidiis prohibere commeatu, & rerum neceſſariarum inopiâ ad deditionem cogere nitebantur. Coniſmarcus convecto Ægram frumento, atque aliis quibus egebat rebus, ad caſtra redit, fruſtrà tentatâ ex itinere Ambergâ, quæ in ſuperiore Palatinatu poſita eſt. Inter has moras hoſtes copias novis quos confecerant delectibus haud mediocriter auxerant, quæ res ipſis animos addi-

1648. dit, uti noſtris ad Danubium moventibus, idem & ipſi facerent. Igitur ad Guntsburgum habuêre caſtra, quod oppidum ad Danubium eſt, æquo Ulmam inter, & Laugingam ſpatio, eòdem eſt pontis copia. Galli, Suecique ad Langenavium, quod ab Guntsburgo horæ unius itinere abeſt, proceſſerant, decreverantque apud Laugingam quæ jam annum Gallorum præſidio tenebatur, Danubium ponte cujus & eò copia eſt trajicere, caſtriſque Guntsburgum inter, & Auguſtam Vindelicorum poſitis hac Urbe hoſtes quibus tùm caput belli, & rerum erat, intercludere: quod ubi ſensêre, Guntsburgo reſciſſo priùs ponte properè movent.

Turena, atque Vrangelius apud Laugingam habuêre caſtra, undè equitum alas decem præmittere viſum, quæ hoſtem attinerent: hæ Danubium eò traducuntur, pars è Turenæ exercitu, quos ipſe ducebat, alii Sueci duce Coniſmarco. Cornu ſiniſtrum hoſtium, nam in cornua duo fermè Germani omnes dividunt copias, apud Zuſmarhauſen reſtiterat, pedites (duo propè millia fuére) in fronte locati, equitatus in ſubſidiis erat, prætereà tormenta ſex: natura loci receptui hoſtium idonea, paſſim ſaltus, atque paludes erant. Cornu hoc Gallis, Sueciſque objectum erat, quò cæterorum hoſtium diſceſſum pugnando tegeret. Turenam, & Coniſmarcum ſubſecutus erat Vrangelius, cum reliquis copiis. Turena cum equitibus ſuis primus ad hoſtes pervênit, trecentos emittit, qui initium pugnandi faciant: hi primò pulſi, donec omnis advênit equitatus. Ibi verò hoſtes retulêre pedem, & ad proximas contulêre ſe ſylvas, in quibus freti loco ſuâpte naturâ impedito, ſemel, atque iterùm haud impigrè converſo gradu propugnavêre, cæterùm turbatis ordinibus, ac compluribus cæſis poſtremò nihil ſatis in armis, atque virtute præſidii porrò eſſe ſensêre, itaque receptui conſuluêre.

Planities poſt ſaltum erat, in quâ quindecim Imperatoris equitum alæ ſtabant in acie, quarum intervallis recepti qui ab noſtris pulſi fuerant, ipſi feſſi integris illis delegavêre pugnam: ſed hæc haud æqua noſtris item feſſis, & paucioribus adverſum plures, recenteſque fuiſſet, ni Vrangelius cum Suecis in tempore adveniſſet. Ibi verò prælium atrocius quàm antea fuit, aderat ipſe Milander, penes quem ſumma rerum in Auſtriacorum erat exercitu: ſed nec Imperatoris, ac nonnullorum virtus, & exemplum prohibuêre, quin & hi referrent pedem, atque ad ſaltum alterum quò ferebat recipientium ſeſe iter, citato gradu ſe conferrent. Eò octingenti fuêre pedites, cum tormentis aliquot, qui pilis, glandibuſque noſtros perterrefacere conati pauliſper rem ſuſtentavêre, atque ipſi equites inſtaurare prælium velle viſi, diffidentes tamen rebus ſuis abſcedere pergunt, ſpem nacti id ſe ſatis tutò facturos, intereà dùm pedites in ſaltu hoſtem morarentur.

At Galli, Suecique hi ab ſiniſtrâ, illi ab dextrâ pedites aggreſſi facilè pellunt ſaltu, dein equites qui receperant ſeſe properè aſſecuti cunctos niſi qui in propinquas diffugêre ſylvas, cecidêre. Turena vexilla ſeptem ubi primùm cum hoſtibus prælium incæperat, iis detraxerat,

ac tunc cum Vrangelio unà pugnans ſex alia capit, ipſe Milander, atque alii Auſtriacorum duces egregiè pugnantes occubuêre. Galli, Suecique porrò hoſtes perſequuntur, atque in eos incidunt, qui impedimentis præſidio erant, quibus fuſis, fugatiſque eâ prædâ potiti ſunt. Baioari omnes, atque Auſtriacorum pars magna Schmutſerem amnem qui haud procul Auguſtâ eſt, trajecerant, quò noſtri perſequendi hoſtes finem fecêre: nam & reſciderant pontem, & quam tenebant ripam, eam egregiè muniverant. Eò Baioari pedites præſidium agitabant, equitum alæ quinque in ſubſidiis locatæ, quibus Ulricus Vitembergus vir Princeps præerat, cæteri Auſtriaci, atque Baioari in propinquo monte munitiſſima habebant caſtra. 1648.

Turena, atque Vrangelius cum ſolo qui aderat equitatu, eóque haud mediocriter ab tantâ re uſquè geſtâ fatigato, nihil ſibi ultrà conandum decrevêre, intereà dùm pedites, atque tormenta, quæ aliquo intervallo ſequebantur, advenirent. Quæ ubi adfuêre ſubitò adversùm hoſtes locata magnam eorum edidêre ſtragem: poſtridiè noſtri haud ceſſaturi erant, & quâ amnem trajicerent perveſtigaturi, atque adeò proxima hoſtibus imminebat pugna, cujus metu ſilentio noctis vaſis collectis Auguſtam versùs abſcedunt, atque caſtra ſub ipſis mœnibus, tormentiſque Urbis ponunt. Ita Auſtriaci, atque Baioari ſeſe victos, aut certè maximè labefactatos eſſe demonſtrabant: cæſi namque fuerant, captive ad quatuor millia, tormenta decem, impedimenta omnia adempta, ipſe Milander qui illis præerat, cæſus. Is per hæc bella Guillelmo Haſſiæ Langravio meruerat, ubi ipſe aberat exercitum ductare ſolitus: qui poſtquàm obierat mortem remque filii Amelia Elizabetha Hannauvia mater per illius pueritiam procurabat, tùm belli gerendi ſumma ad Milandrum redierat, quod Guillelmus adversùm Auſtriacos Gallis, Suecisque ſocius uſquè geſſerat. Sed id conditionibus componere, ac neutri parti ſtudere Milander Ameliæ autor fuerat, ſalubri in ſpeciem mulieri viduæ conſilio, cæterùm jam tùm Auſtriacis hoſtibus favebat, quibus poſteà meruit, conſilio, quàm manu melior habitus.

Sed intereà Amelia Elizabetha ex fœdere, & ſocietate quæ ipſi cum Gallis, Suecisque intercedebat, pro parte ſuâ capeſſebat bellum, per Geiſium hominem impigrum, quem filii copiis præfecerat. Is Lamboïum unum ex Auſtriacis ducibus, qui jamdiù Bredebendum Caſtellum oppugnabat, aggredi, atque indè pellere decrevit. Sed Lamboïus priuſquàm Geiſius adveniret, caſtello per deditionem potitus reficiundis ex oppugnationis labore militibus abſceſſit, quos feſſos Geiſio, atque Haſſis recentibus, & integris objectare haud ſatis conſultum exiſtimabat, ſimul optimum factu viſum copias augere, ut æquis, aut pluribus cum hoſte decertaret. Igitur Antonacum versùs movit, nam id belli haud procul Coloniâ Agrippinâ gerebatur. Eò *a* Arckii, & Fuſtembergi Comitum copias conjunxit ſuis, dein pedites navibus impoſitos ſecundo Rheno *b* Aleſum ire jubet, ipſe cum equitatu eó-

a Les Comte d'Arck, & d Fuſtemberg
b Zong.

1648. dem contendit. Apud Grevembroïcum Haſſi habebant ſtativa, quos de adventu ſuo quàm maximè celatos Lamboïus volebat, atque adeò ſuos ſedulò continuerat caſtris, quos poſtridiè in aciem eduxit.

Nihil tamen Geiſium feſellerat hoſtem eſſe in propinquo, ſeque, & milites ad craſtinam apparaverat pugnam, nullaque adeò fuit mora, quin & ipſe hos educeret caſtris, aciemque inſtrueret: utrimque primò pugnatum acriter, & quò rem fortuna inclinaret, aliquamdiù in incerto fuit. In cornu dextro Haſſorum perturbati ordines, neque reſtituendi, aut conſiſtendi ſpatium Auſtriaci dedêre, qui mox planè pulſo eo cornu ſicuti partâ victoriâ effusè prædari, nihil quid aliò gereretur ſoliciti. In eo primo conflictu Wied Comes Haſſus, & ducenti alii capti, pauci cæſi, cæteri ad cornu ſiniſtrum refugerant. Eâ parte Haſſi rem egregiè gerebant, qui ubi cornu ſui dextri reliquiis aucti ſunt, ibi verò dextrum hoſtium cornu profligavêre, dein prædantibus qui in ſiniſtro cornu ſeſe planè victores arbitrabantur, intervenientes & hos facilè fudêre. Haſſi ad quatuor millia pedites, ad duo millia equites, & præterea quingenti fuêre: Lamboïus octo millia peditum, equitumque ſub ſignis habuit, ex eo numero cæſi millia duo, capti duo millia quadringenti, vexilla triginta, tormenta undecim, equi ſexcenti, Lamboïus cum reliquiis profligati exercitûs, & Sparro Legato Coloniam profugit.

Poſtquàm Turena, atque Vrangelius Auſtriacos cum Milandro ipſo ceciderant, coëgerantque eorum reliquias cum Baioaris ſub Auguſtæ mænibus ponere caſtra, ipſi de traducendis Licum amnem qui Urbem præterfluit copiis conſilium inière. Turena quò longius ab Auguſtâ diſcederet, eò pauciores, ac negligentiores hoſtium ad amnem cuſtodias inventurum ſe ratus, ad Oberdorfium movit, Danubium verſùs. Raïnum eſt ex adverſo, munitiſſima Baioarorum arx, Licus amnis æquo inter utrumque locum ſpatio Danubium ſubire properans fluit, pons ſuperſtratus eſt, quem ab utraque parte Caſtella, præterea ab Raïno tormenta protegebant: eò & deſcenderant ab Auguſtâ hoſtes, quò noſtros tranſitu fluminis arcerent. Sed hos Turena tormentis adeò territavit, ut & Caſtella, & pontem ſilentio noctis abſcedentes dèſererent: ponti injecerant ignem, ſed is ſubitò reſtinctus ab Turenâ, qui brevî copias eò traduxit, relictoque in Caſtellis quæ in utrâque ripâ ad pontem erant præſidio, ulteriùs pergit ire: idem Vrangelius facit, qui aliò Suecorum copias amnem traduxerat. Ambo igitur Baioariæ fines ingreſſi ad Iſarem amnem alium contendunt, Fruxinum, Friſingam tùm appellant, atque Landshutum haud difficulter capiunt, Moſburgum quod interjacet ad Ambri amnis oſtium ultrò hoſtes deſeruêre, quò pecoris magna inventa copia noſtris uſui fuit, levavitque commeatûs inopiam, quæ in regione ab incolis vaſtatâ, ut ne quid hoſti relinquerent, nonnulla erat. Hoſtes ponte interrupto qui ab Fruxino ad alteram pertinebat ripam, in hac conſtiterant, munitionibus quas exſtruxerant defenſuri ſe, ac noſtros tranſitu prohibituri: poſtridiè tamen

ubi tormenta apparari, atque diſponi adversùm ſe conſpexêre, nequid ampliori morâ offenderent, maturè diſceſsêre. Apud Fruxinum ſubitario opere conſtructis pontibus traductæ Iſarem copiæ ſunt, dein his deſtructis, apud Landshutum is quem hoſtes interruperant eſt refectus, relictumque eò præſidium. 1648.

Ad Oenum porrò amnem concedente hoſte, eódem Turena, & Vrangelius properavêre: ſed hic amnis cæteris altior, rapidiorque Auſtriacis, atque Baioaris, qui hunc maturè trajecerant, munimento, ac ſaluti fuit: neque enim aut vado, quod nullum erat, aut ponte quem conſtruere natura fluminis, atque hoſtes ex adversâ ripâ prohibebant, tranſiri poterat. Ad Vaſſerburgum dies aliquot fruſtrà conſumpti, id oppidum ad Oenum poſitum eſt, egregiè qui præſidio erant propugnantibus: Muldorfium ad eumdem inferius amnem captum, præſidiumque oppido impoſitum. Ita ab Lico ad Oenum omnis Baioaria Gallis, ac Suecis obnoxia fuit, Maximilianus Saliſburgum profugus abiit, rem tanto, atque id ætatis Principe, nam ſeptuagenario major erat, haud ſatis dignam: præterea ad hæc mala perſeſe gravia morbus qui cumulum faceret, acceſſit.

Dùm hæc in Baioariâ geruntur, Coniſmarcus quem ab Vrangelio diverſum ſæpiùs exercitum ductare ſuprà memoravimus, ab Brixio quò impedimenta omnia locaverat, in Boïohemum citato agmine profectus eſt, nam pedites jumenta carris omnibus ſuis, & alienis detracta conſcendere juſſerat, tantaque celeritas maturando itineri eſt adhibita, uti priùs ad Pragæ portas adeſſet, quàm de eò hoſtes quidquam ſenſiſſent. Noctu de induſtriâ advenerat, & quàm propiùs copia fuerat, occultus conſtiterat, dein apertis ubi illuxerat portis intulit ſeſe, ac cæſis cuſtodibus, ad interiora pergit: quò viſum, eò præſidia locata, ac maximè apud Regiam, in quâ omnis regia veſtis, atque ornamenta regni fuêre, biduum direpta Urbs eſt, Haracus Cardinalis Pragæ Archiepiſcopus, cæterique proceres capti, atque abducti, Coloredus inter tumultum, ac trepidationem omnium nando in veterem Pragam profugit, quam atque novam Pragam Molda amnis ab parvâ quam Coniſmarcus ceperat, dividit. Huic ſtudium ingens erat omnis Pragæ cis, tranſque Moldam potiundæ, atque eâ gratiâ Vitembergum, qui & ipſe Sueciæ Reginæ merebat, ab Marcomannis acceſſiverat, quò ſeorſim gerebat bellum.

Sed res major erat quàm ut ab utroque confici poſſet: nam Sueci campeſtri bello magis, quòd ſe ipſum fermè alit, quàm urbium oppugnationibus idonei ſunt, quæ cum ingenti ſumptu fiunt, itaque fruſtrà Coniſmarcus tantàm rem aggreſſus erat. Id modò tantiſper reipublicæ uſui fuit, quod Ferdinandus Imperator primùm Pragæ veteri, atque novæ metuens, quas habebat in Boïohemo copias, eas aliò mittere non eſt auſus. Sed ubi ea formido dilapſa, ac validum veteri, atque novæ Pragæ ultrà Moldam impoſitum præſidium eſt, omni aliâ re poſthabitâ omnes copias quæ in Boïohemo, atque in aliis Imperatoris

1648. terris fuêre, Boïodurum, Paſſavium nunc appellant, convenire juſſit. Eò Auſtriaci, atque Baioari ſtativa habebant, quò ubi omnes Ferdinandi copiæ advenêre, iis Picolominium præficit, ſimul Maximilianus novis delectibus ſuas auxerat copias. Ubi utrique ſeſe ſatis validos ſenſêre, ſecundùm ulteriorem Oeni ripam Scerdingam movêre: pons illic ſuprà amnem eſt, quò Picolominius traduxit exercitum, caſtraque ſylveſtri, ac paludoſo habuit loco, prætereà vallum foſſamque addidit, ut omnem pugnandi ſpem Gallis, Suecisque adimeret.

Hi & eò contendêre, biduumque caſtra caſtris collata habuêre: dein conſumpto omni commeatu, pabuloque, ad Vilſium movêre amnem. Is valle amœnâ fluens, ad Vilshovenem Danubium ſubit. Octiduum in hac valle Galli, Suecique agitavêre, intereà dùm Auſtriaci, atque Baioari quàm longiſſimè ab his poterant Danubii legentes littus ad Vilshovenem iêre. Conſumpto in Vilſii amnis valle omni pabulo, noſtri ad Iſarem habuêre caſtra, apud Dingelfingam, circúmque, quò pontes duos conſtruxêre, uti cis, tranſque amnem pabulari copia eſſet, ſimul uti Landshuto quod præſidio tenebant, ſi res poſtularet, auxilio eſſent. Duvallius apud Lici pontem, atque Caſtella quibus Turenam potitum Oberdorfium inter, & Raïnum ſuprà memoravimus, aliquantum copiarum numerum habebat, quos Neoburgum ad Danubium ducere juſſus eſt, relicto ad Lici pontem, Caſtellaque idoneo præſidio.

Id eò fiebat, ut apud Neoburgum Danubium trajicere Gallis, atque Suecis copia eſſet, ſi idem facere apud Ratisbonam, aut Ingolſtadium Auſtriacis, atque Baioaris conſilium foret: ſed hi quoque ad Iſarem movêre, refectoque quem nuper profugientes reſciderant apud Landavium ponte, eò habuêre caſtra. Haud procul Sueci Caſtellum ſclopetariorum equitum præſidio tenebant, quos in tantâ vicinitate ſedulò ſpeculantes nihil in hoſtium caſtris fallebat. Illi conſpicati equites cum Trucmullero, & Ulrico Vitembergo egredientes Vrangelium ſubitò faciunt eâ de re certiorem, equitum numerum, quóve tenderent, indicant. Gallos, Suecoſvè pabulatores excipere conſilium erat, quos ex conſuetudine, & licentiâ incautiores futuros ſuſpicabantur. Vrangelius è Gallicis Suecicisque copiis duo millia equitum deligit, progreſſuſque obviam hoſti hunc primùm intercludit caſtris, dein prælium incipit. Id per horam planè atrox fuit, hoſtibus haud timidè reſiſtentibus, poſtremò tamen Trucmullerus ubi complures è ſuis cæſos captoſve, ſeque cum paucis relictum videt, Straubingam quæ in propinquo ad Danubium erat, profugit, Ulricus Vitembergus fugæ conſilium aſpernatus ad extremum ſuſtentatâ re, inter primores dimicans capitur denique.

Hujus maximè virtuti, poſt malam apud Zuſmarhauſen pugnam, Ferdinandi, atque Maximiliani res ſteterat, neque poſteà uſpiàm per Baioariam abſcedentem hoſtem noſtri fuerant aſſecuti, quin eò Ulricus ſummâ vi horum impetum ſuſtentaverit, intereà dùm ſui in tuto

locarent

locarent munirentque caſtra, aut ab hoſte victore longiùs abirent. Turena nihil apud hoſtes tutum, aut quietum patiebatur, quin per expeditas equitum turmas, alaſque aut pabulantes, aut quid aliud agentes, conanteſve interciperet: eo pacto capta jumentorum millia duo, capti & ampliùs ſexcenti ex hoſtibus. Viginti tùm, & quatuor millia fuêre, equites plerique: par noſtrorum propè numerus fuit. Reliquum æſtivorum apud Iſarem utrique ſtativa habuêre, dein ad Licum Galli, Suecique regreſſi: hi apud Donaverdam Danubium trajecêre, atque circùm Norimbergam agitavêre: illi idem apud Laugingam fecêre, atque eò ſicuti & ad Lici pontem, caſtellaque validis relictis præſidiis in Vitembergenſi agro commorati ſunt, donec rebus omnibus apud Monaſterium Veſtfalorum compoſitis, pax denique ſancita eſt. 1648.

Nihil certè opportunius accidere potuit, quàm iſta pax in Germaniâ ſancita, uti bello quod eò gerebatur Gallia levata, faciliùs poſthàc civile quod imminebat toleraret. Id cùm brevî futurum Mazarinus ſatis provideret, atque adeò ſe Condæi virtute opus habiturum, quâ unâ ſuſtentari poſſe res publica videbatur, partim ſponte ſuâ, partim amicorum hortatu hunc ſibi aliquâ ſingulari neceſſitudine adjungere conſtituit. Ludovico Valeſio Aletzio Comiti virgo filia erat unica Franciſca Maria, cujus avia Carolæ Margaritæ Mommorantiæ Condæi matris ſoror, atque adeò ipſi Condæo amita fuerat, quo propinquitas huic cum Valeſiâ virgine magna intercedebat: ipſa virgo proavum Carolum IX. Regem habebat, cui ſcilicet avus Carolus Valeſius Inculiſmus Dux ex concubinâ natus fuerat: hanc virginem uti Mancinus ſororis filius duceret, Mazarinus cupiebat, ſpem nactus gratiâ, & potentiâ ſuâ quod in ſororis filio virginis generi impar erat, id æquari poſſe. Sed Condæo iſthuc haud ſatis placuit, tametſi Mazarinus omnia ex hujus voluntate ſeſe deinceps facturum in re publica, atque in familiari demonſtraret: aliter viſum Longavillæ Condæi ſororis viro, qui utrùm hæ nuptiæ ſatis dignæ Valeſiâ virgine eſſent, parùm ſolicitus, earum ſpe Mazarinum adducere conatus eſt, uti ſibi Gratiæportum, cui ſuprà Vignerotium Richelium Præfectum eſſe diximus, huic ablatum ab Rege, & ſibi permiſſum vellet.

Sed ea res Mazarino iniqua planè viſa, cùm quia vix quidquam alicui adimi ſolet, ut alteri tradatur, tùm quia Valeſiæ virginis cum Mancino nuptiæ non ex Longavillæ, ſed magis ex Condæi voluntate fieri poterant, quem Mazarinus ſibi adjungere hac affinitate ſtudebat. Quia tamen ex ingenio ſuo clementi, ac benigno dixerat, ſeſe Longavillæ omnia ex animo factum velle, hic continuò etiam infectis Valeſiæ cum Mancino nuptiis Portum Gratiæ promiſſum ſibi ab Mazarino eſſe dictitavit, qui iſthuc ipſi præſtare teneretur: ſed in eâdem ſententiâ haud fuêre Gaſto, atque Condæus, ubi his diſceptatoribus Mazarinus, ac Longavilla uſi ſunt. Mirum fuit Mazarino veniſſe in mentem harum Valeſiæ virginis cum Mancino nuptiarum, quibus hæc in ordinem viri redacta fuiſſet, atque dignitate quæ ipſi principis fœminæ ab na-

1648. talibus eſt, excidiſſet: præterea Ludovico Guiſio Joüſio è Lotharingiâ gente principi adoleſcenti hanc nuptum dare parentibus conſilium erat, ſicuti ſuprà memoravimus.

Aulam inter, & Senatum quantæ de Edictis regiis lites eſſent ſuprà memoravimus, ac poſtremò Reginam hæc planè integra, atque obſervata velle Patribus edixiſſe. Nam hæc rectè, atque ordine in Senatu Rege coràm promulgata fuiſſe cenſebat, ſed & firmiora futura, ſi & apud Rationum, & Vectigalium Curias promulgata forent. Eò miſſi ad illam Gaſto, ad hanc autem Contius fuêre, uti tantis viris de Edictorum Promulgatione negare religio eſſet, cùm ſuper eò negotio Regis Majeſtatem in hac utrâque Curiâ repræſentaturi eſſent. Sed in his haud æquiora ab Primariis Præſidibus Nicolaïo, & Ameloto audiêre, quàm quæ Rex ipſe, atque Regina mater in Senatu ab Molæo audierant: neque tamen eò minùs Edicta utrobique promulgata ſunt, negante utroque Præſide id ex ſententiâ Curiarum fieri, nam idem quod Senatus fecerat, & ipſis facere conſilium fuit, ſcilicet ſingula Edicta perpendere, ac de his liberè ſententiam dicere.

Eò Rationum Curia in qua Magiſtratus ſemeſtrem rei publicæ per vices navant operam, altero quod vacabat Semeſtri accerſito, de Edictis conſultabat, quibuſnam traderentur, uti de his quamprimùm referrent, cùm eſt nuntiatum adeſſe ex Vectigalium Curiâ, qui ſibi adeundi, atque colloquendi copiam fieri poſtularent. Hi ubi aſſedêre. *Rempublicam jamdiù peſſum ire* dixêre, *ac planè perditum iri, niſi quid auxilii in Curiis ſit: non in ſingulis, quæ fruſtrà Adminiſtrorum lubidini uſque obſtiterint, ſed univerſis quas adeò conjunctas oporteret. Id ſentire Vectigalium Curiam, id Magnum Conſilium, & ſi idem Rationum Curiæ videatur, harum trium Curiarum conjunctionem ſtatim fieri poſſe.* Quod cùm ſatis Rationum Curiæ placuiſſet, facta Conjunctio eſt, neque obſtitit quidquam priſtina inter Rationum Curiam, & Magnum Conſilium utriùs primæ partes eſſe deberent, controverſia.

Convenêre igitur delecti ex tribus his Curiis, quibus viſum aperire Senatui conſilia ſua, ut ipſe huic Conjunctioni caput eſſe vellet. Eò ad hunc iêre, & quid rei ageretur Patres edocuêre. Id in majori Claſſe factum, quò aderant & qui ex eâ jus extrà ordinem in Edicti, & rerum capitalium Claſſibus dicere ſolent. Duo ex hac majori Claſſe mitti viſum, qui cum delectis ex tribus Curiis in B. Ludovici Conclavi colloquerentur, & quæ harum conſilia eſſent ampliùs cognoſcerent. Quod ubi factum eſt, viſum denique omnes Claſſes in Majorem quò frequens Senatus haberi ſolet, convocari, quò Senatu frequenti decretum eſt, hunc Ordinem ſibi Magnum Conſilium, Rationum, ac Vectigalium Curias conjunctas velle: eò duos ex ſingulis Claſſibus in B. Ludovici Conclave ituros, quò & hæ Curiæ delectos è ſuo quæque Ordine miſſuræ eſſent, uti quod in rempublicam eſſe videretur, id inter ſe conſultarent: de re omni referretur ad Senatum, atque is quod optimum factu ſentiret, id decerneret: intereà ex Senatûs Conſulto an-

ni c I ɔ. I ɔ c. x v. ſi quis ex Magiſtratibus mortem obiret, in ejus locum admitteretur nemo, niſi priùs illius uxori, atque hæredibus faceret ſatis. 1648.

Ibi verò Adminiſtri ſensêre quantùm offendiſſent, ubi Rationum, & Vectigalium Curiis, atque ipſi Magno Conſilio novam Annuæ pecuniæ ſolvendæ conditionem tulerant: nam ut his hujus rei facultas in proximum novennium foret, uniuscujuſque Magiſtratûs ſtipendia, aut partem horum Rex ſibi retinere decreverat, quâ re maximè exaſperati harum Curiarum animi quæ diximus, ea deſignaverant. Sed iſthuc corrigere viſum: quamobrem Rex edixit ſeſe nullam Curiam, nullum Magiſtratum coactum voluiſſe, ut Annuam Magiſtratuum hæredibus conſervandorum causâ pecuniam perſolveret, ſed eâ gratiâ haud quaquàm his grave futurum exiſtimaſſe, ſi ſibi ſtipendia minuerentur, atque horum partem ſuſtinendis belli ſumptibus retineret: quod quandò ipſis moleſtum eſſe ſentiat, ſeſe eas in eumdem quo erant ſtatum ante datam priori Edicto Annuæ pecuniæ perſolvendæ facultatem reſtituere. Ita redditis unicuique Curiæ ſtipendiis nihil ſatis cauſæ eſſe videbatur, quamobrem in ſuâ de Conjunctione ſententiâ permanerent, eò vel maximè quòd poſterius illud Edictum, ſpem injiciebat fore ut Annuæ pecuniæ perſolvendæ facultas his daretur denique, eâdem quàm antehàc conditione.

At hæ Curiæ non eâ ſe gratiâ, conjunctas prædicabant, ſed uti quàm fœdè, quàm impudenter pecunia publica intervertatur palàm ſit, neque tantâ opus eſſe ad rem publicam gerendam, quanta ab Populo peſſimis, ac pernicioſiſſimis Edictis corradatur. Iſthæc Adminiſtros impulêre, ut è Magno Conſilio duos, ac poſt paulò ex vectigalium Curiâ alios comprehendi, procul ab Urbe abduci, ac velut exulare juberent. Sed hæc territandis cæteris facta, contrà horum magis, ac magis animos accendêre: nam qui nutabant, hærebantque utrùm Conjunctionis Decreto ſtandum eſſet, quandò Aula de ſtipendiis trium Curiarum auferendis ſententiam mutaſſet, ii non ampliùs tergiverſandum cenſuêre, ſed rei publicæ, & familiari, ac ſimul libertati cujuſque ut ne Adminiſtrorum lubidini, atque avaritiæ obnoxia eſſet, conſulendum. Molæus tamen priùſquam de re tantâ ſententias rogaret, perveſtigandum arbitrabatur in Senatûs Actis, utrùm hujuſmodi Curiarum Conjunctionis exempla extarent, quod quidem factum eſt diligenter ab Nicolao *a* Potiero Novione Præſide, ac Renato *b* Potiero Blammenio in unâ ex Inquiſitionum Claſſibus item Præſide, qui Curias quandóque in B. Ludovici Conclavi unâ de rebus diverſis conſultaſſe Senatum fecêre certiorem, cujus rei exempla in ipſis Actis oſtendêre.

a Potier Preſident de Novion.

b Potier Preſident de Blancmeſnil.

Igitur ſententiæ rogari cæptæ, quod non unâ die confectum eſt. Intereâ Decretum Senatûs de Conjunctione Curiarum Rex abrogavit, juſſitque Abrogationem hanc Senatûs Decreti loco in hujus Actis perſcribi: hanc autem attulit Guenegaldus Quatuorvir, atque Cogni-

1648. tori, Actoribuſque regiis tradidit, qui & hanc ipſi ad Senatum attulère: ſuper eâ re Molæus quid dicendum haberent de more ſciſcitatus eſt, qui ſpatium ad rem tantam perpendendam petière, atque ad Reginam eundi, ut exempla Conjunctionis Curiarum in Senatûs Actis eſſe eam docerent. Ubi id factum ab ſe, Collegiſque Talonus renuntiavit, ibi gravem ad hunc Ordinem habuit orationem. *Quæ Regis potentia eſſet, quæ Civium obedientia deberet eſſe, cujus exemplum cæteris præbere Senatum deceret: ſeſe denique juſſos edicere huic Ordini, poſtquàm Rex, atque Regina mater tertiò probibuiſſent, ut ne Senatus frequens haberetur, & ne quid de Conjunctionis Decreto poſthàc conſultaret, quod videlicet ex Conſilii ſententiâ abrogaſſent, ſi pergerent contrà tendere, nihil omiſſuros, quò Regiam Majeſtatem, ac potentiam eam eſſe cuncti ſentiant, cui obniti nemini impunè eſſe poſſit. Quamobrem de Conjunctione Curiarum nullam poſthàc mentionem videri faciundam, ſed apud Regem, atque Reginam expoſtulandum, quod de Annuâ pecuniâ Senatui conceſſiſſent, id poſt triduum antiquatum fuiſſe: cætera quandò tantoperè reipublicæ nocere, atque hoſtibus uſui eſſe Regina dictitet, ita ut in his rei ſuæ prolapſæ brevî reſtituendæ ſpem omnem poſitam habeant, ea ſcilicet planè omittenda. Poſtremò Regi modò, atque Reginæ matri ſupplicandum videri, uti Senatui, ac cæteris Curiis Annuæ pecuniæ perſolvendæ poteſtatem facere velint: huic Ordini quemadmodum antehàc edictum fuerit, cæteris verò Curiis integris quæ uſquè habuère ſtipendiis, neque ullâ ob id dandâ ab his pecuniâ.*

Hæc Taloni oratio mira pluribus viſa, atque Aulæ ſervitium, quàm Senatûs libertatem, ac dignitatem propior: nam minas adferre huic Ordini vix quemquam ſibi mandatum velle, quod ipſe lubens ſuſcepiſſe videatur. Sed Senatum nec ſui de Conjunctione Decreti abrogatio, nec Taloni oratio ab incæpto deterruit. Contrà verò omnes ex Reginæ minis tanta indignatio cepit, uti ſubitò Senatus frequens decerneret, ut ex nupero Decreto ſuo III. Id. Maias dato tribus Curiis ab hujus Ordinis Scribâ nuntiaretur adfuturos poſtridiè in Conclavi B. Ludovici Delectos ex ſingulis Senatûs Claſſibus, quò & ipſæ ſuos miſſuras non dubitet, qui unà colloquantur, ac conſultent, atque intereà Senatum continuò frequentem fore. Id ab Senatûs Scribâ ſubitò factum ex Senatûs Decreto eſt.

Continuò Rex ſcribit ad Senatum, hunc ad ſe venire poſtridiè frequentem, atque heſternum Decretum ſuum adferre jubet: quorum alterum facere viſum, Decretum verò non-modò nuſquàm adferre, ſed ut ex eo Delecti ex Senatu, & Curiis nihilò ſeciùs poſt meridiem in B. Ludovici Conclave convenirent. Patres igitur numero propè centum poſtridiè Palatio egreſſi multitudinem rei novitate excivère, iis benedicentem, precantemque uti quod de republicâ reſtituendâ conſilii cepiſſent, id Regi, ipſiſmet, Populoque feliciter eveniret. Ubi in Regiam advenère, Tellierus Quatuorvir Molæum Reginæ verbis percunctatus eſt, num Decretum adferret? cui ſe illud non adferre liquidò reſpondit. Tellierus ad Reginam redit iſthuc nuntiatum, dein ad

Molæum venit iterùm, ac ſecreto cum eo colloqui velle viſus. Ibi Molæus graviter hunc ita proloqui jubet, ut univerſus qui aderat Senatus exaudire, & quid rei ageretur ſcire poſſet. 1648.

Igitur ſe iterùm veniſſe juſſum ab Reginâ ait, uti ab primario Præſide Molæo reſciſceret, cur Decretum ad Regem non adferretur, quemadmodùm litteris ad Senatum ſcriptis juſſerat. Ibi Molæus, *Dic* inquit, *Reginæ, Senatui non ita viſum, cujus rei rationem huic ſi placeat, redditurus ſim.* His Reginæ ab Telliero renuntiatis, variæ in Regis Conſilio ſententiæ fuêre: alii Senatui Regis, ac Reginæ adeundorum poteſtatem faciundam negavêre, atque ſubitò dimittendum: alii retinendos in Regia Patres, atque inediâ cogendos, uti Decretum Regi traderent: alii qui pertinaciores eſſent eos comprehendendos cenſebant: poſtremò in conſpectum Regis uti venirent viſum, & ab Cancellario hujus verbis graviter objurgarentur. Ubi igitur adfuêre, Seguierus hos ingratos appellavit, qui ab Rege, atque Reginâ matre tàm liberaliter de Annuâ pecuniâ habiti huic tamen ægrè facere nihil penſi haberent.

Annuæ pecuniæ Magiſtratuum hæredibus conſervandorum causâ perſolvendæ facultatem nequaquam ab Rege Senatui, aut cuiquam debitam eſſe, atque adeò ſi hanc dare nolit, neminem ſibi injuriam, aut damnum fieri dicere verè poſſe: ſi igitur hanc ſe daturum neget, niſi ſi qua pecunia ſibi in neceſſarios reipublicæ ſumptus pendatur, id iniquum Senatus cenſebit? & qui id ſentient, iis ſe fautorem eſſe æquum judicabit? Non ipſi ſatis erit ſeſe in eâ re liberaliter habitum, niſi & idem cæteris Curiis fiat? Certè ſocietatem, ac fœdus cum his Decreto feciſſe quàm grave ſit, ipſum æquè, ac ſe, probè ſcire Senatum. At contra Regis imperium iſthuc Decretum, atque adeò fœdus, ac ſocietatem antiquantis, abrogantiſque, tamen ut id ratum, firmumque eſſet, atque ex eo Delecti ex Senatu, & Curiis convenirent, Senatum decreviſſe, id enimverò intolerabile eſſe: quod ni corrigatur, atque ab hujuſmodi Majeſtatis contemptu Senatus diſcedat, & in viam redeat, multa ex eâ re mala his eventura, quorum pervicaciâ iſthæc incœpta ſint, in quos jure agere, & quidquid legum ſeveritas exigit, facere neceſſe ſit.

Poſtquàm Seguierus dicendi finem fecerat, Regis in Conſilio ſedentis Decretum alterum recitari juſſit, quod Senatûs Scribæ traditum, qui id loco ultimi Senatûs Decreti in hujus Actis perſcribere juſſus eſt: hoc altero Regis in Conſilio ſedentis Decreto alterum item Senatûs Decretum antiquabatur, atque edicebatur uti ne frequens eſſe pergeret, ſi ſecùs feciſſet, pro rebelli habitum iri. Quod in eos factum iri Seguierus dixerat, quorum pervicaciâ Senatus adductus tàm inſolita incœperat, Molæum impulit, ut ſi quæ noxa admiſſa videretur, eam ad univerſùm Ordinem attinere diceret, atque adeò nihil eſſe, quod Seguierus in aliquos modò Regem animadverſurum minaretur, nam ubi Senatûs Decretum ſit, id ab omnibus factum cenſeri, ſed ultrà dicendi non eſt facta poteſtas, quamobrem Senatus ab Regiâ in Palatium rediit.

1648. Nihilo ſeciùs poſt meridiem delecti ex Senatu, & Curiis in B. Ludovici Conclave convenêre: ſed nihil eâ die conſultavêre, ſatis magnum operæpretium ſe feciſſe fortaſsè arbitrati, quòd nihili Conſilii Regii decreta pendiſſent, & contrà quàm vetuiſſent, eò omnes convenire, & conloqui cœpiſſent. In Senatu autem qui frequens erat, de Regis in Conſilio Decreto altero actum eſt tantiſper, ſed quia Cognitor, atque Actores regii aberant, res in craſtinum eſt dilata. Eâ die Talonus graviorem priori ad Senatum habuit orationem, quâ multorum animi uſquè adeò accenſi ſunt, ut hominem obturbarent, atque & hic ipſe indignatus ſibi dicendi facultatem eripi, quid ipſe ac Collegæ ſentirent perſcriptum Senatui dederit, id fuit ab eò quòd dixerat diverſiſſimum. Nam Regi ſupplicandum cenſebat ut ne ſuis in Conſilio Decretis Senatum teneri vellet, ſed magis hunc ſuis ſtare, & ut ne Senatum quidquam quod Regiæ Majeſtati, atque potentiæ obſtaret facturum, aut fieri ab aliis paſſurum crederet. Hæc Cognitoris regii, atque Collegarum ſententia non eò Taloni orationem pertinuiſſe demonſtravit, quò plerique putaverant, atque adeò haud obturbandum fuiſſe.

Poſteà loci de Regis in Conſilio Decreto quod Senatu coram in Regia recitatum fuerat, eſt ſeriò conſultatum, ac dictæ ſententiæ graves maximè ab Junioribus. Sed priuſquàm Senatus eâ de re decerneret quidquam, viſum Adminiſtris aliquam inire rationem, quò Aulæ ac Senatûs lites cum bonâ utrimque gratiâ componerentur. Eò apud Gaſtonem convenêre Mazarinus, Seguierus Cancellarius, atque è Senatu Præſides, & è Conſiliariis qui antiquior erat, Decanum appellant. Illic Gaſto de optimâ Regis, atque Reginæ matris ſuâque ergà Senatum voluntate paucis præfatus has huic Ordini conditiones tulit. Uti videlicet Senatui, ac cæteris Curiis Annuæ pecuniæ perſolvendæ ſicut antehàc poteſtatem Rex faceret. Uti Libellorum Magiſtri in Conſilium regium reſtituerentur, ut autem horum numerus ne augeretur ab Reginæ benignitate expectandum. Qui è Magno Conſilio, & Curiâ Vectigalium foris abducti eſſent, ii reducerentur. De Pace quidpiam additum, hanc quamprimùm conficiundam, atque plebem tùm ſublevandam. Præſides gratias egêre Gaſtoni, quod operam his componendis rebus dare voluiſſet, cæterùm quas conditiones tuliſſet, de iis ſibi ex diſciplinâ ad Senatum referendum eſſe. Id ubi factum eſt uno ore cenſuêre omnes, agendas Gaſtoni gratias, quod Senatui, Curiiſque ſatisfactum voluiſſet, cæterùm *Quæ ad ſe attineant, ea non æquè Senatui, ac rem publicam curæ eſſe, huic, plebique ob tributorum magnitudinem egentiſſimæ, atque miſerrimæ ſubveniundum, atque adeò quod eâ gratiâ Senatus decreverit, uti Curiæ in B. Ludovici Conclave conveniant, id faciundum naviter.*

Fuêre prætereà qui ita cenſerent, Reginam edocendam pecuniam publicam fœdè diripi, ac diſſipari, multam pecuniam contrà jus, faſque per Regii Conſilii Decreta ſine Principis Edictis quæ in Curiis

promulgari neceſſe ſit, pro Publicanorum, aut Adminiſtrorum lubidine ab plebe cogi: poſtremò Senatûs decretum ſit, uti Delecti ab hoc Ordine ad Reginam adeant, atque hanc edoceant, quod antehàc decreverint, id rectè atque ordine feciſſe: ubi Delecti ex Curiis convenient, nihil planè ab his niſi quod in rem regiam, & publicam ſit, conſultum iri: Regi, ac Reginæ matri ſupplicarent, uti Conſilii regii Decretum antiquatum vellent: præterea alii ex hoc Ordine ad Gaſtonem mitterentur, qui quam impenderat ad componendas res operam, de eâ huic gratias Senatûs verbis agerent, rogarentque uti ſibi porrò ubi opus foret favere vellet: intereà Senatus continuò frequens haberetur, cæteræ Curiæ per Scribam de hoc Senatûs conſulto fierent certiores. Hæc Patres ubi labare Aulam ex iis quæ apud Gaſtonem dicta fuerant, ſenſerunt, acriter decrevêre: quæ ſi triduum quò Senatus ſibi Reginam adeundam ſtatuerat, opperta eſſet, ratio omnis cum Senatu componendæ rei iniri poterat, cujus rei conficiundæ opportunitas obviam per Gaſtonem eundo, atque ultrò Senatui conditiones ferendo corrupta eſt. Poſtridiè Molæus primarius Præſes, quinque alii Præſides, & triginta è Patribus ad Reginam iêre, cui Molæus hujuſcemodi verba fecit. 1648.

Juſtitiâ, atque æquitate, Regina, nihil apud homines præſtabilius eſt. Sed hæc eò magis Principes decet, quod per ſummam potentiam, ſummaſque opes, majorem benè, aut malè faciundi copiam habent. Ab eâ virtute ſi quid alienum fecerint, edixerintve, Magiſtratuum partes ſunt, ut id illos edoceant, caveantque ne ex eâ re populus quid mali, damnive capiat. Nam inter Principem, ac Populum medii Magiſtratus ſunt. Inter illius potentiam, & hujus parendi neceſſitudinem hunc velut obicem Deus immortalis, & Principes ipſi poſuêre, ne aut Princeps iniqua edicendo, aut populus æqua imperia detrectando rempublicam perditum eant, quæ ſcilicet imperandi, atque parendi æquitate planè ſtat. In utrovis offenſum fuerit, aut nutat, aut collabitur, quem quidem caſum quis unquàm propiùs fuiſſe neget Galliam quàm nunc eſt? Plebes omnibus fortunis publicanorum, & Quæſtorum acerbitate ſpoliata: Magiſtratus ſine ſtipendiis, & quod multo gravius eſt, ſine decore, plerique munia ſua exequi prohibiti, quæ omnia Conſilium Regium, aut ex eo in Provincias undequâque dimiſſi occupavêre: Senatus ipſe nuper malè habitus, objurgatuſque, acta ejus reſciſſa, decreta antiquata, atque eâ gratiâ ad Regem venire juſſus, ut hæc ipſi contumelia coràm omni Aulâ fieret.

Quidquid hujus factum eſt id non abs te ortum ſatis ſcimus: tanta tibi prudentia, probitas, atque reipublicæ amor, prætereà mens ab omni injuriâ, atque ſævitiâ aliena. Sed quorſum factum ſit, nemo omnium ignorat, ſcilicet uti Patribus deterritis, & peſſum dato Senatu, quorum hæc conſilio Regina geſſiſti, eorum lubido in omnium fortunas, & ſi obſtiterint, in ipſa capita licentiùs graſſetur, nihil in Senatu, atque Magiſtratibus auxilii ſit, cuncta per ſummam Principis potentiam quâ ipſis porrò abuti conſilium eſt planè fiant. Sed huic quandòque obſtare Senatum haud flagitium eſſe, ſicut illi volunt, res ipſa indicat. Nam primùm omnium quod obſtare poſſit, ac debeat, id non ab ſe, ſed ab Regibus ip-

1648. *ſis habet, qui quæ edicunt, æqua an contra ſint, Senatûs judicium eſſe voluêre: prætereà in eo non modò potentiâ ſibi traditâ quæ omnis in Gallia aut Regis, aut ab Rege eſt, ſed & magis recta ratione Senatus nititur, ab qua ſi quis æquo animo ſe vinci minimè patiatur, eum ne hominem quidem, nedum Principem eſſe quiſquam credat. Nam non quod lubet, ſed quod rectum, atque æquum eſt edicere, & factum velle, id eſt Principem eſſe.*

Deſinant igitur obſtrepere auribus tuis, Regina, atque dictitare Senatum adverſam Regi potentiam affectare, inſolita, atque inaudita moliri, Curiarum Conjunctionem haud procul crimine Majeſtatis abeſſe, ſicuti diſſidium, & partes oſtentet. Sciant idem noſtra ante triginta annos, idem patrum noſtrorum memoria factum, cujus rei Senatûs acta fidem faciunt. Quod cùm ita ſit, te Regina oramus, atque obteſtamur, uti quod in eo negotio Senatus decrevit, id æqui, bonique conſulas, atque adeò, in ejus actis tua voluntate permaneat: contrà verò quod Regium Conſilium cenſuit, hujus ne ulla memoria, aut veſtigium uſpiàm extet. Cæterùm ubi Curiæ ex Senatûs autoritate convenient, ibi omnia ſicuti res regia, atque publica, ac Regni quies poſtulabit, conſultum iri certò credas, poſtremò clementi te, atque benigna, hic Ordo utatur, quod uti merito ſuo fiat, omni ope nitetur. Regina quid ſibi viſum fuerit, id poſtridiè facturam uti Senatus ſciat, breviter reſpondit, dimiſſiſque Patribus Conſilium habet.

Omnes coercendam Senatûs audaciam dictitabant, ſed quo pacto id fieret, parùm expediebant: nam eò res proceſſerat, uti ſine vi tantum ſicut his videbatur malum ſanari non poſſet. Plebes cum Senatu ſentiebat, quidam è viris Principibus cum utriſque congruebant, neque aliter Senatum tanta movere auſum Regina ſatis ſcibat, ab finibus Regni accerſere copias, quibus nudati hoſtibus paterent, periculoſum erat: poſtremò eò res rediit, uti dandam modò operam cenſerent, quod prohiberi nequibat, id ut Regis juſſu fieri videretur. Itaque poſtridiè per Cognitorem, atque Actores regios Senatui nuntiatum, Regem velle, atque jubere uti Delecti ex Senatu, atque ex aliis Curiis in B. Ludovici Conclavi diligenter, atque continuò conveniant, omnia negotia quod ſibi, atque reipublicæ benè vertat, maturent, ac primùm omnium unde pecunia in belli ſumptus haberi poſſit, ſeriò conſultent. Ibi verò Senatus ſicuti ab Adminiſtris ſibi de omni republicâ conceſſum eſſet, ita planè ſe geſſit: ſed ita rei publicæ tempus eſſe aiebant, ut hæc aliter ſanari nequiret, ſalutem autem ejus ſupremam legem ſemper habitam.

Jamdiù res publica privatâ pecuniâ ſuſtentabatur, non tàm regiæ inopiâ, quàm hujus exigendæ morâ: ſeu id ad diem fieri non poterat, ſeu ad quos eâ res pertinebat, ii ſegnes, aut quæſtûs causâ ceſſabant, ſeu denique id voluntate Adminiſtrorum fiebat, uti cùm præſens pecunia deeſſet, Publicanorum opera uterentur, acceptâ in rem publicam ab his pecuniâ, quam uti recuperarent iis aut portoria, aut vectigalia, aut tributa denique fruenda in quot annos lubebat, permittebant, ex quo utriſque quæſtus ingens erat. Poſteà loci ut ne bonos quidem, honeſ-

honeſtoſque puderet hujuſcemodi facere quæſtum, huic Mutui nomen inditum eſt, ſicuti pecuniam Regi mutuam commodarent, rem turpem eo nomine cohoneſtando, ita ut nonnulli ex ipſo Senatu ab eo quæſtu non alieni eſſent, nedùm alii cujuſcúmque generis, atque ordinis, ſed maximè qui vectigalium redemptoribus, aut tributorum, & portoriorum conductoribus amici erant, ii in fœnoris partem cum illis veniebant, qui adeò fautores ex Senatu, ex aliis Curiis, & cujuſcúmque generis homines habebant. 1648.

Sed publicani qui omnes pecuniæ vias norunt, ut ad eam pervenirent, excogitabant multa. Singuli aut provinciam aliquam, aut certos Magiſtratus, aut Ordinem denique ſibi deprædandos, deſpoliandoſque ſumpſerant, neque his ab Adminiſtris de ullo negotio negabatur: quantulamcúmque pecuniam in ærarium conferrent, ea ſatis placebat, cujus recuperandæ cum uſuris gratiâ nova in provinciis imponere tributa, novos creare magiſtratus, veterum intercipere ſtipendia, aut eorum partem aliquam copia fiebat. Quæſtores è Conſilio regio in provincias dimittebantur, qui & extrà ordinem jus dicerent, & his cogendis pecuniis darent operam, quas uti quiſque acerbiſſimè imperabat, ita ab publicanis ſicuti vir ingens celebrabatur, huic magna ſtipendia, honoraria, alimenta, nam id quò nomine appellem haud ſatis ſcio, præbebant, qui adeò ipſis obnoxius propè cuncta ex eorum lubidine decernebat: iis equites erant attributi, qui ab detrectantibus imperata per vim exigerent. Ita civibus aſperius ab hujuſcemodi hominibus bellum erat, quàm foret ab ipſis ſi adeſſent hoſtibus. Hanc igitur ab republicâ peſtem Delecti ex Curiis qui in B. Ludovici Conclave Regis voluntate convenerant, amovendam cenſuêre, multaque alia ab his benè conſulta ſunt. De quibus ubi ad Senatum relatum eſt, is per quatriduum conſultavit, perrogatiſque eo ſpatio ſententiis frequens decrevit, ut ne quis ex Regis Edicto, niſi priùs more majorum, & inſtituto Regum in Senatu promulgatum ſit, aut jus in Provinciis dicere, aut quidquam publicæ rei attingere velit, qui ſecùs faxit id per vim, contra jus, faſque facturum videri: *a* Quæſtores provinciales, atque ii quos *b* Electos vocant, de omni pecuniâ regiâ in provinciis cogendâ, more majorum decernant: Quod eſſet ab his peccatum qui in provincias è Conſilio regio dimiſſi fuiſſent, de eo quæſtio inſtituatur, Senatûs Decretum Cognitor regius per Municipia promulgandum curet.

a Les Treſoriers de France.
b Les Eleus.

Intereà Magiſtri libellorum Gaſtonis operâ in Regium Conſilium ſunt reſtituti, poſtquàm Seguierus Cancellarius iis per Fouquetum perſuadere fruſtrà conatus fuerat, uti ſe deprecatore in ea re uterentur: ſed hi ſe negaverant aliter reſtitui velle, quàm ex Senatûs autoritate, cujus fidem imploraverant. Quidam tamen ex illorum numero Trimeſtris initio, quo quarta pars eorum per vices regio adeſſe Conſilio ſolet, ad Gaſtonem Conſilii principem ſicuti ſalutatum de more iêre, injectâque ſui reſtituendi mentione id facilè impetravêre, nam

1648. Adminiſtris operæpretium ſe facere arbitrantibus, ſi hos ab Senatu, ac cæteris Curiis ſejungerent: mox & Edictum de aliis libellorum Magiſtris creandis eſt abrogatum.

Sed inter Adminiſtros, Senatumque propè certatum, percunctantibus illis, num quæ è re publicâ eſſe viderentur, ea Edictis Regis ſanciri, an ab Senatu decerni debeant? Sed hic uti tempora rei publicæ erant, nihil attinere ratus ab quibus, modò ut rectè gereretur, omnia ex ejus commodo, & ex fide ſuâ decernebat, atque eò res rediit, uti Gaſto in Senatu multus, frequenſque eſſet, & Patrum ſententiam de unaquâque re expiſcaretur, uti quæ decreturi videbantur, iis Adminiſtri Edicto Regis præverterent. Fortè quandóque accidebat, uti Senatus maturiùs de re quâpiam decerneret, quod cùm Adminiſtri antiquare non auderent, iſthuc idem Edicto Regis ſanciebant, quod ſi tantiſper ab Senatûs decreto diſcrepabat, continuò turbæ, atque lites fiebant, tanta erat animorum, atque rerum perturbatio.

Id factum eſt ſcilicet ſuper decreto Senatûs, quo cavebatur ut ne qui è Conſilio regio in provincias dimitterentur, juri extrà ordinem dicundo, aut rei regiæ adminiſtrandæ, & uti quæreretur in eos qui id ſecùs, aut avarè feciſſent. Nam in Regis Edicto quo idem caveri debebat, Rex apud Lugdunum, Pictonas, & Picardiam è Conſilio regio Quæſtores porrò mittendos, cæterùm nihil de Quæſtione ab Senatu ſicuti diximus decretâ ſimul edicebat. Ubi Edictum ad Senatum eſt allatum, adfuit Gaſto, qui ſi quid aſperius Senatus decernere vellet, animos mitigaret, ac doceret quâ ratione adducta Regina Lugduni, apud Pictonas, & in Picardiâ qui è Conſilio regio eò miſſi fuiſſent, illìc manere, atque eódem alios porrò mitti vellet, quia videlicet eò copiæ iter habere conſueviſſent, quibus opus eſſet ſæpiùs aliqua ſuppeditare, quæ ſuprà Magiſtratuum provincialium poteſtatem eſſent, præterquàm quòd providendum eſſet, ut ne milites popularibus, hi verò illis ut ferè ſit acerbiores eſſent. Iſthuc quidem Senatui denique probatum, ſed de omiſsâ in Edicto Quæſtione adversùm eos qui ſecùs rem regiam geſſiſſent, Patres queri graviter, neque id neglecturos certum erat, tametſi Gaſto eò fidem publicanorum quâ res publica tunc cùm maximè ſtaret, interituram doceret, nam Quæſtionem hanc in eos recidere denique debere.

Poſtremò cùm perrogatæ de hoc negotio Patrum ſententiæ nondùm eſſent, Adminiſtri Regis Edictum ad Senatum miſêre, quo ſeparatim ab altero priore Edicto Quæſtio inſtituebatur, non in Quæſtores ſingillatim, ac nominatim qui è Conſilio regio in provincias dimiſſi fuiſſent, ſed in omnes qui rem regiam ſecùs adminiſtraſſent. Eò negotium prolatabant, nam ſi in Quæſtores ex Senatûs Decreto quæſitum oportuiſſet, id ſtatim faciundum erat ab duobus Senatoribus, quos in provincias eâ causâ ituros Senatus decreverat: ſin autem ex Edicto, priùs de eo ad hunc Ordinem referendum erat, dein rogandæ ſententiæ, poſtremò decernendum, ac denique non ab Senatu Quæſito-

reſ, ſed ab ipſo Rege deligendi, ac Diplomate inſtituendi, & nominandi erant, de hoc Diplomate referendum rurſùs ad Senatum, rogandæ ſententiæ, ac denique decernendum, ita tempus lucri faciebant, quod plerúmque in hujuſcemodi negotiis uſui eſt. 1648.

Patres hanc Adminiſtrorum fraudem ſatis intelligebant, atque adeò Edictum rejiciundum, atque ex Senatûs Decreto agendum cenſebant: poſtremò tamen quam Adminiſtri quæſiverant moram, eam huic negotio haud magnoperè nocituram credidêre. Igitur Edictum promulgandum cenſuêre, ſed eâ lege uti quæ bona damnatorum publicarentur, ea Rex neque horum hæredibus, neque cuiquam omnium dono dare vellet, quidam addebant ac ne his vitam quidem condonare, quod nimium pluribus viſum, Senatum enim Adminiſtrorum, atque publicanorum licentiæ, atque acerbitati, non regiæ clementiæ modum impoſitum velle. Major de Quæſitoribus fuit controverſia, utrùm ab Rege, an ab Senatu deligendi forent: verebatur enim hic Ordo, ut ne Rex Aulæ planè obnoxios ex Adminiſtrorum lubidine, neque rei publicæ ſtudioſos deligeret, viſum tamen id ab Rege modò fieri poſſe, quoniam ex hujus Edicto deligendi Quæſitores erant, quam in ſententiam eò faciliùs plerique Patrum diſceſsêre, quòd Gaſto Reginam hos maximè Quæſitores, ac judices inſtituturam recepit, quos Senatus huic indicare vellet, ita nihil in Edicto mutandum Senatus cenſuit.

Poſtquàm id Adminiſtris ex ſententiâ evenerat, nam Quæſitores, aut judices ſeſe quos luberet delecturos non dubitabant, neque quod de his ab Senatu Reginæ indicandis Gaſto receperat, pendebant quidquam, aliud quidpiam ſibi incipiundum ſunt arbitrati, uti videlicet quod Senatus decreverat nihil ab civibus exigendum niſi ex Edictis regiis in Senatu promulgatis, id ut in futurum modò fieri debere intelligeretur, neque adeò quæ ſine Edictis exigi cæpiſſent, ad ea pertinere. De his, Edictum ad Senatum miſêre, quæ tamen Senatus id promulgando exigi vetuit, item & quæ ex Edictis in utrâque Rationum, & Vectigalium Curiâ promulgatis pendebantur, præterquàm hoc reliquo, ac proximo anno, ſi tandiù bellum duraret, quod & antehàc de portoriis decretum fuiſſe diximus.

Quod Senatus decreverat de Edictis omnibus in hoc Ordine promulgandis, id Adminiſtri Rationum, ac Vectigalum Curiis, atque Magno Conſilio fraudi eſſe dictitabant, atque ſi id fieret has Curias Senatu longè inferiores poſthàc futuras: præthereà in his quæ de re publica conſultabantur in B. Ludovici Conclavi Senatum tribus his Curiis longè potiorem eſſe, cùm de omnibus ad hunc Ordinem referatur, qui de his ſicut ipſi videatur decernat: poſtremò nullos Quæſitores, aut judices è Magno Conſilio in inſtitutâ de re regiâ ſecùs adminiſtratâ Quæſtione futuros ex Senatûs, & utriuſque Rationum, & Vectigalium Curiæ ſententiâ, quæ omnia ad ſerendas Rationum, & Vectigalium Curias, ſimul & Magnum Conſilium inter, & Senatum diſcordias, atque lites pertinebant. Sed tanta in Adminiſ-

1648. tros horum omnium Ordinum invidia fuit, uti quæ controverſiæ inter hos eſſent, eas facilè ſuperaret, ita ut his neglectis ad illos modò peſſum dandos omnia ſua conſilia, omnes conatus conferrent.

De creditâ ab multis Regi pecuniâ actum deindè eſt, quod ſi mutuô factum rei publicæ causâ, nihil profectò rectiùs fuiſſet. Mutuum enim humanæ ſocietatis operæpretium eſt, neque quidquam ſanctius, quàm rem noſtram alteri commodare, uti ſuæ conſulat. Sed quod ab pleriſque rem ſuam Regi commodantibus fiebat longè alienum ab hujuſcemodi ſanctitate fuit, nam id illius magis augendæ quàm publicæ ſuſtinendæ faciebant. Id igitur non Mutuum, ſed ingens, atque intolerabile fœnus fuit. Quod cùm ad pleroſque Adminiſtros, atque horum propinquos, neceſſarioſque attineret, ea res ſummâ in invidiâ fuit. Quamobrem Senatus uti de hoc negotio referretur acriter decrevit: plerique è Senioribus ut ne quid per difficilia reipublicæ tempora, alii ut ne unquàm quidquam creditoribus ſolveretur cenſebant. Sed ubi Potierus Blammenius in unâ ex Inquiſitionum Claſſibus Præſes ſententiam rogatus eſt, hanc ſe dicturum negavit, niſi ſi priùs ad quos ex hoc Ordine negotium de quo agebatur pertineret, ii de more faceſſerent. *Pudet dicere*, inquit, *publicanos, ac publicanorum filios, aut qui in publicanorum ſocietatibus ſint, ſedere in Senatu, quos, & præterea qui pecuniæ Regi creditæ negotio implicati ſint, in eo judices eſſe leges vetent*: eò admoniti qui priùs ſententiam dixerant, in hanc quod Blammenius autor erat, id ſe addere dixêre.

Hoc Blammenii veluti fulmine icti publicani, publicanorum filii, & qui in horum ſocietatibus erant, ac denique pecuniæ Regi creditæ negotio implicati ſenſêre quàm inhoneſta, quàm pudenda rei ſuæ augendæ ratio per publicæ damna eſſet. Neque tamen primùm deſpondêre animum, nam id ſeriùs admoneri dixêre, cùm de omnibus quæ conſultatæ fuiſſent in B. Ludovici Conclavi rebus Senatus univerſus conſuli cœpiſſet, quod porrò ex hujus diſciplinâ fieri deberet, neque unius modò rei causâ quæ minima pars univerſarum eſſet, quemquam abeſſe æquum videri. Blammenius idem in re conſimili factum olim poſt ſolutam Ambianorum urbis obſidionem ex Senatûs actis docuit: nam & tunc Henrico Regi mutuo, aut potiùs fœnore ab quibuſdam pecuniam in rempublicam creditam, de cujus ſolutione ſicuti tum differendâ ubi in Senatu agebatur, ibi qui huic negotio ex hoc Ordine implicati fuiſſent, eos ſecedere juſſos.

Tùm Molæus primarius Præſes, hortatus eſt eos ad quos Blammenii, atque aliorum conſimilis ſententia pertinebat, ut abeſſe vellent, quandiù eâ de re conſultaretur. Poſtridiè ampliùs quadraginta abfuêre, ac Molæus ſententias rogare perrexit: quidam ſicuti ſuprà producendam creditæ Regi pecuniæ ſolutionem cenſebant, plures hoc ære alieno planè liberandam rem publicam, ac denique quærendum in eos qui id neque rectè, neque ordine credidiſſent, acta enim Senatûs docere iſthuc fieri prohibitum, præterquàm ex Edictis in Senatu promulgatis, ac graviſſimis de cauſis.

Ubi Adminiſtri quid plerique Patrum de creditæ Regi pecuniæ ſolutione ſentirent, reſcivêre, ibi metus hos inceſſit, ut ne ſibi fides ad rempublicam porrò ſuſtentandam, amicis res interiret. Qui ipſis infenſi erant, hos quam Regis interverterant, ſibique ſumpſerant pecuniam, eam rursùm huic quo fœnore libuiſſet, poſteà credidiſſe aiebant, ac poſteà in conſimilis prædæ ſocietatem propinquos, atque neceſſarios vocaſſe: quamobrem horum omnium maxima intererat, Senatûs decreto de republicâ hujuſmodi ære alieno liberandâ prævertere. Eò his Edictum Regis fabricare viſum, quo cuncta in Conclavi B. Ludovici conſultata, atque ab Senatu decreta ſancire videretur, ita tamen ut iſthæc omnia ab Adminiſtrorum poſteà penderent arbitrio, tanta erat in Edicto perſcribendo ars adhibita. Id eò fiebat maximè, uti quæ Senatus duriùs decreverat, ea in hoc Ordine retractarentur, quod fieri neceſſe erat, ubi de Edicto referretur, ac tùm æquiora Patres decreturos Adminiſtri ſperabant: his ſingillatim ſtudium ingens erat, uti quæ portoria ſine Edictis in Senatu promulgatis exigi cæpta erant, eâ porrò exigi ſinerent, ac ſatis haberent ut ne alia nova ſine Edictis exigerentur. Poſtremò in hoc ultimo Regis Edicto nihil doli ab Adminiſtris omiſſum aiebant, quem certè malum appellare religio eſt, cum his omnis opera perindè danda fuerit, ut aliquas ad pecuniam habendam vias ſibi apertas conſervarent, ac ab aliis impendebatur, ut omnes ipſis præcluderent: nam ſine illâ res publica domi, bellique geri nequaquam poterat.

Quod Senatus incœperat, id profecto pace domi, foriſque conſtitutâ rei publicæ pulchrè proceſſiſſet, ſed huic adversùm hoſtes validiſſimos bello multiplici, vario, ac multarum rerum egenti terrâ, marique implicatæ quorsùm eveniret, dubium, atque incertiſſimum videbatur. Edicto promulgando uti Rex in Senatum veniret, conſilium fuit: intereà ad ſe quoſdam ex hoc Ordine mitti juſſit, uti quid hunc de quartâ Sectionum parte plebi minuendâ edocendum haberent, id expromerent. Eò Rex ad Senatum litteras ſcripſerat, quæ poſtquàm in majori Claſſe recitatæ fuerant, ad Inquiſitionum Claſſes miſſæ ſunt, nequedùm enim Senatus frequens convenerat. Continuò hæ in majus Conclave venêre uti de litteris referretur, atque conſultaretur: ſed nulli Præſides reperti, primarius domum diſceſſerat meditandæ quam ad Regem, ac Reginam matrem habiturus erat orationi, cæteri qui haud longè aberant, in majorem rediêre Claſſem, primarius autem ab Senatu vocatus & ipſe rediit: eò quidpiam altercationis fuit, quod ſubitò ſedatum eſt, frementibus pleriſque de Adminiſtrorum in diſcordiis inter ipſos Patres ſerendis fraude, atque nequitiâ. Dein ubi de litteris regiis relatum, viſum eſt denique ad Regem, atque Reginam matrem ire. Id ab Molæo, atque aliis ex Senatu factum, Regina ad Molæi orationem paucis reſpondit, Regem filium poſtridiè iturum in Senatum, atque eò quid vellet, juberetque edicturum.

Poſtridiè igitur Rex, atque Regina mater venêre in Senatum, reci-

1648. tatur edictum, ac de hoc Seguierus Cancellarius clementem, atque humaniſſimam habet orationem. *Quæ hic Ordo cenſuiſſet, ea Regem edicere voluiſſe, quia recta viſa fuerint; cæterum in rem publicam magnopere eſſe, uti ſancitis omnibus, quorum ex Delectorum ab Senatu, atque ab aliis Curiis ſententia Senatuſ Regi autor fuiſſet, hic frequens haberi deſineret, quando hoſtes in diſcordiarum, ac turbarum apud nos opinione reſtituendæ rei ſuæ labefactatæ ſpem omnem poſitam haberent.* Rex Edicto Senatui, ac Curiis, ut ne Delectos in Conclave B. Ludovici poſthàc mittere, Senatui ſingillatim ut ne frequens convenire vellet, interdicebat, intereà ſe quamprimum de omni re publicâ Conſilium habiturum aiebat, atque hanc ex virorum Principum, Franciæ Parium, atque aliorum tam ex Conſilio regio, quàm ex Senatu, atque aliis in Urbe Curiis ſententiâ ita conſtituturum, uti ſinguli ſuæ familiari ſimul conſultum ſentirent, nam re publicâ familiarem cujuſque contineri.

Quæ ſubſecutæ ſunt Molæi, atque Taloni orationes, eò pertinuêre, ut oſtentarent Regi, quàm jucundum eſſet Senatui, quæ cenſuiſſet, eadem illum edicendo comprobaſſe: dein ubi ſententiæ ab Cancellario rogatæ, Edictum ut in acta Senatûs referretur decretum eſt. Cancellarium ferunt ad Senatores ex Inquiſitionum Claſſibus iiſſe horum ſententiam rogantem, quod pridem omiſſum fuerat: ſed eos iſthuc aſpernatos dictitaſſe poſtridiè ſe hanc per Regis abſentiam liberè dicturos, nec dicto fides abfuit: nam poſtridiè in majorem Claſſem venêre, flagitantes uti de Edicto referretur, nihil enim eſſe quod pridiè Rege coràm in Acta Senatûs relatum eſſet, quando liberè unicuique ſententiam dicere copia non fuiſſet. Ibi quidam negavêre Senatum ex priſtino Decreto tum frequentem eſſe poſſe, atque adeò de integro Inquiſitionum Claſſes poſtulare debere ex formulâ, uti jam frequens de Edicto haberetur, quod tamen quando pridiè promulgatum fuiſſet, utrùm retractari deberet, ambigi poſſe, eo enim pleraque in B. Ludovici Conclavi conſulta edici, quamobrem quod Senatui, ac Curiis conſilii fuiſſet, id confectum, atque hoc omni negotio defunctas præclarè Curias videri.

Hæc eorum erat ſententia, qui haud ſemper æquam cum Principe Senatûs concertationem fore judicabant, faciundum denique turbarum finem, ſatiſque fuiſſe terrorem Adminiſtris injeciſſe, quo poſthàc moderatiores forent. Adminiſtri verò ſibi pulchrè rem in Senatu proceſſiſſe credebant, ubi Curiarum conſultationibus, atque Senatûs decretis Edicto modum feciſſent: id autem & in Rationum, ac Vectigalium Curiis promulgatum voluêre, quò adfuêre, in illâ videlicet Gaſto, atque in alterâ Contius: utrique ab Nicolaïo, & Ameloto primariis Præſidibus orationes graves habitæ, quibus haud quaquam ſatis rei publicæ Edicto conſultum ſentire videbantur: ſi tamen eo ſtarent Adminiſtri, ac ſincerâ fide quæ hoc Edicto ſanciebantur, ea exequerentur, Curias poſthàc quieturas veriſimile erat. Idem in multis ex Senatu animorum habitus erat, pergebantque dicere ex priſtino Senatûs Decreto nec Delec-

toſ ex Curiis in B. Ludovici Conclavi convenire, neque Senatum frequentem eſſe poſſe: plures verò poſthabito Edicto quo id Rex vetuerat, & Delectos convenire, & Senatum ex illo decreto porrò frequentem eſſe debere contendebant. 1648.

Hàc inter Patres contentione Regina adducta Gaſtonis operam in Senatu Regi filio, atque rei publicæ utilem fore judicavit, quâ freti qui rectè ſentiebant, ii cæteris potiores futuri videbantur. Gaſto igitur venit in Senatum, dixitque magnoperè Patribus curæ eſſe debere, ut ne contra Regis voluntatem tendere, atque obfirmare animum velle viderentur, quod huic Ordini, aut certè his qui talia moverent, fraudi foret denique. Iſthæc tamen, atque alia ab Gaſtone dicta nihil obſtitêre, quominùs utrùm Delecti ex Curiis convenire, & Senatus frequens porrò eſſe deberet, conſultaretur: de quibus rogatus ſententiam Bruſſellus ut ab quatuor ex Senatu ſingula Edicti capita perpenderentur cenſuit, qui de his ad Senatum referrent, atque hic intereà frequens eſſet, & quæ in B. Ludovici Conclavi porrò Delecti conſultarent, de iis & porrò decerneret, poſtremò ex Senatûs Decreto IV. Non. Sextiles quæreretur in eos, qui pecuniam publicam intervertiſſent, aut ſecùs habuiſſent, atque id negotii Cognitori regio daretur.

Id enimvero Gaſto negare ſalvâ Majeſtate fieri poſſe, cùm Rex Delectos ex Curiis convenire, ac Senatum frequentem eſſe vetuiſſet: quod verò Bruſſellus in Quæſtione de his qui pecuniam publicam ſecùs habuiſſent Senatum properare, ac Regem antevenire æquum cenſeat, id certè ab nimio regiæ potentiæ adverſandi ſtudio ortum videri, cùm in eo Regina ſit, uti Quæſitorum, aut Judicum nomina edat. Bruſſellus ſe nihil potentiæ regiæ adverſatum uſquàm reſpondit, ſed hanc integram, ac vigentem voluiſſe, ita tamen ut ne hac nemo in perniciem rei aut publicæ, aut cujuſquàm familiaris abutatur: ſi Quæſtio in publicanos, atque in hos qui horum culpæ affines ſint exerceri Regi ſeriò placeat, huic nihil nocituram Cognitoris regii, aut aliorum quibus id negotii ab Senatu mandetur operam, imò hanc utiliſſimam fore, ut ne fraude publicanorum multa intereant, quibus horum latrocinia noteſcere poſſint, ſi ſpatium iſthæc avertendi detur: ſin lentiùs in eo negotio ab Adminiſtris agetur, haud æquum eſſe quæ eâ de re Senatus decreverit, ea fruſtrà eſſe, cùm tantoperè ad rem publicam pertineat, qui hujus vires exhauſerint, iis ut ne id impunè ſit.

Pergit Molæus Patres ordine ſententiam rogare, quorum plerique in hanc quam Bruſſellus dixerat, diſcedebant. Ad Inquiſitionum Claſſes Molæus devenerat, cùm Senatus horâ quâ ſolet dimiſſus eſt, & cùm certum eſſet has haud ab Bruſſelli ſententiâ diſſenſuras, Gaſto ſibi ad Senatum haud redeundum cenſebat, cùm id fruſtrà ſe facturum judicaret: tamen victus Reginæ precibus, poſtquàm multi Patrum quod diei reliquum fuerat, & in multam noctem ab Adminiſtrorum propinquis, neceſſariis, atque amicis, quin ab Reginæ ipſius clientibus prenſati fuerant, poſtridiè adfuit. Prius hunc cum Bruſſello collocutum fe-

1648. runt, atque promiſſis hominem oneraſſe. Ibi Molæus ſententias Patrum rogare perrexit, & ubi quis Senatum frequentem eſſe debere cenſebat, continuò obturbabat Gaſto, docebatque id rei publicæ perniciem allaturum.

Tumultuari paſſim plebem vectigalia, tributa, portoria pendere detrectantem, dùm ſibi Senatum fautorem eſſe putat: id majorum malorum initium eſſe, quàm ut his Senatus poſthac mederi poſſit: poſtremò placere Regi, atque Reginæ matri Senatum per Claſſes jus de more dicere, neque frequentem eſſe, ſicuti nuper edixerint. Id ſe renuntiare Senatui juſſum, præterea Socios qui partem belli capeſſant, propè defectionem eſſe, quoniam quæ ipſis ex fœdere pecunia debeatur, ea ipſis curari nequeat: hoſtes ſpem belli civilis in Galliâ nactos ſua damna nihili pendere, quæ brevi non modò ſe ſarcituros, ſed eadem, atque majora nobis illaturos confidant. Hæc Senatui curæ eſſe debere: nihil eâ causâ conſulto, aut facto, quod quandóque difficile ſit, ſed magis ceſſato quo nihil facilius ſit, opus eſſe, orare, atque obteſtari, ut id Regi, atque Reginæ matri obſequantur, neu committant, uti quam ſalvam velint rem publicam, quamque ceſſando ſervare poſſint, eam obſtinatis animis conſulendo, atque contra quam tempus moneat, agendo perditum eant. Nihil Reginam obſtare quo minùs Edictum ab quibuſdam ex Senatu perpendatur, & ſi quæ ſint de quibus edocenda, admonendave videatur, id ſicut è republica, & fide ſua eſſe exiſtimaverint, ſedulò faciant, modò ut Senatus ante dies quindecim minime ab Claſſibus ſuis in majus Conclave conveniat, tantulam moram rei publicæ ſaluti fore.

Molæus perpetuam Gaſtonis de Regno, atque de republicâ, præterea de honore Senatûs curam, atque ſolicitudinem huic Ordini magnificam, atque adeò pergratam eſſe reſpondit, neque dubitare ſe, quin ei quæ æqua ſint obſequendo lubens referat gratiam: dein ad Patres converſus, ipſis propè ſpondere poſſe ait, quæ Reginam ſuper Edicto edocuerint, admonuerintve, ea æqui bonique conſulturam: plura jam quàm Senatus ſperaverit, ipſi benignè tribuiſſe, quod & ſi hanc edocendi, atque admonendi inſiſtant viam, porrò factura ſit: poſtremò quæ Gaſto dixerit, ea hujuſcemodi eſſe, uti de iis Senatum conſuli è republicâ videatur. Succlamant Patres percenſendas, perlegendaſque heſternas ſententias, ab quibus ſi quis Gaſtonis oratione adductus decedere velit, id facere licere: nemo omnium deceſſit, neque ut aliter ſentirent, aut eâ oratione, aut hortationibus, aut crebra Gaſtonis compellatione qui ſententiam dixerant, aut qui poſteà dixêre, impelli potuere.

Ubi ad Gaſtonem deventum eſt. *Fruſtra ſe ſententiam dicturum* ait, *quando Senatus prope omnis contra quàm Regi, ac Reginæ placeat, pertinaciter cenſuerit: nihili pendere quod ipſe dixerit, periculum ingens imminere Regno, ex eo quod Senatus perpetuo frequens eſſe velit, neque ſibi tantulam quam poſtulaverit moram condonare voluiſſe. Qui moderatè cenſuerint, eorum Regem, atque Reginam meminiſſe decere, ſe ea dignitate, atque genere eſſe, uti regiam potentiam nuſquàm infractam velit, neque commiſſurum uti quæ adversùm hanc plerique cenſuerint, ea præſentiâ ſua, nedùm ſententia comprobaſſe videatur.*

Simul

Simul conſurgit abiturus, ni qui proximi erant attinuiſſent, orantes, 1648.
atque obſecrantes uti ſedere, atque ſententiam dicere vellet, hanc majoris apud Patres, quàm ſperet autoritatis, ac ponderis fore. Poſtremò exoratus aſſedit, increpitâque totius propè Senatûs pertinaciâ, qui neque oratione ſuâ, neque quod erat æquius Majeſtatis verecundiâ, cùm ſciat quid Rex, & Regina ſentiant, neque rei publicæ imminentibus periculis adduci potuerit, uti flecteret animum ſuum, ac de ſuâ duritie aliquantum remitteret, eadem de ſingulis Edicti capitibus, Reginâque ſi quid contra quàm Senatus ſentiat edictum ſit, edocendâ, admonendâve cenſuit: cæterùm uti poſt quindecim modò dies Senatus conveniret, de hoc negotio, de ſuâ diſciplinâ, ac de his quæ in Conclavi B. Ludovici agantur conſulturus, intereà in ſuis quiſque Claſſibus Patres jus de more dicere vellent. Molæus denique poſt brevem altercationem Edictum, & quæ in Conclavi B. Ludovici conſultata eſſent, ea expendenda ab quatuor Senatoribus cenſuit, qui de his poſt XVIII. Calendas Septemb. ad Senatum frequentem referrent, atque is continuò ſuper unâ quâque re quid Regina edocenda videretur decerneret: plerique omnes qui aut propè eadem, aut paulò diverſa cenſuerant, in hanc unam coaluêre ſententiam, Bruſſellus, paucique alii in ſuâ permansêre, neque eò minùs factum eſt in illam Senatus decretum, additumque gratias Regi, atque Reginæ de pecuniæ Annuæ perſolvendæ quam his dederant facultate agendas.

Quâ decretum fuerat die Senatus frequens haberi cœptus, & qui Edictum regium expenderant de eo retulêre. Super cæteris Capitibus nihil Senatus decrevit, quod Aulæ magnoperè ægrè eſſet: ſed ubi eò deventum, quò vetabatur quidquam poſthâc ab Populo exigi, præterquàm ex Edictis ritè promulgatis,ac tamen quæ ſine Edictis exigi cæpiſſent,ea porro exigi Rex volebat,ibi Senatus quod antehàc eâ de re decreverat,id ratum,firmumque debere eſſe cenſuit: de portoriis,quanta, ac de quibus mercibus pendi deberent, Bruſſellus, ac Ferrandus Commentarium facere juſſi, quem Adminiſtri ab ſe fieri æquum cenſebant: his ſibi omnem ſuſtinendorum qui ad bellum porrò gerendum neceſſarii eſſent, ſumptuum facultatem adimi dictitabant, ſed id ad eorum rem familiarem magis pertinere cæteri cenſebant, quam poſthâc augere difficilius foret.

Inter hæc ſumma Quæſtura Almerico abrogata,ipſe Tanlaïum ſuum ſecedere juſſus, quod quidam Italico more ab Mazarino factum aiebant, ſicuti ab hoc uno homine Populus omnia mala in ſe orta cenſeret, atque hujus diſceſſu deſitura, quo magis Regi, atque Reginæ quæ in rem publicam eſſent neceſſaria, ea lubentiùs eſſet obſecuturus. Summa Quæſtura Melleraïo Equitum Tribuno de quo ſæpiùs memoravimus, ab Rege mandata eſt, cui dati adjutores Stephanus a Aligrius, & Antonius Barillonus Morangius, uterque è Conſilio regio, homines frugi ambo, ac famâ integrâ. Omnis Reginæ ſpes quod ad Senatum pertinebat, in Gaſtone poſita erat, cujus magnam apud hunc Ordinem gra-

a Aligre. Barillon Morangi.

1648. tiam eſſe ſcibat: eò hunc obſecravit, ut adhuc in Senatum ire ne gravaretur, Regi filio, ſibi, atque rei publicæ, more, inſtitutoque ſuo opitulaturus. Id ipſe lubens Reginæ eſt obſecutus, rogavitque Patres, uti poſtremo Decreto ſuo id modò adſcriptum vellent, *Quod voluntate Regis fiat*: ſed iſthuc planè abnuêre: poſtulanti verò uti Commentarius portoriorum, ac mercium ex quibus hæc penderentur, in Conſilio regio fieret, ſicuti Rex edixerat, id modò ſunt gratificati uti Bruſſellus, ac Ferrandus quibus Senatus id negotii dederat, huic apud Gaſtonem operam darent, neque tamen conficerent niſi priùs conſulto Senatu quidquam.

Dum hæc, atque alia hujuſcemodi inter Aulam, & Senatum diſceptantur, atque domi res publica peſsùm ibat, foris tamen incredibili eorum qui hanc gerebant virtute ſuſtentabatur. In Hiſpaniâ quid præclarè geſtum fuerit ſuprà diximus, ſed procul id ab Aulæ, atque Urbis conſpectu: Belgium eſt in propinquo, ubi quæ proſpera, vel adverſa forent, ea magis ad rem publicam pertinere videbantur. Hæc Condæo provincia erat in quam Carolus Portæus Melleraïus Equitum Tribunus ac rei tormentariæ Præfectus cum copiis præmiſſus Atrebates advênit, atque eò in gravem incidit morbum: Armandus Carolus filius adoleſcens cùm de ſalute Patris conclamatum videretur, ab Rege in rei tormentariæ Præfecturâ, cæteriſque patris muneribus huic ſuffectus eſt, manſitque ad exercitum, operam Regi navaturus, pater tamen paulùm ab morbo recreatus domum ſaluti conſulturus abiit. Brevî & ipſe Condæus in Belgium eſt profectus: comitabatur Gramontius item Equitum Tribunus, qui huic magno uſui fuit. Ypras oppugnare conſilium Condæo erat, quod uti clàm hoſtes eſſet, primùm Atrebates uſque proceſſerat, dein ſubitò Peronam regreſſus in Veromanduis, atque aliis circùm regionibus copias collocat, quæ res magis Cameraco, quod in propinquo eſt, cæteriſque ad ſuperiorem Scaldim, aut in Hannoniâ locis, quàm his quæ ad Legiam amnem, aut Oceanum poſita ſunt, bellum oſtentabat.

Intereà loci commeatus, atque alia quæ incœpto uſui forent, Atrebates ſupportabantur: quæ ad Baſſæam, Bethuniam, atque alia loca in hybernis, aut præſidiis fuerant copiæ, majori quàm ut ea defenderent numero, eódem convenire juſſæ: Ramſavius E. T. qui Dunkercæ, *a* Palüavius Clerembaltius qui Curtraco Præfectus erat, ille quà Ypræ ad Oceanum, hic quà ad Legiam Urbs ſpectat, eam dictâ die circumſidere juſſi, Ramſavius præthereà commeatum, tormenta, atque alia graviora ab Dunkercâ, Icio portu, atque aliis vicinis locis, quò convecta fuerant, per foſſas quæ ab Oceano ad Ypras pertinent, navigiis advehere: dein ipſe Condæus Ypras versùs per Atrebates contendit, & poſtquàm alias res agere ſe ſimulaverat ludificando hoſti, poſtremò circùm urbem conſedit.

a Le Marquis de Palüau de Clerembaut.

Quà ab Comene, & Menene ad Ypras iter eſt Condæus, quà ab Armentariâ, & Varnetone Gramontius, quà ab Audomari-fano, & Ariâ Ramſavius, quà ab Dixmudâ, & Brugis Palüavius habuêre caſ-

tra, quæ ſubitò vallo, foſsâque munita ſunt. Condæus Galliæ fines præ- 1648.
tergrediens eò *a* Valbecurium Nettancurium cum idoneo copiarum *a Nettancour Marquis de Vaubecour.*
numero reliquerat, qui finitimis oppidis præſidio eſſet, præterea apud
Atrebates, Bethuniam, Baſſæam, Venantii-fanum Cohortes quatuor,
atque Helvetiorum Centurias tres collocaverat, quare omnia in tuto
eſſe videbantur. Apud Curtracum modò quod propiùs caſtra erat,
graviter eſt offenſum, nam magna pars præſidii uti tanto Condæi exer-
citus auctior eſſet, oppido abducta fuerat.

Id ubi Leopoldo compertum, primùm apud Comenem, & Virovia-
cum traducto Legiam exercitu ad Condæi caſtra propiùs acceſſit, ſi-
cuti ea tentare conſilium eſſet: dein ad Curtracum flexit iter, oppi-
dum nullo negotio expugnat, dein Caſtellum, atque Arx dedita, quâ
in re plus mali, damnique, quàm in Ypris poſteà captis boni nobis
evênit: nam Curtracum procul in hoſtico ad Legiam eſt, caſtello, at-
que Arce quæ ab Gaſſione magnis ſumptibus exædificata fuerat, fir-
miſſimum, quod adeò facilè erat defendere, ſi ſolitum eò fuiſſet præ-
ſidium, Ypræ verò vaſta Urbs, atque disjecta, eóque magis obnoxia
hoſti. Hæc per ſexdecim dies oppugnata, dein Condæo dedita: *b* Mot- *b Le Comte de la Motterie.*
terius qui Urbi Præfectus erat, cum trecentis, & quinquaginta equi-
tibus, mille & ducentis peditibus abſceſſit: ſubſecutum eſt oppidano-
rum agmen ad ſex armatorum millia, qui urbem haud impigrè defen-
ſaverant, quoſque in hac tùm captâ porrò agitare pigebat, tædebat-
que. Inter oppugnandum *c* Freſnelius in Condæi Cohorte Centurio, *c De Freſnel, De Vicupont. De la Griſe.*
Vetipontius, & Griſæus in Prætoriana Legione Procenturio, ac pau-
ci alii interempti. Sed apud hoſtes plus ex recepto Curtraco lætitiæ,
quàm ex perditis Ypris doloris inerat, quibus Paliiavium Rex præ-
fecit.

Leopoldus ubi Ypras deditas eſſe nuntiatum eſt, interim dùm Con-
dæus mænibus, ac munitionibus reficiundis operam dat, vallumque,
& caſtrorum foſſas ut ne poſthàc hoſtibus uſui forent, demolitur, veri-
tus uti mox quidpiam mare versùs inciperet, eò Sfondratum dimiſit,
ipſe apud Varnetonem habuit caſtra. Non omninò fallebat hoſtem ali-
quid Condæum Oceanum versùs moliri: nam forte Ramſavius infirmum
apud Oſtendam quod oppidum ad Oceanum poſitum eſt, præſidium
eſſe reſciverat, quò adductus eſt, ut hoc potiri ſe poſſe ſperaret, ſi im-
proviſus accederet. Id uti faceret Dunkercam ab exercitu redit, atque
expedita navigia cum copiis ſubitò conſcendit. Intereà Condæus Dix-
mudam versùs movit, ſicuti tentaturus oppidum, reverà uti Sfondra-
tum ab Oſtendâ averteret, quod ex ſententiâ factum.

At Ramſavius quoniam tardiùs ſolverat portu, expoſitis modò in
terram quadringentis militibus, ſubitò recedente maris æſtu, atque
vento ab terrâ increbreſcente, miſſoque imbre, his denique in littore
fœdè deſertis, cum omnibus navigiis retrocedere ad Dunkercam un-
dè ſolverat, coactus eſt. Qui relicti in nudo littore fuerant, ii cùm ab
Oſtendæ præſidio, tùm ab equitibus, peditibuſque quos Sfondratus

1648. hâc de re factus denique certior eò miſerat, oppreſſi ſunt. Fuêre qui ita exiſtimarent, Ramſavium ex ingenio gentis, nam is Germanus eſt, plus ſatis vino deditum dùm poculis immoratur, hanc ſicuti complures alias opportunitatem corrupiſſe, virum cæterà egregium, ſcientiâ, atque uſu rei militaris clariſſimum.

Hoſtes ubi Condæum captis Ypris Oceanum versùs, & Legiam diutiùs morari vident, nequedum æſtivis facere finem, diverſiſſimâ parte ad Scaldim, & Sabim amnes bellum transferre parant, uti Condæus ad *a* Phrudis fontes tuendis Galliæ finibus redire cogeretur. Eâ gratiâ *b* Bucoïus Comes, Cimaïus Princeps, & Garcia Comes Cameraco Præfectus duodecim armatorum millia cùm ex vicinis præſidiis, tùm ex iis copiis quibus Beccus Lucemburgenſem obtinebat agrum, prætereà ex Lotharingicis coëgere, quibus Caſteletum, Quintini-fanum, Guiſium, aut Rupem regiam oppugnaturi videbantur.

a La Somme.
b Le Comte de Bucoy. Le Prince de Cimay. Le Comte Garcia.

Horum conſiliis ut occurreret Condæus, Legiam inter, & Oceanum quatuor equitum, peditumque millia Ramſavio, quibus hanc obtineret regionem, reliquit, juſſitque Caſtellum apud Knocquiam, Furnas inter, Dixmudam, & Ypras cœptum, ad eam foſſam, quà commeatus ab Furnis Ypras advehebantur, permunire: ipſe ab Ypris Caſteletum ad Scaldis fontem magnis itineribus per Atrebates contendit. Sed hunc Leopoldus breviori itinere anteveneral, properans uti quod Garciam incœpiſſe in finibus noſtris arbitrabatur, id perficeret: verùm is progreſſus ad ea quæ ſuprà memoravimus oppida, nullum horum oppugnare auſus fuerat, atque adeò abſceſſerat Landrecium: quò factum eſt, uti Leopoldus apud Matrolas Cœnobium loco naturâ munito reſtiterit, atque ſtativa habuerit. Landrecium, atque Avennæ oppida hoſtium munitiſſima in propinquo ſunt, prætereà hanc regionem interfluunt amnes ad commeatus ſubvehendos, atque ad loci munitionem opportuni: ſed eò ſegnis Leopoldi mora fuit, prohibente Condæo ut ne quid operæpretii faceret. Igitur ad Legiam regreſſus eſt, atque ad Varnetonem ſtativa habuit, ac permunivit.

At Condæus ab Reginâ accerſitus properè ad Urbem venit, dein ad Caſtra rediit, atque ipſe ad Legiam ſicuti Leopoldus movit. Cum Condæo in Aula conſultatum aiebant, quo pacto inſigne quidpiam adverſùm hoſtes faceret, cujus rei famâ Senatus, Populuſque in viam reduci poſſent, aut ſi opus ad id copiis foret, quæ in Belgio erant, eas contuſis hoſtium opibus deducere ſine rei publicæ damno ad Urbem copia foret. Condæus nihil magis quàm acie cum hoſte decertare cupiebat juvenis gloriæ avidiſſimus, ſed æſtivorum perpetuo labore feſſas copias Hiſpanis inter præſidia ſua agitantibus, ex quibus exercitum augere ubi vellent, facilè poterant, objectare haud ſatis tutum exiſtimabat, cenſebatque Erlacum Briſiaco Præfectum evocandum ab Alſatiâ cum Germanorum quibus præerat copiis, quæ ubi adveniſſent, ibi verò nihil in ſe moræ futurum, quin cum hoſte collatis ſignis dimicaret, pugnamque ederet memorabilem. Secundùm hæc Erlacus properè

ad Condæum in Belgium venire cum omnibus quas habebat copiis juſſus eſt. 1648.

Intereà Condæus ad Souchias Lentſio haud procul conſederat, quò Bernontium Ariæ Præfectum coacto ex vicinis præſidiis idoneo militum numero Venantii-fanum obſidere nuntiatum eſt. Eò ſubitò Condæus movet, cujus advenientis famâ territus Bernontius ab incœpto deſtitit, ſeu id ſimulaverat, uti noſtri ad ſe versùm venirent: nam intereà loci Sfondratus cui inter Legiam, & Oceanum datam ab Leopoldo provinciam ſuprà memoravimus, cum copiis quibus præerat, hæ quatuor millium armatorum fuêre, ac præterea tribus quos ad eum Leopoldus ab Varnetone miſerat millibus ad Furnas acceſſerat, oppidum oppugnaturus, quod ceſſante Condæo, atque Ramſavio, poſtremò ab Præfecto *a* Boſqueto viro forti, poſtquàm egregiè pro naturâ loci propugnaverat, hoſti deditum eſt. Condæus exiſtimaverat Sfondratum non priùs opera admoturum oppido, quàm caſtra vallo, foſsâque muniſſet, quod ſe facturum ſimulaverat, verùm ab opere caſtrorum brevî militem ad oppugnationem oppidi deduxerat, quò factum eſt uti ſubveniundi ſpatium Condæo non fuerit: Ramſavius permuniendo apud Knocquiam Caſtello intentus erat, neque ſatis militum ad hoſtem pellendum habebat.

a Du Boſquet.

Receptis Furnis Leopoldus ſtativis quæ apud Varnetonem ad Legiam habebat movit: cætera ad hunc amnem loca in ejus erant poteſtate, præter Eyterram, quam noſtri præſidio tenebant, traducendo militi, atque commeatui ubi opus eſſet: hanc ipſis facultatem adimere Leopoldo conſilium fuit, atque eâ gratiâ Eyterrâ potiri. Eò igitur duplici agmine contendit, alterum ipſe, atque Beccus cis Legiam, alterum trans amnem ductavit Fuenſaldanius, neque Condæo copia fuit ſubvenire oppido, tanta in eâ re celeritas eſt ab hoſtibus adhibita, quamobrem deditum iis eſt ab Præfecto præſidioque. Dein hoſtes cis Legiam progredi cæpêre: primùm agmen Bucoïus ductabat, qui ab Eyterrâ movens noſtris ab Mervillâ quod item oppidum ad Legiam eſt trans amnem, atque ab aliis vicinis cis amnem locis Atrebates versùs moventibus ad ſiniſtram fuit. Ad laceſſendos hoſtes Condæus Colinium Caſtillionum cum parte primi agminis dimittit, ipſe cum Gramontio ſubſequitur. Tanto impetu Colinius in hoſtes invectus eſt, ut qui ultimi eſſent, poſtquàm tantiſper reſtiterant, perturbatis denique ordinibus abſcederent, cæſi quidam, captique, vulnerati complures, inter quos *b* Belviſæus Tribunus: è noſtris *c* Perſanus glande brachium eſt ictus, præterea è Legione prætoriâ, atque è Corbevillii Arnaldi ſclopetariorum equitum alâ quidam dùm egregiè rem gerunt.

b Le Colonel Beauviſé.
c Le Marquis de Perſan.

Sed ea res facta ex ſententiâ virtutem quidem noſtrorum hoſtibus porrò oſtentabat, cæterùm ad belli ſummam parùm conferebat: hoſtes validi, nam numero militum potiores, aut in fines noſtros tranſire, aut retrò ad Oceanum versùs flectere iter poterant, neutrum propter pauciores copias ſatis prohibente Condæo. Is tamen apud Mervillam

1648. Villequierum cum idoneo copiarum numero ſubſiſtere juſſerat, ſi fortè Leopoldus itinere converſo Legiam exercitum traducere, atque ad Oceanum tendere vellet. Sed præcipua Condæo cura erat ſuſtentare rem, uſquè dùm Erlacus cum Germanorum copiis adveniſſet, nam tum non modo tantula quæ fecerat in Furnis, atque Eyterrâ ab hoſte receptis damna ſarcire, ſed & cum eo acie decertare copiam fore ſperabat. Jam Erlacus ad Atrebates proceſſerat, cui Condæus Valbecurium cum aliquanto militum numero obviam mittit, ad Souchias haud procul Lentſio, qui & dux itineris, & præſidio foret, ac denique Erlacus Bethuniam, quò Condæus caſtra habebat advenit. Ibi verò ipſe quid hoſtis conſilii cepiſſet anxius, cis, tranſque Legiam diligenter exploratum mittebat, uti quò flecteret iter, certior fieret, nam ſi ad Oceanum, aut in Galliæ fines tendere vellet in incerto erat. Intereà ad famam pertinere viſum Eyterram hoſtibus nuper deditam recipere, quod ab Villequiero qui apud Mervillam uſquè reſtiterat, factum eſt: capti in oppido Centuriones tres, milites ducenti: è noſtris *a* Guerchius eò cæſus, qui uti fermè adoleſcentes nobiles in Gallia voluntate, ſuiſque ſumptibus militabat, præterea Bar in prætoriâ Legione Centurio leviter eſt vulneratus.

a De Guerchy.

Intereà hoſtes aliquantùm itineris præceperant, & ad Vendini pontem Leopoldus traduxerat copias, ſicuti Belieropleſſius Baſſææ Præfectus, quæ in propinquo eſt, ad Condæum ſcribebat, viderique hoſti conſilium eſſe Lentſium oppugnare. Continuò Condæus Baſſæam contendit, Erlacum, atque Villequierum omiſſo Legiâ ſubſequi jubet, ac poſtridiè uti de hoſtibus cognoſceret anteiit agmen, paulúmque progreſſus ur de in planitiem deſpectus erat, hoſtes magno numero ante Lentſium ſtare in acie conſpicatur, quorum vicinitate perterrefacti noſtri qui in oppido erant, neque ſuam, neque alienam virtutem experti, neque tormento ullo hinc, aut illinc adacto dedidère ſeſe. Eò ſibi Condæus magis, ac magis properandum conſtituit, uti tantùm ab his militiæ dedecus admiſſum, atque incommodum rei publicæ illatum inſigni aliquâ hoſtium clade compenſaret, ſimul hos Galliam ſicuti conſtituiſſe videbantur, ingredi prohiberet.

Sub veſperam quo modo acies inſtrueretur inter duces conſultatum. In cornu dextro novem equitum alæ fuère, quibus Beljocus præfuit, Condæus eò ipſe ſibi locum delegit: unà fuère Villequierus Legatus, *b* Nigro-monaſterius, atque Goyonus Muſſaïus Caſtrorum Præfecti ambo, *c* Forſius Vigeanus aciei Inſtructor. In cornu ſiniſtro tantumdem equitum fuit, quibus *d* Iſlabonus adoleſcens Ellebovii viri è Lotharingicâ Gente principis filius præfuit, eò curabat Gramontius E. T. atque unà erant Fertæus Sannectarius Legatus, Sammegrinus Caſtrorum Præfectus, Leinvilla aciei Inſtructor. In mediâ acie pedites, Prætorianorum manus duæ, Helvetiorum una, Scotorum una, Picardiæ Legio ac Gaſtonis Cohors propter militum paucitatem manum unam modò faciebant, Perſani, & Erlaci Cohortes, quarum hæc

b Loüis de la Tremouille, Marquis de Noirmonſtier.
c Le Marquis de Fors du Vigean.
d Le Comte de l'Iſlebonne.

erat Germanorum, locatæ eò fuêre. In fronte tormenta diſpoſita, quies 1648.
a Coſſæus Briſſacus præerat. In ſubſidiis erant gravioris armaturæ *a De Coſſé, de Briſſac.*
equitum alæ quinque, atque levioris armaturæ una. Peditibus qui in mediâ erant acie, atque his ſubſidiariis equitibus Colinius Caſtillionus præeſſe juſſus. Cornui dextro in ſubſidiis fuêre equitum alæ octo, atque eò curabat Arnaldus Corbevilla caſtrorum Præfectus, cornui verò ſiniſtro ſeptem, queis Belieropleſſius præfuit. Inter hæc equitum ſubſidia peditum aliæ manus quinque permixtæ fuêre, atque ea ſecunda fuit acies: poſtremum ſi quid duriùs accidiſſet ſubſidium in tertiâ locatum eſt acie, Erlacus videlicet cum equitum alis quinque, monitus ab Condæo ut niſi magnoperè res moneret, in prælium ne deſcenderet, huic aderat *b* Raſillius Caſtrorum Præfectus. In eo poſtremò *b De Raſilly.*
ſubſidio magnam fiduciam ſæpiùs Imperatores habuêre, ſeu ut in re perditâ ſuis eò perfugium eſſet, ſeu in dubiâ, atque aſperâ prælium reſtituerent, & victoriam reportarent.

Ita inſtructus ex heſterni conſilii ſententiâ exercitus XIV. Calend. Sept. ubi primùm luceſcere cœpit, in eam quæ vicina erat Lentſio planitiem deſcendit. Tria præceperat Imperator, primùm uti ſeſe procedentes ſedulò intuerentur alii alios: irent æquâ fronte media acies cum cornibus, idem in ſubſidiis fieret, intervalla cùm inter principia, & ſubſidia, tùm inter ſe equitum alæ peditumque manus ſervarent: ſecundò ut ad pugnam irent lento gradu, virtute magis, quàm impetu rem benè geri: poſtremò priùs hoſtem quàm ſeſe glandes ſclopetis mittere ſinerent, neque id ipſi niſi ex propinquo facerent. Ubi eſt in planitiem deſcenſum, nulli eò viſi hoſtes, nam ad Lentſium paulò longiùs abſceſſerant, quò cùm Condæus proceſſiſſet, hos in acie oppidum propiùs conſpicatur: huic applicaverant cornu dextrum, in quo Hiſpani, ac Belgæ equites, ante eos voragines, ac viæ cavæ fuêre: media peditum acies loco ſaltuoſo, & naturâ munito: in edito ſiniſtrum cornu erat, ad quod calles anguſti, & ſingulorum modò hominum capaces ferebant.

Ubi hoſtes eo pacto pugnam detrectare Condæus videt, in propinquo ponit caſtra, editiori quàm cætera loco: ſed eò neque aquæ, neque pabuli copia erat, quò factum eſt, uti poſtridiè caſtra movere neceſſe fuerit. Intereà eminùs res geſta ſclopetis, tormentiſque, dein conclamatis vaſis multâ jam luce, ut ne quid ea profectio fugæ ſimile haberet, Condæus movit. Tunc qui cum Erlaco equites erant, ii in agmine principes facti, dein qui in ſubſidiis fuerant proceſſêre, poſtremò qui in primâ acie ſteterant clauſêre agmen, uti ſi decertandum foret, converſo ad hoſtes gradu id eodem quo pridie decretum fuerat ordine fieret. At hoſtis noſtros abire conſpicatus, ſeu metu id facere crederet, ſeu ſpem nactus in abſcedentes, ut ferè fit, benè gerendæ rei, Lotharingicum equitatum, qui in ſiniſtro cornu erat, emittit, hi tanto impetu in dextrum noſtrorum cornu illati, uti cedere cogeretur loco: Caſtillionus qui erat in propinquo cum his equitibus quos ſubſidiarios mediæ aciei futuros fuiſſe diximus, tantam Lotharingicorum equitum vim

1648. Villequiero, & Nigromonaſterio adjuvantibus ſuſtinere conatur: ſed & quæ cum eo erat Gaſtonis equitum ala loco ceſſit, captuſque eſt *a* Brancacius Villarſius Tribunus; dein gravioris armaturæ equites excipiunt pugnam: hi ſuſtentavêre rem, impetumque hoſtium inhibuêre. Intereà Condæus qui in dextro cornu fuerant equites, locoque ceſſerant, eos in unum conductos ad pugnam reducit, qui ubi conferti redeunt, gravioris armaturæ equitum ordines perturbavêre, ipſique invicem conturbati ſunt: quò factum eſt, uti Condæum ad hoſtes euntem pauci ſequerentur, compluribus in ſecundam quæ in ſubſidiis erat aciem dilapſis. Qui in hac acie integri erant equites, eos in horum qui pulſi, aut perturbatis ordinibus abſceſſerant, locum Condæus ſubducit, atque redintegrat adverſus Lotharingicos Equites pugnam, qui denique loco ceſsêre, & ad ſuos rediêre. Tum in dextro noſtrorum cornu, atque in mediâ acie, & in utriuſque ſubſidiis omnia in integrum reſtituta, ſpatiumque fuit Condæo, atque Gramontio, qui ab ſiniſtro cornu ad eum accurrit, colloquendi, ac conſultandi, ab quibus decretum denuò eſt rem univerſam prælii fortunæ committere.

a Brancas, Marquis de Villars.

Intereà hoſtes delibatâ, ac ſatis ex Lotharingicorum equitum ſucceſſu exploratâ, ſicuti rebantur, victoriâ præclari acceſſerant, & quem locum pridiè Condæus caſtris habuerat, paulùm quàm cætera ſicuti memoravimus editiorem, eum acie inſtructâ tenuêre. In dextro cornu *b* Linæus, & Bucoïus: in ſiniſtro Salmius; & Lignevilla: in mediâ acie Beccus curabant: in ſubſidiis erant Leopoldus, & Fuenſaldanius. Octava ab mediâ nocte hora erat, cùm acies noſtra ad hoſtem tametſi edito loco poſitum procedere cœpit. Sexaginta ab eo paſſus aberat, atque tormentis dudùm agebatur, cùm Condæo viſum ſubſiſtere, atque aciem pauliſper conſtituere, dein lento ſicuti præceptum fuerat gradu ire perrexit. Paulò plus quàm quatuor paſſus inter utramque intercedebant aciem, cùm hoſtes ſclopetis emisêre glandes, rati ſcilicet id ſibi magno uſui futurum ſi in noſtros tam propinquos occuparent glandes mittere, quibus icti plerique caderent. Sed in prælio qui ultimus hoſti perniciem adferre poteſt, is haud dubiè victor evadit. Igitur noſtri ex præcepto Imperatoris ultimi ſclopetis ſuis uſi ſunt, ſimul Condæus unà cum equitibus procurrit, atque hoſtes perturbatis ordinibus in ſecundam ſuorum aciem compellit, quos Villequierus, & Muſſaïus cupidiùs inſecuti ab his poſtquàm egregiè pugnaverant, capti ſunt. Sed alii viciſſim in dextro noſtrorum cornu equites pulſi ab hoſtibus uſquè ad ſubſidia fuêre, tam variâ fortunâ pugnabatur: eò utrimque ab ipſis ſubſidiis prælium exceptum eſt, diùque varium, incertum, atque anceps cùm in cornibus, tùm in ipſa mediâ acie fuit: donec tantam omnium rerum perturbationem conſpicatus Erlacus, ibi verò cum poſtremò ſuo ſubſidio in aciem deſcendit, quo fretus maximè Condæus eâ parte hoſtes cædit, fugatque, & quatuor equitum alas qui perſequantur dimittit, ipſe ad id quod reliquum erat adjicit animum.

b Le Prince de Ligne. Le Comte de Bucoy. Le Comte de Salme. De Ligneville.

Gramontio in ſiniſtro cornu poſtquàm primi in tumulum ab hoſtibus

bus inceſſum evaſerant, ſecutaque erant ſubſidia, eadem propè quæ 1648.
Condæo fortuna fuit, aſpera, dubia, incerta: aderant Sammegrinus, & Iſſabonus, præterea Fertæus Sannectarius, ac poſtremò Belieropleſſius cum ſubſidiis, quibus in eo cornu præeſſe juſſus erat. Hujus adventu noſtri qui multitudine hoſtium coacti tantiſper loco ceſſerant confirmati poſtremò hoſtes fudêre, atque fugavêre. In mediâ acie Caſtillionus impigrè rem gerebat, Prætorianorum manus duæ unam Hiſpanicam, & Germanicas duas fregerant: Heluetii manus una, Picardiæ, & Gaſtonis Cohortes in unam coactæ manum, Scotica, Perſana, & Erlacia quos adversùm ierant, eos profligaverant: ſed qui in ſubſidiis erant hoſtium equites, peditibus noſtris nequicquàm prælio uno perfunctis intervenêre, Prætorianoſque, & Helvetios disjecerant, cùm Caſtillionus gravioris armaturæ equites in medios induxit hoſtes, quorum operâ ad reſtituendos Prætorianorum, atque Helvetiorum ordines ſpatium fuit, dein capeſſunt de integro pugnam, reſque acriùs quàm anteà geritur.

Intereà alii hoſtium equites ad noſtra peditum ſubſidia pervenerant, qui ab Condæi, & Contii Cohortibus excepti, ſclopetis petiti, ac prælongis haſtis disjecti ſunt. Jam omnes pedites, equiteſque alius aliò pugnabant, urgebantque hoſtem, nequedùm tamen fugiebat, tametſi eò inclinata res erat: cùm ab dextrâ Condæus, ab lævâ Gramontius profligatis hoſtium cornibus mediæ eorum aciei tunc cùm maximè noſtris ab fronte urgentibus intentæ ab latere utrimque aperto, atque ab tergo intervenêre: ita miſeri undequâque circumventi ad unum cæſi, captive. In propinquo Lentſium erat, quò pleroſque fuga tulit: eòdem Condæus cum omnibus copiis præeunte equitatu qui hoſtes proſequebatur contendit. Oppidum ſubitò deditum victori eſt Villequieri operâ, qui pugnæ initio captus, ac Lentſium abductus fuerat. Qui minùs feſſi ex equitibus noſtris viſi, eos Condæus Duacum versùs hoſtem perſequi jubet, nam eò ab Lentſio intenderat fugam.

Tormenta hoſtium triginta octo, commeatus omnis, rates quæ plauſtris ſternendo ubi opus foret ponti vehebantur, impedimenta propè omnia, vexilla peditum equitumque CXX. capta, ampliùs quingenti turmarum duces, Tribuni, Centuriones, Procenturiones, Vexillarii, quos inter inſignes fuêre Beccus qui in mediâ hoſtium curaverat acie, Lucemburgenſemque obtinebat Agrum, filius ejus *a* Belfortius Baro, Lineus vir Princeps, qui omni hoſtium equitatui, *b* Santamorius Comes qui rei tormentariæ præfuerat, *c* Crepacorius Baro Avennis Præfectus, atque alii complures, omninò captivorum numerus quinque millia, cæſorum tria millia fuêre. Nec incruenta nobis victoria fuit, *d* Sanvallius Porcheuſius, & Matarellus, Denmarius, Noncurius, Hericurius, Cavoyſius Centuriones, & Vicecenturiones è Prætorianis: ex Helvetiis *e* Heſſius Glaronenſis, Gebelius Solodorenſis Centuriones, præterea Surius Solodorenſis Vicecenturio: *f* Loïgnius è Picardiæ Legione, è Gaſtonicâ Turrius, ex equitatu Beljocus Angianæ turmæ pro Angiano Condæi

a Le Baron de Beaufort.
b Le Comte de S. Amour.
c Le Baron de Crevecœur.
d Porcheux de S. Val. Matarel. Danemarie. Noncour. Hericour. Cavoys.
e Heſſy. Guebeli. Sury.
f Loigny. de la Tour. D'Oiſy. La Motte D'Eſcars. Fraiſeliere. Roiſy. Cambour. le Colonel Salbric. La Sale. Comblé.

1648, filio Dux, Oyſius in Marſillaci Rupifocaldi Turmâ vicarius, è Gaſtonis alâ Mottæus Deſcarſius, è Chappæi alâ Fraiſilierus, è Fertæi Sannectarii alâ Valbecurius, & Roiſius, è Mazarini alâ Camburius Tribunus, è Salbrici alâ ipſe Salbricus Tribunus, præterea Laſalius, è Ravanelli alâ Joconius, è Nigriloci alâ Comblæus cecidere: præterea vulnerati complures quorum aliqui mox interiére, *a* Bellebrunus inter Prætorianos Centurio, Nevillanus Niortio oppido apud Pictonas Præfectus in Melleraii equitum alâ turmæ unius dux, Normanvilla Marchio, Salinſius Fayus inter Prætorianos Vicecenturio.

a Bellebrune. Neuillan. Le Marquis de Normanville. Faye de Sabins.

Ab hac victoriâ Condæus Furnas quas hoſtis nuper receperat, oppugnandas eſſe decrevit, quod negotium dat Ramſavio, qui proximam regionem ab Legiâ ad Oceanum, Galliæque fines ſicuti ſuprà diximus obtinebat. Quæ regio autem ab Furnis ad Sociarum Civitatum fines in Hiſpanorum ditione eſt, eam obtinebat Sfondratus cum idoneo copiarum numero. Ramſavius & ipſe copias habebat quibus provinciam tueretur, has Condæus auxit, mittendo ad eum Caſtrorum Præfectos duos Valbecurium, & Caſtelnavium Malvicieram cum quatuor armatorum millibus. His fretus Ramſavius Furnas versùm movet. Sfondratus haud procul oppido apud Stenkercam ſtativa muniverat, quæ partim amnis, cætera tegebant foſſæ in hac humili regione aquis ex agris ſubducendis frequentes: hæc ſtativa magno militum labore, atque periculo expugnata, Poloni pedites nando amnem intereà dùm ratibus jungitur ſuperavêre, atque alia militaria navi fecêre, Galli continuò ſubſecuti, atque hoſtes magnâ vi adorti poſtremò fugavêre: hi Dixmudam, & Neoportum abſceſsêre, dein Ramſavius circùm Furnas caſtra ponit. Sed Condæus ex copiâ rerum veritus ut ne hoſtium ab nuperâ clade reliquiæ omnes quæ haud exiguæ erant, Sfondrato conjungerentur, ac Ramſavium Furnarum obſidioni intentum, impeditumque adorirentur, eò ipſe cum Erlaci copiis properat. Ubi advenit avidus omnia viſundi, faciundique, dùm opera conſpicatur ad oppidi foſſam inſtituta, glande femur ictus eſt: nihilo ſeciùs tamen perductis ſicuti Condæus præceperat, ad propius foſſæ latus operibus indè pulſi hoſtes ſunt, munituſque noſtrorum ſuper foſsâ ſtationi locus, quâ re illi perculſi deditionem fecêre: hujus hæc una conditio dicta ab Condæo eſt, uti videlicet in poteſtate Ramſavii eſſent, quò permutarentur cum iis qui in Oſtendæ littore nuper expoſiti, relictique, capti ab hoſtibus fuerant: poſtpaulò copiæ in hyberna dimiſſæ.

In Urbe ubi de Condæi victoriâ nuntiatum eſt, continuò ab Rege decreta in majori Templo ſupplicatio, ob rem ab illo benè geſtam. Rex ipſe & Anna Regina mater cum Aulâ frequenti, præterea Senatus, Rationum, & Vectigalium Curiæ, Urbanique Magiſtratus ſupplicatum iêre. Omnes Ordines Condæum in cœlum ferre, egregia ejus commemorare, urbium expugnationes, victorias, virtutem, & fortunam in eo æquabiles. Sed finis æſtivorum prohibuerat, quominùs ex hac victoriâ tantum fructum res publica caperet, quantus initio fuiſſet,

ſatis tamen magnus Adminiſtris videbatur, qui hanc magis uti domi res publica comprehenſis quibuſdam ex Senatu quieta, quàm uti foris amplior eſſet, animis præceperant: neque aliâ gratiâ cum hoſte dimicandum, remque fortunæ permittendam cenſuerant: quo fiebat uti plerique dictitarent, hos ſuam hanc magis de Senatu, Populoque quàm Condæi de Hiſpanis hoſtibus victoriam arbitrari. 1648.

Aulam inter, & Senatum magnas eſſe lites ſuprà demonſtravimus, eo Hiſpani lætari, atque exiſtimare tempus adeſſe, quo rem ſuam propè lapſam reſtituerent: nam mirifica gentis hujus in adverſis conſtantia eſt, dùm fortunam opperitur. Id jam decimum tertium annum faciebat, nihil tot cladibus acceptis, provinciiſque, atque urbibus amiſſis mota, aut deterrita quin fortunæ viciſſitudinem patienter expectaret: præctereà ubi virtute parùm procedit, more ſuo dolis, atque fallaciis contendit. Foris Socias Civitates ab fœdere noſtro averterat, tunc autem inter nos lites, atque turbas aut ſerebat, aut fovebat ſedulò, cui malo dùm obviam itur ab Aulâ, & qui ſeditionis duces fore videbantur, eos Adminiſtri conantur amovere, fœdè ab his offenſum eſt.

Ab Templo quò de Condæi victoriâ honos Deo immortali habitus fuerat, Ludovicus, atque Anna mater redibant in Regiam, Prætoriani de more, atque Helvetii per vicos quà Regi tranſitus erat, ſtabant in armis, cùm intereà Comingius Vicecenturio Cuſtodum Reginæ corporis cum decem ex hac Centuriâ militibus ad Bruſſelli Senatoris ædes properat, hunc ſtatim comprehendit, atque abducit. In viciniâ primò tumultuatum, clamitare omnes indigniſſimè ſactum, dein & abducto Potiero Blammenio crevit rumor, ſinguli pro ſe quiſque arma capere, per vicos, plateas, atque fora fremere. Prætoriani ſicuti juſſi erant, atque Helvetii pontes obſident, ut ne plebes quæ cis, tranſque Sequanam incolit, coïre vellet, dein multitudini impares circùm Regiam ſtetêre, ſi qua ab plebe ingrueret vis, eam prohibituri.

Joannes Paulus Franciſcus Gondius patruo Archiepiſcopo Pariſienſi datus Adjutor, Coadjutorem appellant, per Urbem pedibus iit ſacro ſicuti Supplicationi adfuerat habitu, quo plebi venerabilior eſſet, hanc obſecrans, ut ab armis diſcederet, atque in poteſtate Magiſtratuum eſſet: hæc enimverò ſe negare uſque ceſſaturam, donec Bruſſellus, atque Blammenius ad Urbem reducerentur. Id ſe Gondius ab Reginâ poſtulaturum recipit, atque eâ gratiâ ad Regiam pergit ire, plebem quâ tranſibat benignè appellando, ſicuti mollire animos, atque iram multitudinis ſedare vellet: cæterùm longè aliter ſentiebat, homo potentiæ avidus, cui adipiſcendæ perturbatam, quàm pacatam rem publicam malebat. Is nuper ab Reginâ Inſulam Franciæ ſibi dari provinciam flagitaverat, quam *a* Hercules Rohanus Mombaſonus ſimul & Præfecti Urbis Munus abdicare dato pretio, ut hæc Gondius obtineret, paratus erat. Sed homini ambitioſo qui rebus divinis in Urbe præfuturus eſſet, eam & ipſi regendam permittere haud ſatis tutum Reginæ viſum.

a Le Duc de Mombaſon.

1648. Lutetia Pariſiorum Inſulæ Franciæ caput eſt, quo nomine agrum appellant, qui ab Urbe circumquâque ſatis patet: ſed Gondius & Pontificatu, & hac fretus provinciâ ſperabat ſe Reginam adducturum, uti ſibi mox ab Pontifice Cardinalatum impetraret, nam cujus in poteſte divina, humanaque in Urbe forent, id ei hanc minimè negaturam: poſtremò ubi Cardinalatum eſſet adeptus; ſe parem fore Mazarino, atque de gratiâ, & potentiâ ex æquo cum eo certaturum. Hæc ampla, atque magnifica juventus prona ad ea quæ facilè ſibi fingit credenda ſubjiciebat animo, cæterùm ipſe ſuas ſpes nimiùm feſtinando corrupit. Sed & hæc per mediam Urbem inter armatos cives in ſacro habitu, ac propè concionabundi in Regiam profectio eò pertinebat, uti Senatui, Populoque ſuum de Bruſſelli, & Blammenii reditu ſtudium oſtentaret, ac ſi fortè Regina ab ſe poſſet adduci, ut hos dimiſſos vellet, hujuſce rei gratiam occuparet, atque adeò clarior, & utriſque carior evaderet. Ubi in Regiam advenit, quid in Urbe ageretur Reginam edocet, atque eò rem rediiſſe, ut ni plebes Bruſſellum, ac Blammenium reductos videat, maximo in periculo futura ſit: talem Gondii orationem Regina eſt aſpernata, ſcilicet quem ſatis ſciret novis rebus ſtudere, ac de his moliundis cum pleriſque ex Senatu congruere.

Intereà increbreſcebat rumor plebem ad Regiam venire armatam, atque infeſtam, cui Melleraius, & Hoſpitalius Equitum Tribuni cum plerâque Nobilitate occurrere, ac moram injicere juſſi, blandè alloquendo, ac benignè pollicendo. In equis omnes Regiâ egreſſi ubi ad plebem devenêre, hæc enimverò nihil æqua, aut dicto audiens fuit: ſed continuò ortus eſt ab multitudine clamor, ac ſubſecuta lapidum grando Melleraium, atque alios receptui conſulere coëgit. Inter hæc fortè ſclopeto breviori emiſſa glans quempiam ex plebe attigit, interemitque, quæ res multitudinem magis, magiſque accendit. Catenæ ferreæ validæ quæ in finibus vicorum ſunt, prohibendis ubi res monet, ut ne commeent equis, carriſque, & rhedis, ſtatim prætenduntur: additæ prætereà ex omni materiâ quæ ad manum fuit, ſubitariæ munitiones, uti ſingulis modò pervii vici eſſent: per Urbem ſtationes quò Populo lubuit diſpoſitæ, atque ita quod diei reliquum fuit, exactum. Quæ ſubſecuta eſt nox, ea quietem animis, perindè ac corporibus adferre viſa, neque poſtridiè manè plebes movebat quidquam, uti crederes tumultuandi finem feciſſe, cùm Seguierus Cancellarius objectus oculis heſternam excitavit iram.

Is per pontem novum rhedâ vectus ibat in Curiam, cumque ad diverticulum quo ab medio ponte ad eam itur, perveniſſet, progredi ultrà coactus eſt, propter objectam eò loci pridiè ab oppidanis munitionem, quæ rhedæ tranſitum prohibebat. Igitur majori circuitu, per Auguſtinianorum vicum pergit ire, quo plebes grege facto primùm maledicta in hominem, dein ſaxa in rhedam ingerit. Illic Ludovici Caroli Alberti *a* Luinæi ædes ſunt, qui Seguiero affinis eſt: has ingreditur, atque obſeratis foribus plebem attinet, quas dùm molitur, nihil ip-

a Le Duc de Luyne.

ſe tanto quod imminebat periculo perturbatus, qui occultiſſimus, atque adeò tutiſſimus in ædibus locus viſus, eò recipit ſe, atque mortem ſi hæc obeunda reipublicæ causâ foret, conſtanter opperitur. Effractis denique foribus multitudo in ædes irrumpit, hominem primùm quæritat, dein objecta Luinæi veſtis, ac cætera ſupellex in medio poſita plebis animum ab eâ quam meditabatur cæde, ad prædam avertit, ſinguli ubi quod ſatis placebat id diripuerant, dilabebantur. Intereà quanto in periculo Seguierus eſſet, in Regiam eſt allatum: Melleraius ſtatim eò cum Prætorianorum manu, ac nobilibus aliquot venit, nihil heſterno periculo ſuo deterritus, quo minùs hanc Reginæ navaret operam: Seguierum ab Luinæi ædibus in Regiam reducit, neque plebes tùm quieta fuit, ſed Seguierum, & Melleraium ſecuta reſtitantem quemdam Picetum, ac multitudinem arcere conantem cecidit: è Præfecti prætorio Centuriâ duos Cancellarius habet ſicuti viatores, ac cuſtodes corporis, queis tertius unus præeſt, is fuit Picotus ab multitudine cæſus. 1648.

Senatus tùm frequens habebatur, ac Patres tunc cùm maximè conſultabant, quid facto opus eſſet, uti Bruſſellum, & Blammenium in Urbem reductos Regina vellet, ac præterea *a* Laiſnæo, & Antonio *b* Loiſelio quos abire juſſerat, ac denique Ludovico *c* Carretonio in altera Libellorum Claſſe Præſidi, qui diffugerat, eòdem redeundi copia eſſet. Senatûs decretum fit, ut eâ gratiâ frequens ad Reginam eat, quem plebes faciat tumultum, eum ad impetranda quæ velint opportuniſſimum eſſe. Matthæus igitur Molæus primarius Præſes cum univerſo propè Senatu per media civium præſidia jubentium uti Patres bono, fortique animo eſſent, darentque operam uti Bruſſellus reduceretur, in Regiam iit, atque ab Reginâ Senatûs verbis poſtulavit, uti Bruſſellum, ac cæteros Urbi, atque Senatui reſtituere vellet: ſupplicanti ſimilis videbatur, quo tamen loco res in Urbe eſſent, commemorando quod Senatus flagitabat, id facere neceſſe omninò eſſe ſatis oſtentabat.

a Laiſné.
b Loiſel.
c Le Preſident Charreton.

At Regina ſe negavit quod rectè, atque ordine, & ex Conſilii ſententiâ fecerat, id uſquàm mutaturam. *Mariæ ſocrûs juſſu cùm in Regni procuratione quondam eſſet, Henricum Condæum in cuſtodiam conjectum, nihil obſtante, aut reclamante Senatu, Populoque: ſibi verò idem in uno, aut altero ex hoc Ordine minimè licere, quin plebes arma capiat, non autoribus quidem, ſed approbantibus Patribus, quandò nihil contra decreverint, id quidem facinus indignum eſſe, quod expiare tamen Senatus poſſit, plebem aut coërcendo, aut ſedando, ex cujus tumultu ſi quid detrimenti reſpublica ceperit, id omne in eos collatum iri, neque ipſis impune ubi Rex filius adoleverit futurum.* Molæus purgare Senatum, neque ſedandæ ſeditioni parem eſſe dicere, tametſi operam ſuam cum Regis potentiâ conjungat. *Non in hunc Ordinem hujus rei culpam cadere, ſed in eos qui id Reginæ autores fuerint, quo plebes commoveretur, nihil antè proviſò quo in officio contineretur. Hos eò rem deduxiſſe, uti ſi omnes omnia ſua conſilia conferant, huic malo nihil niſi in Bruſſelli, &*

1648. *Blammenii, ac cæterorum reditu remedii inveniant. Hos igitur Senatûs precibus, hos imminenti reipublicæ periculo, hos denique hominibus centum millibus, qui id poſtulent, atque ea cauſa in armis ſint, condonare velit.* Pernegavit Regina hujus ſe quidquam facturam, ac ſimul cum Rege filio conſurrexit, abiitque.

Ita Patres ſuâ de Bruſſello, & Blammenio ſpe dejecti abſcedebant, quid futurum denique eſſet, anxii: nam quem ipſi metum incuſſuri venerant, eum Anna tanta animi firmitudine in ipſoſmet verterat: ſed Molæus cum animo reputans Senatûs famam, atque ſalutem, ac fortaſſe rei omnis publicæ in eo veſtigio temporis agi, haud ita diſcedendum eſſe conſtituit, atque cum his qui proximi aderant collocutus in id ex quo abierant Conclave rediit, & quia Regina in interius aliud abſceſſerat, per interpretes agi cœptum, quibus ultrò, citróque commeantibus Regina denique Gaſtone, atque Mazarino autoribus flexit animum ſuum, uti Senatui ſi modò Claſſes convenire ad feſtum uſque B. Martini diem deſinerent, de Bruſſello, atque Blammenio, aliiſque in Urbem, & in Senatum reſtituendis gratificaretur. Hæc Patribus lata conditio Molæo ſatis placebat. Sed hanc priuſquàm acciperent, de eâ ad Senatum referendum, conſultandumque erat, atque adeò redeundum in Curiam. Mazarinus id in Regia fieri poſſe exiſtimabat, cùm Senatus eò propè omnis adeſſet, aſſentiebatur Memmius, atque alii qui proximi Molæum erant, nam uti rei publicæ tempus erat, paulo momento aut fore ſalvam, aut in magnum diſcrimen caſuram, quibus adductus Molæus jam in propinquum ibat Conclave, cùm ægrè ſequi cæteros animadvertit. Igitur ut ne offenderet, redeundum ait in Curiam, aliò conſultari minimè poſſe videri, Mazarinus uti luberet agerent inquit, atque ita diſceſſum eſt.

Haud ita multùm proceſſerant Patres, pervenerantque ad propiorem plebis ſtationem: ibi voces tumultuoſæ exortæ percunctantium ubi Bruſſellus eſſet? hanc tamen ſtationem, atque alteram prætereiere. Sed ubi ad tertiam perventum, eò arma Patribus intentantes occurrere, quâ re perterriti Præſides quinque, ac viginti Conſiliarii inter tumultum dilapſi ſunt, plebis iram quæ magis exarſura videbatur, metuentes: reſedit tamen, juſſis in Regiam redire qui aderant Patribus, atque Bruſſellum, ac Blammenium reducere. Id ipſi obedienter fecêre, reverſique ſunt in Regiam, & quò primùm abnuerant, eò de conditionibus, quæ Senatui Regina tulerat, conſultavêre. Seguierus Cancellarius qui ubi in Curiam ire lubet, Senatui præeſſe ſolet, huic tùm præfuit, vir ſanè fortis, qui vix tanto quod jam jam diximus periculo ereptus, diem reliquum egregiam Regi, ac rei publicæ nihilò ſegniùs operam navavit.

Primùm rogati ſententiam Patres, numnam eo loco deliberandum cenſerent? quinquaginta aliò quàm in Curia deliberandum negavêre, iidem de conditione ab Reginâ latâ ubi mox rogati ſententiam ſunt, ut ne Claſſes convenire deſinerent, cenſuêre, uti facilè cerneres, ibi

factionem eſſe, neque ut è republicâ videretur, ſed ex lubidine ſententias dicere, cæteri & in Regiâ deliberandum, & ſuperſedendum ad feſtum uſquè B. Martini diem de novi Edicti capitibus, deque conſultis in B. Ludovici Conclavi ad Senatum referre, nullum tamen eâ de re Senatûs Decretum faciundum: de portoriis verò, atque uſuris quæ in publicis Urbis Ædibus ſolvi ſolent, perpetuò conſultandum. Unus ex Senatu cui nomen *a* Petro Martinello fuit, ſententiam rogatus plebi quod flagitaret, id tribuendum videri dixit, quoniam tàm probè inſtructa peteret: Molæus hominem juvenem uti ſibi ipſe temperaret, admonuit, Seguierus Cancellarius id non opus dicto fuiſſe, Gaſto idem paulò graviùs ait: at juvenis nihil ut in tali tempore territus, quo unicuique omnia impunè licebant, C. Cæſarem eo pacto Conſulatum, & petiiſſe, & cepiſſe reſpondit. 1648

a Martineau Conſeiller aux Requeſtes.

Sed quæ conſulta ab Senatu fuerant, ea Reginæ nuntiata hujuſcemodi viſa ſunt, uti Patribus denique de Collegarum reditu morem gerere poſſet. Miſſi continuò qui Bruſſellum, & Blammenium ad Urbem reducerent, Laiſnæo, Loiſelio, & Carretonio in Senatum redeundi facta poteſtas eſt: ſed poſtquàm Bruſſellus, & Blammenius advenêre tùm demùm plebes poſitis armis ad conſueta munia rediit. Senatus non item, nam Bruſſellus ex recenti injuriâ Aulæ quàm antehàc infenſior, atque omnis ejus factio quæ maximè Juniorum ex Inquiſitionum Claſſibus fuit, operam dabat, ut ne ſicuti quotannis ſolet, Senatus vacaret, cujus rei tempus appetebat. Eò in majus Conclave conferunt ſe, ac ſtrepitu magis, confuſiſque vocibus, quàm ex formulâ poſtulant, uti referatur eâ de re. Molæus obſtabat ſedulò, donec perpulit, ac pervicit denique ut id fieret *b* Petrus Viola in unâ ex Inquiſitionum Claſſibus Præſes, juvenis acer, quem repulſæ dolor exagitabat: nam Bailleulius Cancellariatum Reginæ abdicare voluerat, quem datâ in æſtimationem pecuniâ Viola ſibi haberet, ſed ea res utrique fruſtrà fuerat, quoniam Violam animo inquieto, & qui multa moveret, hunc apud Reginam habere Magiſtratum haud ſatis placebat Mazarino.

b Le Preſident Viole.

Molæus igitur ubi videt Violæ reſiſti non poſſe, ad Criſpinum ſententiam rogans convertit ſe, hic uti Senatus de more vacaret cenſuit, obſtrepentibus autem pleriſque, ac dictitantibus quæ in Senatores facta nuper violenter ſint, ea porrò pertimeſcenda eſſe, reſpondit de his ſi cui apud Senatum expoſtulandum videatur, id quidem facere licere: Bruſſellus ad quem ea res maximè pertinebat, ſeſe verò ait privatas injurias reipublicæ condonare, ſed neque his, neque aliis uſquàm rebus deterritum iri, quo minùs ſuam Regi, atque ampliſſimo Ordini operam navet, ad cujus præſidium magnoperè pertineat, ut ne ſicuti quotannis per certos dies vacare ſoleat, ita hoc anno vacet: dein tantiſper inter hunc, & Molæum eſt altercatum, poſtremò rogatus an id inconſultâ Reginâ faciundum cenſeret, ægrè ab homine pervicaci exſculptum eſt, uti Reginæ ſupplicandum diceret, quo id ejus voluntate facere liceret. In hanc ſententiam frequens Senatus diſceſſit, addito de-

1648. quibus modò Regina nuper conſenſiſſet, Senatum conſultaturum, nihil tamen hoc prolato in Regia opus eſſe. Datum ab Molæo Cognitori, atque Actoribus regiis negotium, uti Senatûs verbis ab Reginâ poſtularent Regium Diploma, quo Senatui per ſolitos vacationum dies convenire tamen liceret: perſcriptum Diploma, factaque Senatui ad X. uſque Calend. Octob. poteſtas eſt, quam ſi opus foret Rex prorogaret. Id Bruſſellus, atque hujus factio exoptaverant, ut Aulam perpetuò territarent, præterea metuentes ut ne pleriſque dilapſis in rura quiſque ſua Senatoribus, parùm ſibi præſidii in paucis iis eſſet, qui per vacationum dies in unam modo Claſſem convenire ſolent, & in aliis qui fortè ad Urbem manerent, ſi quid ſibi mali ab Aulâ merito ſuo impenderet.

Poſtpaulò Ruellium rus nobile altero ab Urbe lapide Rex, atque Regina mater conceſsêre, ſummo manè profecti, nequedùm re divinâ de more factâ: pauci comitabantur, neque aderat equitum quos Rex cuſtodiæ causâ habere ſolet numerus. Fuère qui ita exiſtimarent Regem abductum, ut ne diutiùs Senatui, Populoque in Urbe obnoxius eſſet, tametſi Regina ſimularet ſeſe Regis ſaluti ſervire, quem rure quàm in Urbe ut anni tempus erat, agitare præſtaret, idque Aulam jamdiù facere conſueſſe, nam menſis tum September agebatur.

a De Droüet Capitaine aux Gardes.

At Regina ubi abſcedebat Urbe, *a* Drueto in Prætorianorum Legione Centurioni imperaverat, uti cum idoneâ militum manu ad Vincennarum Arcem cui Chavignius Præfectus erat, ſe conferret, hominem comprehenderet, atque in Arcem interiorem conjiceret, quæ res facta ex ſententiâ: præterea Caſtronovanus de quo ſæpiùs memoravimus *b* Vetuſvilla Marchio, atque Goulaſius faceſſère ab Urbe juſſi. Chavignium Mazarinus ſimul inviſum, & offenſum habere in cuſtodiâ optimum factu exiſtimaverat, ut ne homo ingenio, atque ætate validus, ad hoc magnis opibus, ac clientelis, qui ipſi in Aula, & Senatu inimici eſſent, eos foveret, atque conſilio, & operâ juvaret. Caſtronovanum item, & Vetuſvillam metuebat, quorum alter Procancellariatum, alter ſummam Quæſturam quos geſſerant antehàc Magiſtratus jamdiù iterùm ſibi expetebant, neque hos ſeſe recuperaturos credebant, niſi quæ mutatio in Aula fieret: Goulaſius autem in adverſis Chavignio ſicuti antehàc ſecundis in rebus amicus alienâ invidiâ conflagrabat, vir antiquâ virtute ac fide: præterea Riviera cujus in poteſtate Gaſtonem eſſe diximus, hominem ex Aulæ ingenio oderat, cujus ſcilicet operâ creverat, atque ad id ubi erat locorum pervenerat, quæ res eâ tempeſtate pleriſque apud eos de quibus ita meriti erant, fraudi fuit, quamobrem Rivieram ab Mazarino haud difficulter impetraſſe aiebant, uti Goulaſium amandatum vellet: ſed mirum, ac monſtri ſimile viſum, Gaſtonem de quo ita meritus erat Goulaſius, ut illius causâ famæ, fortunarum, capitis periculum antehàc adiſſet, eum Rivieræ odio permiſiſſe.

b Le Marquis de la Vieuville. Goulas Secretaire des Commendemens de Monſieur le Duc d'Orleans.

Chavignium aiebant cùm ſuâ ſponte, ſcilicet qui multas, magnaſque

quæ inimicitiæ cum Mazarino exercendæ cauſas haberet, tùm ab Petro *a* Longolio Senatore adductum, ſeſe cum eâ factione, quæ illi in Senatu adverſa erat, conjunxiſſe, neque ipſum ab hac alienum fuiſſe Condæum: eò Chavignium Caſtilliono Colinio qui Condæo familiaris, gratus, acceptuſque erat, veneratque tùm ad Urbem victoriæ quam ad Lentſium reportaverat nuntius, aperuiſſe conſilia ſua, atque ſuaſiſſe uti Condæum magis, ac magis in ſuâ de oppugnando Mazarino ſententiâ confirmaret: ſed in eo offendiſſe Chavignium quod rem tantam item alteri Condæi clienti aperuerit: nam hunc veritum uti poſthàc Patronus in unius Chavignii tanti viri poteſtate foret, Mazarinum certiorem feciſſe, quid ille moliretur, atque eo Chavignium ab Mazarino in carcerem conjectum.

1648.
a De Longueil.

De Longolio Senatore fama erat hunc adversùm Mazarinum non modò Bruſſellum, ſed & pleroſque alios ex Senatu impuliſſe, neque id fuerat difficile, propter Curias omnes peſſumdatas, plebemque malè habitam: præterea cum Contio, Longavillâ, atque aliis, ac maximè cum Gondio conſilia contuliſſe, ſeu privatim ſibi quidpiam, ſeu *b* Longolio Maiſonio fratri ſummam Quæſturam expetebat, nam hic jamdiù hunc exoptabat Magiſtratum, quem amandato Almerico nuper Melleraio potiùs, quàm ſibi mandatum fortè graviùs æquo habuerat: Caſtillionus autem Mazarino infenſus erat, ex eo quod Tribunatum Equitum ipſi jamdiù promiſſum nondùm dederat.

b De Longueil, Preſident de Maiſons.

At Senatui incredibile memoratu eſt, quàm Chavignio facta ab Mazarino injuria curæ fuerit: de re publicâ agebat tunc cùm maximè, & Molæus de Urbis portoriis utrùm Bruſſellus brevì ad Senatum relaturus eſſet, hunc rogabat, cum Viola *Longe* inquit *majora alia vobis conſultanda ſunt P. C. neque tunc id agitur qua vectigalium, tributorum, aut portoriorum parte plebes ſalva re publica ſublevari poſſit, ſed hanc an nobiſcum unà, fortunas, dignitatem, vitam, atque libertatem adversùm Aulæ vim, atque ultionis lubidinem tueri poſſimus. Nam ut ne quid hujus ignoretis, quæ Senatus uſque decrevit, ea non conſervandæ (quod certè hujus Ordinis conſilium fuit) ſed perdundæ rei publicæ fuiſſe aiunt, armatam Regis injuſſu plebem, obſeſſam propè Regiam, imminutam Majeſtatem, ac propè violatam, ab his quos hæc prohibere magis decebat. Id manu vindicandum in vos, Populumque Aula non occultè fert.*

Eo Rex ab Urbe clàm deductus, paucis comitantibus contra decus regium, & contra majorum morem re divina infecta: eo accerſitæ ab Regni finibus copiæ, uti dùm ab hoſtibus nuper devictis otium eſt, funeſtum adversùm cives geratur bellum. Cui in Aula hæc probari nequivêre, is nuper in carcerem conjectus eſt, pridem exutus gratia, dignitate, atque omnibus ornamentis, ut ne quid in tanto viro rei publicæ, quam fœde porrò diripere conſilium eſt, præſidii ſit, atque id contra fidem ab Regina datam nihil hujuſmodi ſe quamdiù in Regni procuratione eſſet facturam. Quam quidem fidem quanti Adminiſtri faciant, ipſe Chavignius in carcerem conjectus, Caſtronovanus, Vetuſvilla, & Goulaſius Urbe pulſi documentô ſunt. An hanc in vobis ſanctiorem fore arbitramini ubi

1648. *aderunt copiæ, atque hanc impunè violare licebit? quid vobis futurum creditis P. C? an vos veſtra Decreta ſatis tegent? Sed nihil vos pericula veſtra moveant, rem publicam peſſum ire otioſi patiemini, qui hanc propè lapſam, at certe fœdiſſime labefactatam reſtituere etiam tùm magno conatu nitimini? Horum quis Reginæ autor ſit, neminem omnium latet: is peregrinus, atque advena, omnis moris noſtri ac legum ignarus, hùc, atque illùc pro lubidine circumfertur: ab qua neque patriæ quæ ipſi nulla eſt, caritas, nam ſuam ejuravit noſtra plane indignus, neque civium quos hoſtium loco habet amor animum retinet, quò minùs cuncta modò ut ipſe abunde pollens, potenſque ſit, perdita velit.*

Adversùs hunc hominem in legibus, atque in Senatûs Decretis vobis, atque rei publicæ præſidium eſt P. C. ſi quæ noſtra memoria, conſimilibus plane temporibus feciſtis, ea nunc eodem animo egeritis. Itaque ad Reginam mittendos de reducendo ad Urbem Rege aliquos ex Senatu cenſeo, qui præterea doceant, ab illius clementia, atque fide alienum fuiſſe, Chavignium comprehendi, atque in carcerem conjici, quam ſi poſthàc haberi ſibi velit, hunc ſtatim dimittendum, atque cæteris cavendum eſſe: poſtremò viros Principes, ac Franciæ Pares, in Senatum vocandos, qui de re publica cum hoc ampliſſimo Ordine, ac potiſſimùm de renovando Senatus Decreto, quod anno C I Ɔ. I Ɔ C. X V I I. *factum accepimus, ſeriò conſultent, quo ut ne cui peregrino rem publicam in Gallia adminiſtrare copia ſit, cautum eſt.*

Hanc orationem excepêre Blammenius primùm, dein Novio, in Mazarinum graviùs invecti, cæteri in eorum ſententiam frequentes iêre, Senatûs Decretum fit, ſicuti Viola cenſuerat. Poſtridiè Molæus, atque alii ex Senatu Ruellium iêre, & quæ hic Ordo decreverat, ea Reginam edocuêre. At hæc mirari ſe dixit Senatûs de ſuâ, Regiſque filii profectione ſuſpicionem. *Vulgò ab Urbe ea anni tempeſtate diſcedi, atque ad Aulam jamdiu facere conſueſſe, neque ſibi mutandum in eo quidquam fuiſſe, uti variæ plebis formidini ſerviret: quæ iniquitate temporum contracta, atque facta ſint, eorum ſe nihil memorem eſſe, atque uti nulla uſquàm memoria extet, magnopere cupere.* Aderant Gaſto, Condæus, Contius, & Longavilla, qui anteà rogati ut in Senatum venirent de re publicâ conſultatum, ſe Reginâ coràm reſponſuros dixerant, atque tunc ſe in Senatum ituros negavêre: ſed Longavilla molliùs, atque remiſſiùs, ſcilicet qui jam indè ab harum turbarum initio cum Gondio quem Coadjutorem appellabant, & cum aliis qui in Senatu Aulæ infenſi erant, congruebat, diſſimulans tamen ſedulò ut Aulæ conſilia pernoſceret, ac ne alieno tempore ſua nudaret.

Gondium eâ tempeſtate ferunt, ex perturbatione rei publicæ quæ tum futura videbatur, ſua commoda captare decreviſſe, atque omni ope eniſum, ut ad Senatûs partes Condæum pertraheret, qui fretus hujus Ordinis autoritate per reliquos Regis pueritiæ annos, ac fortaſſe diutiùs rem omnem publicam ex voluntate tractaret, magnamque ſibi, ac quibus vellet benefaciundi (quod maxime regium eſt) copiam habiturus eſſet. Hæc ingentem animum non nihil movere videbantur, quem cum Bruſſello jam, ac Longolio Senatoribus collo-

cutum, atque ea dixiſſe aiebant, quibus fidem ſuam utrique de tuendo Senatu, atque de republica ex hujus Ordinis ſententiâ gerendâ dediſſe videretur: alii negavére id ab Condæo factum, ſed eâ modò cauſâ factioſis ex Senatu, atque Gondio auſcultaſſe dicebant, ut ne ſeſe omiſſo ad Gaſtonem confugerent, atque hic ex eo negotio id arte tractando, ac Reginæ, & Mazarino ſui metum faciundo potentior in Aulâ evaderet, cæterùm nullam ipſis de re ullâ publicâ fidem dediſſe. 1648.

Sed Regina ubi factioſos ambire Condæum reſcivit, omnem dedit operam, ut hunc ipſa Regi filio, ſibique adjungeret, neque eâ cauſâ precibus, aut lachrymis pepercit, hunc tertium ſibi filium eſſe dictitans, in cujus virtute ſpes omnes ſibi ſitæ eſſent: ipſe Rex puer matris, ac Mazarini monitu hominem amplecti, obſecrare, atque obteſtari ut ne Majeſtatem ſibi ab iiſdem Regibus quibus ille ortus ſit, traditam labefactari ſineret, Mazarinus omnia ſe poſthâc ex hujus voluntate facturum recipiebat. Sed Gramontius Equitum Tribunus, ac Tellierus Quatuorvir, multâ alia ſingillatim Condæo dixere, quibus hunc docebant de factioſorum in Senatu audaciâ, atque adverſis regiæ potentiæ conſiliis, contra quam Populum accenderent, propter tributa, vectigalia, atque alia, quæ Rex ab illo exigere ſolet, quô fiat ut non difficile ſit Senatui populum concitare, atque hoc pacto ſibi tantam potentiam ſumere, ut hac impunè non in unum modò Adminiſtrum, ſed & in quoſvis alios pro lubidine abuti poſſit. *Jamdiù hunc Ordinem ſibi tantùm arrogare, ut ipſis Regibus modum facere ſibi jus, faſque eſſe credat: quod ſi verum eſſet, vix quidquam diſcriminis Senatorem inter, & Regem, nedum Principem è regia gente virum foret, quò ut ne res denique recidat, providendum videri.*

Hæc atque alia dicta Condæo hunc impulêre, uti Reginam, Regemque filium ſibi tuendos eſſe cenſeret. Id certè rectum, & honeſtum erat, cæterùm haud minores quàm qui ab factioſis proponebantur fructus oſtentabat: nam quo magis Condæi operæ Regina, atque Mazarinus indigebant, eò ille omnia ab his quæ ad rem ſuam, famam, & gloriam pertinerent, atque ad ornandos, augendoſque quos vellet, impetraturus videbatur, atque eò denique potentiæ evaſurus, unde vix pelli poſſet. Hæc hominum natura eſt, ut & qui nihil mali facere ſtudent, hujus tamen ſibi copiam eſſe velint, nec abſque eò ſeſe liberos eſſe putent. At Gondius ſuâ ſpe de Condæo dejectus hanc omnem in Contio fratre poſuerat, uti ſi majorem natu Aula, factio ſaltem minorem haberet: hic in Condææ ſororis poteſtate fuit, quæ, ſimul & Gondius haud difficulter eum ad Senatûs partes adduxére. Franciſcus Rupifocaldus Marſillacus Condæam colebat, atque obſervabat, qui quoniam hujus Principatûs initio Reginæ commodis ſerviundo, ſimul hanc, ac Mazarinum ambiundo parùm profecerat, aliò animum ſibi adjiciendum eſſe decreverat, atque adeò factioni ſtudebat, inter cujus principes huic locum facilè dederimus, nam & ingenio, & induſtriâ valido.

1648. Poſtquàm Molæus, atque alii ex Senatu Ruellio, quò ierant Regem, atque Reginam matrem de Senatûs Decreto certiores facturi, rediêre, Molæus quid hæc ſibi reſpondiſſet, Patres edocuit: ſed ubi legationem renuntiabat, Cognitor, atque Actores regii, Regis ad ſe miſſum Edictum attulêre, quo Senatûs Decretum antiquabatur: ſuper eo Patres uti ſcripto Rex de optimâ Senatûs voluntate certior fieret, cenſuêre, atque intereà de re publicâ, ſicuti decretum fuerat, nihilo ſeciùs conſultaretur: Urbani Magiſtratus providerent, ut ne commeatus in Urbe deficeret, præthereà darent operam, uti de more ſupportantibus nihil impedimento eſſet. Sed hæc decreta, atque conſulta diſturbavêre opportunè allatæ ab Gaſtone, & Condæo litteræ, quibus orabant Senatum, uti quoſdam è ſuo Ordine Germaniſanum quò Rex, & Regina mater ituri erant, mittere vellent, qui ſecum de his quæ agebantur conſulerent, ſperare ſe omnia, quod Regi, atque rei publicæ benè vertat, conventura.

Iam ab Aulâ bellum adversùm Urbem parari videbatur, & ut id defenderet, ipſa parabat ſe, pertinaciâ magis, quàm conſilio, atque prudentiâ, ſcilicet ab omnibus rebus, quæ tanto ſuſtinendo bello neceſſariæ erant, imparata: animos modò faciebat oppidanorum multitudo, quæ militiæ rudis ad hanc parvo uſui, eadem ut omnis aleretur oneri futura erat. Quas ab finibus Rex accerſiverat copias, eæ haud ita procul ab Urbe tùm fuêre, quod eò factum exiſtimabant Patres, uti quod ſponte nolebant, id metu denique facere cogerentur, atque de re publicâ conſultare, & eâ gratiâ convenire deſinerent, & in Claſſes quiſque ſuas regreſſi jus civibus de more dicerent. Sed id ubi parùm procedebat, nequedùm Aulæ conſilium erat, detrectantes vi adigere, ſi quo alio pacto adduci poſſent, ut in viam redirent, placuerat cum iis per Gaſtonem, atque alios viros principes agere, ac illos eâ gratiâ Germaniſanum accerſere, quod quidem æquius viſum, quàm Gaſtonem, Condæum, alioſque Rege, atque Reginâ relictis, ad Urbem, atque in Senatum ire, de re publicâ, ſicuti hæc ab Rege ad Senatum tranſlata eſſet, conſultatum.

Grata, atque accepta ut in tali tempore Patribus hæc conditio fuit, atque omnes uno ore cenſuêre, cum Principibus viris colloquendum, atque adeò quibus id mandaretur, eos eſſe deligendos: ſed iſthuc fieri in Urbe placebat, nec eò ſeciùs viros Principes, ac Franciæ Pares in Senatum vocandos: hæc erat ſententia eorum ſcilicet, qui omnis rei publicæ gerendæ avidi, hanc ad ſe trahere ſtudebant: vicit tamen illorum ſententia, qui Germaniſanum eundum, quò Rex, atque Regina mater agitabant, cenſuêre denique, atque rem ſicuti in utriuſque conſpectu agendam.

Igitur poſtridiè Molæus cum Præſidibus, atque aliis ex Senatu Germaniſanum profecti ad Regem primùm, & Reginam adiêre, cui Molæus ait ejus ſe voluntate accerſitos veniſſe, cum Principibus viris collocutum: dein poſt breve Reginæ reſponſum dimiſſi ad Gaſtonem ſe contulêre. Eo Condæus, Contius, & Longavilla adfuêre, neque præ-

tereà aut ex Conſilio regio, aut ex Aulâ quiſquam: id poſtulaverant Patres, neque Regina, aut Adminiſtri obſtiterant, præclarum rati qui viros Principes in Senatum vocaverant de re publicâ unà ſecum conſulturos, eos ab ipſis modò Principibus accerſitos ad hos longiuſculè ab Urbe veniſſe. 1648.

Gaſto primus, *Quid de re publicâ, & ſublevandâ plebe ſentiret, Senatum probè ſcire*, ait, *quid Regi, atque Reginæ autor fuerit, quæ ipſi ſe autore edixerint: ſed eo loco rem publicam eſſe, ut huic conſultum oporteat, ſi quid in eâ erit offenſum, id omnibus perindè ac Regi fraudi, atque damno fore. Quod hæc foris uſque benè geſta ſit, eo hoſtes ad pacem propè compulſos: ſi quid turbatum domi, aut ubi ſi ceſſatum adversùm illos fuerit, ſententiam mutaturos, bellumque quod jam conditionibus finire haud difficile videatur, aut ſempiternum, aut certè diuturnum fore, quâ re nihil minùs ſublevandæ plebi, aut rei publicæ reſtituendæ idoneum ſit: eum iis ſe colloqui voluiſſe, ut aliqua ratio ineatur denique, quò domi, bellique res publica benè geratur, donec perveniatur ad pacem: hâc ſancitâ quæ temporum iniquitate labefactata ſint, ea tùm nullo negotio reſtitutum iri.*

Gaſtonis orationem Molæus excepit. *Illius egregiam adversùm rem publicam voluntatem Senatui, atque adeò omnibus plane cognitam, cujus tot tantaque documenta extent, uti nemini dubium ſit, ex hac quam poſtulaverit collocutione magnum Regi, Regnoque fructum eventurum. Cuncta in ſummo diſcrimine eſſe, ſi vera prædicent ii qui copias ab Regni finibus evocatas aiunt, quo ſuprà, infràque Urbem obſeſſo amne, atque omnibus circumquàque viis clauſis, Senatus, Populuſque aut fame miſerrimâ omnium morte conficiatur, aut pro Aulæ lubidine quos jubeat eos ad vincula, aut ad exilium, aut ad ſupplicium denique dedat: eâ gratiâ, Regem abductum, atque Aulam Urbe deceſſiſſe. Quem ex omnibus tutum eſſe cùm Chavignio neque ſua in rem publicam merita, neque Adminiſtri dignitas, neque alia multa præſidio fuerint? Si Regina Urbem pacatam velit, Senatum, Populumque metu liberandum, redeundum ad Urbem eſſe, Chavignium emittendum cuſtodiâ, cavendum cæteris, ut ne indictâ causâ conjiciantur in vincula, plebi quartam tributorum quæ Sectiones appellent, partem remittendam, pendenda minoribus magiſtratibus ſtipendia, Annuæ ſicuti Curiis pecuniæ ſolvendæ atque eadem conditione copiam faciundam, quæ ad Senatum attineant, de iis cognoſcere ab Conſilio regio deſinendum, Uſuras pecuniæ Regibus ab privatis publicâ Urbis fide creditæ perſolvendas. De his omnibus Conſilio habito Regem quod videbitur id edicere neceſſe eſſe, atque Edictum in acta Senatus ſi Patres cenſeant, more majorum referri, quæ cœpta ſit collocutio, eam in Urbe continuari, Senatum per ſolitos Vacationum dies porrò tamen haberi.*

Ad hæc Gaſto. *Vana eſſe*, reſpondit, *quæ de prohibendis ad Urbem commeatibus plebes ſibi fingat, Regem ab Urbe eâ tempeſtate diſcedere ſolitum, atque rure agitare, nequedum huic conſilium eſſe redire ad Urbem, ſibi, atque aliis viris Principibus ubi Rex ſit, ibi manendum, operamque huic navandam. De Chavignio quod Senatus poſtulet, id mirum eſſe, qui non ſit ex hoc Ordine, tantamque Patribus de uno Adminiſtro curam eſſe, cùm cæteris maledicant, qui ſi quid perperam fecerint, eos ab Rege certè coërcendos, cujus res ratio iniri nulla poſſit lenior, quàm hæc in quam Chavignius miſſus ſit cuſtodia, quâ ſcilicet nihil præter ma-*

1648. *lefaciundi copiam eripiatur. Ubi Reges juris dicundi partes Senatui, atque alias aliis Curiis delegaverint, iis ſeſe ſpoliatos noluiſſe, ſed id levandi ſibi laboris cauſâ feciſſe. Quid Rex plebi, Magiſtratibus, & creditoribus urbanis benigne, ac liberaliter facere poſſit, Senatui magnam exiſtimandi copiam fore ſi quid illi annui reditûs, quid ſumptûs faciundum ſit, intelliget, eâ gratiâ utriuſque rei commentarios Patribus exhiberi Reginam velle.* Addidit Condæus. *Maturanda hæc eſſe, nam intereà loci ſtipendium, atque frumentum exercitibus deeſſe, qui ſi dilabentur planè interituram rem publicam.*

Molæus contra. *Chavignium fuiſſe antehàc ex Senatu* dixit, *Patribus curæ eſſe, ut ne quid injuriæ cuiquam fiat: quo frequentiùs injurias ſuas rei publicæ ſpecie ulciſcantur ii qui gratiâ, & potentiâ valent, eo diligentiùs id ut ne poſthàc fiat, cavendum videri. Cæterum longum eſſe regii reditûs, atque ſumptûs rationes expendere: qui rem regiam procurent, eos qua tributorum parte Plebes ſublevari poſſit, ſatis ſcire.* His altercationibus dies abſumpta, Patres ad Urbem rediêre, ac poſtridiè adfuêre denuò. Magna tùm inter hos, & viros Principes contentio extitit de Chavignio dimittendo, & quo modo cæteris caveretur. Patribus placebat, ut id lege fieret: Viri Principes negabant Reginam quamdiù in Regni Procuratione foret, novam hanc legem laturam, neque id ipſi ſe autores futuros. Seguierus Cancellarius qui huic colloquio Patrum voluntate aderat, *Ea re minus Regis potentiam* ait, *neque Reginam commiſſuram, uti quam ab majoribus Ludovicus filius acceperit, eam ut ne poſteris Regibus tradat: Gaſtonem, atque Condæum Reginæ, ſuamque ipſos fidem obligaturos, ſi quos Regina in cuſtodiam mitti juſſerit, de eorum cauſa cognituros modò hos judices, ad quos ea res more, atque inſtituto majorum attineat, ita ſatis unicuique cautum fore.* Molæus de Chavignio, & lege porrò inſtare, donec Gaſto poſtremam ſe Reginæ ſententiam exquiſiturum reſpondit, quoniam de utrâque re tantoperè Senatus laboraret.

Poſt varia denique colloquia eò deventum, uti Rex quæ in B. Ludovici Conclavi conſulta, dein ab Senatu partim decreta fuerant, alia decernenda videbantur, ea Rex ediceret, neque Edictum modò ex Senatûs ſententiâ fieri placuit, ſed id ipſi ſuo modo perſcribendum permitti. Quod ubi mox ab Molæo Germaniſanum allatum eſt, multa ſuper quibuſdam Edicti capitibus huic cum Cancellario altercatio interceſſit: poſtridiè tamen nihil ex eo quod perſcriptum fuerat mutato, Edictum ab Rege ſubſcriptum, atque ab Cancellario ſignatum remittitur, & in Curiâ promulgatur. Multa in eo fuêre rei publicæ ſalutaria, tum id maximè, quod quæ publicani bona filiabus doti dixerint, aut filiis donaverint, ea nihilò ſeciùs aut Regi, aut eorum creditoribus hypotecæ, aut pignori oppoſita forent, neque eorum uxoribus ſeorsùm ab his poſſidere quidquam copia eſſet: hæc uti publicanorum dolis occurreretur, neceſſaria viſa, qui poſtquàm æs alienum ingens conflaverant, ſeſe ſolvendo non eſſe ſimulabant, cùm intereà uxores, filii, filiæque regio victu, cultuque ætatem agerent, ipſi ſuâ fraude tecti, quæ bona ſuorum fidei commiſiſſent, iis uterentur, fruerenturque, innoxii,

atque florentes, Regi, ac cæteris eorum creditoribus res, ac nomina perirent, ex quo magna cùm in rem publicam, tùm in rem multorum familiarem damna erant. 1648.

Præterea omnium ſecuritati cautum Edicto, ita tamen ut ne quid novum ſanciretur, ſed quod lege comparatum erat, id planè ſervaretur. Chavignius dimiſſus ab Arce Portûs Gratiæ, quò ab Vincennis deductus fuerat, juſſuſque eſt Chavignium rus nobile Buthillerii patris apud Turonas ſecedere, quâ in re incredibile memoratu eſt, quantum Senatus ſtudium fuerit, tantum herclè, uti propè Gaſtonis animum offenderit, qui Patribus dixerit, neque ſuas nuper, cùm Richelii operâ Galliâ pelleretur, neque pridem Henrici Condæi Ludovici qui aderat patris injurias, cum conſimili Concinii operâ in carcerem conjectus fuiſſet, Senatui æquè fuiſſe curæ. Id profectò Chavignio amplum, atque magnificum eſt. Sed hæc de eo Senatûs ſolicitudo pleroſque adduxit, uti crederent haud falsò Mazarinum ſuſpicatum Chavignium de hoc abigendo cum quibuſdam ex illo Ordine, prætereà cum Longavillâ, atque Gondio Coadjutore conſilia contuliſſe, ut illi de ſummâ Quæſturâ Buthillerio patri, ac ſibi Quatuorviratu abrogatis gratiam referret.

Edicto Regis quod ex ſententiâ Senatûs perſcriptum fuerat, concordia inter hunc Ordinem, & Aulam conſtabilita videbatur, cui rei ſummam haud dubiè Gaſto dederat operam, nam jam indè ab harum turbarum principio quæ in Mazarinum ſingillatim exortæ fuerant, huic Gaſto fautor fuerat, annitente Rivierâ, in cujus poteſtate hunc eſſe diximus. Eo Riviera ſe Cardinalatum cujus ipſi Mazarinus jamdiù ſpem fecerat, benè promeruiſſe credebat: ſed hic ei rei moram adferre, ac tunc cùm maximè ut ne fieret fraudem adhibere videbatur. Contius Condæi frater ex Ordine Eccleſiaſtico erat, qui nihil de Cardinalatu, ut hunc Rex ſibi ab Pontifice peteret, uſque dixerat: ſed eâ tempeſtate Condæus ab Rege poſtulavit, ut hac de re ad Pontificem ſcribere vellet, quod quidem tam opportunè ad diſturbandam Rivieræ petitionem factum huic ſuſpicionem movit, id ab Mazarino magis, quàm ab Condæo profectum: quamobrem Gaſtonis odium in illum uſque accendit, uti vix hominis adſpectum, nedùm colloquium ferre poſſet: ægrè proptereà Gaſto veniebat in Regiam, neque adeò conſilia de re publicâ habebantur, alia, dein alia cauſante Gaſtone, ut ne his habendis adeſſet.

Jam factioſi ex Aulâ, & Senatu illius domum frequentabant, atque in partes Aula diſceſſura videbatur, ni Franciſcus Hannibal *a* Eſtræus Equitum Tribunus, atque Henricus Sannectarius viri graves, & grandiores natu ſuâ autoritate Rivieram ab perturbandæ ſui modò ornandi, atque augendi causâ rei publicæ conſilio deterruiſſent, docentes hominem ſi in illo pertenderet, multas Gaſtoni confecturum ſolicitudines, atque adversùm ſe Condæi tanti viri odium concitaturum, ita ut publicè, privatimque graviter eſſet offenſurus, atque tantum excitaturus incendium, ut unâ hujus ruinâ denique reſtingui poſſe videretur. His

a Le Mareſchal d'Eſtrée.

1648. permotus Riviera mitiùs poſthàc ſibi agendum eſſe decrevit, fidemque habendam Mazarino pollicenti unum ſe Contium illi antelaturum in Cardinalatu, qui ſi extrà ordinem Cardinalis creari poſſet, haud dubiè Rivieram Regis rogatu de more creatum iri. Sed huic tanta Cardinalatûs cupido fuit, uti cum Condæo per *a* Vinolium Hardierum egerit, atque omnem Gaſtonis operam pollicitus fuerit huic ornando, & quantùm fieri poſſet augendo, ſi Contium fratrem ab Cardinalatûs petendi conſilio dimovere vellet, quem præſtaret uxorem ducere, ac genus regium propagare: at Condæus ita Vinolio reſpondit, ut qui nequaquàm opes ſuas, ſed gloriam, atque famam rei publicæ benefaciundo perpetuò auctas vellet.

a Hardier de Vincuil.

Pridiè Calend. Novemb. Rex, atque Regina mater cum Aulâ omni ad Urbem redierant, rem ab Senatu, Populoque dudùm petitam: ſed Aula ſuâ ſponte appetente demùm hyeme in Urbem conceſſerat, ut ne de induſtriâ antehac diſceſſiſſe, ac tùm coacta rediiſſe videretur. Nihilò ſeciùs tamen ab Regni finibus accerſitæ copiæ haud ita procul ab Urbe erant, atque uti mos militibus, maximè ubi ſtipendium deeſt, circumquàque populabantur agros: prætereà quæ Rex nuper edixerat, ea haud ſatis obſervabantur, Adminiſtrorum fraude, ſicuti Senatui videbatur, queis videlicet tàm arcta rei publicæ adminiſtrandæ ratio parùm placeret. Horum animos offendit maximè, quod ubi Edictum in Curiâ vectigalium promulgatum fuerat, hæc ut ne Sectiones (tributi genus eſt) quis redimere, aut conducere vellet capite ſanciverat, quas Adminiſtris pro lubidine locare copia priùs fuerat, ac fortè ex eo quæſtum facere, ſeu in conductorum ſocietate clàm eſſent, ſeu ab his honorarium acciperent. Quomodocúmque Sectiones locarentur, eò certè fiebat, ut ex his minorem Rex caperet fructum, prætereà in his ab plebe exigendis acerbiores erant publicani, quàm qui id facere ſolent Magiſtratus: nam illi nihil pauperibus parcebant, quo uberiorem facerent quæſtum, ad hoc nihil ſoliciti utrùm plebes in poſterùm ſolvendo foret, necne, cuncta in præſentiâ auferebant: poſtremò quæcúmque dici, aut fingi queunt fraudis, nequitiæ, atque avaritiæ probra, ea ab publicanis in miſeram plebem exercebantur, queis hanc ſublevare Vectigalium Curiæ conſilium fuit.

Sed hanc Regina accerſi juſſit, docuitque per Cancellarium, *Regem plebi quintam Sectionum partem remiſiſſe, atque credidiſſe Curias operam daturas, uti reliquæ quatuor eò faciliùs exigerentur: præſenti pecuniâ Regi opus eſſe, quam ut habeat, locatas Sectiones neceſſariò oportere iis qui præſenti pecunia conducant: nam novem modò poſtquàm imperatæ ſint menſes eas ad ærarium venire poſſe: illud ſi per Vectigalium Curiam non liceat, neque Regem exercitus alere, multo minùs quæ in Germania pace facta dimittentur copiæ, eas mercede conducere poſſe, quæ ad Hiſpanos tranſituræ, atque unà cum his Regni fines ingreſſuræ ſint. Ita quæ remedia res publicæ malis Curiæ adhibere velint, ea in ejus perniciem verſura, cujus ſcilicet ſtatum haud ſatis noverint.* Hac Cancellarii oratione adducta Vectigalium Curia decrevit, qui intra ſex proximos menſes

menſes Sectionum tributa conducerent, aut ab quibus pecunia Regi ſuper his tributis reſcribenda crederetur, iis ut ne fraudi foret. Quod ubi Senatui nuntiatum, præterea ad Rationum Curiam miſſum promulgandi gratiâ Edictum, quo eadem ſuper aliis omnibus tributis, vectigalibus, portoriis copia fiebat, Patres Rationum Curiam rogavêre, ut ad ſe quempiam ex ſuo Ordine mittere vellet: miſſus eſt Robertus *a* Albericus Præſes, ab quo ubi quæſitum de Edicto, is ſe ſatis ſcire negavit, quid eo ſanciretur, de quo poſtridiè Senatum facturus eſſet certiorem. Sed inter ea Tubovius in eâdem Curiâ Præſes, idemque unus è minoribus Quæſtoribus, qui Regis Conſilio ubi de regiâ re habetur, adeſſe ſolent, Edictum quod ad Rationum Curiam ipſe attulerat, ad Conſilium retulit, veritum ut ne quid ampliùs ea res turbarum faceret. 1648.

a Le Préſident Aubry.

At in eo negotio Gondius Coadjutor de quo ſuprà memoravimus, quantùm Aulæ, ac Mazarino adverſus eſſet, ubi nihil opus erat, neque huic quidquam noceret, demonſtravit, *Rem quæ agebatur ad Eccleſiam pertinere* dictitans, *fœnus omne divinis legibus vetitum: humanis vero prædiorum venditionis quod per pignus,& hypotecam fiat ſpecie tolerari: at iſthîc purum putumque fœnus eſſe, ſcilicet in eâ pecuniâ quæ Regi Mutui ſpecie credatur,ac multo amplior ſuper vectigalibus, tributis, aut portoriis poſt certum tempus exolvenda reſcribatur. Eo ſe Theologos, & Curiones in conſilium eâ de re adhibiturum, atque hanc Eccleſiaſticâ Cenſura notaturum.* Ita ad perdundam rem publicam divina, atque humana miſcere nulla religio erat: nam omnes pecuniæ vias claudendo, quâ belli ſumptus tolerarentur, illam interire omninò neceſſe erat: neque tamen id aut Gondius, aut plerique alii rei publicæ perdundæ, aut Mazarini quod prætendebatur, ac cæterorum Adminiſtrorum odio faciebant, niſi ſi cui ſe ſuffectum vellent, ſed pro lubidine quiſque quò privatæ rationes impellebant, eò ferebatur, plerique uti malèfaciundo, ſibi ut ferè fit, benè facere Reginam cogerent.

Pridiè Id. Novemb. Senatus ſicuti per ſolitos dies vacaſſet, ita habitis de more ab Molæo primario Præſide, atque ab Talono Actore regio orationibus quaſi de integro haberi cœpit: dein poſt paulò Claſſes unà in majus Conclave, quod eâ tempeſtate turbarum initium erat, convenêre. Ea fuit ipſis conveniundi cauſa, quod & Edictum noviſſimum parùm obſervari aiebant, & copiæ minùs longè, quam Regina receperat, ab Urbe aberant. Continuò Gaſto, atque Condæus in Senatum venêre, quorum ille *Reginæ parùm probari* ait, *quod porrò Claſſes omnes convenirent. Si id Edicti cauſa fiat, nihil frequenti Senatu opus eſſe: deligant è ſuo Ordine qui Edicti capita percenſeant, & ſi in aliquo ſit offenſum, id Reginam edoceant, hanc daturam operam quod contra fuerit factum, id uti corrigatur, aut ut ne porrò fiat.* Hæc Gaſtonis verba Patrum murmur excepit, exauditæque voces rogantium, *Quid quinquageſies centenis nummûm millibus factum eſſet, quæ ab ea die qua Melleraius ſummam Quæſturam erat ingreſſus, coacta fuerant, cum neque militibus ſtipendium, neque item Magiſtratibus, neque uſuræ annuæ creditæ Regibus pecuniæ apud urbis Ædes ſolverentur? ap-*

1648. *propinquare Urbi copias, quaque ipſis tranſitus ſit, pervaſtare omnia, & ſicuti in hoſtico habere ſe.*

Inter hæc ſententiæ rogari cœptæ, quæ ab pleriſque acriter dictæ ſunt, nam mala compluria quibus res publica laboraret, graviter enarrabant, quæ omnia ab uno profecta homine viderentur peregrino, atque hoſpite, neque hæc ſanari poſſe niſi ipſe procul haberetur. Sed Viola ab Gaſtonis, & Condæi prudentiâ idoneum, ac neceſſarium his malis remedium expectandum ait: cùm autem Violam Condæo amicum Aula ſciret eſſe, huic venit in mentem ſeſe eâ causâ Reginæ, ac Mazarino ſuſpectum fore, ſicuti Viola hæc ſuâ voluntate, atque ex compoſito dixiſſet: eo iſthæc dicentem obturbat, neque Senatûs partes eſſe ait, de hujuſcemodi rebus conſultare. Ibi verò obſtrepere Juniores, atque ægrè ferre ampliſſimo Ordini Condæum modum facere, ac ſententiam dicentem obturbare voluiſſe, quod fieri nuſquàm ſoleat: Condæus verò Juniorum in Senatu licentiæ inſolens & voce, & geſtu minanti ſimilis ita omnium offendit animos, ut huic vix placati poſthàc fuerint.

Sed eâ die haud perrogari ſententiæ potuêre, quod factum poſtridiè eſt, decretumque uti delecti ex Senatu ſicuti Reginæ placebat, apud Molæum convenirent, viderentque ſi quid contra aliqua Edicti capita factum eſſet, ac de eo ad Senatum referrent. Eâ ipsâ die Blaſius *a* Melianus Cognitor regius apud Senatum queſtus eſt, *Qui copias ducent, item milites multis circum Urbem locis compluria in agreſtes facere, bona eorum, fortunaſque diripere, cùm ſtipendii inopia, quæ bonos etiam tranſverſos agat, tùm maleſaciundi conſuetudine, uti periculum ſit vicos, villaſque ab incolis, agros ab cultoribus deſeri, ni huic malo Senatus occurrat.* Eò Senatus cavit ut ne talia duces, militeſve in agreſtes facere vellent, in ſua quiſque præſidia diſcederent, neve ampliùs unâ nocte uſpiàm eò redeuntes morarentur: Reginæ ſupplicandum, uti quibus ex locis commeatus ad Urbem ſupportentur, ea ne præſidiis teneantur. Hæc de militibus quò abire, & quò agitare deberent, parùm ad Senatum attinere viſa: ſed eâ tempeſtate omnia huic Ordini licebant, qui videlicet Adminiſtros haud ſatis rectè rem publicam gerere, atque adeò ut ne quid detrimenti per Regis pueritiam caperet, providere ſibi jus, faſque eſſe crederet.

a Melian Procureur General.

Dum hæc apud nos geruntur, atque civile bellum videntur portendere, intereà loci Pax in Germaniâ Monaſterii Veſtfalorum, atque Oſnabrugæ ſancita eſt: Monaſterii Ludovicum inter Galliamque, & Ferdinandum Imperatorem, ac Germaniam: Oſnabrugæ verò Ferdinandum inter Germaniamque, & Chriſtinam Reginam, ejuſque Sueciæ Regnum. Ludovico, Ferdinando, atque Chriſtinæ curæ fuit, uti qui ipſis Socii per hæc bella fuerant, iis ut id lucro, aut ſaltem ne fraudi, damnove eſſet.

Pacis legibus cautum, uti Briſiacum, & quod ad id oppidum ultrà Rhenum pertinet agri, quibus finibus Auſtriaci Principes poſſederant,

præthereà Alſatia, Suntgovia, decem oppidorum Imperialium Præfectura cis Rhenum penes Regem, Galliamque in belli per tot annos geſti mercedem porrò eſſent, nam hæc Rex haud ita pridem per id bellum parta præſidiis tenebat. Præthereà convênit, uti Virodunenſis, Tullenſis, Metenſiſque Urbes, atque Diœceſes, quæ ab uſquè Henrici II. Regis temporibus penes Galliam ſunt, ad hoc Mediovicum Caſtellum ab Ludovico XIII. Rege bello captum Regis filii, atque Galliæ porrò forent, neque quidquam cuncta hæc Imperatori, aut Imperio Germanico poſthac obnoxia eſſent, ſed in his ſummum Ludovico jus, judiciumque eſſet, atque Galliarum Regno perpetuò conjuncta forent: apud Philippiburgum ultrà Rhenum Rex præſidium porrò haberet, neque tamen hujus id oppidum, ac regio vicina, ſed Spirenſis Epiſcopi ſicut antehàc foret. 1648.

Quando pax cum Hiſpaniæ Rege perindè, ac cum Ferdinando Imperatore ab Ludovico non fiebat, illo de induſtriâ tergiverſante, cavendum Regi fuit, ut ne Ferdinandus, aut ulli Imperii Ordines illi quamdiù bellum adverſùm Gallos porrò gereret, opitulari vellent, ac ne horum quidem prædiorum ſpecie, quæ in Sequanis, in Belgio, in Italia, aut ubicúmque aliò Imperio Germanico obnoxia poſſidet. Sed nihil eo neceſſe fuit lege cavere, Circulum Burgundicum Imperii Germanici partem futurum, ubi pax inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges facta foret: nam hoc pacto quidpiam de Belgio, Lucemburgenſi Agro, & Sequanis, quas provincias hoc Circuli Burgundici nomine Auſtriaci complecti voluêre, de novo ſancitum videtur: quod Regi oppida, atque vicinos agros in his regionibus poſſidenti fraudi eſſe nuſquàm volumus, nec eo hæc Imperio Germanico ſubjecta, aut obnoxia eſſe. Præthereà hac lege, & iis quæ ſequuntur verbis de aliis quæ extra Circulum ſi diis placet Burgundicum Philippus, Hiſpaniæ Rex Imperio Germanico obnoxia, aut nuſquàm obnoxia poſſidet, prædiis minimè cautum eſt, ut ne Hiſpanis in his opitulari Imperator, atque Imperii Ordines velint, quod certè fieri debuit.

Cæterùm lege de Circulo Burgundico ab Imperatore, atque Imperii Ordinibus in Pacis ſancitæ Tabulis latâ nihilò plus Rex tenetur, quàm Ferdinando Imperatori Burgundiæ Ducatu cedere, quia ſe Burgundiæ Ducem in iiſdem Tabulis appellavit: nam iis modò Rex tenetur, de quibus hunc, aut hujus Legatos conveniſſe in his Tabulis perſcriptum eſt, quod de Circulo Burgundico, ac Ducis Burgundiæ uſurpatâ ab Imperatore appellatione dici nequit, Burgundiæ enim Ducatum ad Imperium, aut ad Imperatorem quidquam attinere negamus, tametſi Burgundiæ Ducis nomen Monaſterienſi fœdere Imperatori imponere hujus Legatis placuerit. Rectè quidem pacis Regem inter, & Imperatorem legibus cautum videtur, ut ne alteri alterius hoſtes juvare liceat: ſed hi modò alterius hoſtes cenſendi ſunt, qui hujus fines invadent, non qui ſuos adverſùm hunc tuebuntur, cujus rei causâ ſi alter quempiam juverit, nihil ab Pacis legibus diſceſſerit.

1648. Ita Imperatori licuiſſet, ſi fortè inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges poſt pacem inter ambos denique ſanciundam bellum denuò oriretur, huic tuendis finibus ſuis adversùm illum opitulari, nihil violato Monaſterienſi fœdere, cujus rei ſibi copiam eſſe Imperator vehementer volebat. Sed aliam Legati Gallici ſuper eâ re rationem iniêre, quæ mihi haud ſatis recta videtur: ſcilicet uti manente Regem inter, & Imperatorem, univerſumque Imperium de alterius hoſtibus ab altero non juvandis lege, ſingulis tamen Imperii Ordinibus fas foret, ubi poſt pacem inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges ſancitam bellum denuò inter ambos naſceretur, huic aut illi Regno ſuppetias ferre. Repugnat enim, quod univerſis vetitum ſit, id ſingulis licere, non uni modò Ordini, ſed ſingulis omnibus Ordinibus. Præterea quas ſuppetias alterutri Regno ferre his Ordinibus copia eſt, eæ non ad tuendos modò alterutrius Regni fines, ſed & ad alia quævis agenda, moliendave videntur eſſe, cùm caveatur id modò extra Imperii limites factum iri: quod quidem argumento eſt has ſuppetias non in alterutrius modò Regni finibus, his tuendis videlicet, ſed ubicùmque aliò ab Imperii Ordinibus quorum primus Ordo ipſe Imperator eſt, ferri poſſe.

Poſtremò ubi hujuſcemodi ſuppetias Imperator, aut alii Imperii Ordines Hiſpaniæ Regno ſeu potiùs Regi ferent, Galliarum Regis hoſtem juvabunt, atque adeò ab Pacis lege quæ iſthuc vetat, planè diſcedent, non autem ubi Galliarum Regno, ſeu potius Regi, cùm hic Imperatoris hoſtis eſſe deſierit. Ita lex de ſingulis Imperii Ordinibus quibus ſuppetias huic, aut illi Regno ferre licet, priori de hoſtibus alterius ab altero non juvandis planè contraria, neque in hac ulla Regem inter, & Imperatorem æquitas eſt: quis enim non videt Regi nuſquàm licere Imperatoris hoſtem ullum juvare, licere autem Imperatori ſicuti ſingulari Imperii Ordini Hiſpaniæ Regem ubi Regi hoſtis erit, omni ope juvare vel in ipsâ ſi diis placet Galliâ? quandò illi omnia licere videntur, modò ut extra Imperii limites fiant. Scio Gallicis Legatis viſum æquè Regi opitulaturos quoſdam Imperii Ordines, ac alios Hiſpaniæ Regi: ſed ſimpliciter ſtandum fuit ei legi quâ cavebatur, ut ne alter alterius hoſtes juvaret, hæc enim recta, & utriſque æqua erat, neque prohibebat Imperatorem Hiſpaniæ Regi tuendis finibus ſuis, ſicuti nec Regem eâdem de causâ cuiquam opitulari: cavendum modò fuit, ut ne alter ab juvandi amici Principis, aut Populi finibus alterius copias avertendi ſpecie hujus ipſius fines invadere ſibi licere crederet, neque ampliùs quemquam adversùm alterum juvaret, quàm auxiliares ad illum copias mittendo, quarum etiam numerus Pacis legibus finiri potuit.

Fuêre prætereà qui Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci, atque Franciſco Ateſtino item Mutinæ Duci haud ſatis Monaſterienſi fœdere cautum exiſtimaverint, quantùm ad Imperatorem, & Imperium, quibus obnoxia prædia poſſident: nam haud ſatis fuiſſe cavere quod bellum unà cum Galliarum Rege uſquè geſſerant, ac tùm gererent, id ipſis nuſ-

quàm fraudi fore, ſed adſcribendum fuiſſe, & quod porrò geſturi eſſent uſquè ad pacem inter ambos Reges confectam. 1648.

Monaſterienſis Pacis legibus de Carolo Ludovico Palatino, Regi, atque item Chriſtinæ Succiæ Reginæ curæ fuit, ut illi hæreditatis paternæ pars redderetur, inſtitueretur que ejus gratiâ Octoviratus paterni Septemviratûs loco, qui jamdiù Maximiliano Baioariæ Duci ab Ferdinando II. Imperatore donatus penes hunc manſurus eſt cum Palatinatu Superiore, & Chamo Comitatu, eâ lege ut ubi ſi Maximiliani filii nepoteſve deficient, hæc ad Carolum Ludovicum, aut hujus poſteros cum Septemviratu redeant.

Monaſterienſi fœderi interceſſit Philippus Hiſpaniæ Rex, quod huic adſcriptus non eſſet, ſicuti æquum cenſebat, poſtquàm unà cum Ferdinando II. Imperatore adversùm Fridericum Palatinum bellum geſſerat, & Ferdinandum III. milite, ac pecuniâ juverat: præterea quod per pacis leges prædia, atque oppida ipſius Friderici bello capta Carolo Ludovico hujus filio reſtituere cogebatur, quod non idem in Maximiliano Baioariæ Duce factum eſſet. Interceſſit & Innocentius X. Pontifex per Fabium Chigium Nuntium, ex eo quòd pleraque Eccleſiaſtica bona Proteſtantibus anno CIↃ.IↃC. XXIV. ablata, iis per pacis conditiones reddebantur: tùm quia Epiſcopatus aliquot quos Proteſtantes antehàc nihil mutatâ horum, aut habendorum, aut fruendorum ratione poſſederant, nunc Suecis, atque aliis dabantur, quos ſicuti alia bona profana poſſiderent: poſtremò quod Pacis legibus Proteſtantes ſibi cautum voluerant, ut omnibus his bonis Eccleſiaſticis ſibi in perpetuum cederetur, neque Catholicis horum repetendorum aut vindicandorum, ſacrorum ſpecie, aut aliâ de causâ jus demùm foret, rem divino, humanoque juri uſquè contrariam: ſed viciſſim cautum erat, ut ne Proteſtantes poſthàc alia Eccleſiaſtica bona quocúmque modò habere, aut poſſidere vellent, cujus rei ipſis magna uſquè lubido fuerat. Nihil in hac Pontificis interceſſione viſum, quod reprehenderetur, niſi ſi compoſitò inter hunc, Auſtriacos, atque alios Catholicos facta fuerat, quæſituſque titulus, quo ab Pace Monaſterienſi ubi vellent, commodumque eſſet diſcederent.

Mazarinum antehàc ubi Henricus Condæus Ludovici pater ab Aulâ ſeceſſerat, Franciſco Hannibali Eſtræo de Cæſaris Vindocini ſororis filii in Aulam reditu agenti auſcultaſſe ſuprà memoravimus. Is in Italiam abierat, ubi Belfortius filius miſſus in cuſtodiam fuerat, veritus ut ne ea res ad ſe attineret. Mercurius filius alter natu major & ipſe ab Aulâ haud tamen extrà Galliam abierat, nihil fraternæ culpæ affinis, aut particeps eſſe Mazarino, aut cuiquam omnium ſuſpectus, ſed parùm decere arbitratus abſente patre, ac fratre in cuſtodiam conjecto in Aulâ agitare. At menſe Julio Belfortius è Vincennarum arce profugerat, rem ſicuti aiebant Franciſcæ Lotharingicæ Mercuriæ matri, atque ipſi item Mazarino, quin & Vindocino patri Venetiis quò tùm commorabatur ab artis Chaldæorum peritis prædictam. Certè

1648. ubi eſt Mazarino nuntiata, nihil ſicuti ad rem novam territus, aut commotus eſſe viſus, eò facta ex compoſito pleriſque viſa, prætereà quod hanc & Mercurii fratris, & Vindocini patris reditus poſt paulò conſecutus eſt.

Eâ tempeſtate Nobilitas quæ in Aula erat, aut Gaſtonem, aut Condæum ſectabatur, quidam Regem, atque Reginam matrem ſicuti par erat, prætereà Mazarinum colebant, obſervabantque, in quem videlicet omnis rei publicæ incumbebat cura, ex quo illi gratia, atque potentia, adeóque magna quibus vellet benè faciundi copia erat, hi nihilo ſeciùs ad Gaſtonem, & Condæum ire ſalutatum, atque adversùm hos alia Aulæ officia fungi. Mazarinus per Rivieram cujus in poteſtate Gaſtonem eſſe diximus, hunc ſibi æquum, ac propè fautorem habebat, Rivieram autem multa beneficia, ac maximè ſpes Cardinalatûs Mazarino devinxerant.

At Condæo animus ſuprà metum, virtus ſuprà beneficia erat, neque huic quidquam præter gloriam cordi eſſe videbatur, præterea nemini uni conſilia ſua credebat, cujus operâ huc, aut illuc flecti poſſet, multi clientes, ac familiares erant: modò ut iis, ſibique ex animo Mazarinus faceret, haud pigebat hunc adminiſtrare rempublicam; at ubi ſi ceſſaret, continuò paratæ lites, excidebantque verba indicia iræ, ac ni Gaſtonem metueret, ut ne ſibi omnimò Mazarinum, ac per hunc Reginam, Regemque ipſum cum omni propè Aulâ adjungeret, atque adeo longè potentior eſſet, vix ſatis Mazarino æquus fore videbatur, is metus in officio hominem retinebat. Condæus fratrem habebat Contium, & Longavillam ſororis virum, multaſque ſuas, atque eorum clientelas, Gaſto ſolus erat, unâ Regis propinquitate clarus, pollenſque. Alia igitur præterea munimenta Mazarinus egebat, qui adeò Vindocinum ſibi parabat adjungere, hunc ex inimico, filioſque ejus amicos ſibi faciundo, cujus rei copia erat, Victoriam Mancinam ſororis filiam Belfortio cum dote ſummâ nuptum dando, quæ tamen Mercurio fratri data eſt denique.

Andium Duci Ludovici Regis fratri hoc anno prænomen Chriſtianorum more datum eſt, Henrica Britanniæ Regina amita, patruuſque Gaſto pro eò fidejuſsêre, atque illa Philippi prænomen dedit. Mariam Gonzagam Caroli Nivernenſis Mantuæ quondam Ducis filiam Uladiſlao IV, Poloniæ Regi ante biennium nupſiſſe ſuprà memoravimus: is hoc anno mortem obiit, ad hunc Ludovicus Arpajonus ab Ludovico Rege, & Annâ matre Legatus extrà ordinem fuerat, cujus, ſed magis Mariæ operâ Caſimirus Uladiſlai frater Poloniæ Rex creatus eſt. Carolus item frater natu minor ſibi expetebat Regnum, & quò inclinatura res erat in incerto habebatur, donec naturam ducem ſecuti plerique omnes quæ Carolo Caſimirum prætulerat, hunc Regem frequentibus Comitiis denique creavêre.

Obiit eodem hoc anno Michaël Mazarinus apud Aquas Sextias in Provinciâ Archiepiſcopus, atque Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, è Do-

minicanorum Ordine, de cujus ingenio ſuprà diximus. Petrum Segui- 1648.
num Medicum nobiliſſimum ſenectus magis, quàm morbus abſumpſit, quòd quidem ejus in hac arte peritiæ vel maximum fuit argumentum: acceſſerat vitæ ſanctitas, atque erga Deum pietas ſingularis: hujus bona fidelique operâ Anna Regina diù, multùmque uſa erat, neque hæc uſquàm pauperibus ab ſancto viro negata, quin & hanc aliis ubi ab Reginâ ſtipendium fuit, gratificatus eſt, donec per ſummam ſenectutem captus oculis divinis modò ſtuduit, atque in his vitam finiit vir doctrinâ, & pietate juxta inclytus.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
PARS ALTERA.

Ab Anno 1649. *ad Annum* 1652.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER SEPTIMUS.
EPITOME.

REGIS, atque Aulæ ab Urbe clandeſtina profectio. Senatus Montargirium abire juſſus. Bellum in Urbe apparatur. Contius, ac Longavilla ab Germani-fano ad Urbem redeunt. Ille ad Urbem Imperator factus: huic Legati Ellebovius, ac Mottæus. Longavilla in Normanniam proficiſcitur. Gondius Coadjutor, ac Mottæus E. T. in Senatum leguntur. Baſtilia oppugnatur, ac deditur. Corbolium ad Sequanam, Lagnium ad Matronam, Clodoaldi, ac Dioniſii fana, Herimons ab regis præſidiis tenentur. Ab Factioſis Carentonium ad Matronam, ac Bria commeatuum causâ præſidiis tenentur. Belfortius ad Urbem venit. Buillonius item Senatûs, Populique partes ſequitur. Medo Caſtellum altero ab Urbe lapide oppugnatur ab Regiis, ac Condæo deditur. Harcurius adversùs Longavillam in Normanniam mittitur. Mazarinus fruſtrà tentat cum Hiſpanis pacem facere. Regiorum, ac Factioſorum ad Vitrium prælium. Alterum ad Briam. Bria dedita regiis. Fecialis ab Rege ad Urbem miſſus haud recipitur mœnibus. Cognitor, atque Actores regis ad Regem miſſi, qui digniùs quàm ab Feciali mandata illius cognoſcerent. Leopoldi Auſtrii Belgium obtinentis Legatus ad Senatum. Eâ de re miſſi ad Regem ab Senatu. De pace apud Ruellium rus agitur. Quillebovio, ac Pontellomario Harcurius in Normanniâ potitur. Longavilla Rotomagum compulſus. Ramſavius Dunkercæ Præfectus Germani-fanum adductus, atque eò in carcerem conjectus. Eſtrada Mazarini cliens huic ſuffectus. Pax domi apud Ruellium ſancita. Carolus Britanniæ Rex ſecuri percuſſus apud Londinum. Leopoldus compoſitò cum Contio, ac cæteris Factioſis Regni fines ingreditur. Pralinoplesſius ob- 1649.

1649. *viam procedit cum exercitu. Turenæ in Germaniâ ad Buillonii fratris exemplum defectio, deſeritur ab omnibus copiis, atque in Batavos concedit. Conditiones pacis domi ſancitæ. Franciſcus Ateſtinus Mutinæ Dux ad pacem cogitur ab Hiſpanis. Ypræ Hiſpanis deditæ. Mercurius Mancinam uxorem expetit. Rivieræ Rex ab Pontifice Cardinalatum petit. Contio Leodienſes Canonici Epiſcopatum Leodienſem obtrudunt, quem Mazarinus ab eo accipiundum negat. Cameracum Harcurius obſidet, dein omittit. Carolus Britanniæ Rex Caroli ſecuri percuſſi filius in Galliam venit. De Frankendalio uti Carolo Palatino ab Hiſpanis reſtituatur, ratio initur. Quæ in Provinciâ ab Aletſio, atque ab Senatu apud Aquas Sextias geſta ſint. Quid apud, circúmque Burdigalam ab Spernonio, & Burdigalenſibus. Battevilla Burdigalam ab Philippo Hiſpaniæ Rege miſſus. Imperatoris filia per Italiam in Hiſpaniam ad Philippum virum ire pergit. Ferdinandus frater eòdem ire ab Hiſpanis prohibitus, is de Maria Thereſa Philippi filia uxore ducenda cogitabat. Bellum inter Pontificem, & Ranucium Parmæ Ducem de Caſtro oppido in Agro Romano. Quid ab Marſino Proprætore, & Gallis in Catalonia, quid ab Garaïo, & Hiſpanis geſtum. Chavignius Condæi operâ in Aulam redit. Almerico ſumma Quæſtura redditur. De Syndicis Creditorum Urbis. Mazarinus cum Condæo redit in gratiam. Ex ea re Factioſi huic ſuccenſent, atque inſidias paraſſe crediti. Quæſtio eâ de re inſtituta in Senatu.*

MENSE Octobri anni proximi Edictum regium ab ipſo Senatu perſcriptum, ab Cancellario ſignatum, atque in hoc Ordine promulgatum fuiſſe diximus: quod cùm regiæ potentiæ magnoperè contrarium eſſe Adminiſtri cenſerent, atque temporum iniquitate expreſſum fuiſſet, nihil erat quod non movendum, conandumque exiſtimarent, ut id vanum, atque irritum redderent. Eâ causâ Regina undequâque copias ad Urbem versùs evocaverat, quæ haud ita procùl omnia loca præſidiis tenerent: ſed quo pacto in Senatum, & qui huic favebat Populum ageretur, uti tandem æqua noſcerent, & in viam redirent, jure ambigebatur. Nam Urbem numero civium longè validiſſimam, atque opulentiſſimam bello premere, oppugnare, ac denique expugnare, aut ad deditionem ita cogere, uti quas conditiones Rex ferret, ipſa acciperet, longum, laborioſum, ac periculoſum futurum erat. Sed ſicuti civium multitudo in Urbe Adminiſtros ab hac oppugnandâ deterrebat, ita hanc brevî deditum iri ſpem faciebat, ſi commeatus prohiberentur: id enim ſi fieret ſuprà, atque infrà clauſo amne, ac cæteris viis obſeſſis, ſtatim omnium rerum eò futuram inopiam, quam tolerare Pariſini diù nequirent.

Iſthuc ſingillatim Michaël *a* Tellierus Quatuorvir ſentiebat, cui citià cujuſquam damnum id fieri poſſe videbatur, cùm huic prævertere in Senatûs, Populique manu futurum eſſet: eo Regem educendum Urbe, atque Germani-fanum, aut aliò deducendum cenſebat. Iſthuc & *b* Villaregio, atque aliis placebat, qui foris quàm domi, atque intrà Urbis mœnia bellum minus periculoſum, atque incommodum fore judicabant: præter quàm quod ab hujus aleâ Regem, atque Reginam ma-

a Le Tellier, Secretaire d'Eſtat.

b Le Maréchal de Villeroy.

trem ſubducere magnoperè ad rem publicam pertinere arbitrabantur. 1649.
Hanc eò deductam Mazarinus ſentiebat, quò permanere nequiret, cum Edicto de quo ſuprà memoravimus, omnis hujus rectè adminiſtrandæ ratio Regi, Reginæ matri, atque adeò ſibi conturbata eſſet, imminutis vectigalibus, atque ereptâ omni corrogandæ pecuniæ facultate. Sed huic malo quàm leviſſimum, ac breviſſimum remedium adhibere placebat, ita ut metu magis, quàm ullâ clade Senatus, Populuſque in viam redire cogerentur, quod cùm ſecundum Villaregii, & Tellieri ſententiam fieri poſſe videretur, in hanc lubens diſceſſit.

Contrà Condæus, ac *a* Melleraïus rem breviùs confectum iri cenſebant, ſi Rex, atque Regina in Armamentarium ab Regiâ migrarent: *Vicinam eſſe Baſtiliam arcem, cui ſubjecta ſint B. Antonii Porta, & vicina Propugnacula. Haud procul abeſſe Vincennas Arcem alteram: haud difficulter in hac omni Urbis, ac ſuburbiorum, vicorumque proximorum regione equites, pediteſque, quos Rex cuſtodiæ causâ habere ſoleat, cogi poſſe, ac præterea alias quæ accerſitæ ſint copias. Hac virium oſtentatione Senatum, Populumque adduci poſſe, ut ab deficiundi conſiliis diſcedant, ac Regi obedientes ſint: quod ni fecerint, haud difficile fore vicinam Armamentario inſulam, ac deinde alteram in qua majus Templum, & Curia ſint, occupare, ac præſidiis tenere, ita ut altera pars Urbis, ab altera ſejuncta foret, nec Senatus, neque civium Conſilia haberi poſſent, futurum in poteſtate Sequanam, atque omnem ſuprà Urbem regionem.* Sed vix ſatis maturè quæ accerſitæ fuerant copiæ venturæ videbantur, neque res tantam patiebatur moram: quo factum eſt, ut in Villaregii, ac Tellieri ſententiâ manere neceſſe eſſet.

a Le Maréchal de la Milleraye.

At Mazarinus qui multò ante providerat Condæi ſe operâ, ac ſingulari virtute difficillimis quæ imminebant temporibus opus habiturum, ab Rege, atque ab Reginâ matre uti liberaliter haberetur, effecerat: namque huic Claromontium, & Jamaſium dono dedêre. Duæ ſunt arces firmiſſimæ in Campaniæ finibus poſitæ, quæ Caroli Lotharingiæ Ducis antehàc fuêre, & quas Ludovico XIII. Regi ante annos tredecim tradiderat, uti bellum quod ab eo impendebat, redimeret: tradiderat ſimul & Satenaïum ad Moſam amnem, validum cum arce oppidum, quod & pridem penes Condæum eſt, ſcilicet huic permiſſum, cui Præfectus eſſet, ubi Campania provincia data fuerat, quam tametſi nuper in Contium fratrem Regis voluntate tranſtulerat, non minorem in hac tamen potentiam, atque autoritatem, quam priùs habet, quæ Jamaſii, & Claromontii acceſſione haud mediocriter crevit, nam utrumque huic non modò ut his ſicuti Satenaïo Præfectus eſſet, ſed planè cum vicinis agris dono data ſunt.

Multa alia quæ Condæus ingentia volvebat animo, hunc impulêre, uti Regis partes ſequeretur, aut potius his præeſſet Sed Claromontium, ac Jamaſium ipſi Mazarini operâ ab Rege donata *b* Longavillæ ſpem fecêre, quidpiam ſimile ab Mazarino exprimendi, ſi metum huic injiceret Senatûs ſe, Populique partes ſecuturum. Id Condæa uxor pridem ſuaſerat, atque ipſe apud Noiſium, quò primùm factionis prin-

b Le Duc de Longueville.

1649. cipes convenerant, fidem dederat, ſi Aula adverſùm Urbem gereret bellum, atque eâ causâ Senatus Mazarinum hoſtem judicaret, tùm fore, ut huic, atque Populo ſe bello gerendo conjungeret: hæc Longavillæ ad Senatûs, Populique partes acceſſio haud mediocris futura videbatur, qui videlicet Normanniam finitimam Pariſienſi Agro provinciam obtinet, ac magnas habet in eâ clientelas. Sed nihil hunc fides apud Noiſium data prohibebat, quò minùs cum Aulâ concordaturus eſſet, ſi Mazarinus homini animum explere vellet. Nam qui hanc dare contra jus, faſque nihil penſi habet, ei ab hac diſcedere multo minor religio eſt.

Longavilla in Normanniâ Gratiæ-portum porrò ſibi expetebat, non Juxii Caſtelli in Sequanis dono, non Cadomo Oppido, atque arce, quibus præfectus nuper fuerat contentus, quorum alterum in Neocaſtelli nobiliſſimi apud Helvetios quod habet Prædii finibus, alterum in Normanniâ quam obtinet provinciâ haud procul Oceano opportunè poſitum eſt, uterque munitiſſimus locus. Sed Gratiæ-portus ad ipſum Oceanum eſt, oppidum validiſſimum, cum arce longè munitiſſimâ, ita ut qui ſit utrique Præfectus, is terrâ, marique pollens, potenſque ſit: hunc ni per Regis pueritiam extorqueret, omnem hujus habendi ſpem interituram, eo tantam opportunitatem haud quaquàm dimittendam. *Hac mercede ſeſe fidum Mazarino, ſin aliter hujus ſententia ſit, Senatui, Populoque fautorem futurum: parùm referre quîcum Regi, & rei publicæ det operam, cùm utrobique & prava, & recta quædam ſint, eo privatis commodis aut hîc, aut illîc ſervire unicuique copiam eſſe.* Sed intereà dùm opperitur quid Mazarinus ſibi benè factum velit, ab Aulæ partibus haud ſibi diſcedendum decrevit. Is tùm in Campaniâ fuit, quo viſum ierat filiam Monialem quam ex concubinâ pridem habuerat.

Conſtitutâ igitur Regis ab Urbe profectione, huic uti ſecretò fieret, dicta nox eſt, quæ feſtum in Eccleſia Regum diem antecedit: nam hujus principio per ſingulas familias apparatur convivium, in quo Regem convivæ ſortiuntur, dein ſe cibo, vinoque læti invitant, quos huic uni rei intentos de Regis, atque Aulæ profectione cogitare, aut ſuſpicari quidquam difficile erat. Gramontio Equitum Tribuno data provincia fuerat, uti Regem, ac Reginam matrem cum altero filio Andium Duce deduceret ad Conferentiæ Portam, quæ inter regios hortos, & flumen poſita eſt, quod ex ſententiâ factum, poſtquàm ædium poſtico clàm egreſſi fuerant, comitantibus Corporis Cuſtodibus. Gaſto, ac Mazarinus eòdem paulò ante venerant, undè Germaniſanum iter fecêre: cæteri, ex Aulâ dimiſſis hinc indè per Urbem qui de Regis profectione certiores facerent, ſubſequi juſſi. Omnes propter heſternas epulas, epotumque largiùs vinum altus in Urbe habebat ſopor, quo factum eſt uti multâ modò luce quid ageretur plebes noſceret: poſtremò Regem, atque Reginam matrem abiiſſe vulgatum, quique propiùs B. Honorati portam incolunt, quâ Germaniſanum euntibus egreſſus erat, hanc obſedêre, & qui tardiùs profecti ſunt, eos egredi prohibuêre. Convênit in Curiam Senatus, uti quid opus facto eſſet, conſul-

tarct. Ab Rege, Reginâ matre, & ab viris Principibus miſſas ad Urbem litteras eſt nuntiatum, has Urbani Magiſtratus ad Senatum adferre juſſi, quarum ſententia hæc erat. 1649.

Regem Urbe decedere coactum, ut ne perniciosis quorumdam ex Senatu conſiliis opportunus foret, qui cum hoſtibus conferant. Adversùm regiam potentiam multa molitos, abuſos clementiâ ſuâ, atque eò audaciæ proceſſiſſe, uti ſe in ſuâ ipſorum poteſtate eſſe vellent. Confidere Urbem, atque cives permanſuros in fide, operam daturos Urbanos Magiſtratus, ut ne quid turbarum, aut tumultûs fiat, ac tuta, tranquillaque ſint omnia. Ita quæ ab clementiſſimo, atque amantiſſimo Principe æquum ſit, ea ab ſe expectent: quid ſibi porrò conſilii ſit, propediem eos facturum certiores. Regina verò, atque viri Principes ſeſe Regi ut ab Urbe decederet, autores fuiſſe ſcribebant.

His litteris recitatis, Patres numero centum tametſi dies feſtus erat, quo neque haberi, neque decernere quidquam Senatus ſolet, tamen dandam operam ut Urbs ab inſidiis tuta eſſet, decrevêre, ſtationes ad portas diſponerentur, Urbani Magiſtratus commeatus tutò ſupportari curarent, quæ in vicis, aut oppidis copiæ ad ſexaginta circùm Urbem paſſuum millia eſſent, eas longiùs abſcedere juberent, de Regis, ac Reginæ, atque virorum Principum litteris uti poſtridiè referretur, ubi Senatus frequens foret. Gondium Coadjutorem Germaniſanum venire juſſum Urbe egredi tentaſſe ferunt, ſed ab portarum cuſtodibus prohibitum, quod hunc ſimulaſſe propiùs verum eſt, ſeu cum Contio redire conſilium fuit.

Hic Germaniſanum proficiſcente fratre Condæo, atque ipſâ Carolâ Margaritâ Mommorantiâ utriuſque matre, eódem ex Condææ ſororis ſententiâ ierat: ipſa autem quia prægnans erat, atque haud ita procul aberat partus, hanc juſtam ad Urbem manendi cauſam nacta eo reſtiterat, uti quæ apud Noiſium antehàc conſtituta fuerant, ea tùm fierent, ſicuti res monebat. Continuò mittit ad virum Longavillam, qui hunc ad Urbem accerſeret: ſed is memor ſe apud Noiſium fidem dediſſe, fore uti Senatui, Populoque conjungeret ſe, ubi hos Aula laceſſeret, nondùm advenïſſe tempus exiſtimabat, quo fidem exolvere deberet, atque ita & ipſe Germaniſanum iit. Præterea priuſquàm ſeſe Mazarino adverſum oſtenderet, hunc hoſtem ab Senatu judicatum volebat, quod quidem Condæa uxor per *a* Rupifocaldum Marſillacum, atque hic poſteà Germaniſanum proficiſcens per Gourvillam clientem apud factioſos ex Senatu uti fieret, ſummo contendit opere: ſed nondùm matura res erat, nam ubi de hac in Senatu conſultatum, pauci modò in eam iêre ſententiam, cæteri autem frequentes in alia omnia.

a Le Prince de Marſillac, de la Rochefoucaud.

Interea *b* Sordiera Vicecenturio Cuſtodum Regis Corporis hujus ad Cognitorem, atque Actores regios litteras attulit, ſimul & ad Molæum primarium Senatûs Præſidem, atque ad ipſum Senatum, quas omnes Cognitori, atque Actoribus regiis pro more reddidit. Hi perlectis quæ ad ſe ſcribebantur, de iis Patres fecêre certiores, ſcilicet Regem velle, uti Montargirium bidui ab Urbe itinere diſcederent, ac Regis litteras

b De la Sourdiere.

1649. câ de re ad hunc Ordinem ſcriptas reddidêre. Sordiera uti ſibi Regis mandata Patribus exponere copia eſſet, poſtulaverat: ſed cum hæc de ſuo ab Urbe diſceſſu eſſe ſatis ſcirent, huic nuſquàm Senatum dare viſum, quin & Regis litteras ſicut has acceperant obſignatas huic reddendas curavêre, neque eò ſeciùs ad Urbem mansêre. Fuêre qui ita exiſtimarent, tolerabilius futurum fuiſſe, ſi Regis litteræ in Senatu recitatæ fuiſſent, atque is reſcripſiſſet quod Rex juberet, id hujuſmodi viſum, ut hoc ſibi convento opus eſſe Senatus judicaret, quo ipſum multa, eaque gravia ſuper re tantâ edoceret.

Profectò res ardua erat, non quoſdam ex Senatu, ſed univerſum Ordinem adigere velle, ut ab Urbe in quâ huic ſedes ab Regibus eſt inſtituta, aliò migraret, idque per Regis pueritiam incipere, quo tempore quid Senatus poſſit, vidimus in Procurationis Regni negotio. Nam quod de hac Ludovicus XIII. edixerat, in eo nihil niſi unius Senatûs autoritate mutari poſſe viſum fuerat, quâ Rex pupillus hujus filius fretus in Curiâ pro Tribunali ſedens Patris Edictum ex hujus Ordinis ſententiâ correxerat, qui videlicet in eo tanto negotio regiâ potentiâ aliis autoribus per ætatem uti nequiret. Jam verò hac Regem qui etiamtùm pupillus eſſet, adversùm univerſum Senatum quibuſvis autoribus uti non poſſe Patres cenſere ſe ad Urbem manendo ſatis oſtendebant. Poſteà loci quæ ab Rege, Reginâ matre, atque ab viris Principibus ad Urbanos Magiſtratus datæ litteræ fuerant, de iis ad Senatum referri placuit: hæ quoniam quoſdam ex hoc Ordine proditionis inſimulabant, ſicuti cum Hiſpanis hoſtibus conſilia conferrent, Senatus decrevit, uti Cognitor, atque Actores regii ad Regem, ac Reginam matrem adirent, rogarentque ut illorum ſimul, & eorum qui illos criminarentur nomina edere vellent, quò in utroſque lege ageretur in Senatu, ita ut ne alteris proditio, aut alteris falſa criminatio impunè eſſent.

Rationum, & Vectigalium Curiis haud ſecùs, ac Senatui præceptum fuerat ut ab Urbe diſcederent, atque item Magno Conſilio, cui iſthuc non ita novum viſum, nam ſæpiùs ubi Rex longiuſculè proficiſcitur, Aulam ſequi, & ab hac haud procul commorari ſolet: ſed his nuſquàm grave fuit, ab portarum Urbis cuſtodibus quò minùs abirent, prohiberi. Intereà Cognitor regius [a] Melianus, atque Actores regii Talonus & Bignonus Germaniſanum iêre, quò uti ſibi Cancellarii viſundi, atque de more hujus operà ad Regem, atque Reginam matrem adeundi copia eſſet poſtulavêre: de quâ re ubi conſultatum eſt, haud ſatis ex Regis dignitate viſum, huic quemquam ex Senatu venire in conſpectum, niſi ſi hunc Ordinem Montargirium abiturum ſicuti juſſus erat, adferret. Cognitor verò, atque Actores regii nihil ſe câ de re habere in mandatis dixêre, ſed eâ modò causâ ſe ad Regem, Reginamque matrem miſſos, quam ſuprà diximus: ita Cognitor, atque Actores regii dimiſſi, qui ubi hæc Patribus renuntiavêre, ibi verò cuncti excandeſcere, Mazarinum accuſare graviùs, nihil pendi Senatum, ne huic quidem

[a] Melian, Procureur General. Talon, Bignon, Advocats Generaux.

quidem cui maximè deceat, ad Regem, & ad Reginam aditum eſſe: quidquid mali in republicâ ſit, id omne ab eo ortum dictitare, poſtremò tùm ab Senatu hoſtis judicatur, decretumque ut eâ ipsâ die Aulâ, ante octiduum Regni finibus decederet, abnuentem omnes ſicuti hoſtem, ac perduellem perſequantur, nemini omnium hunc, aut in tectum recipere, aut ullâ re juvare liceat. In Aulâ cuncti, ac nonnulli in Urbe id Senatûs Decretum præceps, neque ex hujus diſciplinâ factum exiſtimavêre, Mazarinum neque citatum, neque causâ cognitâ, neque inſtitutâ de eo quæſtione, ex rumoribus vulgi, atque famâ damnatum, poſtremò Senatum quam in Adminiſtris judiciorum fraudem reprehendat, in eamdem, quin & multò graviorem incidiſſe. 1649.

Fuêre qui ita exiſtimarent, ab Adminiſtris offenſum graviter, ubi Cognitorem, atque Actores regios Regi, atque Reginæ matri in conſpectum venire noluerant, qui ſi clementiùs egiſſent, Senatum vix, ac ne vix quidem adduci potuiſſe, uti Mazarinum hoſtem judicaret: ſed hujus clientes eum hac culpâ liberant, quam in Condæum rejiciunt, omnia dura, atque aſpera hac tempeſtate ſentientem, uti bellum quantocyùs adversùm Urbem gereretur, in quo operam ſuam planè neceſſariam fore intelligebat, quod verè, an falsò dixerint, haud ſatis compertum habeo: nam eadem de Chavignio antehàc dictitabant, hunc ſcilicet Bruſſelli, atque aliorum ex Senatu comprehendendorum Reginæ autorem fuiſſe ex duriori Richelii diſciplinâ, quâ imbutus fuiſſet: ſed hæc, atque alia hujuſmodi quia ſecùs ceſſerant, aliis aſſignata ab Mazarini amicis facilè crediderim. Cæterùm fortiter conſulta tùm recta ſunt, ubi & fortiter geruntur, ſi paulùm hæſeris plerúmque autori fraudi ſunt, quod in Richelio, & Mazarino experti ſumus, quorum diverſa natura, diverſus animus fuêre. Poſtremò qui ex Senatu factionis principes erant, ſi eos modò Rex, & Regina mater abire juſſiſſent, omnibus viriſimile ſit, eâ causâ neque Senatum univerſum, neque Populum bellum uſquàm adversùm Regem ſumpturum fuiſſe: ſed nullum ab Aulâ factum inter hos, alióſque diſcrimen cunctos denique tranſverſos egit.

Ab Rationum, & Vectigalium Curiis, item ab Urbe miſſi quidam Germaniſanum iêre, qui Reginam uti Regem filium ad Urbem reduceret hortati ſunt: omnibus ita reſponſum, ubi Senatus quò juſſus fuerit, eò migrarit, tùm Aulam ad Urbem redituram, cæterùm Senatum qui Regi dicto audiens eſſe nolit, rebellem eſſe: id Regina ipſa, id Cancellarius dixêre. Poſtridiè qui ex Urbanis Magiſtratibus Germaniſano redierant, ii quid ſibi ab Reginâ de Regis in Urbem reditu reſponſum eſſet, Patres edocuêre. Aderat Hercules Rohanus Mombaſonus Urbi Præfectus, qui, atque unà iidem Magiſtratus Urbani ſeſe Regi, & Senatui obedientes fore dixêre, neque alia quàm hujus Ordinis imperia executuros.

At ubi apud Germaniſanum nuntiatum eſt, quid Senatus de Mazarino decreviſſet, Conſilio ab Reginâ advocato Mazarinus ipſe de Se-

1649. natus Decreto retulit, nihil eâ de re ſicuti videbatur ſolicitus. *Patres ſummoperè cupere ait, ut ipſe abſcedat, verùm ſe aliter ſentire, qui nullius rei ſibi conſcius ſit, quamobrem iis morem gerere debeat: ſuam in republicâ operam Regi, Reginæ matri, Gaſtoni, Condæo, atque omnibus qui de re publicâ rectè ſentiant, probari, eo Patribus parùm placere, qui ſæpiùs aliter, quàm Aula ſentiant, regiæ potentiæ quâ Adminiſtros abuti dictitent adverſi: hanc æquo majorem eos prædicare, niſi ſi legibus quarum ſeſe interpretes ferunt, atque adeo decretis ſuis circumſcripta, aut potius ſubjecta ſit: quod ut ne eveniat, omnes qui Regi, ac reipublicæ ſtudeant, omni ope anniti decere, neque committere, uti per hujus pueritiam de regiâ Majeſtate, atque potentiâ detractum, aut debilitatum quidquam videatur.*

Quo Edicto Rex Senatum Montargirium migrare jubebat, eo quæ Patres contra majorum morem, contra jus, faſque incæpiſſe, ac feciſſe dicebantur commemorabat. *Injuſſu ſuo conveniſſe cunctos ex omnibus Claſſibus, unà cum cæteris ad Urbem Curiis conjuraſſe palàm, atque publicè. In Conclavi B. Ludovici ex omnibus Curiis commune veluti Concilium inſtituiſſe. In eo quæ collibuerit, de republicâ conſultaſſe, fruſtrà id ut ne fieret prohibente Rege: neque puduiſſe Patres eorum pertinaciâ victum quæ impedire ſine rei publicæ periculo nequibat, cogere ut ea voluntate ſuâ fieri ediceret: poſtremò ſicuti ipſi cenſuiſſent multa edixiſſe, poſtquàm fidem per Cognitorem, atque Actores regios dederant, ſeſe finem conveniundi facturos: nihilo feciùs tamen poſteà conveniſſe, ſeu dulce erat porrò de republicâ regio more conſultare, atque decernere, ſeu delicti conſcientiâ in eo præſidium putaverint, ſi perpetuò convenirent. Igitur ubi neque pudor, neque modeſtia faciebat modum: ubi in bonis videlicet paucioribus, ac majori pravorum numero, prætereà plebis metu prohibitis, ut ne quæ rectè ſentirent expromere auderent, nihil auxilii erat: ubi Plebes alienata cùm pœnæ ob noxam quam ſeditione contraxerat, metu, tùm ſpe injectâ fore uti Senatûs operâ vectigalibus, tributis, ac portoriis levaretur: ubi ad ſalutem publicam pertinere dictitant uti Rex in Senatûs, Populique poteſtate ſit: ubi omnis ſuſtentandæ reipublicæ facultas erepta prohibente Senatu, ut ne quis poſthàc Regi pecuniam ſuper Sectionibus, aut aliis vectigalibus reſcribendam fœnori daret: ubi hanc Senatûs rationem non modò perdundæ, ſed & hoſti, cum quo conſilia quidam ex hoc Ordine conferant, prodendæ reipublicæ Rex eſſe judicet, videatque quam Hiſpani antehàc pacem cupidiſſimè facturi erant, eam in præſentiâ detrectare. His omnibus adductum denique, ac maxime ut ne Senatui, Populoque diutiùs obnoxius foret, atque in eâ neceſſitudine Principi longè miſerrimâ conſtitutus, uti parere iis, quibus imperare debeat cogeretur, Urbe deceſſiſſe, nihil utriſque infenſum, ſi reſipiſcere velint, atque his contenti eſſe, quæ legibus comparata ſint. Populum factioſorum fraude non ſuâ ſponte lapſum ſatis ſcire, quò æquior ipſi ſit. De Senatu uti Montargirium ante dies quindecim migret, ante horas viginti quatuor urbe decedat ex Reginæ matris, Gaſtonis patrui, Condæi conſanguinei ſententiâ edicere: confidere Populum ubi ſui arbitrii fuerit, rectiùs ſibi conſulturum: ſi Senatus parere detrectet, hunc Majeſtatis, ac perduellionis reum fore, bona perduellium publicanda, de ipſis ſi comprehenſi fuerint ſupplicium more majorum ſumendum.*

Simul datæ ad Urbanos Magiſtratus, Populumque litteræ ſunt, quibus Rex hortabatur, uti permanerent in fide, Senatum ſi opus foret abſcedere cogerent, in eo ſalutem ipſorum poſitam, ſi cauſam ſuam cum hujus Ordinis factioſis minime communicent: qui ubi apud Montargirium fuerint, multitudinis concitandæ ſpe dejecti, prætereà bonorum exemplo adducti, tum demùm fore uti reſipiſcant, paxque Regno conſtet. Has litteras Urbani Magiſtratus ad Senatum attulêre, quæ ubi recitatæ ſunt, continuò factioſi clamitare, *cuncta hæc ab Mazarino fieri, uti perculſo, atque proſtrato Senatu, quod unum miſeris civibus adversùm Adminiſtrorum injurias perfugium, atque præſidium ſit, in eorum fortunas licentiùs invadat.* Dein ubi eâ de re conſultatum, Molæus primarius Præſes dixiſſe fertur, rem permagnam videri, dignamque de quâ ut Urbani Magiſtratus ſeriò agerent, iis ſpatium daretur, gnarus ſcilicet qui prava incipiant, iis omnem moram gravem, recta tempore valêre. Ibi verò Cogneuxius Præſes exclamat. *Tantam enim verò eſſe rem, ut hanc Urbani Magiſtratus ad Senatum ultrò detulerint, quæ videlicet ad hunc Ordinem maximè pertineat. Sed nihil jam conſultò, at maturè facto opus eſſe. Infeſtas altero ab Urbe lapide circumquàque copias adeſſe, tantùm hanc non obſideri, nec oppugnari mœnia: quid eſſe reliquum, niſi uti Senatus, Populuſque ad arma, quando in his modò præſidium ſit, confugiat?* 1649.

Hac oratione permoti Patres delectum habendum, rationemque ineundam decernunt, quî pecunia in belli imminentis ſumptus corrogetur. Auctus nuper ab Rege Ludovico XIII. Patrum fuerat numerus: qui tùm hos magiſtratus coëmerant, ii invitis aliis in Senatum juſſu Regis introducti fuerant, neque eadem obibant munia, neque eódem quo cæteri honore habebantur, ſed propè contempti, neglectique agitabant, collegis graves, cum quibus uti poſthàc æquo jure agerent, centum millia nummûm in rei publicæ ſumptus ſeſe collaturos recepêre, Senatus univerſus ducenta millia, prætereà quantum ſinguli anno CIↃ.IↃC.XXXVI. ubi hoſtis in finibus Regni apud Corbiam aderat, conſcribendis ad bellum defendendum copiis dederant, eâ ſummâ duplo majorem dedêre.

Eâdem die in B. Ludovici Conclavi habitum commune Curiarum Conſilium eſt. Aderant Mombaſonus Præfectus Urbi, atque Urbani Magiſtratus, Præfectum mercatorum, atque Scabinos vocant, prætereà ex mercatorum ſex Collegiis delecti, atque Urbis regionum Tribuni: hi inter ſe conjuravêre denuò, dataque conſcribendo militi Diplomata ſunt. Sed angebat factioſos ex Senatu quod nondùm ex Principibus viris quiſquam ad ſuas partes acceſſerat, quod magnoperè movendo, gerendoque civili bello neceſſarium erat: neque enim id fieri ſine Imperatore, Legatis, Tribunis, cæteriſque Adminiſtris poterat.

Sub finem anni proximi Gondius primò per Radeſianum fratrem, dein ipſe per ſeſe cum Annâ Condæâ Longavillæ uxore, & cum Longavillâ ipſo apud Noiſium egerat, tranſegeratque, ut hic cum Contio adoleſcente, Condæi, atque Condææ fratre Senatui, Populoque fau-

1649. tores eſſent, ſi ab Aulâ malè haberentur, nequedùm tamen ambo Germaniſano ad Urbem venerant, ſed hos ipſa expectabat in Urbe, atque ut eorum adventum accelararet Gourvillam de quo ſuprà memoravimus Germaniſanum ire jubet, ac dicere Marſillaco patrono omninò opus eſſe, uti Contius, & Longavilla ad Urbem venirent, operam ſe dediſſe uti nocte proximâ B. Honorati portæ claves eſſent in poteſtate, ut his ubi advenirent fores apertæ eſſent. Jam tùm *a* Uxellus Marchio cum copiis ab Æduis veniens Corbolium ex itinere ceperat, paſſuum millia XXII. ab Urbe poſitum ad Sequanam amnem, quo factum eſt, uti ceſſantibus Contio, & Longavillâ factioſi ex Senatu Carolum Lotharingum Ellebovium Ducem hortarentur, uti rempublicam unà cum Senatu, Populoque capeſſere vellet. Ea res maximè Condæam impulerat, uti fratrem, virumque ad Urbem ſubitò acceſſeret, ut ne Imperium Ellebovius, aut certè ſuſceptæ reipublicæ famam antecaperet.

a Louïs du Bled Marquis d'Vxelles.

Is cùm neuter dùm adveniſſet, ad Urbanos Magiſtratus in Ædes publicas adiit, ut operam ſuam Urbi polliceretur, quod ut apud Senatum faceret, huic autores fuêre. Sed noctu Contius, Longavilla, *b* Nigromonaſterius, atque Marſillacus Rupifocaldus Germaniſano ad B. Honorati portam venêre, poſtulantes uti ſibi Urbem ingredi liceret. Portæ claves ex compoſito apud Bruſſellum erant, dudùm viris Principibus futuræ defectionis conſcium, ſicuti & Gondius Coadjutor erat, qui eò rhedâ vectus hos ad Longavillæ ædes deduxit. Paulum tumultûs in Urbe is virorum Principum adventus tali horâ, ac tempore fecit, qui ſatis comperto, vulgatoque quidnam eſſet continuò ſedatus eſt, magnaque inceſſit lætitia, ubi plebes poſtridiè tantis viris ſalutem ſuam curæ eſſe reſcivit, ignara ſe ab optimatibus quò res eorum moneat impelli, & quocúmque fortuna inclinet prædæ eſſe.

b Louïs de la Trimouïlle Marquis de Noirmonſtier.

Poſtridiè Ellebovius in Senatum venit, atque unà *c* Rieuxius filius, & Ludovicus Coſſæus Briſſacus. Ubi aſſedêre, Ellebovius operam ſuam Senatui liberaliſſimè pollicitus eſt adversùm eorum vim, qui Regi, atque Reginæ conſulere ſimulantes rem publicam perditum eant. Ea res Patribus ſuprà quàm dici poteſt grata, acceptaque fuit: itaque omnium ſententiis Ellebovius delectus eſt, qui Regis exercitibus præeſſet, & Senatûs imperia exequeretur, cui, atque Urbi, ac maximè in ſpeciem Regi ſacramento dixit.

c Le Comte de Rieux. De Coſſé Duc de Briſſac.

Mirum Aulæ viſum, non puduiſſe Virum Principem, factioſis ex Senatu, atque Populo obedientem eſſe. Sed nòn tunc primùm Ellebovius alias, quàm Regias partes ſecutus eſt, cùm his qui gratiâ valebant ſervire pigeret ingratiis, aut quia ſibi non omninò ex animo factum vellent. Nam hæc viris principibus, ac primoribus in Aula diſciplina eſt, uti qui gratiâ pollent quamdiù eorum operâ conlocupletandi ſe aliqua ſpes eſt, tamdiù eos diligenter colere, atque obſervare; ubi hæc eſt adempta, continuò infenſi, infeſtique ſunt, quod in Richelio primùm, deinde in Mazarino ab Ellebovio factum, cæterùm huic

neque virtus principe viro digna, neque ingenium defuêre. 1649.

Poſt meridiem Contius in Curiam venit, fidemque fecit Patribus, neque ſe, neque Longavillam cuiquam autores, aut conſcios fuiſſe, uti Rex abduceretur, aut in Urbem vis pararetur, pro cujus, atque Regni, ac maximè Senatûs ſalute neque operæ uſquàm ſuæ, aut vitæ parcere conſilium ſit. Hujus orationem excepit Ellebovius, atque ita locutus eſt, ut qui ſibi mandatum priùs imperium uſquàm depoſiturum negaret, exortumque eſt aſſentientium inter Patres murmur; dein decretum uti quæ ex præſidiis accerſitæ regiæ copiæ Urbi appropinquaverant, eæ properè ad ſexaginta paſſuum millia recederent, detrectantes omnis armata multitudo ex oppidis, viciſque abire cogeret, quod idem fermè anteà Senatus decreverat.

Poſtridiè Longavilla cum Contio, Fridericus Mauricius *a* Turrius Buillonius, Mottæus Hodencurius, de quo ſuprà memoravimus, in Curiam venêre. Longavilla fermè eadem quæ pridiè Contius, Buillonius nihil ſe de recuperando Sedano conſilii habere, Mottæus ſatis graves cum Mazarino inimicitiæ cauſas habere ſe dixit, quò facilè ipſi qui ſe perditum voluerit, atque peſſimis hujus in Senatum conſiliis, adverſus habeatur. Longavilla uxorem, & filiam, Buillonius uxorem, & filios quatuor fidei cauſâ Senatui, atque Urbi ſe tradere dixêre, qui continuò utriuſque juſſu in Ædes Urbis publicas deducti ſunt.

a De la Tour Duc de Bouillon. Le Maréchal de la Motte-Houdencour.

Inter hæc Ellebovius qui magnam in eo quod ſibi biduò ante mandatum fuerat imperio rei benè gerendæ ſpem poſitam habebat, anxius trahere cum animo ſuo, quid ſe denique poſt Contii adventum futurum eſſet. Illum è regiâ Gente ſibi anteferri neutiquam grave futurum, at id ut in ſpeciem magis, quàm re ipsâ fieret cupiebat: cæterùm eum eſſe ſe, qui præterea concederet nemini. Sed quoniam tot, tantique viri operam ſuam Senatui fuerant polliciti, in rem eſſe viſum, uti quæ cujuſque ſors foret, conſultaretur. Molæus uti compararent inter ſe autor erat, metuens ut ne quid alterum alteri anteferendo Senatus offenderet. Memmius difficile eſſe aiebat, ſed per amicos, atque interpretes id faciliùs fore. Ita diverſi in varia cum quibuſdam Patrum Conclavia abeunt, & eò res rediit denique, uti ſumma Imperii penes Contium foret, qui ab Urbe nuſquàm diſcederet, Longavilla nullum certum Imperii nomen ſibi petiit, ſed Contium, & rempublicam ſeſe conſilio, & operâ adjuturum pollicitus eſt, controverſias cum Ellebovio fugiens: Ellebovium, Buillonium, & Mottæum Contio Legatos eſſe placuit, quibus per vices ſuâ cuique die imperium foret, Ellebovii primæ partes eſſent. Ita Contius ſi diis placet factioſorum ad Urbem ex Condææ ſororis voluntate Imperator factus, adoleſcens è regiâ gente, deditque fidem id ſe muneris ex Senatûs voluntate planè facturum.

Præter Senatum, Rationum, & Vectigalium Curiæ, Magnum Conſilium, Quæſtores, Medici, atque alia in Urbe Collegia ultrò pecuniam in belli ſumptus contulêre: de oppidanis decretum, uti quidam

1649. è Patribus per Urbis regiones irent, Decuriones domos in ſuâ quiſque Decuriâ adire juberent, & quid unumquemque conferre poſſe videretur, referrent: ita cuncti quandò præierat Senatus haud inviti partem oneris ſubiêre. Sed aliæ prætereà habendæ pecuniæ rationes initæ: nam qui rei quidpiam regiæ è vectigalibus, tributis, portoriiſve adminiſtraverant in Urbe, aut in provinciis, & quidpiam ex eâ penes ſe haberent, id adferre juſſi. Miſſi duo ex Senatu in trium publicanorum ædes, quorum operâ Mazarinus antehàc in re publicâ utebatur, quod & ad familiarem ejus attinere prona ad malè ſentiundum, dicendumque Civitas dictitabat, qui pecunias, & rationes eorum conquirerent: ſed cuncta hæc homines callidi maturè in tutùm collocaverant, ut ne ſibi fraudi forent, quin & bona Mazarini Senatus publicanda cenſuit.

Intereà Aula haud ſatis commodè Germaniſano commorabatur, nam tanta hujus in abſcedendo properantia fuerat, ut ne Rex quidem, atque Regina mater, Andium Dux frater, Gaſto, Margarita uxor, ac Anna Maria Ludovica filia, nedùm cæteri quæ ad uſus quotidianos neceſſaria eſſent, ea haberent, impedimentis ubi oppidani ad portarum cuſtodias diſpoſiti fuerant, egredi Urbe prohibitis, cujus rei ſextâ demùm poſtquàm abierant die, facta poteſtas eſt, quæ mora longior, duriorque viſa, quàm quâ in regiis perſonis uti ſatis æquum, honeſtumque fuiſſet.

Gondius Coadjutor ſibi amplum, ac magnificum fore cenſebat, atque conſiliis ſuis opportuniſſimum, ſi ipſe non modò cum ſingulis Patribus agere, ſed cum univerſo Senatu quæ ſentiret, ea palàm, & publicè dicere, ac perſuadere poſſet. *Magnam habere vim hominis eloquentis orationem, qui ubi quò inclinent animi, ſatis perſpicit, aut eos magis ſi res poſtulet accendat, aut aliò apta ad tempus dicendo flectat.* Eò uti ſibi in Senatum venire, atque ſententiam dicere jus eſſet, magnoperè ſtudebat. Id Pariſienſibus Epiſcopis pridem tributum, atque adeò de Joanne Franciſco Gondio patruo tùm Archiepiſcopo nihil ambigebatur: de Coadjutore id perindè expeditum non erat, magiſque videbatur opperiundum, uſque dùm aut morte, aut voluntate patrui ipſe verè Archiepiſcopus Pariſienſis foret. Ubi igitur eâ de re ad Senatum eſt relatum, Memmius Præſes conſulendum patruum cenſuit, quo factum eſt, ut eâ die nihil Senatus decerneret. Qui ex factioſorum grege in Senatu erant, ii ſummâ ope nitebantur, uti Gondium, in eòdem haberent Ordine, quo ſpes, opeſque ſuas haud mediocriter auctum iri putabant: cæteri Juvenem acrem, ambitioſum, neque minora Mazarino agitantem animo in Senatum nuſquàm admitti maluiſſent, cujus operâ, uti quem ſibi æmulum propoſuerat, eum loco pelleret, miſcere omnia properabat.

Ubi Rex ab Urbe diſceſſerat, Senatus ſibi bellum adeſſe ſatis proſpiciens, Armamentarium regium occupaverat: vicina eſt Baſtilia, arx exigua illa quidem, ſed mœnibus è ſaxo quadrato firmiſſima: Præfec-

1649.

tus huic erat Carolus *a* Clericus Tremblaïus cum præſidio quod ad cuſtodiam eorum qui illîc in carcerem conjiciebantur, non autem ad propugnandum, ſi qua vis ab Urbe fieret, ſatis eſſet, atque adeò ubi admota tormenta, muruſque quati cæptus, poſt triduum dedita eſt. Tum Contius autore Molæo primario Præſide ut huic quempiam ex Senatu præficeret, Bruſſellum præfecit, qui quoniam ei rei parùm idoneus erat, vir militiæ rudis, *b* Lovieram filium ſibi vicarium eſſe poſtulavit, quod eſt Contius homini factioſorum in Senatu facilè principi obſecutus.

a Le Clerc du Tremblay.

b Brouſſel de la Louviere.

Intereà loci ad Clodoaldi, & Dionyſii fana, prætereà apud Herimontem, valida regiorum præſidia fuêre, ad hoc Carentonium occupaverant, quod poſteà Condæo omittere viſum, Lagnium prætereà ad Matronam, Corbolium ad Sequanam amnes, ſuprà Urbem tenuêre. Quod inter utrumque flumen regionis eſt eà commeatus ad Urbem carris advehi haud difficile Urbanis Ducibus viſum, ſi Carentonium eſſet in poteſtate: Eo vicum hunc ab Condæo omiſſum occupavêre. Bria oppidum infirmum duodecim ab Urbe paſſuum millibus, atque ampliùs in ea quam diximus inter Matronam, Sequanamque regione, æquo inter utrumque amnem ſpatio poſitum eſt, quod & oppidum Urbanis Ducibus habere in poteſtate viſum, commeatuum causâ.

Franciſcum *c* Belfortium Cæſaris Vindocini filium ab Arce Vincennarum, quò in carcerem conjectus fuerat, elapſum eſſe antehàc diximus: is intereà uſquè ab Aulâ, atque Urbe procul agitaverat, nihil moliente, ut iterùm comprehenderetur Mazarino: quin & ſecum agi paſſus fuerat, uti Vindocinum patrem, qui in Italiam abierat, & Ludovicum *d* Mercurium filium natu majorem, atque ipſum Belfortium ſecum redire vellet in gratiam, atque ita totam hanc Domum adjungeret: quod quidem ſibi præſidio futurum exiſtimaverat adversùm Henricum Condæum, qui tùm ab Aulâ Mazarino infenſus ſeceſſerat, & adversùm Ludovicum filium: ſed ea res reditu Henrici, atque aliis quæ tum acciderant, ut ferè fit in Aula, rebus interpellata. Poſtillà Mercurius pari cum fratre animi magnitudine, ſed temperatiſſimis moribus perpetuò ab Mazarino per amicos flagitaverat, uti ſibi hujus voluntate in Aulam redire, atque eò de more agitare liceret, quod ſe ita facturum recipiebat, ut omnis ſua ratio Mazarino probaretur, cognoſceretque ſe huic quàm maximo uſui eſſe velle.

c Le Duc de Beaufort.

d Le Duc de Mercœur.

Id Mazarino quidem ſatis placebat, cui de Vindocinis adjungendis inſtituta pridem erant conſilia: ſed tantiſper obſtitit Ludovicus Condæus memor cum Henrico patre Belfortium nobilem Principatûs hujus initio controverſiam habuiſſe, atque Mazarinum in hac domo adversùm illum, atque adversùm ſe præſidia quæſiviſſe: pervicit tamen *e* Vetuſvilla Marchio, quo interprete Mercurius apud Condæum uſus erat, ut obſtare denique deſineret. Ita ille in Aulam rediit, ac brevì convenit cum Mazarino, uti Victoriam Mancinam ſororis filiam Belfortio nuptam vellet, ipſe Mariam *f* Guiſiam Henrici Lotharingi Gui-

e Le Marquis de la Vieuville.

f Mademoiſe de Guiſe. Le Duc de Guiſe.

1649. ſii, & Ludovici Guiſii *a* Joüſii ſororem, hic verò Franciſcam Mariam Valeſiam Aletſii Comitis filiam de quâ ſuprà memoravimus, uxores ducerent: his ſe affinitatibus Mazarinus adversùm tot, ac tantas quæ ſibi hoſpiti, atque advenæ imminebant tempeſtates aliquantùm fore munitum arbitrabatur.

a Le Duc de Joyeuſe. Mademoiſelle d'Angouleſme. Le Comte d'Alets.

Belfortio hæ nuptiæ primùm cordi fuêre, quibus ſe Mazarini gratiâ fretum præclarè fortunas ſuas aucturum, gloriam, atque famam adepturum ſperabat. Sed ubi factiones adversùm hunc inſtitutæ, ac bellum ab Senatu, Populoque parabatur, quò lubido animi ferebat, ad ultionem, quàm ad gratiam cum Mazarino conciliandam pronioris abſtractus eſt. Lutetiam igitur Pariſiorum venit, & priúſquam Senatui operam ſuam ſicuti cæteri polliceretur, rogat uti de causâ ſuâ cognoſcere velit, ſeſe reum actum antehàc, ſicuti Mazarini vitæ eſſet inſidiatus, eâ de re Quæſtionem non ab Patribus, uti factum oportuerit, ſed ab quibus Mazarino viſum judicibus habitam, de qua omni ut Patres cognoſcere velint, poſtulare ſe, atque de hac judicium ferre: id facilè Belfortius impetravit, ac brevî omnium ſententiis eſt abſolutus. Adventus ejus magnâ Senatui, Populoque in expectatione fuerat, cùm ob viri dignitatem, ac virtutis opinionem, tùm quod magnam nobilium copiam ſecum adducturus ferebatur, quæ tamen nulla fuit. Una ipſi poſtillâ cura, colere plebem infimam, ſi quæ militariter, ac præclarè fecerat, ea uti ſcriptis in vulgus editis, aut cantilenis quæ in foro, & plateis audiente plebe cani ſolent, celebrarentur, operam dabat: quò fiebat ut apud multitudinem ingens de eo fama eſſet, apud cæteros non item, quibus huic virtus vix ſuprà militem eſſe videbatur, cæterùm nihil Annæ Mariæ Avaucuriæ Mombaſoni uxori quam amabat, occultum habuit, atque ita Aulæ pleraque factioſorum conſilia cognita fuêre, quibus adeò faciliùs occurrit.

Poſtpaulò Ludovicus Carolus *b* Albertus Luinæus Caroli Luinæi cujus apud Regem Ludovicum XIII. magna fuerat gratia, filius, & Franciſcus Maria Hoſpitalius Vitrius Nicolai Equitum dum viveret Tribuni filius ad Senatûs Populique partes acceſsêre, quod mirum de Luinæo viſum, qui pietatem coleret, atque eâ causâ haud ita multus, frequenſque in Aulâ fuiſſet. Buillonius de quo ſuprà memoravimus, ſeſe pridem Condæo dederat in clientelam, quem ſcilicet præclarum, atque ferocem propediem res novas moliturum arbitrabatur: ſed eo ceſſante ſeu vis boni, ſeu merces quàm ſuprà diximus accepta hominem in officio continebat, ad Senatûs, Populique partes applicaverat ſeſe. Quæ cum adhuc incerta viderentur, Condæus ad Buillonium dederat litteras, quibus monebat; *Ut ne hunc Contii fratris, ac Longavillæ ab Germaniſano diſceſſus falleret, neu ſe cum his ſentire crederet: ubi Rex, & Regina mater ſint, eò ſibi manendum, eò rem publicam, in Urbe factionem eſſe: hanc properè fugiat, atque ad ſe veniat, quod utriuſque rationes poſtulent: id ſi fecerit, magno ipſi uſui futurum, nam quæ ad hunc attineant, ea in quo maximè velit ſtatu, apud Germaniſanum eſſe.* Hæ Condæi litteræ ab Violâ in Se-

b D'Albert Duc de Luyne. De l'Hoſpital, Duc de Vitry.

in Senatu Buillonii voluntate recitatæ ſunt, quo fidem hujus ampliùs perſpectam haberent Patres. 1649.

Secundùm hæc miſſi ab Aquenſi Curiâ Conſiliarii Senatum ingreſſi miſerabiliter enarravêre caſum ſuum. *Primùm uti Libellorum Claſſem ipſis obtrudere Adminiſtri voluerint: dein uti quadraginta quinque Conſiliariis, qui Regem quanti ea res hujus Curiæ intereſſet edocendum cenſuerant, interdictum Curiâ eſſet: poſtremò uti propè duplicato Conſiliariorum, & Præſidum numero hos per vices ſemeſtrem operam Curiæ dare placuerat: cui rei iniquiſſimæ ubi plures interceſſiſſent, ſexdecim cum conjugibus, & liberis in exilium actos, jam decimum tertium annum domo abeſſe: ubi vident denique injuriam hanc pretio redimendam, trecenta nummûm millia ſeſe in ærarium laturos recepiſſe, quanti ea res publicanis permiſſa fuerat, quod quidem Adminiſtri ſibi gratum, acceptumque dixerint: ſed creſcente ex ſuâ facilitate avaritiâ, centum præterea nummûm millia poſtulaſſe, quæ cum ipſi quando aliter injuriam avertere nequibant, ſe daturos eſſent polliciti, iterum fruſtrà fuiſſe, proditamque ab Adminiſtris fidem, ſi qua in ipſis reliqua ſit. Poſtremò ſe reſciviſſe Senatûs operâ factum Edictum, atque promulgatum, quo caveatur uti qui Magiſtratus obire munia ſua prohibiti ſint, id ut iis nihil poſthàc obſtare queat. In eo ſibi præſidium eſſe arbitrari, & dudùm ſibi fuiſſe conſilium Patrum implorare fidem, ſed uſquè adhuc ceſſaſſe, ab quibuſdam deterritos, qui his religionem fore dixerint, quidquam de aliarum Curiarum rebus decernendi: ſed nihil eo Patres moveri debêre, cujus decretis Aquenſis Curia ſtare conſtituerit.* Molæus omnia quæ in Senatûs poteſtate eſſent benignè Aquenſibus pollicitus bonæ ſpei plenos dimiſit.

Erat in Urbe Claudius [a] Lotharingus Guiſius Caproſus Dux, atque Franciæ Par, ſurdus, atque jam ſenex, cui tametſi ab adoleſcentiâ vires procero in corpore, atque virtus, & animus eſſent, tamen otium, & voluptatem prima ſemper habuerat, neque poſt Ambianum ab Henrico IV. Rege receptum, quò huic præclaram navaverat operam, quidquam fermè attigerat belli: huic uxor eſt Maria Rohana Mombaſona, de cujus fœminæ ingenio ſuprà memoravimus. Sed is Caproſus ubi otio carendum videt, ſi Urbe decedat, pudetque Principem virum, Ducem, & Franciæ Parem, cui in Senatum venire, & ſententiam dicere jus ſit, eâ tempeſtate latêre, poſtremò in Senatum venit, atque huic Ordini, Populoque operam ſuam, aut certè ſtudium, ſicuti cæteri pollicitus eſt, cui Molæus gratias Senatûs verbis egit: nihilò ſeciùs tamen quod tantoperè amabat otium, id porrò more ſuo coluit. Ipſi erat negotiorum Curator quidam, [b] Launum appellabant, è numero Judicum qui Prætori Urbano aſſidere ſolent, Caſtelletti Conſiliarios vocant: is ſicuti fermè hi qui Aulæ expertes ſunt, eò noſci geſtiebat, cujus rei copiam habuit, quæ de Senatûs, atque Urbis rebus opus ſcito eſſe Mazarino exiſtimabat, de iis amicos ejus qui ad Urbem erant, certiores faciundo, ſicuti poſthàc memorabimus, neque id Caproſi injuſſu feciſſe fama fuit, qui neque Aulam, neque Senatum ſibi infenſos vellet.

[a] De Lorraine de Guiſe Duc de Chevreuſe.

[b] De Laune Conſeiller au Chaſtelet.

1649. Quanquam Patres Contio, atque aliis viris Principibus, prætereà Populo freti, atque Urbe quæ Regni caput eſt, ſuas opes quàm maximas eſſe credebant, tamen optimum factu ſunt arbitrati, cæteras ſibi Curias, & Urbes in provinciis adjungere, atque eâ gratiâ ad has ſcribere. Factum id eſt acerbiſſimis in Mazarinum litteris, quibus in hunc omnia reipublicæ mala rejiciebant, atque hortabantur, ut hujus reſtituendæ curam ſecum ſuſcipere vellent. *Si communi ſtudio, atque conatu anniti vellent, brevî Mazarinum amandaturos, quam plurimas ad urbem mitterent copias, aut ſi minùs in præſentiâ commodum eſſet, commeatus quàm ampliſſimos ſubvehi curarent, ſeſe daturos operam ut his qui adducerent quæſtui forent.*

Hujuſcemodi litteræ ad Curias, & Urbes primarias miſſæ, dein Belfortius ſicuti Franciæ Par in Senatum ab Patribus eſt admiſſus, atque jusjurandum de more edidit: prætereà Gondio Coadjutori patrui Archiepiſcopi voluntate in Senatum veniundi, atque ſententiam dicendi poteſtas facta: idem Mottæo Hodencurio honoris habitum, adſcriptumque decreto eſt, ut intra ſex menſes ab Rege eâ de re Diploma impetraret, quod priùs facere debuerat, nam in Senatum venire, atque ſententiam dicere nemini licet, præterquàm Principibus è regia Gente viris, aut quibus id ab Rege Diplomate tributum eſt, quo tamen nihil opus habet Pariſienſis Epiſcopus, aut Archiepiſcopus, nam ubi Pontificatum hunc eſt ingreſſus, pro Senatore, aut Conſiliario in Curiâ Pariſienſi habetur: ſed de Gondio fratris filio, qui deſignatus modò Archiepiſcopus, datuſque patruo Adjutor erat, utrùm & id honoris in Senatu rectè, atque ordine tribueretur, meritò ambigebatur, nam ſi rectè, quid non factum antehàc? ut id magis temporum iniquitate, quàm ſatis jure factum videatur.

Erat in urbe Henrica Caroli Britanniæ Regis uxor, Ludovici amita, quæ Regno pulſa in Galliam profugerat, ſicuti ſuprà memoravimus: hæc uti par erat, tam propinqua Regi mulier hujus ſumptibus alebatur, omnibus viri, ſuiſque ipſa fortunis ſpoliata: ſed ob inopiam ærarii, rerumque perturbationem, nihil ipſi Aula curaverat, quæ ipſamet eâdem de causâ vix agitabat. Sed Henricæ per Regis abſentiam Patres ſubvenêre, ſeu ex collatis ſicuti ſuprà diximus ab omnibus Urbis Ordinibus in rem publicam pecuniis, ſeu ex regiis, quas ubi promptum fuerat coëgerant, cujus adverſùm ſe beneficii Henrica Senatui per Cancellarium ſuum ad Molæum eâ causâ miſſum gratias egit. Sed ea res tametſi bona, atque honeſta, tamen per ambitionem, ac regio more facta videbatur. De regiis pecuniis ubicumque copia eſſet cogendis autor fuit Senatui Bruſſellus, omnia acerba, atrocia ſentire ſolitus, ſicuti factionis principem decebat. Intereà decretæ in ſingulos qui non alicujus in Urbe collegii eſſent pecuniarum pro cujuſque fortunis collationes fuere, quæ ſi res ab Rege edicta fuiſſet, immane quantum turbarum, ac tumultus feciſſet, eamdem ab Senatu decretam omnes patienter toleravêre.

Nihildùm aut ab Aula, aut ab Urbe hoſtiliter factum fuerat, quod quidem incæpêre Regii. Medonem Caſtellum quod Guiſii eſt, Pariſini tenebant modico militum, cæterà agreſtium præſidio, qui eò cum omnibus fortunis confugerant. Haud procul eſt Clodoaldifanum, quò Regii ſtativa habuêre: inde Condæus quingentos milites eduxit, atque ad Medonem iit. Ubi Caſtello eſt appropinquatum, qui mœnia defenſabant, ab iis frequentes emiſſæ ſcloppetis glandes, ab quarum unâ quiſpiam in Prætoriâ legione Centurio peremptus eſt: cecidêre item nonnulli alii, quod quidem adeò violenter tulit Condæus, uti Caſtellum pugnando capere inſtituerit, atque omnes qui in eo erant extra unum Præfectum cædi vellet. Sed hujus uxor Caſtello egreſſa advoluta Condæi genibus pervicit uti deditione factâ incolumes cuncti dimitterentur, præſidium regium Caſtello impoſitum. 1649.

Ea prima Patribus cura erat, ut ne annona in Urbe deeſſet, cujus caritate res quandóque propiùs tumultum fuit: nam ſatis intelligebant, plebem jejunam nuſquàm pacatam, nedùm æquam fore. Eo Ellebovius, Belfortius, Mottæus, omnem dabant operam, uti commeatus ad Urbem tutò ſupportarentur. *a* Boulaïus Marchio in primis vir impiger longiùs quà commeatus adventabant, cum equitatu procedebat, ut iis eſſet præſidio, atque eâ causâ ſæpiùs levia cum Regiis prælia alia aliis locis facta, minùs quidem ſecunda Pariſinis, tametſi intereà dùm pugnabatur, plerúmque commeatus, ſaltem pro magna parte ad Urbem deducti, pauci planè interierint.

a Le Marquis de la Boulaye.

Decretum VI. Id. Jan. fuerat, quoniam Cognitori, atque Actoribus regiis Germaniſanum ab Senatu miſſis Regem, atque Reginam adeundi non fuerat copia, uti quid de re publicâ hic Ordo ſentiret, Scripto edocerentur, atque id ad eos mitteretur. Meliano Cognitori regio datum negotium, uti Scriptum id ad Regem, & Reginam perferret, cui uti ſibi utriuſque conveniundi, atque eâ causâ Germaniſanum eundi poteſtas fieret poſtulanti reſponſum eſt, eo loco res eſſe, ut ab Senatu manente ad Urbem nihil ſibi litterarum accipiundùm, aut audiendum cenſerent.

Plenum erat Scriptum convitiorum, & contumeliarum in Mazarinum. *Penes hunc ad Richelii exemplum potentiam omnem regiam, ac rempublicam eſſe: hunc pacis, ac belli, fortunarum, vitæ, neciſque civium arbitrum: quæ ad pacem cum Hiſpaniæ Rege attineant, ea tantâ arte tractare, ut infecta uſque ſit: bellum conſulto prolatare, uti ſumptuum ad exercitus alendos ſpecie immenſam porrò pecuniam cogat, ac diripiat. Proditam apud Landrecium, apud Curtracum rempublicam, deductis ab utroque oppido præſidiis, ut hoſti obnoxia eſſent: proditam item apud Neapolim planiſſimè, quò deſertus Guiſius, Claſſis ſine pecuniâ, ſine commeatu, ſine auxilio ullo miſſa. Quò rempublicam Mazarinus corruptam voluerit, eò infirmos exercitus, infrequentes copias habuiſſe, præbuiſſe exiguè, aut nullum ſumptum, uti milites ſtipendii inopiâ dilaberentur, atque ita hoſtibus inſerviiſſe: prorsùs huic tantum dolum, tantam ineſſe nequitiam, ut ubi quid agat, aut ubi ſi ceſſet pernicioſior ſit, in incerto habeatur. Proſcriptos ab eo*

1649. *Magiſtratus, in cuſtodiam procul conjectos, nec ab unius morte abeſſe veneni ſuſpicionem: Belfortium quia modò ab hoc ſibi metueret, in carcerem conjeciſſe: Mottæum judiciis terruiſſe, ac penè oppreſſiſſe.* Multa alia ſicuti perperam ab Mazarino facta congeſta in hoc Scripto fuêre, quo & mentio de Regni Procuratione ſicuti hanc Senatus haud fermè minùs quàm Ludovicus XIII. Rex Reginæ tradidiſſet, fiebat: ſi quid denique de Regum ſucceſſione contra leges, & morem majorum tentatum anteà ſit, ei rei Senatum omnino pe ſemper obſtitiſſe. Ita Patres nihil tam altum, atque excelſum eſſe, de quo judicium quodammodò ferre ſibi jus non ſit, ſatis oſtentaſſe viſi: hoc Scripto denique Mazarinum quandò Senatûs Decreto non paruiſſet, ſibi dedi poſtulabant, in quem exempla ederent, ut ne quis demùm Regum potentiâ abuti vellet. Id Scriptum ut ad Guenegaldum Quatuorvirum perferretur, Senatus operam dedit, quò Rex, atque Regina mater cum ipſo Mazarino illud videre, ac legere poſſent.

Contra Rex quoniam Senatus non paruiſſet Edicto, quo Urbe decedere, & Montargirium migrare jubebatur, ſingulis ex Senatu Magiſtratum poſteriori Edicto abrogavit, niſi ſi qui Germaniſanum ad ſe venirent, neque eo bonorum publicatio, atque aliæ ſicuti in reos Majeſtatis priori Edicto conſtitutæ pœnæ minuebantur: præterea quæ poſteà in Urbe Senatus decreverat, ea antiquabantur, quoniam ab die prioris Edicti Patribus aut conveniundi, aut jus in Urbe dicundi nulla facultas fuerat. Poſteriori hoc Edicto quædam de Mazarino magnifica, neque ampliora vero dicebantur. Illius conſiliis, atque operâ factum, uti nullus ab hujus Principatûs initio elabatur annus, quin aliquo adversùm hoſtes operæpretio edito inſignis eſſet. Tot victorias, urbium expugnationes, atque alia militaria Imperatorum certè, ac militum virtuti deberi, verum compluria eſſe, quibus & talia incipiantur, & ubi incæpta ſint, proſperè eveniant, quæ omnia ab Mazarini induſtriâ, curâ, atque ſtudio profecta ſint, cætera propiùs adulationem fuêre: poſtremò quod ad id locorum talem virum, tamque de Rege, atque de omni republicâ meritum Senatus hoſtem judicaſſet, hunc graviùs Rex objurgabat, dein quod arma cepiſſet, delectum habuiſſet, vectigalia, tributa, portoria intervertiſſet, cuncta denique hoſtilia, atque regio more faceret. Majoribus ſuis perpetuò curæ fuiſſe, quoties Pariſienſis Curia de republicâ conſultare, aut omninò cognoſcere auſa eſſet, toties eam coercere, neque eos fines egredi ſinere, qui huic ab Regibus circumſcripti ſint, gnaris videlicet per ambitionem facilè inſoleſcere animum humanum, quàmque periculoſum foret, ſi quam huic Curiæ in omnium rem familiarem, vitamque ipſam, potentiam permisêre, eâ in rempublicam ſicuti tunc faciat, abuteretur.

De Gaſtone, atque Condæo multa in Edicto præclara dicebantur, item de ſacro, aut Eccleſiaſtico, atque Equeſtri Ordinibus, ut ne ſe ab Togatis anteiri ſinerent, quorum audaciam eò evaſiſſe, ut non ſe utrique huic Ordini modò, ſed & Regibus ipſis anteferant, quos ex ſuâ

lubidine regnare, neque quidquam niſi ſuâ voluntate facere æquum cenſeant. Rex denique Pariſienſi Populo benè, atque ex animo factum velle, ſeque ubi primùm Senatus abiiſſet, ad Urbem rediturum ſignificabat, ſimul ante triduum licere Principibus viris, aliiſque qui Senatûs, Populique partes ſequerentur, ſine fraude ab armis diſcedere, atque Germaniſanum ad Regem venire: ſin quod pravè incæperint, in eo pertendant, Majeſtatis reos eſſe, quos habeant Magiſtratus, poteſtates, atque imperia, ea his abrogari, bona publicari. Hæc in Contium, Longavillam, Ellebovium, ejuſque filios, Belfortium, Buillonium, Briſſacum, Mottæum, Marſillacum, Nigrômonaſterium, Vitrium, Boulaïum alioſque edicebantur. In utroque Edicto non eſt prætermiſſum civile quod moveatur bellum Paci cum Hiſpanis ſanciundæ obſtare, ſpem videlicet certiſſimam nactis, quæ cum tanto noſtro labore, periculis, atque ſimptu ſibi erepta fuerint, ea ſe facilè recepturos. 1649.

Inter hæc autores quidam Mazarino fuêre, uti Regni Comitia indicerentur, atque eâ de re datæ ab Rege litteræ ſunt, in ſacro, atque Equeſtri Ordinibus præſidium adversùs Togatos fore: dein ſubiit metus, uti ſi Ordines Regni unà forent, ut eſt noſtra Gens novarum rerum cupidiſſima, plura, ac majora quàm hac tempeſtate Senatus movere aggrederentur: eò id conſilium fruſtrà fuit. Ad hoc plebis onera propè intolerabilia erant, quæ res & ad ſacrum, & ad Equeſtrem Ordines pertinebat, nam ob id neceſſè habebant plebi prædia ſua viliùs, atque in incertum locare, quia Regi tributum pendere, quàm cuiquam debitum exoluere priùs eſt. Ita quo pluris cuique res ſua, quàm publica eſt, eò ne illi magis, quàm huic Comitia ſtuderent, atque ob tributorum gravitatem iniqua eſſent, jure metuebatur.

Ægrè erat Pariſinis Corbolium ad Sequanam Regis præſidio teneri, quò commeatus ſecundo flumine ad Urbem advehi prohibebantur. Eò Belfortium, atque Mottæum cupido inceſſit tentare, utrùm id oppidum recipere copia foret. Equites igitur, peditesque è novis delectibus Urbe eduxêre, præterea eos qui ex Pariſinis venire ſecùm voluêre, quatuor propè millia armatorum fuêre, qui agmine Juviſium uſquè progreſſi ſunt, ac ſimul tormenta vehebantur. Sed Belfortius, atque Mottæus mutato de Corbolio oppugnando conſilio Urbanos milites poſtridiè dimisêre, atque ad dextram cum copiis Lonjumellum versùs flexêre iter, ut eò advenienti commeatui præſidio eſſent.

Sed quæ conſcriptæ fuerant in Urbe copiæ, eæ ut adversùm Regem defenderetur bellum, exiguæ erant, quo fiebat ut omnes circumquàque vicos Regii impunè diriperent. Id apud Reginæ-burgum, atque aliò factum trepidi in Urbem nuntii attulêre: tùm fortè Senatus habebatur, cenſebantque Patres educendum continuò equitatum, & qui talia auderent latrones inſolentiſſimi, eos malè mulctandos: tàm propera decernentes inhibuêre qui aderant ſcientes belli, & Patres edocuêre, *Quos malè mulctari vellent, eos intereà dùm nuntii ad Urbem venerint, & ipſi conſultent, certò dilapſos: qui copiarum numero præſtent, eos foris po-*

1649. *tiores: nihil igitur eſſe, quod in præſentiâ hos latrones perſequi maturent, quoniam id fruſtrà foret, ſed magis dandam operam, uti pecunia conſcribendo militi curetur, quod ut ad decem hominum millia fiat, centum millia nummûm opus eſſe.* Mottæus ſe ſatis ſcire ait, quò aliquanta ſumma inveniri queat, cæterùm ſibi Regem octuaginta librarum millia debere, quæ exolvi è pecuniâ regiâ, quam indicaturus ſit ab Senatu poſtulet. Id quidem facilè ab Senatu decretum ex Sententiâ, atque hujus indicio ducenta & ſeptuaginta librarum millia apud ſalis vectigalium redemptores ſub lignorum ingenti ſtrue reperta ſunt: eo id à me commemorandum putavi, uti demonſtrarem, qui Senatus partes ſequebantur, eos non minùs ſuæ quod in Mazarino criminabantur, quàm reipublicæ ſtuduiſſe.

Ab eâ regione maximè quæ inter Sequanam, & Matronam poſita eſt, commeatus ad Urbem ſupportabantur: eo ut hæc maneret in poteſtàte, Pariſinis cautio erat, atque ut ne Regii eâ parte excurſiones facerent, ac prædas agerent: Ellebovius eâ gratiâ Urbe cum copiis egreſſus apud Gornaïum, & Mauriſanum pontes reſciderat. Sed in eâ regione duodecim ab Urbe paſſuum millibus Groboſium eſt, Rus nobile Caroli *a* Valeſii Inculiſmi, qui eò tùm agitabat turbarum, ac belli civilis expers, ſicuti ſeptuagenario majorem decebat: huic ingenium callidum, ac verſipelle, cæterùm ubi ætas militiæ patiens, in ea clarus fuit: non erat huic conſilium Senatûs partes ſequi, ſed offenſionem apud eum effugere. Eo ad amicum quemdam ex Senatu, is Joannes Jacobus *b* Godardus fuit, qui & ipſe nobile prædium Groboſio vicinum poſſidet, litteras dederat, quibus ſe Germaniſanum iturum ſignificabat, atque apud Reginam omnem operam daturum, uti cuncta cum bonâ utrimque gratiâ componerentur, quod quidem magnoperè Patres cupere non dubitaret, uti res publica ſalva foret: prætereà oſtendere nitebatur quanto hæc in periculo futura eſſet, ſi bellum civile diutiùs obſtinatis utrimque animis gereretur: hæ litteræ gratæ, acceptæque Senatui, ac præthereà Inculiſmo præſidio fuêre adverſùm quempiam ex hoc Ordine, qui hunc vetaſſe aiebat, ut ad Urbem è viciniâ ſuâ commeatus ſupportarentur, neque id veriſimile viſum de homine, qui tàm æqua de republicâ ſentiret, ſicuti ex ejus litteris palàm erat.

a De Valois, Duc d'Angoulesme.

b Godard Conſeiller au Parlemét.

Hæc regio Matronam inter, & Sequanam commeatibus ad urbem ſubvehendis tam opportuna videbatur, ut in Senatu referretur de præſidio quod apud Carentonium erat, longiùs in illam regionem deducendo, atque in hujus præſidii locum ſufficiundis apud Carentonium Urbanis militibus: cùm is locus tàm propinquus eſſet urbi, poſſe his ſi quid graviùs impendeat, facilè ſubveniri. Continuò *c* Carretonius ducendos eò Urbanos milites, locumque tuendum ſibi depoſcit, non modò tùm apud Senatum, ſed & eo dimiſſo apud Urbis publicas Ædes, uti perinde Populo, ac Senatui ſtudium ſuum oſtentaret, quo tamen neutri utendum cenſuêre, nam rati hujus operam domi, quàm militiæ magis reipublicæ proceſſuram.

c Le Preſident Charreton.

1649.

Poſt paulò Gaſto, atque Condæus ad Vincennarum Arcem regiarum copiarum partem duxêre, tria millia equitum fuêre, par numerus peditum, cum minoribus tormentis ſex: hos Carentonium oppugnatum ire fama in Urbe vulgaverat, neque fermè quidquam quod alteri inciperent, alteros fallebat, multis ut inter cives hinc indè commeantibus. Igitur milites Carentonium quod ſatis viſum, miſſi ab Urbe ſunt, mille primùm eo fuêre, duo millia prætereà miſſa, cui omni præſidio, atque vico Clanlevius præfuit. Secundo Matronâ navigantibus Carentonium ad dextram eſt, haud procul eo quo Sequanam influit loco: porrectus in longum ſecundum amnem eſt vicus ab flumine acclivis in latum, ſuperiora occupant horti cincti muris, qui vico pro mœnibus ſunt, pauca munimenta Clanlevius addiderat ex aggere, muroſque hortorum per intervalla perfoderat, inſerendis ad propugnandum ſclopetis: quibus viis ad vicum aditur, iis obduxerat clauſtra, ut hoſtem aliquandiù moraretur, confiſus ab Urbe quæ in propinquo eſt, adfutura in tempore ſubſidia: neque tùm ab Ellebovio, Belfortio, atque Mottæo ceſſatum: eduxêre enim ab Urbe copias è novis delectibus, prætereà Urbanorum militum quadraginta millia.

At Gaſto, & Condæus id quod futurum erat ſuſpicati, maturè totum hunc qui Fecampiæ valli imminet collem obſederant omnibus copiis, præter equitum peditumque millia duo, qui Carentonium oppugnatum iêre. Hi tripartitò vicum aggreſſi, primùm ab pilis quas hoſtes tormentis emiſerant infeſtati ſunt: aſt ubi contrà regia tormenta intonuêre, magna muri, atque militum in vico ſtrages edita eſt. Ita regii pars per ſtrata muri ruinis, alii aliò muros ipſos, dein munitiones in viis objectas tranſcendunt: acriter hinc indè pugnatur, vique majore quàm ab milite aut tyrone, aut temerè collecto hoſtes reſiſtunt. Via una in vico primaria, eaque ab Pariſinâ portâ ad pontem qui huic ad dextram eſt, dein ad Sectariorum Templum fert, cæteræ anguſtæ, atque ab colle ad amnem declives ſunt. Ab omni parte hoſtes ad pontem compulſi jam pauci erant, compluribus cæſis, captis, fugatiſque eò Clanlevius cum octuaginta modò egregiè dimicans cæditur, oblatam ab *a* Valterneuſio Centurione de ſalute ſuâ ſi ſeſe dederet, fidem aſpernatus. *b* Clanlevius è Morinorum agro vir nobilis, antehàc Gaſtoni, atque Mariæ matri, ubi ab Rege Ludovico XIII. defecerant, aliquandiù meruerat, dein ipſi Regi, ac denique Regi filio Ludovico XIV. dignus ob virtutem habitus, qui Mardico, dein Dixmudæ, quæ loca hoſtium fuerant, alterum ad Oceanum Gravelingam inter, & Dunkercam, alterum haud procul, præficeretur, idem Caſtrorum Præfectus fuit, egregiamque operam Regi, atque reipublicæ dederat, ſed animus varius, inquies, in res novas præceps ad defectionem iterùm abſtraxerat.

a De Vautourneux.
b Le Marquis de Clanleu.

Regiis Carentonium oppugnantibus præerat Ludovicus Gaſpar *c* Colinius Caſtillionus, qui ubi hoſtes in vico perſequitur, emiſſâ ab vicina domo glande ictus poſtridiè mortem obiit: homo erat adoleſ-

c Coligny Duc de Chaſtillon.

1649. cens, qui nihil ab majorum virtute defecerat, ſectam modò, & rebellionem quibus clari facti averſatus: pater Equitum Tribunus fuerat, de quo antehàc memoravimus, Caſtillionus filius Condæo in omnibus præliis, urbium expugnationibus, ac in nuperâ denique apud Lentſium pugnâ, & victoriâ comes, atque adjutor fuerat, quo neſcio an ad laudem, & gloriam quidquam ampliùs dici poſſit. Ita Carentonium pugnando captum ab minori quàm qui propugnabat oppugnantium numero, in hoſtium conſpectu, qui tot, tantique ſicuti prælium facturi Urbe egreſſi erant: haud ita viſum Ducibus, conſilio apud Piquepucium vicum eâ de re habito, Gaſtonis ſcilicet, & Condæi, præterea regiorum militum qui veterani omnes erant, virtutem, tyrone, aut collectitio tametſi tantus numerus erat, milite laceſſere veritis. Præter Colinium Caſtillionum cæſi è regiis & *a* Colinius Salinius Comes ex eâdem gente, Centuriones ſex, & gregarii milites ſexaginta: hoſtium complures cecidère, dein reſciſſo ſuper Matronam ponte Condæus Carentonio abiit, nullo eò relicto præſidio, ſeu locus parùm firmus videbatur, ſeu ſuprà obſeſſis ad Lagnium, & Corbolium amnibus, id parùm utile viſum, neque tam multæ erant copiæ, ut ubique præſidia imponi facilè poſſent.

a Coligny Comte de Saligny.

Hujus tumultûs initio quoniam Longavilla qui Normanniam pridem obtinebat provinciam, Senatûs, Populique Pariſienſis, partes ſicuti diximus, ſequebatur, eò mittere Regi, atque Reginæ viſum Henricum *b* Lotharingum Harcurium, de quo ſæpiùs memoravimus, qui regiis copiis fretus hanc Provinciam in officio, ac fide contineret. Is Rothomagum caput provinciæ petit, cúmque haud procul abeſſet, Regis litteras ad Rothomagenſem Curiam mittit, veritus ut ne mœnibus reciperetur. Rex Rothomagenſi Curiæ abrogatam Longavillæ, ac datam Harcurio provinciam ſignificabat: ſed Rothomagenſis Curia parùm æqua Aulæ, atque Adminiſtris erat, qui nuper Judicum in hac numerum propè conduplicaverant, ut alternis per menſes ſex jus dicerent, quod antehàc univerſi continuò dicere ſoliti erant. Eo regiis litteris ſecùs ab Curiâ reſponſum, neque Harcurio Urbem ingredi copia fuit. Quas Curia reſcripſit ad Regem litteras, eæ lenes, & ſicuti par erat ſummiſſæ fuère, cæterùm quod de Harcurio juberet, huic ſe rei gravibus de cauſis eâ tempeſtate ſuperſedendum cenſuiſſe aiebat, rogabatque ut id æqui, bonique conſulere vellet.

b De Lorraine Comte d'Harcour.

Poſt paulò Longavilla cum *c* Beuvronio Rothomagum advênit, hos ſcaphis tranſvectos Sequanam amnem, è regione Palatii veteris, quod urbi inſtar eſt arcis, humilem eâ parte murum ſcalis tranſcendiſſe, atque improvisò *d* Egtoto Marchioni Beuvronii filio interveniſſe aiunt, quem tamen totius hujus rei ipſis conſcium fuiſſe probabilius eſt, ſed ex compoſito id ita fieri maluiſſe, qui videlicet *e* Sanlucio Marchioni avunculo quem Mazarinus ad eum antehàc miſerat, ſeſe Regi in arce tuendâ fidem ſervaturum receperat, quo hanc ſponte ab ſe deſertam, aut proditam hoſti jure dicere nemo poſſet. Ubi Palatium vetus in poteſtate

c Le Marquis de Beuvron.

d Le Marquis d'Egtot.

e Le Marquis de S. Luc.

teſtate Longavillæ fuit, ipſe, atque Beuvronius qui huic in Normanniâ legatus eſt, poſtridiè in Curiam venêre, in qua ille de republicâ dixit pluribus, dein Curiæ ſuam, atque amicorum operam antiquandis quæ huic damnoſa erant, Edictis pollicitus eſt. Id verò gratum, acceptumque Curiæ fuit, atque adeò extemplò decrevit, quæ de augendo Judicum in ea numero, ac per menſes ſex alternis jure dicundo in actis, aut monimentis ſuis perſcriptum anteà fuerat, id neque rectè, neque ordine factum videri, quoniam contra leges Regni edictum fuerit, atque eâ de re Regem edocendum: prætereà cautum, ut ne quis delectum habere, aut quidquam rei militaris in provinciâ, Longavillæ qui hanc jure obtineat injuſſu attingere velit: poſtremò ut ab omni Normanniâ pecunia regia Rothomagum, & Cadomum, quod & oppidum in Longavillæ poteſtate erat, adveheretur. Hujuſcemodi Rothomagenſis Curiæ decreta Lutetiam Pariſiorum ad Senatum cum illius litteris ab Mirone Conſiliario ſunt allata, poſtulatumque ab hoc Ordine uti Rothomagenſem Curiam ſibi conjunctam vellet. 1649.

Primarius Præſes in Rothomagenſi Curiâ eſt Joannes Ludovicus *a* Falco Riſius, homo Regi fidus, qui triduum modò poſt adventum Longavillæ apud Rothomagum moratus, ubi eò ſe nihil Regi, ac rei publicæ proficere poſſe ſentit, Germani-fanum venit: pauci alii Vernonem venêre, quò Rex Rothomagenſem Curiam Edicto tranſtulit. *b* Baremius Aquenſis Curiæ Conſiliarius de quo ſuprà memoravimus, poſtulavit & ipſe, ut inter hanc, & Senatum Pariſienſem conjunctio item, atque ſocietas eſſet. Mirone, atque Baremio Curiâ egreſſis, Senatus conſulitur. In utrâque Curiâ, Judices ſemeſtres neque rectè, neque ordine factos videri decretum, de eâ re Regem edocendum, ac denique cum utrâque conjunctionem, & ſocietatem eſſe placuit, quod quidem Adminiſtri Conjurationem eſſe dixêre.

a De Faulcon de Ris.

b Barême, Conſeiller au Parlement d'Aix,

Inter has turbas, ac belli civilis initia Mazarinus haud immemor Gaſparem Bracamontem Guſmanum Pennerandæ Comitem, qui tùm Bruſſellis commorabatur, ſibi tantum ſanciundæ Galliarum inter, & Hiſpaniæ Reges pacis ſtudium oſtentaſſe, ut eâ gratiâ ſe vel in Galliam ipſam, atque Aulam venturum dixiſſet, & cum eo ipſo collocuturum, quid ipſi tùm animi, aut conſilii eſſet periculum facere decrevit: nam eo factioſis ſe pacis externæ metum injecturum ſperabat, quâ ſancitâ facilè Regi foret omnibus Regni copiis eos coërcere. Igitur ad Pennerandam mittit, qui certiorem faceret, nullam in ſe moram eſſe, quin inter ambos de pace ageretur. Penneranda Friquetum quemdam remittit ad Mazarinum, ipſe contra Franciſcum *c* Caſettam Valtortium è Conſilio regio ſingulari virtute, ac prudentiâ virum, qui homini faciliùs quàm antehàc omnia conventura ſpem faceret, ut hunc in Galliam ad colloquium pertraheret. Sed Hiſpanis longè alia mens erat, nam quæ per bellum amiſerant, ea ſe facilè inter diſcordias noſtras, atque arma civilia recepturos, atque alia quibus ſua damna præclarè ſarcirent, capturos confidebant: quo factum eſt, uti Valtortius ab Pen-

c Caſette de Vautorte.

1649. nerandâ ita dimiſſus redierit, ut ne quid reliqui eſſet, quo Mazarinus ſe porrò de pace cum eo agere poſſe ſimularet.

Sed quæ pax foris fieri nequibat, ea uti domi ſanciretur, volentibus omnibus bonis Cognitor, atque Actores regii operam ſibi dandam exiſtimavêre, cujus rei in Senatu ultrò fecêre mentionem, de quâ ubi ſententiæ rogari cœptæ. *a* Criſpinus quoſdam ab Senatu ad Reginam de pace mittendos eſſe cenſuit, *Qui ſi hanc impetrent, præclarum id Senatui, atque reipublicæ utile futurum: ſin Aula pacem abnuat, æquiùs ab Senatu, Populoque bellum porrò aut defenſum, aut factum iri.* Continuò obſtrepere complures *compoſitò factum* dictitare, *ut eâ de re Senatus conſuleretur, diſturbandis omnium qui rectè de republicâ ſentiant conſiliis, ac debilitandis de bello acriter defendendo ſtudiis: poſtremò rem tantam per virorum Principum abſentiam agi haud æquum eſſe.* Vicit tùm hæc ſententia, reſque in aliud tempus dilata.

a Creſpin.

Ubi nuper Patribus Magiſtratus Rex abrogaverat, ſimul edixerat, uti tantiſper ab Curiis Præſidialibus ad Senatum, ſicuti antehàc provocatio ne eſſet: item & Rothomagenſis Curiæ Præſidibus, atque Conſiliariis quod hæc cum Pariſienſi fœdus feciſſet, abrogati Magiſtratus ſunt. Inter hæc Adminiſtris curæ erat belli civilis culpam in Curias conferre, plebemque ut ab his diſſentiret, atque has in viam redire cogeret, hortari: id ſi faceret & omnium quæ uſquè ſecùs feciſſet impunitatem, & ampla alia polliceri: quæ omnia fruſtrà fuêre, quia plebi tumultus, & res novæ plerúmque cordi ſunt, præptereà tributorum onus tàm grave erat, ut ne civile quidem bellum ſibi gravius fore arbitraretur.

Haud tantùm copiarum erat in Urbe, neque hæ tam firmæ videbantur, ut earum virtuti Duces ſummam rerum credere ſe poſſe exiſtimarent: ita dolo magis, atque hoſtem fallendo rem gerebant, ſatiſque habebant commeatibus, qui ad Urbem ſupportabantur, præſidio eſſe. Ab Carentonio nonnullos advenire nuntiatum eſt, quibus obviam Vitrius iit cum quingentis equitibus, qui in regiorum equitum Alam incidêre. Secuti Vitrium erant plerique nobiles adoleſcentes, gloriæ avidi, inter quos Tancredus de quo antehàc memoravimus: hic ubi inter primores dimicat, atque hoſtes urget acriùs, ab his cæſus occubuit, atque ita quæ lis hujus causâ Margaritæ Bethuniæ matri cum Margarita Rohanâ filiâ intercedebat planè deſiit, & hunc Tancredo non ingloriosum tàm nobilis fabula exitum habuit.

Sed ab Stampis quod oppidum unius diei itinere ab Urbe abeſt, commeatus ad eam ampliſſimus, atque omnis generis rerum advehebatur, cui Belfortius maturè cum equitatu egreſſus obviam procul ierat. Per Reginæ-burgum, & Antonaci-pontem rectà ab Stampis ad Urbem fert via: ſed uti longiùs ab ſtativis regiorum commeatus deduceretur, ad dextram Belfortius rediens flexit iter, interrupto Antonaci ponte, uti ſi hoſtem fallere nequiret, ſaltem tantiſper moraretur. At ea res Gramontio videlicet ſpeculanti quid hoſtis ubique ageret, haud occulta

fuit : igitur cum equitibus mille trecentis, & aliquot Italicis, Poloniſque peditibus ab ſtativis progreſſus apud Cachanum, quoniam apud Antonaci reſciſſum pontem copia non erat, ſuperato Bievrâ amniculo in eâ quæ Juviſium inter, & Julitæ-villam eſt planitie ſuos inſtruit, pulſis per Paliiavium Clerembaltium Legatum aliquot hoſtium equitibus, qui editiora loca inſederant. Apud Julitæ-villam præſidium hoſtium fuit, ac propiùs vicum ſtatio turmarum trium: totidem equitum turmas, ducentoſque ſclopetarios *a* Caſtelnavium Malvicieram cò Gramontius ducere jubet, & quid copiarum in vico eſſet, quantùm tutò fieri poſſet, cognoſcere. Is Caſtrorum Præfectus erat, vir fortiſſimus, qui ubi vico eſt appropinquatum, hoſtes pro portâ objeciſſe clauſtra conſpicatur, quæ oppugnare aggreditur, magis quid hoſti animi, aut quid in vico præſidii eſſet, ſicuti juſſus erat, exploraturus, quàm paucitati ſuorum huic expugnando confiſus. Sed id ubi ſatis cognoverat, ad Gramontium properè mittit, qui nuntiet hoſtes in vico aliquanto numero eſſe, ſi tamen hunc expugnatum velit, Polonos pedites properè ad ſe venire jubeat. 1649.

a Le Marquis de Caſtelnau-Mauviciere.

Intereà Gramontio nuntiatum pulveris vim magnam, procul conſpici, dein hoſtium equitatum advenire: continuò Caſtelnavium omiſſo Julitæ vico ad ſe redire jubet, *b* Mommegium verò eâ parte cum peditibus, & equitibus aliquot præſidium agitare, ut ne quid ab tergo ſibi indè periculi foret, præterea progredi ſenſim, ubi ſibi ſubſidio, ſi res moneret, eſſe poſſet, ipſe quà hoſtes adventabant ire properat. Sed hi ubi primùm regii fuêre in conſpectu, propiùs Sequanam inter vites, & declivia, ac propè præcipitia loca fugientibus ſimiles divertêre. Gramontius ægrè ferens ſibi hoſtium, aut celeritate in progrediendo, aut fugâ rei benè gerendæ occaſionem eripi, aliquot equitum turmas effuſo curſu ad illos attinendos ire jubet, intereà dùm ipſe tantùm accelerarct iter, quantùm ſine ordinum perturbatione fieri poſſet.

b Le Marquis de Mommege.

Hoſtes ubi admiſſis equis venientes regios vident, eo properantiùs fugere ad Vitrium, quò via ferebat vicum, atque eò ſtatione ſuorum freti reſtitêre. Præter hanc quæ apud Vitrium erat hoſtium ſtationem, eò ab Urbe adveniebant continuò copiæ, magna pars urbanorum militum, qui incompoſiti ad viginti millia portis egreſſi omnem complеverant ad Vitrium uſquè viam, nam Belfortium, & quæ cum eo erant copiæ, eas ab regiis urgeri fama ad Urbem tulerat, in quâ tanta Belfortii gratia apud multitudinem fuit, ut ni hunc in tuto eſſe reſcitum poſt paulò foret, omnis ad ſubveniundum erupiſſet. Id ubi compertum Gramontio eſt, receptui canere jubet, ut ne ſui cupidiùs hoſtem inſequendo offenderent. Vitrio tamen pepulêre hoſtem, & pecoris quod deducebat parte potiti ad Gramontium rediêre, qui cum eâ prædâ, ac præterea equis centum, & quinquaginta, atque aliis jumentis ad ſtativa reverſus eſt. Apud Vitrium acriter pugnatum, ita ut Belfortius ipſe manum cum *c* Nigroloco viro fortiſſimo conſerere coactus fuerit: nam is ubi cum equitum alâ cui Tribunus erat hoſtes urget, Belfortius in-

c Noirlieu.

1649. gens animi in hunc procurrit, atque hominem fortunâ non minus quàm virtute fretus cecidit: cæſus præterea eſt è Regiis ſclopetariorum Polonorum Vicetribunus: ex hoſtibus centum & viginti cæſi, capti quadraginta: quidam Nigrumlocum ab ſuis inconſultè, non ab Belfortio cæſum fuiſſe aiunt, ſed hunc Regios acriter impugnaſſe, atque tunc magna virtutis exempla edidiſſe.

Haud diſſimile prælium poſt paulò factum haud procul Briâ oppido eſt. Eò advenerat Nigromonaſterius cum aliquanto commeatu, nam eâ modò causâ ſæpiùs pugnatum eſt. Commeatui præſidio erant turmæ ſex, quod ubi *a* Ruſſello Grancæo Equitum Tribuno qui ſtativis regiis apud Lagnium præerat, nuntiatum eſt, continuò quatuor equitum alas, præterea ſclopetarios quadringentos, eódem ducit, & quà Nigromonaſterio Carentonium petenti tranſitus erat, editiori loco conſedit. Poſtridie pariter cum ortu ſolis Nigromonaſterius oppido excedit, pars equitum præmiſſa, carri cum reliquo agmine aliquo intervallo ſequebantur: qui præceſſerant, ii nihil ſuſpicantes in Grancæum, & Regios incidunt, nam rati ſuos eſſe, qui ab Urbe obviam proceſſiſſent, ſeque capi, ac malè haberi ab amicis querebantur, quos haud longè abeſſe certiores facti fuerant, ubi ab Briâ moverant: nec morati diù ſunt, nam ubi illi pulſi, hi ſubitò fuêre in conſpectu, undecim videlicet equitum turmæ quas Marſillacus Rupifocaldi filius, & *b* Mata ductabant.

a Le Mareſchal de Grancey.

b Le Comte de Mata.

Grancæus ſubitò ab ſiniſtrâ ſclopetariorum partem loco edito manere jubet, & ſi qui ab Briâ veniant, eos attinere: ab dextrâ loco item idoneo cæteros collocat ſclopetarios, qui ſibi ſi res moneat ſubſidio ſint: dein in Marſillacum, & Matam, atque in eorum procurrit agmen. Primo congreſſu ducenti hoſtium equites fuſi, hæc una fuit ala, cæteræ quas Regii attigerant, malè habitæ: quæ autem ab equitatu regio intactæ, nam plures hoſtium, quàm Regiorum fuêre, eæ adversùm ſclopetarios regios, qui Grancæo in ſubſidiis erant, iêre. Sed hi ubi hoſtes propiores facti, emiſſis glandibus duodecim ex his equites necavêre, quæ res adeò cæteros perculit, ut & eâ parte capeſſerent fugam: nam intereà equites regii reliquos hoſtes fuderant, fugaverantque. At hos Grancæus haud longiùs paſſuum duobus millibus ſibi perſequendos eſt arbitratus, ut ne dùm abeſſet, ſclopetarios ſuos, qui in ſtatione adversùs Briam oppidum erant, Nigromonaſterius ab equitatu deſtitutos opprimeret.

Igitur ad eos regreditur, atque hoſtes inſtructos pro oppidi mœnibus conſpicatur: cum equitibus erant pedites educti Briæ præſidio, hos omnes tegebant foſſæ duæ, quos ſi adoriri Grancæus vellet, iniquo planè loco huic pugnandum erat. Jam intercipiundi commeatûs ſpes adempta erat, cum eſſet in tuto apud Briam, neque indè moturus erat Nigromonaſterius, quamdiù Grancæus eò loci foret: nulla impedimenta, nihil inſtrumenti caſtrenſis adduxerat, quo & caſtra eò habere, aut tendere poſſet: deerat quoque commeatus, atque alia omnia: præterea moranti periculum erat, ut ne ab Urbe plures Nigromonaſte-

rio obviam, & præſidio venirent, quamobrem ad ſtativa Lagnium rediit. Ex hoſtibus Marſillacus ipſe qui ductabat agmen, præterea *a* Dyrrachii Marchionis filius glandibus ab equitibus regiis vulnerati diſceſsere. *b* Brulardus Marchio Sillerius captus ab Regiis, præterea ducenti equites, cæſi trecenti, equi quingenti capti, & aliquanta ex cæſorum ſpoliis præda facta. Poſteà loci Grancæus Villamenonem, & Lezignium Caſtella duo in eâ regione, Briam ipſam oppidum, atque Arcem ſibi ab *c* Burgundione Præfecto poſtquàm tantiſper, & in oppido, & in ipsâ arce propugnaverat, dedita recepit: admota fuerant oppidi mœnibus tormenta, & cuniculi ſubtus acti, rem in oppidis firmiſſimis fieri ſolitam. 1649.

a Le Marquis de Duras.

b Brulard, Marquis de Sillery.

c Bourguignon.

Sed in dies ob hæc tametſi haud ingentia Regiorum facinora annona gravior in Urbe erat, ac propè tumultuabatur plebes, minaſque in Mercatorum Præfectum jactabat. Adversùm has Ædiles duo, Scabinos vocant, Senatûs fidem III. Id. Feb. imploratum venêre, plebem indignari aiebant, ex eo quod nudiustertius Belfortius maturè militem urbanum ad ſe mitti poſtulaſſet, qui poſt meridiem modò fuiſſet miſſus, id dolo malo ab Mercatorum Præfecto factum, atque eodem pacto multas opportunitates corrumpi, quò fiat uti major annonæ difficultas ſit: iſthæc ſibi fingere plebem, magis, ac magis tumultuaturam ſi annonæ creſcat inopia, neque ſatis tutum quemquam ex Magiſtratibus urbanis fore.

Hæc, atque alia hujuſcemodi multa Patribus moleſta erant: quamobrem Petrus *d* Brilliacus Senator id opportunum tempus eſſe ratus, uti de pace mentionem injiceret, hanc factu facilem eſſe ait, ſi paulùm modò Patres anniterentur, atque hanc ſicuti ſeſe, & Rege dignum eſſet peterent: id ſe ſcire ab iis quibus haberi fides poſſit: continuò Carretonius hos edere Brilliacum jubet: hic enimverò ſe negare facturum, ni Senatui ubi de eâ re conſultaverit videatur, cæterùm palàm eſſe pecuniæ inopiam, plebem collationum tædere, omnia in Senatum caſura: non expectandum ubi res in extremo ſitæ ſint, dum honeſtè pacem facere copia ſit, hanc detrectare haud æquum eſſe. *e* Carolus Sevinus cum Brilliaco ſe ſentire dixit, quos ambos Carretonius graviùs objurgat, hanc pacis mentionem quotidie renovari, tametſi ab Senatu toties rejectam: ad hoc alia acerbiora cùm adderet, magna inter hunc, & Sevinum eſt orta contentio: ſed hanc rem in craſtinum Senatus diſtulit, de quâ Patres ſententiam dicerent.

d De Brillac.

e Sevin.

Poſtridiè Senatui nuntiatum eſt, ad B. Honorati Portam adeſſe ab Rege Fecialem, comitari Tubicines duos, qui poſtquàm cecinerint more, inſtitutoque ſuo colloquii ſignum, Fecialem poſtulaſſe uti ſibi Urbem ingredi liceat, habere ad Contium, Senatum, & Mercatorum Præfectum ab Rege litteras, & mandata: continuò Cognitor, atque Actores regii accerſiti, quos Molæus rogat numquid ſuper eo negotio dicendum habeant. Blaſius Melianus Cognitor regius rem magnam videri reſpondet; Fecialem cum regiis quæ præferat inſignibus neque re-

1649. cipi mœnibus, neque huic ſi poſtulet Senatum dari grave eſſe, cæterùm ne quid ex eâ re incommodi Senatui, Populoque eveniat Patribus quæ eorum prudentia ſit, providendum, dein templo exceſſit. Hæc verò tanta res viſa, uti de eâ per virorum principum abſentiam conſultare haud ſatis æquum Patres cenſerent, placuit igitur eos vocari: venêre Contius, atque Belfortius, dein Senatus conſuli cœptus. Qui primi ſententiam dixêre *a* Criſpinus, & Cavalierus, ii Feciali poteſtatem quam poſtulabat faciundam cenſuêre, eò Regem cogniturum Patres ſibi ſicuti par ſit obedientes eſſe. Contrà Bruſſellus more ſuo id planè faciundum negat: *Feciales ad Principes, atque alios qui hoſtes ſint, mitti ſolere, non ad cives qui nihil hoſtile faciant, aut factum velint. Hos arma quidem cepiſſe, non adversùm Regem, neque quò periculum aliis facerent, ſed ut ne fame miſerrimâ omnium morte conficerentur, adversùm eos ſcilicet, qui commeatus ad Urbem advehi prohibeant. Id Regem, Reginamque edocendos, atque ea cauſa Cognitorem, atque Actores regios Germaniſanum mittendos cenſere: præterea uti quid Senatum velint, id rectiùs, atque honeſtiùs ab ipſiſmet, quam ab Feciali Patres intelligant.*

a Creſpin. Chevalier.

Id ſatis ſcitè ab Bruſſello cogitatum, dictumque viſum. Nam Fecialibus diſciplina eſt dura, atque acerba de quibus fermè ad hoſtes mittuntur, illiberaliter dicere: quod auditu grave Patribus fuiſſet, eo cuncti in Bruſſelli ſententiam diſceſſêre: addiderunt modò quidam Regem, atque Reginam ſingillatim edocendos Majeſtatis verecundiâ non admiſſum Fecialem, ut ne Senatus ſicuti Principes, aut alii hoſtes ſolent, cum Rege æquo jure agere videatur. Secundùm hæc Cognitor, atque Actores regii ad profectionem accinguntur, ex quâ futuræ pacis omnes bonos ſpes tenuit. Neque hæc vana fuit, nam eâ gratiâ modò ad Urbem ire juſſus fuerat Fecialis, quia Regem ab his qui ipſi ſubjecti eſſent pacem poſtulare indignum hujus Majeſtate videbatur, atque adeò placuerat acerbæ qualis Fecialium eſſe ſolet orationis ſpecie, ea Senatui, atque Principibus viris, qui ad Urbem erant, inſinuare, quibus facilè ad pacem perveniri poſſe ſatis intelligerent. Sed Patres Cognitorem, atque Actores regios Germaniſanum mittendo eamdem Regi facultatem dedêre, imo & honeſtiorem hujus agendæ rei rationem, quàm quæ ab Adminiſtris excogitata fuerat.

Erat in Urbe *b* Nogaretus Valetta, qui quoniam è Melitenſi Militiâ antehac fuerat, eum Equitem Valettam appellabant, Joannis Ludovici Nogareti Spernonii ex concubinâ filius. Is Germaniſano rediens rem haud ſeſe ſatis dignam incæperat, noctu Scripta aliqua per vicos, & fora diſſeminando, quæ plebem edocebant quid ageretur, & *Quam pravè viri Principes, Senatuſque per illius incommoda, pericula, famem, & perniciem denique, ſi diutiùs id patiatur, ſpes, opeſque ſuas augere ſtudeant, nulla rei publicæ cura, cujus nomen factionibus, partibus, armis civilibus prætendatur: Patres affectare Principatum, & ſe ſuprà Reges eſſe velle.* Cum hujuſcemodi ſcriptis, quæ hinc indè ſpargebat, deprehenſus Valetta, comprehenſuſque eſt: de quâ re quæſtio ab Mercatorum Præfecto haberi

b Nogaret, Chevalier de la Valette.

cœpta ad Senatum defertur. Is Quæſitores duos è ſuo ordine inſtituit, 1649.
qui ampliùs anquirant, videbanturque reo capitis judicaturi, ni Condæus ad Buillonium litteras dediſſet, quibus ſignificabat, *Vitio partium, bellique civilis eveniſſe, uti Valetta reus apud Senatum ageretur, qui ni eximatur noxæ, quam Regi operam navando contraxerit, aut ſecùs habeatur, quàm juſtus hoſtis haberi ſolcat, qui ex Urbe, atque ex hujus partibus in Regiorum manus incident, eos perinde ſe habiturum.* Eo Patribus viſum quæſtionem hanc in Valettam omittere, ut ne graviùs in ſuos, quàm in illum conſulerent: quidquid tamen in Valettæ ædibus argenti facti, ſignative repertum, id in belli ſumptus publicatum eſt.

Idem de argento facto, quod Mazarini erat, ac de omni ejus veſte, atque ſuppellectili, quæ ad Urbem fuit decretum. Sed is contra rem publicam feciſſe viſus ab Senatu hoſtis judicatus fuerat: aliorum verò ſicuti Almerici, qui harum partium expers ruri agitabat, argentum factum haud rectè publicatum plerique aiebant, præterea alia conquirendæ, ac corradendæ pecuniæ parùm ex Senatûs dignitate, atque gravitate facta: nam eâ causâ ſcrutari abdita, clauſa effringere, ſepulchrorum ſanctitatem violare nihil penſi habitum: niſi ſi hæc rei publicæ ſuſtentandæ gratiâ, atque alia graviora licent: metuebatur tamen uti collationum denique Populum tædium caperet, quo fiebat uti plerique ad pacem maturè faciundam inclinarent.

Ei rei operam daturus Carolus *a* Monchalius Tholoſatum Archiepiſcopus nuper Germani-fanum volentibus omnibus bonis ierat: de quâ ubi nuntii ultrò citróque commeant, Antimus Dionyſius *b* Cohon cuidam ex iis ad Mazarinum dat litteras, is *c* Diavlitarum in Britannia noſtra Epiſcopus erat, cujus ordinis permulti ad Urbem erant, impediti ne in Diœceſes ſuas abirent, quoniam Adminiſtris favére videbantur, atque ut ne ad horum partes, Regis, aut reipublicæ ſpecie nobilitatem, in provinciis, plebemque perducerent, Senatus metuebat. Quas Cohon ad Mazarinum dederat litteras, iis hunc monebat, *Quæ pacis ab Rege leges dicerentur, eas Senatum cupidiſſimè accepturum, id ſe ab primoribus reſcriviſſe, quod Mazarinum haud celatum velint. Se id quidem ſummo cum gaudio nuntiare, quod majus multo futurum ſit, ubi qui ipſi hoſtes ſint, eos ad hujus pedes ſupplices, clementiam, atque animi hujus magnitudinem expertos, & utramque prædicantes viderit: imponendum huic forenſi hominum generi modum, conſtituendoſque, quos non egredi fas ſit fines: eo pacem conficiundam, Regis, atque Annæ Reginæ matris hujus optimæ, ac ſupra omnes retro Reginas egregiæ potentiam in integrum reſtituendam, ex quo Mazarino gloria ingens, atque Regno ſua quies conſtet.* Hæ Cohonis litteræ fortè interceptæ, atque in Senatu recitatæ ſunt, in quibus alia de Caproſo, de Luinæo, præterea de Ægidio *d* Butaltio Atturenſium Epiſcopo erant perſcripta, quem Cohon propediem Germani-fanum ad Mazarinum iturum aiebat.

a De Monchal.
b Cohon Eveſque de Dol.
c Dol.
d Boutaut Eveſque d'Aire.

His Cohonis litteris clarum erat, hunc, & Butaltium cum Aula congruere, & Mazarini commodis ſervire, quamobrem utrique cuſtodes

1649. adhibiti ſunt, decretumque uti de illius litteris quæſtio ab duobus ex Senatu haberetur: hi ad utrumque eâ gratiâ mox iêre. Cohon vir fortis negare liquidò, ſe uſquàm his Quæſitoribus reſponſurum, aut hos pro Judicibus habiturum. Idem & primò dixit Butaltius, dein poſtquàm ſibi, atque Epiſcoporum Ordini cautum velle ait, ut ne ea res ipſis fraudi eſſet, ab Quæſitoribus interrogatus de litteris, de futurâ ſuâ ad Germani-fanum profectione, quid facturus eò, dicturuſve foret? ecquid cum Cohone, aut cum Mazarino conſilii de republicâ haberet? negavit ſibi quidquam quod ad hanc attineret negotii cum iis eſſe. Sed is Cohon nullâ aliâ re magis, quàm dicendi copiâ in ſacris concionibus pollet, cujuſmodi homines iis qui rem publicam tractant, magno uſui ſunt, eo primùm Richelio, dein tunc Mazarino carus: neque deerat ipſe ſibi, per obſequelam orationis aſſentando, atque blandiundo rem, & gratiam quærere, quod aut huic, aut cuiquam cur vitio vertam non video: nam benè cum potentibus eſſe, ſine reipublicæ, aut cujuſquam damno, ea verò ſumma prudentia eſt.

Intereà Melianus Cognitor regius, Talonus, atque Bignonus Actores regii Germani-fanum ierant, docuerantque Reginam per Talonum quâ de causâ Fecialem Urbem ingredi, Patres neque Regi, neque ſibi convenire cenſuiſſent. *Ad Principes, aut qui pro Principibus, aut juſti hoſtes ſint, mitti ſolere Feciales, quorum neutrum Senatus ſe eſſe ſentiat: ſed neminem eſſe in hoc Ordine, qui non Regi obediens ſit, aut eſſe velit, atque in eo cæteris civibus exemplo eſſe: cujus rei Patres ſe fidem facturos exiſtimaſſe, ſi quæ ſe Rex, & Regina vellent, ea ſibi eodem quo Principibus, juſtiſque hoſtibus modo ſignificanda minimè cenſerent, neque committere voluiſſe, uti ſe cum Rege æquo jure egiſſe fama ferret: poſtremò quidquid bujus factum ſit, Patres Reginæ ſupplicare, ut id æqui bonſque conſulere, ac ſibi vel ex eo quàm ſancta regia Majeſtas ſit, exiſtimare velit. Eo ſe maximè ad Reginam veniſſe, ut huic Senatûs verbis perpetuam hujus Ordinis fidem, atque parendi ſtudium confirment, quibus fretos Patres magnam tenere ſpem, fore uti Regina flecti, atque molliri ſinat animum ſuum, & quid benignè, quàm quid acerbè porrò facere poſſit, periculum facere malit.*

Ad hæc Regina per Seguierum Cancellarium reſpondit, *Sibi grata eſſe quæ dicerent, ſed gratiora fore ubi facta dictis conſentirent, ac tùm demùm experturos quam habeant de benignitate ſuâ ſpem, eam haud vanam eſſe: neminem ſe unum non ſalvum, tutum, & boneſtum velle, modò ut ſalva & res publica, & regia Majeſtas ſit. Quanquàm quæ Senatus decreverit ab eâ die quâ judicia exercere probibitus ſit, ea rectè, atque ordine decreta neget, atque in eo ſit ab hoc Ordine graviter offenſum, non minuturam tamen conſilium ſuum, aut eò minùs ſi quod bonos par ſit facere, id faxint, ſe facilem, benevolamque adversùm eos præbituram.*

Hæc ubi Cognitor, atque Actores regii Patribus nuntiaturi ad Urbem rediêre, Contius, Belfortius, Briſſacus, Mottæus, & Gondius Coadjutor ex compoſito venêre in Senatum. Ibi Contius, *In Curiæ veſtibulo adeſſe* ait, *qui Leopoldi Auſtrii litteras ad Senatum adferret, certioremque faceret*

faceret, ab eo pacem Mazarinum nuper petiiſſe, quæ bello parta ſint, ea uti 1649.
Philippo reddantur conſenſiſſe, uti Senatum bello perſequi, & funditùs everte-re copia ſit. Id verò Leopoldum ſe negaſſe facturum, neque firmam hanc pacem futuram arbitratum, cujus Mazarinus hoſtis ab Senatu judicatus conditiones aut ferret, aut acciperet. Sed cùm rem tantam maximè per Regis pueritiam fieri non poſſe, niſi ex Senatûs autoritate ſatis ſciat, hanc ultrò ad eum deferre, atque hujus judicio permittere velle. Ubi Contius loqui deſiit, Cognitor, atque Actores regii Curiam ingreſſi quæ apud Germaniſanum geſſerant, ea Patres edocuêre, quos Molæus collaudatos viciſſim de Leopoldi Legato quid Contius dixerit edocet, de quâ re ſi quid dicendum habeant, id maturent expromere. Hi Curiâ egreſſi tantiſper inter ſe conſultavêre, rursúmque ingreſſi Patribus redegêre ad memoriam, *Quàm cupide ſeſe de Feciali purgatos apud Reginam voluerint, quod ex ſententiâ factum ſit, uti non modò ſe ipſis placatam, ſed & benignam, benevolamque oſtenderit, quos omnes & ſalvos, & honeſtos eſſe velit. Si ad eam adeatur cuncta videri conventura, atque Urbi, & Senatui omnem rem in tranquillo fore: quæ tanta, & tàm propinqua pacis ſpes ut ne corrumpatur ſi Senatus operam dederit, optime ſibi, & rei publicæ conſuluiſſe videatur: eo Reginam de Legati adventu certiorem faciundam arbitrari, opperiundumque quid ipſa reſpondeat:* dein his Curiâ egreſſis rogantur ſententiæ. Septuaginta duo ſicuti Cognitor, atque Actores regii autores fuerant, cenſuêre, plures dandum Legato Senatum, atque ubi hujus mandata cognoverit, Regem, atque Reginam certiores faciundos: nihil in ea re Senatum offenſurum, modò ut de Legati mandatis non conſultet: mittendos Germaniſanum, qui id Majeſtatis verecundiâ factum Reginæ oſtendant, ſimul ab eâ poſtulent, uti quæ copiæ circùm Urbem ſint, eas abduci jubeat, ut ne quid commeatibus impedimento ſit: hæc Longavillæ, Rothomagenſi, atque Aquenſi Curiis per litteras ſignificanda eſſe, ſicuti earum cum Senatu inita ſocietas poſtulet.

Secundùm hæc Legatus in Senatum eſt introductus, cui ab Leopoldo litteras reddidit: his modò rogabat, ut huic Patres fidem habere vellent; dein eamdem fermè quam priùs Contius habuit orationem: addidit modò, *Leopoldum exercitum in finibus habere, cujus operâ Senatus uti poſſit: fidem dare ſe hunc nihil plus, minuſve quàm Senatus juſſerit, facturum, neque rei publicæ, aut cujuſquam privatæ gravem, aut damnoſum fore, nec denique quidquam adversùm Regis oppida, provinciaſve facturum, aut moliturum, intereà dùm de pace agetur, ſed in finibus ſi Senatui videbitur, ſtativa habiturum. Id maxime Senatum orare, uti ſatin hæc ipſi placeant, quàm primùm dicere velit, ut ne quod Leopoldus hujus honoris causâ faciat, id ſibi ipſi fraudi, aut damno ſit, quod ab Patrum æquitate alienum foret.*

Rohana Mombaſona Caproſi uxor de quâ ſæpiùs memoravimus, Bruſſellis erat: ab hâc *a* Santibarius homo inquies, factioſus ad Longavillam miſſus fuerat, qui huic, atque cæteræ perduellium factioni ſicuti antehàc Ludovico Borbonio Sueſſioni ubi ab Rege Ludovico XIII. defecerat, operam navaret, pronus ad omnia quæ ſine fraude,

a Saint Ibal.

1649. & nequitiâ fieri nequeunt: viciſſim miſſi remiſſique Bruſſellas ab Factioſis alii, inter quos Salvetatus, qui in itinere ab regiis deprehenſus Germaniſanum abductus, atque in vincula conjectus eſt: poſtremò miſſus eſt *a* Leca, cui magna ingenii ſolertia eſt: hujus maximè operâ, atque induſtriâ hæc præclara Legatio adornata fuerat, quo factioſi Senatum ab conſiliis faciundæ cum Aulâ pacis averterent, ingentium auxiliorum ab Hiſpanis ſpe oblatâ, ſimul publicæ pacis ſanciundæ gloriâ, quæ omnia vana, ac conficta fuère.

a Le Marquis de Legue.

Sed hic Legatus primùm Leopoldi verbis ab Contio poſtulaverat, ut huic munitum in finibus Regni oppidum permitteretur tantiſper fidei causâ nihil ipſi ſuum in Galliam cum copiis ingreſſum fraudi futurum, quod eſt mox omiſſum Leopoldi ipſius voluntate, cui ſatis ſuperque & utilitatis, & gloriæ futurum erat., Regni fines armato ingredi, & Senatûs, Populique partes fovendo bellum civile alere, quod nobis perniciem, Hiſpanis omnia bona portendebat.

Quæ Legatus Senatui Leopoldi, ac magis Factioſorum verbis dixerat, ea ſcripto dare juſſus eſt. Cum hoc Scripto Molæus, atque unà Memmius Præſes, & ex ſingulis claſſibus Conſiliarii duo ad Regem, & Reginam matrem poſt paulò Germaniſanum ituri erant. Qui Legato dandum Senatum negaverant, iidem autores erant, uti quod de eo in Senatûs actis perſcriptum fuerat, id ad Regem perferretur, ut ne hujus rei memoria, quantùm fieri poſſet, ulla extaret, nam haud ſatis digna perpetuâ hujus Ordinis in Reges fide ipſis videbatur: contradixère alii, qui Adminiſtris ægrè facere ſtudebant, præterea qui amplum, atque magnificum Senatui rebantur, ad hunc ab Hiſpanis Legatum de pace miſſum, tametſi hominem nihili, præterea dolo malo, ac per nequitiam juxtà, ac ſatyram Legationem hanc inſtitutam probè intelligerent. Tantùm quæ Majeſtatis imaginem habent, ea hominum animis blandiuntur.

Intereà venère ab Rege Diplomata, quibus poteſtatem faciebat iis quos delegerat Senatus, Germaniſanum veniundi: perſcripta quidem in Diplomate erant horum nomina, cæterùm neque Magiſtratuum quos gerebant, neque Senatûs mentio facta: tamen id ab Patribus pacis ſtudio diſſimulatum, autore Molæo, qui non nihil eſſe dixit, quod ſingulis Patrum nominibus, non erat adſcriptum antehac Præſidi, aut antehàc Conſiliario, ſed illam eſſe initam ab Aulâ rationem, uti dubium relinqueret, utrùm Senatum eſſe, aut non eſſe ſentiret. Hic certè vir magnus, atque eo quem gerit ſummo in Senatu Magiſtratu digniſſimus eſt, qui tantâ temperantiâ, atque ſolertiâ Aulam inter, & Senatum rei publicæ operam dedit, ut utrimque ipſi fides haberetur, quâ fretus Senatum cum Aulâ poſtremò in gratiam redegit, pacemque inter tàm diverſas hominum rationes, atque contraria ſtudia, omnium voluntate confecit: ita multis quæ ſibi minimè probabantur in Senatu, fruſtrà obſtandum non eſt arbitratus, ac quandóque acres dixit ſententias, ut ubi opus eſſet hunc Ordinem in manu haberet. Etiam-

tùm ubi de ſe, atque aliis Germaniſanum ad Regem, Reginamque matrem mittendis conſultabatur, ſi ſua, Collegarumque profectio nihil ad pacem proficeret, ab quibuſvis oblata auxilia haud recuſanda eſſe cenſuerat, ſcilicet ut ne pleriſque idem ſentientibus ipſe fruſtrà, ac cum famæ, fideique inani jacturâ diſſentiret. Quæ res bellorum civilium conditionem multò maximè miſerabilem eſſe ſatis, ſuperque oſtendit, quæ ne rectè quidem, quod bonum eſt probos, ſanctoſque viros dicere, nedùm agere plerumque ſinit. 1649.

Igitur Molæus, Memmius, atque alii ex Senatu Germaniſanum iêre, atque ibi Reginæ Molæus Senatus verbis dixit, *Peſſimè Regno conſultum fuiſſe, ubi Rex clàm abductus ſit Urbe. Qui Regis amor in populum eſſe ſolet, eum immutatum, ac pro hoc odium, atque arma in Urbem parata, & continuò bellum illatum. Adverſùm id quæ Senatus, Populuſque ſui modò tuendi causâ fecerint, ea quis ſecùs feciſſe jure dicat, quando ipſa neceſſitudine quæ ſuprà non modò leges, ſed & Reges ſit, excuſentur? Sed in eo tanto, tamque atroci negotio Patres nuſquàm Regiæ Majeſtatis oblitos accepiſſe quidem ab Leopoldo litteras, qui has attulerit, ei Senatum dediſſe, præterea quæ in mandatis habebat, ea & expromere, & perſcribere juſſiſſe: verùm nihil eâ de re conſultaſſe, quam integram ad Regem rejecerint, uti quid velit, jubeatque Senatum certiorem, ſi ita videatur, faciat. Cæterùm nuper Cognitorem, atque Actores regios optimam Senatûs voluntatem, atque parendi ſtudium Reginæ ſignificaſſe, quod ipſe Molæus, atque alii qui ex eo Ordine ad Regem, Reginamque venerint, bonâ fide confirment, magnamque Patres tenêre ſpem, quoniam omnium vitam, fortunas, dignitatem ſeſe velle in tuto eſſe Regina dixerit, fore uti quæ copiæ circùm Urbem ſint, eas amoveri jubeat: nam ſi id ipſi de cunctis conſilium ſit, fruſtrà has diutiùs circùm Urbem commorari, quas ſi Regina abductas velit, neque commeatus ad Urbem prohiberi, maximam omnium Ordinum erga ſe, Regemque filium fidem experturam, quam & is ipſe, & qui ſecum ex ſuo Ordine adſint, perpetuam fore polliceantur.*

Ad hæc Regina pro tempore, atque negotio ſatis benignè reſpondit. *Rectiùs Patres facturos fuiſſe, ſi qui ab Leopoldo miſſus fuerat, eum recipi mœnibus vetuiſſent, neque huic Senatum dediſſent, ſicuti quidam cenſuerant. Sed quoniam id mali, ſicuti pleraque alia temporum iniquitate contractum ſit, id ſe malle nocentium reſipiſcentiâ, atque ſuâ lenitate, quàm aut legum ſeveritate, aut armorum vi corrigi: ſatis ſuperque mali in re publicâ ab externo bello eſſe, quô & ſibi, & omnibus bonis ab civili abſtinendum eſſe perſuaſum ſit. Cancellarium qui Regis verbis reſpondere ſoleat, minùs belle habere, atque adeò ſeſe ſcripto quid velit, jubeatque, eos facturam brevî certiores.*

Dein Molæus, & Memmius Gaſtonem, & Condæum convenêre, & cum utroque de Pacis conditionibus collocuti ſummo flagitaverunt opere, ut ne copiæ regiæ ad Urbem commeatus advehi prohiberent: Sed in eo poſitam eſſe rei publicæ ſalutem Gaſto, & Condæus cenſebant, neque ad pacem Senatum, Populumque adigi poſſe, quàm inediæ metu: quamobrem illud de commeatibus negabant neceſſe videri, quoniam in Urbe triginta dierum annonam eſſe ſatis ſe ſcire aie-

1649. bant, intereà pacem confici poſſe, neque æquum eſſe, uti Rex Urbi quidquam, quo ad pacem faciundam ſegnior eſſe poſſit, indulgeat. Poſtremò eatenus contendêre Molæus, & Memmius, ut eorum oratione viri Principes fatigati de commeatibus terrâ, atque amne ad Urbem advehendis annuiſſe viderentur, ubi primùm Patres quò Regina juberet, eò quoſdam è ſuo Ordine miſiſſent, queis agendarum rerum, & belli quibus videretur conditionibus componendi licentiam permitterent.

Poſt paulò datum iis ſcripto Regis, ex Reginæ matris ſententiâ reſponſum: id quædam acerba, dein alia quæ pacis ſpem oſtentarent continebat. Primùm omnium grave fuit, quod Delectis, miſſiſque non ab Senatu, ſed ab eo Ordine qui ſe in Urbe pro Senatu gereret factum, datumque dicebatur, dein quæ cum hoſtibus ab hominibus peſſimis conſulta, atque agitata fuiſſent commemorabat, nihil tamen hunc Ordinem eâ de re accuſando. *Iiſdem apud Patres tantam fuiſſe fidem, ut illorum hortatu ad inſolita pleraque, & inaudita poſt Regis ab Urbe diſceſſum proruperint, incredibili bonorum dolore, atque adeò minus mirum videri Patres iiſdem autoribus poſtremùm id regio more feciſſe, uti non modo ab externo Principe, ſed & ab eodem hoſte miſſum hominem & receperint mœnibus, & poſtulanti Senatum dederint, atque hoſtis mandata cupidiſſimè cognoverint: Vicecenturioni autem Cuſtodum regii corporis, qui ad eos miſſus anteà fuerit, neque Senatum adeundi, neque huic Ordini Regis mandata expromendi factam copiam fuiſſe.*

Miſſum nuper ab Rege Fecialem etiam pejùs habitum, qui ne mœnibus quidem receptus ſit. Monſtri profectò ſimile eſſe, qui ab Rege venerint, eos tam illiberaliter, qui verò ab hoſte egregius ſi diis placet Legatus, eum tam benignè, tam liberaliter habitum. Sed quas hic homo narravit Patribus fabulas? confictas ſcilicet ab factioſis in urbe: latas nimirum ab Aulâ Hiſpanis alias, quàm antehàc pacis conditiones, ut hac confectâ Senatûs, Populique Pariſienſis opprimendi major Regi copia foret, has abnuiſſe Leopoldum, ac Pennerandam, qui ſatis ſciant pacem quæ injuſſu Senatûs fieret, infirmam futuram, neque huic Ordini, atque Urbi tam malè conſultum voluiſſe, ut ex utriuſque pernicie Hiſpani ſuum compararent commodum.

Hæc planè falſa eſſe, atque ridicula, nam veniſſe nuper Germaniſanum Pennerandæ Scribam, ſpeculatum haud dubiè quid Regi animi, aut conſilii in rerum noſtrarum perturbatione eſſet, & ſi de priſtinis conditionibus remittere quidpiam Aula vellet: ſed nihil hujuſmodi Adminiſtris in mentem veniſſe, quo factum ſit, uti Penneranda per litteras conqueſtus ſit, remiſſum ſibi Scribam abſque ullo de Philippi Regis ſui, ac de Caroli quondam Lotharingiæ Ducis rebus quod ſatis placeret, reſponſo: poſtulare itaque, uti quemadmodum ipſe prior miſiſſet, qui Regis de pace ſententiam exquireret, ad ſe viciſſim quiſpiam mitteretur, ex quo id reſciſcere poſſet. Oſtenſæ fidei causâ Molæo, atque Memmio ipſius Pennerandæ litteræ, quibus præterea cognovêre hunc in Galliam profectionem adornaſſe, ſpem fortè nactum ſibi ad pacem in leges ſuas conficiundam bellum civile opportunum fore, ſeu quid aliud conſilii habuerit.

Certè profectionem impeditam factioſorum operâ, qui Leopoldo uti potius

ad Senatum mitteret, ſuaſêre. Sed cùm hic Ordo in eo negotio tantopere egreſſus officio ſit, item ob alia multa, qui ab eo miſſi ad Regem, & Reginam ſint, ii profectò haud ſatis digni videbantur, qui illius in conſpectum venirent, ni ſtudium rei publicæ omnia ſuperaſſet, prætereà bonorum qui in Senatu ſint, miſericordia, quos tot, ac tantorum quæ illîc quotidie ſecùs fieri videant, pudeat, pigeatque: poſtremò igitur Regem, atque Reginam ſibi glorioſum ducere, ſi patrum in filios exemplo, ſuprà horum delicta clementiam ſuam eſſe oſtendant. At ſi id fruſtrà fecerint, neque eò magis is Ordo in viam redeat, parcatque & Urbem, & Regnum onerare miſeriis, quis non has ipſi acceptas referat, & quæ impendeant domi foriſque mala, eorum hunc cauſam eſſe neget? Porrò Reginæ curæ ſemper fuiſſe, atque etiamtùm eſſe pacem foris, ſicuti domi facere: hanc cum Ferdinando Imperatore nuper ſancitam, utilem quidem, & glorioſam: nam productos Regni fines, duo validiſſima ad Rhenum oppida, aliquantùm ultrà amnem agri, opimam cis amnem provinciam finibus adjectam, ope noſtrâ Socios conſimilia, aut majora conſecutos: prætereà moderationis famam apud Germanos quæſitam pleraque alia loca armis occupata reſtituendo: cum Hiſpanis mox & futuram nobis pacem fuiſſe, ni domi factio, ac bellum civile prohibuiſſent. Nam quod pacem Hiſpani permittere Senatui ſe velle dictitent, quis non dolo malo factum videat? nempe uti Senatus regium id ſuprà cætera faciundo magis, ac magis offendat: ſin ſibi Patres Adminiſtris æquiores fore cenſent, magnam profectò huic Ordini injuriam facere. Itaque non illos pacem, ſed bellum nobis domi, foriſque eſſe tunc cum maximè ſtudere, quorum alterum ut ne fiat in manu noſtrâ ſit, alterum ſi concordes inter nos erimus, brevî deſiturum. 1649.

At ſi quos tanta belli civilis lubido tenet, uti neque patriæ caritas, neque Majeſtatis verecundia commoveat, neque commoneat ut ab armis diſcedant, pacem certe quæ domi negabitur, foris quærendam videri: neque tamen Reginæ conſilium eſſe, quæ tantis ſumptibus, tot civium ſanguine, Ludovici viri labore, atque Victoriis, dein poſt hujus obitum ipsâ procurante Regnum Ludovici filii auſpiciis, Gaſtonis, & Condæi virtute parta ſint, iis ſponte, atque ultrò hoſti Philippo, tametſi frater ſit, cedere: at quidquid hujus factura ſit, ex Comitiorum Regni ſententiâ facturam, quæ nuper indixerit, nam id legitimum Regi pupillo in tanto negotio, quod ad univerſam rem publicam pertineat, Concilium fore.

Cæterùm quod Senatum ab Urbe aliò migrare nuper juſſerit, nihil id cuiquam omnium fraudi futurum fuiſſe, at factioſorum infringere vim, convocationem Claſſium in Senatu malorum omnium fontem impedire, bonis libere ſententiam dicendi facultatem pravorum minis in Urbe ſciſſâ factionibus ereptam reddere voluiſſe. Dein miſſum ad Urbem Fecialem, qui fidem daret omnes ex eo Ordine qui ante dies ſex ad Regem accederent innoxios, ſalvos, atque honeſtos fore. Eamdem tunc ipſis copiam Regem facere, eamdem fidem dare. De Leopoldi Legato rectiùs facturos fuiſſe, ſi in eorum ſententiam diſceſſiſſent, qui hunc ad Regem omninò rejiciundum cenſuêre: quod reliquum ſit, id corrigendum, neque huic quidquam ab Senatu reſpondendum, ut hoſtis intelligat, nihil ſibi in hoc Ordine ſpei, opiſque reliquum eſſe. Quod copias ab Urbe longiùs ab-

1649. *duci, commeatus liberos eſſe poſtulent, hujus rei ipſiſmet eſſe facultatem, ſi ad Regem quamprimùm venerint: ita pacem ſtatim domi fore, quam ſi firmam eſſe hoſtis ſenſerit, haud dubium videri, quin & ad hanc ipſe ſeſe adduci denique facile ſinat.*

Ubi hæc ab Molæo Senatui renuntiata, recitatumque Regis reſponſum eſt, quibuſdam injurioſum huic Ordini videbatur, ſcilicet qui pacem averſabantur, cùm ab viris Principibus impulſi, tùm ſuâ ipſi ſponte ad belli conſilia præcipites, præterea læti & ab ipſis viris Principibus, & ab plebe coli, ſicuti jus, atque Majeſtas quam nemo lubens dimiſit, ad ipſos tantiſper ſicut in ſcena recidiſſent, poſtremò quos præmiorum quæ rebellioni ſuæ propoſuerant ſpes eâ pace fruſtrabatur: iiſdem Molæi, ac Memmii cum Gaſtone, & Condæo apud Germanifanum ſeorsùm ab Collegis collocutio minùs probabatur. Aderant in Senatu Contius, Ellebovius, Belfortius, Luinæus, Briſſacus, Mottæus, & Gondius pacificationi huic, ni ſedulò diſſimularent, iniquiſſimi: ſed quoniam multum temporis Legationis renuntiatio ab Molæo facta, & regii reſponſi recitatio conſumpſerat, de hoc negotio Senatus tùm conſuli non potuit, atque adeò poſt meridiem eſt dilatum, neque etiamtùm conſultus eſt, per abſentiam Contii, qui uti procraſtinaretur rogatum miſit. Id eo factum plerique exiſtimavêre, uti diſturbandæ paci ſpatium quæreretur, eo reliquum diei prenſatos multitudinum duces, qui poſtridiè in veſtibulo Curiæ adfuêre.

At Patres per Urbem, ac potiſſimum circùm Curiam ſtationes habere cives armatos juſſerant, uti bonis præſidio forent, neque metus rem impediret. Poſtridiè Molæus poſtquàm pro ſe, & Memmio breviter, de collocutione ab utroque cum Gaſtone, & Condæo habitâ dixerat, docueratque quanto uſui futura eſſet, ſi quæ agitata inter illos fuiſſent, ea Patres æqui, bonique conſulere vellent, & quàm pravè hæc ab nonnullis reprehenderentur, ſingulos denique ſententiam rogat, ſi ad colloquium de Pace ſicuti Regina jubeat eundum? ſi quibus placebit conditionibus pacem conficiundi poteſtas danda ſit iis, qui eò mittentur, inconſulto poſtquàm profecti fuerint Senatu, an priùs de his conſulendus videatur? Viri Principes, Duceſque iidem qui pridiè aderant, & Gondius verbo aſſenſi, ut ad Colloquium ex Reginæ voluntate veniretur; Belfortius in ſententiam addidit, ſi pax ſanciri non poſſet, rectiùs quàm antehàc bellum gerendum, quæ res indicium fuit animi magis ad id, quàm ad pacem inclinantis: quidam dolo malo pacem ab regiis oſtentari aiebant, ſcilicet qui ſatis ſcirent complures in eo eſſe, uti Senatûs ſequerentur partes, qui hos ab eo conſilio deterrerent, atque ardorem omnium, qui plurimùm in bello valet, infringerent: alii autores fuêre, uti qui mitterentur, ii hanc primùm omnium conditionem ferrent, ut ne Rex ab eo quod menſe Octobri edixerat, Senatuſque VIII. Id. Jan. decreverat, uſquàm diſcedere vellet: nonnulli iis quibus conditionibus placeret belli componendi licentiam permittendam negabant, qui tametſi boni, forteſque futuri ſint, tamen fa-

ciliùs ad ea quæ regii voluerint cogi, aut adduci poſſe ſingulos, quàm 1649.
Senatum univerſum, quem in propinquo conſulere magna copia futura ſit.

Poſtremò Senatûs decretum ſit, uti quo loco Rex, atque Regina mater juſſerint, in colloquium de pace veniatur: qui eò mittentur ab Senatu, iis quibus conditionibus videbitur pacis faciundæ poteſtas ſit: eâ de re faciundum certiorem Longavillam, prætereà cæteras in Urbe Curias, & eos qui ab Rothomagenſi, & Aquenſi Curiis miſſi ad Senatum ſint: quatuor qui de pace agant mittendos Præſides, è majori Claſſe Conſiliarios duos, ex aliis Claſſibus ſingulos, ex duabus libellorum Claſſibus unum, duos ex ſingulis in Urbe Curiis, poſtremò Mercatorum Præfectum, aut alium ex Urbanis Magiſtratibus, ituros prætereà duos ex Ducibus, Cognitor, atque Actores regii ad Regem, & Reginam adirent, nuntiaturi quid Senatus decreverit, & quid velint, jubeantque reſcituri, prætereà ſupplicaturi, ut intereà loci commeatibus ad Urbem, ſicuti data fides fuerat, viæ paterent.

Dum hæc ab Patribus geruntur, multitudo in Veſtibulo Curiæ ſtrepere, dictitare ſe proditam, ſecreta colloquia Germaniſano habita, queis ipſum adfuiſſe Mazarinum, contrà qui è Patribus plebi ſtudeant, eos quorumdam fraude abſuiſſe, Pacem ſeſe nolle, ſed magis uti Germaniſanum Regem ad Urbem reducturi ducantur, ad hoc quoſdam ex Senatu onerare maledictis, ac iiſdem crudeliter minari. Intereà quidam è Præſidibus ſeu uti multitudinem leniret, ſeu fortè Curiâ egreſſus, ubi hæc, atque alia hujuſmodi audivit, vultuſque indices animi ſatis iram ſignificabant, huic ſeſe haud ſatis rectè permiſſurum ratus redit in Curiam, cumque hæc Patribus nuntiaſſet, ubi Senatum dimittere tempus erat, Belfortium, & Gondium eâ tempeſtate multitudini caros præmittunt, dein ipſi ſubſequuntur, nihil tum ſeu aliquâ morâ deſævierat furor, ſeu quid facto opus eſſet haud ſatis convenerat, commotâ plebe.

Longavillam in Normanniam, quam obtinebat provinciam, profectum ſuprà memoravimus, ut illic belli civilis capeſſeret partem. Is aliquas coëgerat copias, at non eo numero, quo Harcurii conatus, qui hujus tumultûs initio miſſus eò ab Reginâ fuerat, prohibere poſſet, nedùm uti Pariſinis, ſicuti ſpem fecerat, auxilio veniret. Nam Harcurius primùm Quillebovium cum equitatu ſolo, quoniam nullos adhuc habebat pedites, pugnando cepit. Oppidum id ab Oceano Rothomagum navigantibus ad dextram eſt, quò naves æſtu delatæ anchoras jacere neceſſe habent, ita qui potitur oppido, ejus in poteſtate navigia, & quæ his vehuntur adverſo Sequanâ merces ſunt, quo fit uti Rothomagus Urbs magna, atque Lutetia Pariſiorum caput Regni huic oppidulo quodammodo obnoxiæ ſint: ea res impulit nonnullos qui gratiâ apud Reges valuêre, uti Quillebovio Præfecti eſſe cuperent: ab his munitiones interdum additæ mœnibus, dein dirutæ. At eas tunc cum maximè reficiebat Longavilla, Cohortemque unam, &

1649. equitum turmas duas eò conſcribebat: quæ res, ſimul uti Rothomagum Oceano intercluderet, Harcurio hortamento fuêre, ut oppidum conſiliis ſuis tam opportunum oppugnatum iret.

Nulla hujus rei apud hoſtes erat ſuſpicio, nam ſine peditibus quidpiam hujuſcemodi incœpturum non erat veriſimile, præterea longiuſculè ab Quillebovio aberat, & quo magis occultaret incœptum, ab Pontellomario altero oppido ad ſe mitti quoſdam ex Magiſtratibus juſſerat, qui fide publicâ venêre: hos ubi percunctatus eſt, num ſibi oppidum ingredi copia foret, ita tum reſpondêre, ut qui id ipſi licere quàm honeſtiſſimâ negarent oratione: dein his agmen ſequi juſſis, Pontellomarium versùs iter intendit diverſiſſimum ab Quillebovio, nam hoc ad dextram, illud ad ſiniſtram erat. Ubi tria modò paſſuum millia ab Pontellomario aberat, inòpinatò flexit iter, & de tertiâ vigiliâ propiùs Quillebovium advênit. Eò pars equitum omiſſis equis munia peditum obiit, Harcurius oppidum tripartitò aggreditur, hoſtes haud timidi reſiſtunt, poſtremò tamen his pulſis noſtri munitiones tranſgreſſi oppido potiuntur: qui huic ab Longavillâ præfectus fuerat *a* Campignius, dum munitiones quæ extrà oppidum erant pertinaciùs defendit, eo interclusus in Templum propinquum profugit, quò poſtquàm tantiſper propugnaverat, *b* Bugii Caſtrorum Præfecti qui oppugnabat fidem ſecutus huic denique ſeſe dedidit: dein præda omnis equitibus conceſſa, quam illuſtravêre hujus quæ ſcribebatur Cohortis vexilla tria, equi inſtrati, cum ſclopetis equeſtribus, quibus binis de more ſinguli inſtructi erant, quadraginta, oppidum, atque ædificia extra muros igni corrupta.

a De Champigny.

b Le Marquis de Bougy.

Tum demùm unus ex iis qui ab Pontellomario venerant, atque agmen ſequi juſſi fuerant, dimiſſus eſt hæc ſuis nuntiatum, quibus adducti continuò eumdem ad Harcurium remisêre, qui renuntiaret, *Seſe imperata facturos, quam ex morâ commeruerint culpam, eam deprecari, poſtulare uti præſidium, & Præfectum ſibi mittat, ac maxime ſi videatur* c *Follevillam, ubi velit patere oppidum, rogare uti ſibi placatus veniat.* Cuncta facilè impetrata, Harcurius oppidum ingreſſus ab civibus juſjurandum poſtulat ſe in fide manſuros, quod quidem alacres polliciti ſanctè præſtitêre, nam ab Longavillâ per *d* Chamboïum mox oppugnati haud ſegniùs quàm milites qui in præſidio erant mœnia defendêre, coactuſque re infectâ diſcedere Chamboïus eſt.

c De Folleville.

d De Chamboy.

Intereà pedites cum tormentis, & idoneo commeatu ad Harcurium miſſi, quibus fretus nihil ſibi cunctandum ſtatuit, atque compertò Longavillam Rothomago egreſſum munitis naturâ locis ſeſe, copiaſque tenere (tria peditum millia, octingentos equites habuit) ſtativis quæ apud Hagam habebat ſubitò movet, atque ad hoſtem ducit. Neoburgum in propinquo Caſtellum per Carolum *e* Martellum Claram Comitem Caſtrorum Præfectum capit, & ad Yvillam (infrà Rothomagum ad Sequanam locus eſt) caſtra ponit. Is opportunus erat prohibendo Longavillæ incœpto, cui Pontellomarium recipere conſilium erat,

e De Martel Comte de Claire.

erat, quoniam ea res per Chamboïum tentata ſecùs ceſſerat, prætereà eòdem ab ſuperiori, & inferiori Normanniâ copias opperiri. Sed majus quidpiam Harcurius agitabat animo, neque loci quem Longavillæ copiæ tenebant iniquitas, aut adeundi difficultas hominem deterrebat, quo minùs has oppugnatum ire poſtridiè vellet. 1649.

At de tertiâ vigiliâ Longavilla id quod erat ex copiâ rerum ſuſpicatus, cum equitibus Rotomagum redierat, pedites, atque tormenta quæ ad Bulliam ſtativa habebant, ſecundo æſtu eòdem advehi juſſerat. Eò Harcurius *a* Bugium Caſtrorum Præfectum cum Bambaci equitum alâ properè mittit, ſi fortè quidam nondùm conſcenderant naves; ſexaginta deprehenſi in littore, captique ſunt. Id modò belli in Normanniâ geſtum, & qui tanta Pariſinis auxilia pollicitus fuerat Longavilla, is ægrè modò ſeſe adversùs Harcurium tutatus eſt. Documentô populis ſicubi ab Rege imprudentes deficiant, parùm ſibi in hujuſmodi viris Principibus præſidii eſſe, in plebe verò ſpes, opeſque ipſis ſitas, quæ quo magis inſaniat, eo majorem hos ut illam deſerant, ſicuti vulgò faciunt, manere mercedem, cui ſoli, non plebis commodis ſerviunt; hæc autem quodcumque accidit & ludibrio, & prædæ eſt, uti ſatius ſit per pacem vectigalium, ac tributorum gravitatem perferre, quàm per bellum civile Imperatorum, atque militum vim & avaritiam tolerare.

a Le Marquis de Bougy.

Intereà Medulanum ad Sequanam, haud procul Germani-fano, tormenta àdvecta vulgatum eſt, ut Aulæ ſi qua vis ingrueret, ac ſingillatim Mazarino eſſet, quò ſe in tutum reciperet. Sed poſt paulò Rex ad *b* Ramſavium Equitum Tribunum litteras dedit, quibus jubebat hunc ad ſe venire quam primùm. Is Dunkercæ in Belgio Præfectus erat, vicinamque obtinebat regionem qui Regem, Reginam matrem, ac Mazarinum operâ ſuâ, aut conſilio egere ratus Germanifanum ocyùs venit, quò ſubitò in vincula conjectus eſt, ſicuti de tradendâ Dunkercâ, Burburgo, ac Bergâ fani-Vinoci cum Hiſpanis egiſſet. Apud Dunkercam Helvetiorum mercede conductorum Legio una erat, cujus Tribunum qui tum fortè in Aulâ fuit, tametſi Regi, atque adeò ſibi fidum Mazarinus exiſtimabat, tamen promiſſis oneratum cum *c* Paluavio Clerembaltio cliente ſuo Dunkercam mittit, ut hic illius, ac cæterorum Helvetiorum qui eò præſidium agitabant, operâ urbem haberet in poteſtate, quod ex ſententiâ factum: eòdem miſſus deinde *d* Eſtrada cliens & ipſe Mazarini, qui Dunkercæ Præfectus eſſet.

b Le Mareſchal de Ramſau.

c De Clerembault Marquis de Paluau.

d Le Comte d'Eſtrade.

At ubi Ramſavius in vincula conjectus fuerat, hujus uxor ſingulari virtute matrona haud ceſſavit pro viro niti, uti cujus proditionis inſimulabatur, ejus aut reus perageretur, aut hunc extra noxam eſſe Rex ediceret: alterum erat difficile, nam quo pacto ea res Regi, Reginæ matri, atque Mazarino cognita fuerat, Judicibus demonſtrari non poterat, ut ne qui talia reſciſcerent, vulgaretur, quod magnopere ad Rempublicam pertinere aiebant: alterum ubi Ramſavius in gravem morbum inciderat denique, ex quo huic vitæ finis adeſſe intelligebatur, factum ex ſententia; cæterùm utrum per Ramſavii injuriam cui vir peregrinus, atque advena cive opportunior fuit, Mazarinus Dunkercam habere voluerit,

Kkk

1649. quò ſe in tutum ſi uſus veniret, recipere poſſet, nobis haud ſatis compertum eſt.

Per id tempus Abel Servianus Regem per litteras fecit certiorem, ſicuti ab eo, ita & ab Ferdinando Imperatore pacem Monaſterii Veſtfalorum inter utrumque antehàc Legatorum operâ ſancitam, ratam, firmamque haberi, atque eâ de re utriuſque Diplomata hinc indè tradita, atque accepta. Eò ſupplicatio apud Germani-fanum decreta, adfuêre Rex, Regina mater, & qui in Aulâ erant Principum Legati, præter Pontificis Nuntium, cui hanc pacem parùm probari ſuprà memoravimus, propter aliqua in Germaniâ Eccleſiaſtica bona, quæ Proteſtantibus relicta fuerant. Cæterùm hæc pax in Aulâ magnoperè celebrabatur: ſed in Urbe Mazarini obtrectatores haud ingens operæpretium eſſe aiebant, negabantque id cum ſponte feciſſe, ſed coactum ab Suecis, qui feſſi diuturno bello pacem facere voluiſſent, neque auſum eſſe Mazarinum qui pacem cum Hiſpaniæ Rege abnuiſſet, idem cum Imperatore facere, ut ne utrumque unà hoſtem haberemus, Suecorum ſimul, & Sociarum Civitatum auxilio deſtituti, ſed ſatis ſupereſſe cum Hiſpanis belli, ut hujus ſpecie rem publicam diriperet. Ita optimè conſulta, factaque in pravum malevolorum invidiâ trahebantur. Fuêre alii, qui ita exiſtimarent, ſi quâ ratione adduci Sueci potuiſſent, uti bellum continuarent, eam ineundam fuiſſe, atque id gratiâ, pretio, aut alio quovis pacto efficiundum: nam pacem nobis cum Imperatore fruſtrà futuram, manente cum Hiſpanis bello, quos omni ope adjuturus videretur, ſed Suecis in eo negotio obſequi neceſſe fuit. Quo magis magiſque durum videtur, eos in bello Socios habere, quorum arbitratu gerendum, aut deſinendum ſit.

Sed & domi pacem eâ tempeſtate facere Aulæ, atque Senatui æquè ſtudium fuit. Eò apud Ruellium quò Regina juſſerat, ut in colloquium de pace veniretur, Gaſto, Condæus, Mazarinus, Seguierus Cancellarius, atque alii ab Aulâ: ab Senatu Molæus, Memmius, Neſmondus Præſides, atque alii; item alii ab Rationum, & Vectigalium Curiis, atque ab Urbe miſſi convenêre. Primùm omnium de Mazarino difficultas interceſſit, abnuentibus Molæo, atque aliis, qui hoſtis ab Senatu judicatus eſſet, cum eo de re publicâ agere. Id Gaſtoni durum, atque iniquum viſum, atque eò res redierat, ut hâc infectâ, ac ne incœptâ quidem utrimque diſcederetur, poſtremò tamen hæc inita ratio eſt, uti Gaſto in uno conclavi cum iis quos Regina Ruellium miſerat; qui ab Urbe venerant, ii in altero conclavi eſſent: utrimque duo in tertio conclavi convenirent, & colloquerentur, & quæ ultrò, citróque dicta forent, ea ad ſuos referrent: Seguierus Cancellarius, ac Tellierus ex Aulâ, Cogneuxius, & Viola ex Senatu in tertio conclavi collocuti ſunt. Poſtquàm diù, multumque eſt altercatum, & quæ conditiones ab Gaſtone latæ ſunt, eæ ſatis placuêre, in eas denique pax convênit, hæ hujuſmodi fuêre.

Uti nihil demùm hoſtile utrimque fieret; amne, atque terrâ commeâtus in Urbem undique de more comportarentur; Senatus Germa-

niſanum veniret, atque eo haberetur promulgando hujus pacis Edicto, dein ad Urbem rediret. Quod anni reliquum eſſet, eò ne frequens Senatus convocatis Claſſibus haberetur, niſi admittendis in hunc Ordinem de more Conſiliariis, aut Mercurialium causâ. Quæ Edicta ſint Maio, Julio, atque Octobri menſibus, atque in Senatu promulgata, ea noviſſimo quod de pace fieret Edicto rata, firmaque eſſe velle Rex ediceret, præterquàm quod iis de Mutuo ſtatutum ſit. Quæ poſt VIII. Id. Jan. Senatus decreviſſet, ea pro non decretis haberentur, niſi quæ cum Cognitore regio, aut de iis qui in Urbe tùm fuiſſent, boniſque eorum decreta facta eſſent, & de admiſſionibus Magiſtratuum. Ita antiquabatur de Mazarino hoſte judicato, atque abigendo, ac præterea de extraneis ab re omni publicâ amovendis Senatûs decretum. Idem de Edictis regiis, Conſilii regii decretis, litteris ad Urbem, atque ad alios de hoc tumultu poſt eamdem diem datis cenſeretur. Quæ hujus tumultûs causâ Regis injuſſu ſcriptæ copiæ fuerant, eæ continuò dimitterentur. Rex ſuas ad Regni fines abduci juberet. Cives ab armis planè diſcederent, nec ea niſi ubi Rex juberet uſquàm ſumerent. Leopoldi Legatus qui etiamtùm morabatur ad Urbem, ſine reſponſo continuò dimitteretur. Quæ ex uniuſcujuſque rebus ablata eſſent, ea ſi extarent, dominis reſtituerentur. Baſtilia, atque Armamentarium cum tormentis omnibus, atque omni tormentariâ re item Regi reſtituerentur. Nihil Senatus, atque aliæ Curiæ obſtent, quò minùs Regi pecuniam in rei publicæ ſumptus duodecimis in annum uſuris capere copia ſit. Viris Principibus, atque aliis, item Urbibus, oppidis, quæ per hunc tumultum arma cepiſſent, id ne iis fraudi, vel noxæ eſſet, modò ut Longavilla antè dies decem, cæteri ante quatriduum hac ſe Pace frui velle ſignificarent, id ni facerent, neque Urbs, nec ex eâ quiſquam ipſis aut conſilii, aut auxilii quidquam daret. Rex ubi commodo ſuo, ac rei publicæ facere poſſet, ad Urbem rediret. De cognitione vectigalium, tributorum, ac portoriorum apud Santonas, Cuniacum, & Engeriaci-fanum nuper ademptâ Vectigalium ad Urbem Curiæ, item de Semeſtribus in Rothomagenſi, & Aquenſi Curiis nuper inſtitutis, præterea de libellorum novâ Claſſe in Aquenſi Curiâ cautum uti cuncta hæc abrogarentur. Quid mali damnive ex copiarum circùm Urbem commoratione agreſtibus evenerit, poſt earum exautorationem Regem juſſurum uti quæratur, & quantâ par eſſe videbitur vectigalium parte plebem levaturum. Quo loco de pace cum Hiſpanis agetur, eo aliquem ex Senatu Regem lubentiſſimum cum cæteris legaturum. Utrimque captivi dimitterentur. 1649.

Hæc ubi convenêre, iterum in ſubſcribendo de Mazarino difficultas interceſſit, utrum cum Gaſtone, cæteriſque ab Reginâ Ruellium miſſis nomen ſuum adſcriberet: poſtremò tamen pervicit Gaſto, ut obſtare Molæus, atque alii ab Urbe miſſi deſinerent. Inter alia Senatûs poſtulata id ſingulare fuerat, ut ne cujus peregrini ſicuti Senatus anno CIↃ. IↃC. XVII. decreverat, atque Rex Ludovicus XIII. ante-

1649. hàc edixerat,conſilio,aut operâ in re publicâ gerendâ Reges poſtillâ uterentur, atque de eo rursùs Edictum fieret, & in Senatu promulgaretur, niſi ſi cujuſpiam tanta virtus, tantaque in Reges, & in rem publicam merita forent, ut huic rectè permitti poſſet: quæ profectò ultima clauſula Mazarino glorioſa meo quidem judicio fuit, cum in hujus abigendi conſilio Molæus, atque alii non pertenderint.

Poſtulante inter cætera Gaſtone, uti quod Senatus de Leopoldi Legato decreverat, id antiquaretur, perſcriptumque eâ de re Decretum ab hujus actis avelleretur, ut ne qua ejus rei extaret memoria; Molæus, atque alii contra poſtulavêre, uti Patribus liceret huic reſpondere Regem quempiam ex Senatu eò legaturum quò de pace inter ſe, atque Hiſpaniæ Regem ageretur, qui huic omni rei cum Legatis aliis interfuturus eſſet: nihil offendiſſe Patres, qui Leopoldi Legato modò audito rem ad Regem rejecerint: ſed aliter ſenſerant qui ex hoc Ordine Senatum huic Legato dandum negaverant, & poſtquàm datum fuerat, Senatûs de eâ re Decretum ad Regem ferendum cenſuerant, ut ne in Senatûs monimentis maneret, ſicuti ſuprà memoravimus.

Cæterùm Gaſto quod Gondius, atque Mottæus Equitum Tribunus in Senatum lecti abſque regiis Diplomatibus fuiſſent, id corrigendum aiebat: at Molæus de Gondio more majorum ab Senatu factum reſpondit, qui id honoris Pariſienſibus Epiſcopis habuiſſent, hunc patruo qui ex Epiſcopo factus ſit primùm Archiepiſcopus, Adjutorem datum ab Rege, cujus prærogativam ſecuti Patres, ſibi hunc fas eſſe in Senatum admittere putaverint: de Mottæo decretum ut ab Rege ante diem Senatûs Decreto dictam Diploma impetraret, quod ſi Rex huic datum velit, omnem qui in eâ re ſcrupulus ſit, ſublatum iri: Gaſto ſatiùs fortaſſe futurum ait, ut Equitum Tribuni omnes abſque Diplomate in Senatum poſthàc admittantur: abnuit Molæus, atque id fieri poſſe abſque Diplomate regio negavit, de quo Senatus judicium ferret: ſed hæc ultima verba ambitiosè dicta quibuſdam viſa, ſicuti Senatui jus eſſet, Diplomata regia, aut Edicta abrogare, quod certè hunc Ordinem ſuprà ipſum Regem eſſe oſtentaret: nam decernere uti quis ex regio Diplomate in Senatum admittatur, aut aliquâ juſtâ de causâ non admittatur, non eſt profectò de regio Diplomate judicium ferre, ſed de eo qui Diploma impetravit, ac de quo privilegium Diplomate latum eſt.

Fuêre item alia, quæ ab Molæo dicta fortiter fuiſſe collegæ cenſuêre, atque ob ea collaudatus ab iis eſt, nempe ubi Gaſto Patribus abrogatos ab Rege Magiſtratus fuiſſe dixerat, atque adeò neceſſe videri, ut ab ipſo in integrum reſtituerentur; Molæus abrogationem hanc infirmam eſſe reſponderat, quæ non eſſet in Senatu promulgata, Regum potentiam Regni legibus circumſcriptam, quæ hujuſmodi quidpiam abſque eâ promulgatione ratum eſſe vetent. Sed hanccine abrogationem Molæus in Senatu promulgandam ex plurium ſententiâ ſenſit? quam cer-

tè nemo adverſùm ſe dixiſſet, an verò ſatis futurum fuiſſe uti recitaretur in Senatu? Quæ autem Regni leges ſunt, niſi quas ipſi Reges tulêre? ab quibus ſicubi res publica poſtulat, diſcedere, atque has abrogare ipſis æquè jus eſt, præter hanc unam, quam ab majoribus de Regum ſucceſſione accepimus. 1649.

Profectò magna ſemper Gallis regii nominis ſanctitas fuit, ac porrò futura eſt: ſed haud tantam uſquàm Angli tametſi nobis vicini habuêre, qui brevi ab Galliâ dirempti freto tamen ab nobis ſummoperè moribus diverſi ſunt. Carolus illis Rex erat, vir placidi, ac clementis ingenii, quod ipſi apud populares fraudi fuit: nulla enim Majeſtatis verecundia prohibuit, quo minùs hunc ſummæ ut aiunt proditionis arceſſerent, atque de eâ re contra jus, faſque conſtitutâ Quæſtione reum agerent, peragerentque, capitis damnarent, ac ſecuri percuterent: de cujus atrocitate ſceleris quoniam dici, ſicuti dignum eſt, non poteſt, prætereundum puto. Sed ea res multùm ad Ludovicum qui Henricæ Caroli uxoris fratris filius eſt, exemplum ad omnes Reges attinet, qui cùm adverſùm multitudinem ſolâ Majeſtate tuti ſint, hæc ubicúmque violetur, id eorum periculo fit.

In Urbe ubi de pace percrebuit rumor, nequedùm qui miſſi Ruellium fuerant, ii redierant, viri Principes, & qui eorum ſequebantur ſectam, eos pœnituit non & unâ Ruellium miſiſſe, qui res ſuas procuraſſent. Id eâ gratiâ evenerat, quod neque pax ipſis erat cordi, neque tam ſubitò Aulam inter, & Senatum omnia conventura crediderant. Itaque è ſuo numero quempiam, ſicuti res adhuc integra eſſet, ſeſe Ruellium miſſuros dixêre, *Intereà confidere qui eò ab Senatu ierant, iis omnium rationes curæ fore qui ſeſe huic Ordini conjunxerint, ac pro re publicâ ſumpſerint bellum, poſtulare ab Patribus, ut ab Rege ſibi Diploma impetrent, quo tutò quempiam Ruellium mittere ſibi copia ſit.* Hæc Contius, atque Ellebovius; addidit Mottæus, *Quod de pace in morâ fuerint, id eo eveniſſe, quod rem tantam ab ſe cum Longavilla priùs communicatam oportuerit, ab quo tum primùm acceperint litteras, quibus poſtulet & ipſe Diploma regium cuipiam mittendo, quo de pace agatur.*

Nihilo ſegniùs tamen viri Principes pacem diſturbare conabantur, quod & obnixè faciebat Gondius, ſuæ inter has turbas de adipiſcendo Cardinalatu, & de omni re publicâ ſi Mazarinus pelleretur, gerendâ ſpei ſerviens. Igitur per homines fidos exagitare plebem, ſuadere hanc proditam, *Mazarinum qui hoſtis ab Senatu judicatus ſit, Aulâ, & Regno faceſſere juſſus, non innoxium modò, atque florentem manſurum in illâ, ſed & ipſum dixiſſe leges pacis, atque his unà cum Gaſtone, & Condæo ſubſcripſiſſe: hujus arbitratu ſicuti antehàc, ita porrò vivendum, agitandumque, qui plebem per publicanos fortunis omnibus ſpoliet, Principes viros, Patreſque queis plebis injuriæ curæ ſint, perdat funditùs, omnium bonis, dignitati, vitæ denique ipſi regia gratia, atque potentia fretus inſidietur.* Eadem Patribus uti quemque conſiliis ſuis opportunum, aut Mazarino infenſum noverat, dictitabat: dein allegavêre quempiam multitudinis ducem, qui poſtridiè in veſti-

1649. bulo Curiæ ſuccinctus gladio cum multitudine perinde armatâ tumultuaretur.

Igitur ubi Patres Curiam ingreſſi, Senatuſque frequens erat, Ellebovius qui eò cum Contio, Belfortio, Luinæo, Mottæo, & Gondio aderat, Molæum atque alios, qui Ruellio redierant percunctatus eſt, ecquid de virorum Principum rationibus egiſſent? Tum Molæus parare ſe, ut hunc, atque Senatum omnem, quid ab ſe, collegiſque Ruellii actum eſſet, edoceret, atque adeò jubere, ut id omne, ſicuti perſcriptum erat, recitaretur; cùm ingens Patrum murmur eſt exortum, negantium Pacem factam eſſe, neque de eâ re ad Senatum referendum, aut omninò recitandas Pacis, quæ nulla ſit, leges. *Aulam in eo quod convenerat, annonam ſcilicet ad Urbem advectum iri, non ſervaſſe fidem, quo Senatus cenſuerit Pacis negotio ſuperſedendum: eo videri neque Molæo, neque collegis hujus ſanciundæ facultatem fuiſſe: neque fas item fuiſſe huic ſubſcribere Mazarinum, qui ab Senatu hoſtis judicatus ſit: poſtremò quæ Pax injuſſu Principum virorum, Ducumque, qui ſe Senatui conjunxerint, ſancita ſit, eam planè nullam eſſe.* Molæus paulùm ſedato tumultu, *Non ex dignitate, aut diſciplina hujus Ordinis eſſe* ait, *quod nec viderit, nec audierit, id temerè, atque ex vulgi rumore damnare, aut ſibi quod Ruellii ex decreto Senatus eſſet actum, hujus recitandi facultatem eripere.* Iterùm obſtrepere Molæo Patres, dein Ellebovius ait *Seſe, atque cæteros Principes viros, Duceſque Senatui conjunxiſſe, uti res publica ſalva foret, cui ipſorum operam uſui fore Patres judicaverint, atque adeò ſe non dubitare, ampliſſimum Ordinem, quæ ejus prudentia, atque æquitas ſit, ipſis cautum, atque conſultum velle:* quibus paucis verbis eſt aſſenſus Contius, & quo utriuſque oratio magis honeſta videretur, *Nihil ſe privatim expetere, & quibus Senatus contentus eſſet, ſeſe item contentos fore ait.*

Ad hæc Molæus nihil aut Patrum ſtrepitu, aut virorum Principum expoſtulatione territus *Fruſtrà hos queri* reſpondit, *qui nullas ab Senatu ſejunctas rationes habere ſe dicant: huic adeò ſi per conditiones Pacis factum ſatis ſit, quid ipſis ultrà petendum? rogatos tamen ante ſuum, collegarumque diſceſſum, ſi quem Ruellium mittere vellent, ita reſpondiſſe, uti quibus id facere haud ſatis placeret, de his tamen, ac ſingillatim de Buillonio ſibi, collegiſque curæ fuiſſe.* At Buillonius continuò ſe de rebus ſuis quidquam niſi unà cum Principibus viris, ac Ducibus, qui ſe cum Senatu conjunxerint actum voluiſſe negavit: cæterùm ſi Mazarinus manſurus ſit in Aulà, nemini omnium aut tuto, aut honeſto eſſe licere, itaque rogare Patres uti ſibi, uxori, filiiſque Diploma ab Rege impetrent, quò aliò migrare ſine fraude copia ſit.

Memmius qui ſecundus Præſes erat, *Mirari ſe* dixit, *quæ eſſet iſta confuſio, atque perturbatio: quid Molæus dicere velit, id primum audiendum videri, ſi quid Patres in eo reprehendendum cenſebunt, adeſſe omnes qui ex Senatu Ruellium ierint, futuroſque in Patrum poteſtate: ubi Pacis legibus ſubſcripſerint, id more majorum ex plurium ſententia feciſſe, hanc cujuſcúmque modi eſſe videatur, bello civili anteponere viſum, annonæ difficultatem, atque ex ea plebis in-*

commoda, pretereà quàm non ex animo belli ſumptus, qui majores in dies futuri ſint, quiſquam toleret, atque alia graviora ab ſe, collegiſque conſiderata. Obſtrepentibus porrò, atque objurgantibus viris Principibus, neque finem facientibus, poſtremò Molæus ſicuti tanto viro dignum erat reſpondit. 1649.

Intereà dum de Pace apud Ruellium agebatur, miſſos in Belgium qui Hiſpanos hoſtes accerſerent. Id ſibi collegiſque regios exprobraſſe, a *Bretinium è Contii familia nobilem deprehenſum in itinere, cum litteris, quibus Leopoldum, & Carolum Lotharingum hortabatur, uti properarent cum copiis accedere, iis Nigromonaſterium cum equitatu obviam, ſimul qui itineris dux eſſet, miſſum, quæ ab viris Principibus, aliiſque clàm Patres facta multò magis ſuæ quàm prædicent cum hoc Ordine conjunctioni obſtare, quàm quod Ruellii ab ſe, collegiſque factum ſit. Quatriduum Pacis legibus conſtitutum, quo ipſis Germaniſanum mittere copia ſit, qui de eorum rebus agant, intereà inducias eſſe: poſtremò compertum de Leopoldi Legato, hunc ab iiſdem ipſis allegatum, atque ubi opportunum fuerit poſt viginti, atque amplius quàm venerat dies Senatui oſtentatum, cum his quæ pro lubidine fabricaverint mandatis.* a De Bretigny.

Hæc ab tanto viro dicta graviter, viros Principes, Duceſque obſtupefecère, ſcilicet eorum quæ dicebantur ſibi conſcios: Patres verò multùm de ſuâ adversùm pacem pertinaciâ remisère. Mottæus tamen ubi de Pace ageretur, ſi fortè fruſtrà foret, ibi verò bellum acriùs poſthàc gerendum ſibi, atque cæteris Ducibus viſum ait, neque flagitium fuiſſe, quando ad id domi opes deeſſent, eas foris quæſiiſſe. Contra Belfortius, *Neque ſe Hiſpanos in Galliam venire voluiſſe, & qui id prohibeat, obviamque eâ gratiâ armatus procedat, eum ſe eſſe profiteri, nihil ſe præter rem publicam ſalvam, ac quietam cupere, cæterùm ſi Mazarinus in Galliâ manebit, iſthinc faceſſere ſibi certum eſſe.* Molæus qui hominem eâ tempeſtate & multitudini, & pleriſque Patrum carum eſſe probè noſſet, nihil id opus eſſe ait, ſed magis operam dandam, uti tutò, & ſicuti ad id locorum tali viro dignum ſit, ipſe maneat.

Inter hæc *b* Cogneuxius Præſes acris, & præſentis animi vir ſententiam dixit, ut in tali tempore ſalutarem. *Nihil in virorum Principum negotio offenſum videri, quo tantæ turbæ fiant: quatriduum huic agendo quæſitum eſſe, poſſe ad Regem, Reginamque mitti ab Senatu, qui eos doceant ad rem publicam pertinere, uti pax cum omnibus firma, ac rata ſit: hos ea gratiâ viris Principibus, Ducibuſque patrocinaturos, ut ipſis ſicuti cæteris uno, atque eodem Edicto cautum, atque conſultum ſit.* Dein *c* Bellevræus & ipſe Præſes orſus eſt ſententiam dicere, collaudabatque Cogneuxium, cùm in veſtibulo Curiæ multitudinis clamor eſt auditus, flagitantis uti Belfortius veniret ad ſe. Is egreſſus hunc tantiſper quidem ſedavit tumultum, quo poſt paulò iterum exorto *d* Novio Præſes Curiâ egreditur, ab quo Rabula quidam præter morem ſuccinctus gladio, atque pugione, cùm ad eumdem morem armatâ multitudine Pacis leges ab Mazarino ſubſcriptas poſtulat uti ſibi traderentur, quo nomen ejus ab vindice rerum capitalium, quem adeſſe aiebat, concremaretur.

b Le Preſident le Cogneux.

c Le Preſident de Bellievre.

d Le Preſident de Novion.

Hàc Rabulæ oratione, prætereà multitudinis quæ aderat infeſto vul-

1649. tu, ac truculentis vocibus, nonnihil territus Novio, nec quid iis ex ſententiâ, ſicuti neceſſe videbatur, reſponderet, ſatis certus, poſtremò callidè, atque prudenter *Mazarini ſubſcriptionem haud cremari poſſe* docet, *quin & Gaſtonis, atque Condæi ſubſcriptiones unà crementur, quod certè flagitium ingens foret, neque id ipſis conſilium eſſe ſatis ſcire ſe, ſed è Patrum numero quoſdam Germaniſanum ituros, qui Mazarini ſubſcriptionem tollendam curent.* Ita multitudini tumultuanti per Novionis ſolertiam factum ſatis. Bellevræus poſt ſedatum hunc denuò tumultum in Cogneuxii ſententiam diſceſſit, quam & rogati quid ſentirent viri Principes approbavêre. Senatûs Decretum fit, uti qui Ruellium antehàc ierant, Germaniſanum proficiſcantur, de virorum Principum, aliorumque qui eaſdem ſecuti partes eſſent, rebus acturi, eò & viri Principes ſi videretur mitterent: additum maximè multitudinis quæ tumultuata erat gratiâ, eniſuros uti denuò Pacis leges perſcriberentur, neque his Mazarinus ſubſcriberet.

Nihilò minus plebem ad fores Curiæ, & per vicos porrò tumultuari nuntiatum eſt, quo Patres inceſſit metus, uti Curiâ egredientibus quid injuriæ multitudo faceret, cui ſedandæ miſſi Belfortius, & Gondius ampliora vero renuntiavêre, ſcilicet qui Patres in metu eſſe, & pacem diſturbatam vellent, maximè Gondius quoniam hujus legibus non pellebatur Mazarinus, itaque ut ne ſolitâ portâ Patres Curiâ egrederentur magnoperè ſuadebat. Sed negavit Molæus *Se multitudinem uſquàm pertimeſcere, ubi ſe timeri ſentiat, atrocem, ſi contemnatur ignavam. Quæ ſi tantoperè commota ſit, neque in nobis animum qui fortes decet animadvertet, continuò aderit infeſta ædium noſtrarum foribus, quibus nequaquàm ſatis tecti, ac muniti erimus. Itaque & conſueta Senatus gravitas, & animi fortitudo pro muro ſint, via ſolita per multitudinem ire certum eſt, morique potiùs, quàm committere, uti noſtra formidine plebi creſcat audacia, atque eo periculum rei publicæ impendeat.* Simul Viatores præire, atque ſummovere de more turbam jubet, ipſe cum cæteris Præſidibus ſubſequitur. Profectò Regi ſua Majeſtas, & Magiſtratui dignitas ſua præſidio ſint oportet, quam virtute, & fortitudine tutari neceſſe eſt, nam plebes viribus, & multitudine plus poteſt. Sed hæc ab viris Principibus, Ducibuſque adversùm Molæum, quo perterrefacerent hominem, parata fuerant, qui tamen in Aulâ, in Senatu, apud Principes viros, apud plebem denique fortis ad ultimum fuit, neque ceſſavit uſquàm, donec pacem ab ſe, collegiſque fieri cœptam, ratam, firmamque efficeret.

Poſt paulò allatæ ſunt ab Rege ad Senatum litteræ, item ab Gaſtone, & Condæo, quibus ſignificabant, in pacis negotio non eo hærendum videri, quod nihil hujus legibus de Principum virorum rationibus cautum eſſet, de quibus mittere Germaniſanum poſſint, qui de his agant. Sed has Ellebovius Senatui permitti ait, quæ videlicet ab Senatûs, Populique rationibus nuſquàm diverſæ ſint, eo quidquid ampliſſimo Ordini videbitur, id ſe facturos. Collaudat hunc Molæus, agitque gratias Senatûs verbis, & quæ ad Principes viros, Duceſque attineant, ea huic Ordini curæ futura ſpondet. *Tædium collationum, & populum, & alios*

cepiſſe,

cepiſſe, commeatûs, & militum inopiam eſſe, pacis conditiones in cæteris Curiis recitatas ſatis omnibus placuiſſe, item Senatui ſi in eo recitentur placituras, neque ſe, atque collegas temerè ſicuti fiat, accuſatum iri, cum ſe contrà de hoc Ordine, atque de re publicâ optimè meritos in pacis negotio eſſe credant. At Carretonius de quo memoravimus antehàc, in alterâ libellorum Claſſe Præſes ab ſe perlectas pacis leges eſſe ait, *Eaſque Patribus, & rei publicæ iniquiſſimas videri: qui ſeſe Senatui conjunxerint, eorum poſthabitas rationes fuiſſe, quod contrà Senatûs ſententiam factum ſit, qui banc conjunctionem utrimque ſtudioſè obſervatam voluerit: cæterùm pridiè decretum uti qui Ruellium ierant, ii Germaniſanum proficiſcerentur: nihil obſtare Regis, Gaſtonis, atque Condæi litteras, quo minùs id fiat.* Iſthæc nihil Molæum deterruêre quo minùs ſingulos ex Patribus ex diſciplina ſententiam rogaret, ac primùm Hieronymum Criſpinum, dein Nicolaum Cavalierum: hi cenſuêre recitandas in Senatu pacis leges, & quidquid Ruellii actum eſſet: Bruſſellus quæ pridiè per tumultum ab Patribus jactata fuerant, eadem in ſententiam dixit denuò, negavitque quod actum Ruellii eſſet, id cuiquam in cæteris Curiis placuiſſe, quin & documento fuiſſe nihil arbitratu ſuo qui eò miſſi fuerant feciſſe, ſed coactos, ſed invitos. Obturbat dicentem Molæus, pertenditque pacis conditiones uſquè adeò cæteris Curiis probatas, ut iis qui Ruellium ierant gratiæ eo nomine ab permultis domi actæ ſint: pernegat Bruſſellus, plures tamen in Criſpini, & Cavalieri ſententiam diſcedunt. Quæ pridiè in Curiæ veſtibulo aderat armata multitudo, ea & tùm adfuit, ſed clauſæ fores erant, ſtationeſque bonorum civium ad portas diſpoſitæ, quæ vim malorum arcerent. 1649.

Poſtridiè Molæus iis quæ Ruellii acta fuerant recitatis, Cavalierum per Criſpini abſentiam primum ſententiam rogat, qui Reginæ ſupplicandum cenſuit, uti de pace Edictum ad Senatum mitteret, de cujus ſingulis capitibus Patres conſultarent: Bruſſellus in heſternâ ſententiâ manere velle videbatur, poſtremò tamen ubi videt aliò inclinare omnium animos, ſaltem Reginæ ſupplicandum cenſuit, *Ut ne Senatum promulgando pacis Edicto Germaniſanum venire vellet: prætereà ut hujus cogendi ubi uſus eſſet porrò copia foret: de Mutuo nihil Rex ediceret, quoniam id honeſto ſub nomine fœdiſſimi fœnoris genus bonorum offendat animos: quæ ad Principes viros, Duceſque pertinerent, ea cum cæteris de quibus convenerit rebus uno, eodemque Edicto complecti vellet, liceretque omnibus qui ſe Senatui conjunxiſſent Germaniſanum mittere, qui de rebus ſuis agerent.* In hanc ſententiam Senatûs Decretum fit, atque continuò Molæus, & alii Germaniſanum iêre: fuêre qui ita exiſtimarent Bruſſellum de conſuetâ ſuâ duritie in ſententiâ dicendâ remiſiſſe, quod huic de habendâ porrò ab Lovierâ filio Baſtiliâ fides data Reginæ verbis fuerat.

Tametſi pax incertiſſima eſſet, commeatus tamen liberè ad Urbem Regis voluntate advehebantur, neque quiſquam publicè prohibebat: at privatim qui oppidis ad Sequanam, Matronamque Præfecti erant, ii compendii ſui causâ ab vectoribus exigebant pecunias, induciæ cum viris Principibus, Ducibuſque agitabantur. Sed ubi Populus ſeſe inopiâ

1649. levatum ſenſit, ibi verò minor pacis cupido, & quò animi ferebat lubido cum viris Principibus, Ducibuſque qui hanc abnuebant, facilè congruit, atque ita regii nimiâ ſe facilitate lapſos ſensêre. Ab Rege tamen ultrò prorogabantur induciæ, invito propè Contio, qui Leopoldum ab ſe accerſitum propediem cum exercitu Regni fines ingreſſurum ſperabat, neque tum ſibi ceſſandum eſſe intelligebat.

Intereà Regii apud Germaniſanum viris Principibus, Ducibuſque qui ad Urbem erant, & cavere, & conſulere haud recuſabant, ſed eâ lege uti quod in colloquio apud Ruellium convenerat, eo ſi ſtare ipſi nollent, hos Senatus deſereret; quod quamvis haud iniquum videbatur, eò tamen planè adduci Senatus nequibat. Miles intereà ſtipendii inopiâ utrimque prædas agebat, & de regiis, ſuiſque juxtà in Urbe permulti querebantur. Plebes tamen infima excitata ſcilicet ab iis, quos viri Principes mercede paraverant, bellum quàm pacem malebat, nihil jam de inopiâ, quæ anteà premebat, ſolicita, cæterùm bonos tædebat, pigebatque porrò ſervire plebi, quæ ubi Patrum juſſu armata erat, iiſdem inconſulta minabatur: nam ubi nuper ad Palatii portas ſtationes diſpoſitæ, plebes ſclopetos in quoſdam Patrum, qui unà veniebant in Curiam, intentare, atque ferociter dicere, ſi quem ex iis Mazarino favere ſatis ſcirent, eum ab ſe continuò trucidandum: dein ubi Senatus egrediebatur, plerique ab multitudine pulſati, quin & ipſæ per vicos mulierculæ ubi in quemque inciderant, percunctabantur pacem, an bellum decreviſſent? Inter hæc Particellus Almerici filius in unâ Inquiſitionum Claſſe Præſes ita affectæ multitudini factus obviam, paternæ invidiæ propè mercedem tulit, tractus ab plebeculâ ad amnem, & ægrè ab cliente qui forte in tabernâ ſuâ aderat, quâ multitudini hominem deducenti iter fuit, periculo ereptus. Ita Patres ne minimùm quidem Principis Majeſtatem labefactari poſſe ſentiebant, quin & id ad Magiſtratuum quos conſtituit autoritatem, ac dignitatem pertineat.

Per Molæi, atque aliorum Præſidum qui Germaniſanum ierant abſentiam Nicolaus Potierus Novio Senatum habebat, neque de aliis rebus fermè agebatur, quàm de pecuniarum in militum ſtipendium collationibus, quas plerique ex Senatu, atque ex cæteris Curiis ægrè, atque tardiùs faciebant: ſeu pacis ſpe, ſeu quod nemo lubens de ſuo in rem publicam ſumptum facit. Per id tempus Carolus Lannoïus è regiâ ſancti Spiritus militiâ Montrolio ad Oceanum Præfectus obierat mortem, cujus filiam unicam Carolus Lotharingus Harcurius Ellebovii Ducis filius uxorem duxerat, quo factum eſt, ut hunc & præſidiarii, & oppidani in oppidum facilè reciperent, qui huic ſicuti ſocer antehàc Præfectus foret. Id Regis injuſſu, atque adeò neque rectè, neque ordine fiebat, nam Regis modò eſt oppidis Regni quos lubet præficere. Ellebovius quoniam filio ex ſententiâ evenerat, ut in oppidum reciperetur, de eâ re Senatum per Iſſabonum minorem filium certiorem fecit, uti ſicuti ſe, ac filios, ita & Montrolium Patres ſcirent in hujus Ordinis poteſtate eſſe: collaudatus Ellebovius eſt, atque huic gratiæ ab Senatu

actæ, vitio partium, quarum ſtudio ingentia flagitia pro rectè factis laudantur: nam aliâ tempeſtate qui oppidum Regis injuſſu occupaſſet, in eum Senatus more majorum animadvertendum decreviſſet. 1649.

Ubi Contio nuntiatum eſt Leopoldum cum exercitu in finibus Regni eſſe, ipſe, & qui cum eo, & Gondio ex Senatu congruebant, magnam diſturbandæ denique pacis ſpem cepêre: cujus rei gratiâ Germaniſanum miſere [a] Maurum Comitem Ludovicum Rupechoartium, qui poſtularet Mazarinum Aulâ, & Regno, quemadmodùm Senatus decreviſſet, pelli, atque hanc unam, quæ ſibi omnium aliarum loco ſit, pacis conditionem ferret, tantum in eâ momentum ad rei publicæ ſalutem eſſe Contius, Gondius, ác cæteri ſe credere ſimulabant. Contius apud Senatum & hâc unâ conditione ſe contentum eſſe profeſſus eſt, ſcriptumque eâ de re commentarium Senatûs actis ut inſeri Patres vellent, rogavit, *Neque ſe, neque alios Duces aliâ causâ arma cepiſſe, ac ſe conjunxiſſe Senatui, ex quâ videlicet huic Ordini, atque Urbi pacem, plebi vectigalium levationem futuram certò ſciant. Ubi viderint tantam in pacis negotio adhibitam ab iis qui Ruellium miſſi fuerant, properantiam, coactos ſe quidem poſtulare quædam, quibus ſibi quodammodò cautum iri crediderint, ſed & ſe, & omnes bonos fruſtrà ſperare quemquam omnium ſatis tutum, aut honeſtum, aut rem publicam quietam fore, ſi penes Mazarinum porrò futura ſit. Id tamen ſuum cæterorumque de Mazarino conſilium, ſicuti quæ ad ſe attineant omnia, ea Senatûs judicio, arbitrioque permittere.* Patribus hæc Contii oratio magnoperè probata, ac facilè impetratum, ut in acta Senatûs referretur: decretum prætereà uti de hac qui ab Senatu miſſi Germaniſanum fuerant, certiores fierent: addidit Potierus Blammenius eos commonefaciundos hanc eamdem eſſe Patrum, ac virorum Principum ſententiam.

[a] Le Comte de Maure-Roche-chouart.

Ita hi nova poſtulando tempus producere, ut intereà loci Leopoldus Regni fines ingrederetur. Quorum conſiliis uti Molæus anteverteret, certum eſt hunc antehàc cum collegis nonnihil in pacis negotio apud Ruellium properaſſe, ſcilicet execratum civium perfidiam, qui aut fortunarum augendarum, aut dignitatis, ac potentiæ amplificandæ lubidine rem publicam hoſti nefariè prodebant. Puduit Contium ipſum Leopoldi adventum nuntiare Patribus, ac rei tam nefariæ invidiam coràm ſuſtinere: ſed ſimulans ſe valetudine impeditum tradidit hanc Gondio provinciam. Is ubi in Senatum venit, *Sibi ab Contio mandatum* ait, *uti Patres faceret certiores Leopoldum ingreſſum Regni fines, non bello gerendo, ſed quærendæ paci, de quâ ſi Reginæ placeat ad eum mittere Legatos, inhibiturum iter, neque longiùs progreſſurum: hæc Leopoldum ad Contium ſcripſiſſe, qui tantam opportunitatem haud dimittendam ratus hæc eadem Reginæ nuntianda curaverit: rogare Patres uti quantùm ea res ad ſalutem publicam pertineat, perpendere velint, Molæoque, & collegis negotium dent, ut hæc ipſis curæ ſit. At ſi facta Leopoldi cum dictis minimè conſenſerint, Contium Regi, atque rei publicæ qualem Principem è regiâ gente virum deceat, operam navaturum.*

Tanta res Senatui viſa, uti Contio ipſo conſulto ſibi opus eſſe crederet, qui valetudinem cauſatus etiam tùm non venit in Senatum: Pa-

1649. tres quod Gondius Contii verbis Senatui ſignificaverat, id in hujus acta referendum cenſuêre, Molæumque, & collegas certiores faciundos, uti Regem, atque Reginam eâ de re monerent, de quâ ſicuti in rem publicam videretur ipſa conſtitueret. Sed quis non jûdicet pacis cum Hiſpanis mentionem oſtentui fuiſſe, quo Senatus, Populuſque collata cum hoſte ab viris Principibus conſilia, non uti par erat execrarentur? Neque Regina tametſi hæc vana de pace, & ficta eſſe ſatis intelligebat, tamen rejiciunda exiſtimavit: nam aut hoſtem uti de pace ſaltem per ſimulationem agat reſtiturum, quod in rem publicam foret, aut ſi progrederetur, palam facturum ſe non paci faciundæ, ſed bello gerendo veniſſe, ac fortè Senatui, Populoque religionem fore, tam claram, atque apertam virorum Principum proditionem fovêre. Igitur, *pacis mentionem undecumque ſibi fieret gratam accidere* reſpondit, *& quò convenerit, eò ſubitò miſſuram Legatos, intereà Pontificis Nuntium, ac Venetorum Legatum, qui Pacificatorum inter utrumque Regem dudùm partes ſuſtineant, rogaturam, uti de loco, & tempore, quid Leopoldo ſententiæ ſit, exquirant.*

Nihilo ſeciùs tamen omnia quæ ad bellum defendendum neceſſaria erant parari, atque adeò præſidia quæ circùm Urbem erant deduci, omneſque copias ad hoſtem versùs duci Regina jubet: eo pacem cum Urbe apud Ruellium factam ſe credere ſimulabat, atque eâ gratiâ deducta præſidia, ac commeatuum ad Urbem advehendorum facultatem omnibus eſſe, omnium rerum copiâ delinitam plebem, hanc nuperæ inopiæ antelaturam, neque ex virorum Principum lubidine bellum de integro ſumpturam: quod contrà erat, nam dempto inopiæ metu, rurſùm belli cupida videbatur, in Mazarinum ab viris Principibus exagitata, qui hoc rem publicam gerente nullum vectigalibus modum uſquàm fore dictitabant. Ita Regem, Reginam, atque Adminiſtros anceps malum, ab civibus, atque ab hoſtibus, cum quibus illi congruebant, & utrimque pericula juxtà urgebant. Sed adversùm hoſtes armis, adversùm cives æquitate ſeſe tueri decrevêre, in eo negotio ab Molæo, & collegis, cæteriſque qui in Senatu boni, fideleſque manſerant, naviter adjuti, nam abſque eo fuiſſet, res publica in ſummum diſcrimen adducta erat.

Iterùm Contius in Senatu quàm utile Regi, Galliæ, huic Ordini, atque omnibus bonis foret, ſi Mazarinus Aulâ, ac Regno pelleretur, oſtendere conatus, atque adeò Patres hortatus eſt, uti ſibi, cæteriſque Ducibus, id ab Rege, atque ab Reginâ flagitantibus, ſicuti ſua cum Senatu conjunctio monebat, aſſentirentur, Molæumque, & collegas juberent, ut ne quas de pace conditiones acciperent, quin hæc de pellendo Mazarino prima omnium foret, idem Belfortius, & Ellebovius qui aderant ab Senatu poſtulavêre: dein rogati ſententiam Patres, pleríque ex Contii voluntate cenſuêre.

Contrà Sevinus *Conſtantia, atque gravitate Senatûs indignum videri* ait, *quæ decreta fuerint, ea ex aliorum lubidine mutare. Quæ pacis conditiones in Senatu recitatæ ſint, in iis tria modò corrigenda Patres cenſuiſſe, nihil autem*

de Mazarino abigendo porrò poſtulandum decreviſſe. Standum igitur iis quæ decreta fuerint videri, neque decere amplissimum Ordinem aut virorum Principum voluntate, aut allegatæ multitudinis metu circumagi, & quotidie diverſa ſentire. Nihilò minùs decretum uti Molæus, atque Collegæ apud Germaniſanum unà cum his qui virorum Principum res procurabant, de abigendo Mazarino Reginæ ſupplicarent, ferrentque hanc conſtanter pacis conditionem: ſed ea conſtantiùs ab Gaſtone, Condæo, Seguiero, atque aliis Adminiſtris rejecta eſt, negantibus eas virorum Principum, aut Senatûs, aut cujuſquam omnium partes eſſe, uti Regibus quorum conſilio, judicio, operâ in re publicâ gerendâ utantur, præſcribant, finiantve. 1649.

Buillonius de quo ſuprà memoravimus Mazarino infenſiſſimus erat, quoniàm per Richelii tempora Majeſtatis poſtulatus tradito Regi Sedano capitis ſupplicium effugerat, ſuaſeratque Mazarinus, ut id hoc pacto redimeret, quo ſe hujus hominis fraude circumventum prædicabat. Sed Buillonius ſuo magis metu, quàm Mazarini induſtriâ in hanc inciderat fraudem, ſi aut hæc fraus fuit, uti vitam conſervaret Sedanum amittere, aut hæc induſtria ſuadere homini, uti ſe ſalvum quàm perditum mallet. At poſtquàm mortis, quæ tùm Buillonio in vincula conjecto certiſſima erat, formido deceſſerat, tum demùm pœnitebat Sedanum oppidum magnum, atque valens, cum agro vicino amiſſum, oderatque Mazarinum quo interprete Richelius ut id ipſi primùm, dein uxori perſuaderet, uſus fuerat; quæ cùm apud Sedanum eſſet, poſthabito viri periculo id filiis retinere poterat, aut cunctando quid res, aut tempus novi adferrent opperiri. Quædam Buillonio in Sedani æſtimationem promiſſa fuerant, ſed aut ea tradere haud ſatis curæ Mazarino, aut Buillonio haud ita ſtudium fuerat hæc accipere, ſed magis Sedani recipiundi perpetuam fovere ſpem, quâ ſolâ adductus Senatûs, Populique partes ſequebatur, bellumque diuturnum exoptabat, ut hujus damni ſarciundi ſpatium, atque opportunitatem haberet: eo ubi in Senatu pacis mentio fiebat, de eâ re Molæum, aut alios dicentes obturbabat. Hujus frater Turena ab eo uſquè diſſenſerat, Ludovico XIII. Regi primùm, dein Ludovico filio fidus, nec iniquus Mazarino: aſt ubi recipiundo Sedano, familiæque in integrum reſtituendæ ſpes oblata, nutavit hominis fides, atque rei publicæ caritatem, ut ferè fit, privatæ ſtudium vicit.

Is in Germaniâ Regis exercitui Imperator erat, pleræque in eo Germanorum copiæ, pauciores Galli fuére: illos ſpe prædæ, hos præterea novarum ad quas ſuâpte naturâ proni ſunt, rerum ſtudio ad Senatûs, Populique, quorum cauſam æquiſſimam eſſe ſuadebat, partes abducere conatur. Omnes trans Rhenum erant, qui ubi amnem tranſire cœpêre, Erlacus Briſiaco Præfectus Mazarini monitu miſit ad eos, qui hortarentur uti memores ſacramenti Imperatorem res novas molientem desererent, ad hæc, quod rei caput erat, addidit pecuniam in ſtipendium: tantaque vis recti, ſimul & pecuniæ apud eos fuit, ut om-

1649. nes relicto Turenâ ad Erlacum tranſirent, ille cum paucis equitibus in Civitates Socias Belgarum abſceſſit. Hagam Comitis venire copia non fuit, tametſi id enixè per Scribam eò miſſum ab Fœderatis Ordinibus petiiſſet, falſa dictitantem ea quæ de Turenâ fama vulgaverat, ſed hunc diſſimulantem coarguêre interceptæ litteræ, quæ ad eum ſcribebantur, & quibus fiebat certior de his quæ de ſe ſicuti de fautore partium ſuarum Senatus decreverat. Itaque apud Amersfortium privato cultu, ac ſicut in exilio commoratus eſt, donec pax ab Rege Senatui Populoque, ac Ducibus partium data.

In pacis legibus apud Ruellium ſancitæ quædam mutanda, prætereà viris Principibus cavendum, conſulendumque Senatus cenſuerat, atque eâ causâ Molæus, & alii Germaniſanum ierant, qui de utroque ab Reginâ impetravêre. Igitur Contio Campania provincia, quâ ipſi Condæus frater nuper ceſſerat, planè permiſſa, ut hanc ipſe per ſeſe adminiſtraret, quod uſquè Condæus fecerat, præterea Damvillarium haud procul Campaniæ finibus in Lucemburgenſi agro eidem permiſſum, qui huic oppido munitiſſimo Præfectus eſſet. Longavillæ Gratiæ-portum poſtulanti negatum id quidem, cæterùm filio poſt obitum patris Normannia provincia decreta, & ut iiſdem oppidis in hac provincia Præfectus eſſet, atque etiamtùm unà cum patre hæc obtineret, addita præterea Pons-arcuus, & Pontellomarium in eadem provinciâ oppida opportunis locis poſita, alterum ad Sequanam, æquo inter Lutetiam Pariſiorum, & Rothomagum ſpatio, alterum Oceano haud procul. De Montrolio quod Carolus Ellebovii filius Harcurius occupaverat, ſicuti ſuprà diximus, nihil mutatum, decretaque huic Picardia provincia, quam poſt mortem patris, atque intereà unà cum eo obtineret, cæteris Ducibus aut præſenti, aut paulò poſt curandâ pecuniâ factum ſatis. Buillonio quod cum eo in Sedani æſtimationem convenerat, id factum iri cautum. Ita more hominum evênit, uti qui contrà rem publicam fecerant, iis præmium eſſet. Quamobrem quæ Ducibus partium Rex conceſſerat, ea pacis Edicto commemorari, aut omninò in Senatu recitari puduit ipſos viros Principes, ut ne eâ causâ ſumpſiſſe bellum vulgus diceret, puduit & Regem quoniam ab invito, nec ſine Majeſtatis jacturâ expreſſa fuerant: in acta tamen Senatûs ſecretò relata ſunt fidei causâ: cæteræ conditiones pacis Edicto ſancitæ, atque in Senatu recitatæ ſunt, decretumque ut in acta referrentur: hæc promulgatio more majorum celeberrima eſt.

Ita bellum civile deſiit, quod ſummam rei publicæ portendebat perniciem: nam viri Principes, Duceſque partium Leopoldum ſicuti ſuprà memoravimus cum Hiſpanorum, Belgarumque exercitu acceſſiverant, cui agendæ, ac maturandæ rei miſſus antehàc Leca Bruſſellas fuerat, & Nigromonaſterius hoſtibus ierat obviam, qui dux itineris foret. Hi per Regni fines ad Axonam uſquè pacati venerant, quod uti plebi, boniſque omnibus fucum facerent, inter viros Principes, hoſteſque convenerat. Sed tamen ea res maximè qui in Senatu boni, fi-

deleſque manſerant, eos permovit uti properarent pacem facere, perdoctos denique per fas, & nefas viros Principes res ſuas conſtabilire velle, neque quidquam iis modò ut id facerent, penſi, aut ſancti eſſe. At hoſtibus poſtquàm è primo agmine quidam Axonam tranſierant amnem, intervenit Arnaldus Corbevilla Præfectus caſtrorum, unà cum iis qui præmiſſi fuerant equitibus: hi acriter hoſtes aggreſſi fugavêre, dein adveniente Pralinopleſſio Equitum Tribuno qui regio omni exercitui Imperator erat, hoſtes planè inhibiti, & mox compertô pacem in Galliâ factam, ad Regni, dein ad ſuos ipſi fines regreſſi de Ypris recipiundis conſilium cepêre. Intereà in Urbe gratiæ Deo ſicuti par erat, dein Regi, atque Reginæ matri de pace ab omnibus Ordinibus actæ, magnaque inceſſit lætitia, ubi ſe quotidianis & ſumptibus, & moleſtiis, & periculis levatos ſenſêre. 1649.

Pace domi factâ, ſicut & in Germania confecta fuerat, ibi verò Mazarinus haud tantoperè de hac cum Hiſpanis ſanciundâ ſolicitus videbatur: quas tamen conditiones his Gallici Legati apud Monaſterium Veſtfalorum tulerant, ab iis ſi ſatis illis placerent, haud erat diſceſſurus: ſed id fermè conſilii utriſque fuit, ut ne alterutrum pacem abnuere fama ferret. Eo Philippus adhortantibus Pontificis Nuntio Tarſenſi Epiſcopo, & Petro Baſadonnâ Venetorum Legato uti de hâc porro agi vellet, nihil per ſe ſtare reſpondit, modò ut æquis conditionibus fieri poſſet. Sed ubi mox actum cum Pennerandâ eſt, qui cum liberis de eâ re mandatis etiamtùm apud Bruſſellas erat: is enimverò perſuadere velle nobis, res in Galliâ non eo loco eſſe, quo ubi primùm de pace apud Monaſterium Veſtfalorum agebatur, atque adeò omnia de integro, & non eodem modo tractanda: ſpem tamen fecit ſe cum Mazarino, quemadmodum hic ſeſe cupere ſignificaverat, collocuturum in finibus regni: nam eò hunc pertrahere Penneranda operæpretium eſſe ducebat, uti ſi infectâ re diſcederet, in fraudem apud Senatum, Populumque haud ſatis ipſi placatos incideret: ſeu ſi ſecundùm pacis nuperæ conditiones, ei agendæ rei quidam ab Principibus viris, atque ab Senatu adeſſent, ſibi hos haud iniquos fore ſperabat, neque Mazarinum quæ ipſis placerent, ea abnuere auſurum.

Sed hic Pennerandæ conſilii haud ignarus poſtulavit uti priùs homines fidos invicem mitterent, qui utrum pax brevî inter ambos confici poſſet, ex utriuſque oratione pernoſcerent: nam abſque eo eſſet, neutri convenire, ut inter ſe colloquerentur, ac rei inanis famâ hominum aures implerent. Penneranda tamen uti Mazarinum ſi quà fieri poſſet ad colloquium alliceret Cameracum venit, quo Lionnus Annæ Reginæ matris Scriba, cliens Mazarini ab eo miſſus eſt, qui periclitaretur, quid illi conſilii, atque animi eſſet: ſed nihil ab ſententiâ diſceſſit, cuncta videlicet de integro eſſe tractanda: quin & eò more gentis evaſit, ut ni Ludovicus quæ ad Luſitanos, & Catalanos pertinerent, ab iis planè diſcederet, Carolo quondam Lotharingiæ Duci hanc redderet, atque Philippo cuncta per bellum occupata, nihil eſſe quod de pace tum ageretur.

1649. Lionnus dicere contrà : *Nihil Galliam de priſtinâ potentiâ per bellum civile perdidiſſe, eaſdem huic opes, quàm antehàc eſſe, quibus bellum cum Philippo porrò gerere poſſit, neque nobis eamdem defore fortunam. Pacem tamen Ludovicum malle, ſi hæc ſatis Philippo placeat, iiſdem quas apud Monaſterium Veſtfalorum Legati Gallici tulerint, conditionibus, de quibus ſicuti primùm, ita etiamtùm agendum ſit, ut ad utriuſque ſententiam quoad fieri poterit, accommodentur. Eò Fabium Chigium Pontificis Nuntium, & Ludovicum Contarinum Venetorum Legatum qui antehàc Pacificatorum partes egerint, porrò ei rei operam lubentes daturos.* Abnuit Penneranda, dixitque priùs opus eſſe, uti Regis ſui ſententiam exquireret. Ita Lionnus dimiſſus, ac Penneranda, ut omnem & nobis, & Pacificatoribus ſpem pacis præcideret, eos quid eſſet cum Lionno locutus certiores fecit, rogavitque, ut ab Ludovico Diploma impetrarent, quo ſibi in Hiſpaniam redeunti per Galliarum fines tranſeundi copia fieret. Ita tùm de pace Ludovicum inter, & Philippum conclamatum eſt, Hiſpanis ob quidpiam in Italiâ proſperè hoc anno geſtum cætera eo modo ſibi porrò ceſſura falsò ſperantibus.

Inter hæc Abel Servianus de quo ſæpiùs memoravimus, Monaſterio Veſtfalorum rediit, incertum factâ cum Germanis pace Aulæ acceptior, an hâc cum Hiſpanis ſicuti fama erat, detrectatâ odioſior plebi, quam diuturni cum finitimo hoſte belli tametſi feliciter uſque geſti magnoperè tædebat. Tum Melleraius ſummam Quæſturam Regni abdicavit, quam Serviano mandatum iri plerique ſunt arbitrati, quoniam Mazarino fidus, recenſque ejus in rem publicam meritum erat: ſed hanc Particello Almerico reddere Mazarinus decreverat, quod tamen ob magnam in illum Senatûs, Populique invidiam tantiſper dilatum, atque intereà in *a* Haligrium, & Barillonum Morangium, Tuboviumque regiæ rei cura recidit.

a Haligre, Barillon de Morangis, Thubeuf.

Anno ſuperiore Franciſcum Ateſtinum Mutinæ in Italia Ducem Cremonam Gallis fretum oppugnaſſe diximus, atque id ipſi ſecùs eveniſſe, non noſtrorum, ſed ipſiuſmet culpâ, qui imparibus copiis tantam rem vanâ deditionis ſpe incœperat. Sed menſe Februario hujus anni Caracena quem Mediolanenſem Agrum obtinere diximus, ubi bellum civile in Galliâ eſſe reſciverat, ſpem nactus pellendi denique hoſtis finibus, ac fortaſsè quid ampliùs operæpretiū adversùm Ateſtinum faciundi, copias ex hybernis educit, ac per Serram Marchionem Caſtrorum Præfectum Generalem Caſalium majus, Viadanam, atque alia in quibus Gallorum, & Mutinenſium haud procul Pado in Cremonenſi Agro præſidia fuere loca recipit, dein Pompaneſcum in finibus agri Mantuani, quem locum Galli quadringenti hybernis muniverant.

Intereà Ateſtinus Gualtierum ex adverſo Pompaneſci venerat, intercedebat Padus æquo propè ab utroque ſpatio, quatuor eò adduxerat peditum millia, cum paucis equitibus: ſed hæ copiæ finibus modò præſidio fuêre, nam eò Rhegienſis ager qui Ateſtini eſt, ad Padum pertinet, qui Cremonenſem, & Mantuanum ab eo dividit, Caſtellis

tellis præterea aliis ultrà Padum hoſtes potiti. At poſtquàm ipſe advenerat Caracena, amnem hoſtes tranſiêre, Brixellum oppidum ſatis firmum tentavit modò, dein ad Gualtierum flexit iter, quod facilè occupavit. Patebat tum Rhegienſis ager hoſti, quo faciliùs Ateſtinus adductus eſt, uti cum Hiſpanis pacem faceret: factum id Ranuccii Farneſii Parmæ, & Placentiæ Ducis qui ipſi affinis eſt operâ, & quas ipſi tulêre conditiones, eas lubens accepit, in anguſtis tum rebus ſuis, ac longinquâ ex Galliâ, ac propè nullâ ob civile bellum auxiliorum ſpe. Pacis legibus cautum erat, uti Reginaldus Ateſtinus Cardinalis Franciſci frater, qui Galliæ negotiorum Romæ Patrocinium habebat, id deponeret, quod ipſe omninò negavit ſe facturum, adversùs Hiſpanorum minas, preceſque juxtà invictus animi. Sed hæc Ateſtini coacta certè defectio prima nobis civilis belli foris merces fuit, quam alia longè damnoſiora ſunt conſecuta, nam quæ domi ſancita pax fuerat, ea haud diù ſtetit. 1649.

Leopoldum ſuprà ab Axonâ amne ad Regni, dein ad Belgii fines deduximus, quò Ypras oppugnare denique decrevit, priùs quàm Gallorum animi ab partium ſtudiis ad reipublicæ curam ſatis eſſent converſi, neque fefellit ad prohibendum incœptum nondùm ſatis concordiæ nobis, aut copiarum eſſe. Igitur ſuas finibus noſtris egreſſas Ypras duci jubet: illis præerat Sfondratus, præmiſſi equites haud procul urbe ſtationes habuêre, dein hanc pedites quinis caſtris circumſedêre. Qui Urbi per Palüavii Præfecti abſentiam Propræfectus erat, *a* Beljocus complures oppidanos ſibi parùm fidos ratus ſtatim dimittit. *a* Le Marquis de Beaujeu. Dies undecim hoſtes ſeu muniundis caſtris operam dabant, ſeu ſegniùs primùm oppugnabant urbem, nihil ne adversùs eas quidem quæ foris erant munitiones operæpretii fecêre, IX. denique Calend. Maias foſſas ad urbem versùs ducere cœpêre, neque intereà noſtri ceſſavêre: nam eruptionibus crebris morari hoſtes, partim cædere, alios ſauciare, nihil ipſis tutum, aut quietum pati, procul, juxtáque ſitos manu, ſclopetis, tormentis petere.

Neque id unum Leopoldus incœpit, ſed & per Fuenſaldanium Venantii-fanum ad Legiam amnem oppidulum, neque opere, neque præſidio ſatis firmum oppugnavit, quod quinto denique die ab Præfecto deditum eſt, dein Fuenſaldanius ad caſtra circùm Ypras venit. Lamboïus intereà ad Moſam cum Germanorum copiis, Carolus Lotharingus Oceanum versùs, Leopoldus apud Comenam ad Legiam haud procul Ypris erant, intenti omnes, ut ne quà noſtri in Belgium irrumperent. Apud Ypras hoſtes cuncta expugnandis quæ foris erant munitionibus parabant ſedulò: contrà rei conturbandæ noſtri ab Urbe pergebant crebrò erumpere, ultrò, citróque cædes, ſed multò plures hoſtium fiebant: poſtremò Leopoldus ab Fuenſaldanio certior factus eo loco rem eſſe, ut in munitiones quæ extrâ mœnia erant, evadere copia eſſet, ipſe in caſtra venit: IV. Non. Maias, dato tormenti ſtrepitu ſigno hoſtes in eas munitiones evaſêre, dein noctu exteriore foſſæ la-

1649. bro potiti ſunt, poſtridiè noſtri id labrum recepêre, dein & eo, & omnibus extrà murum munitionibus, præterquàm ab ſemilunâ ante Buſingenam portam, pulſi ſunt.

Poſtremò Beljocus qui per Palüavii Præfecti abſentiam præerat urbi, vir fortis, qui multa, ac præclara propugnando facinora fecerat, ſibi conſcius ſatis, ſuperque ad rem publicam, & ad gloriam, hoſtium vim ſuſtinuiſſe, quæ ampliùs faceret, ea ſibi modò, ſuiſque perniciem allatura, ad deditionem adjecit animum. Hujus leges honorificæ ab Leopoldo dictæ, ſicut & hominis, & præſidii virtute dignum erat. Mille ſexcenti urbe egreſſi, ornati militariter, cum duobus tormentis, Furnas agmine iêre: datum de more ab Leopoldo præſidium, quod ab injuriâ diſcedentes prohiberet, præterea jumenta, carrique vehendis tormentis, impedimentis, ſauciis, ægriſque: nongenti è noſtris, ex hoſtibus millia propè ſex deſiderati, neque tamen viginti ſex ampliùs dies Yprarum oppugnatio duraverat, ſed acriter utrimque geſta res: cæteræ Leopoldi copiæ reficiundi ſui causâ, quoniam tot noſtrorum eruptionibus peſſimè habitæ ad reliqua belli per hæc æſtiva parùm idoneæ videbantur, ſub tectis per vicos Ypris vicinos agitavêre.

Rex, atque Regina mater dum Ypræ oppugnabantur, Compendium ad Eſiam amnem proceſſerant, cogebaturque apud Peronam exercitus, quod oppidum procul ab mari ad *a* Phrudim amnem eſt: alter & exercitus haud procul Dunkercâ cogebatur, qui huic oppido, atque aliis ad Oceanum per hæc bella ab Rege occupatis præſidio eſſet. Armamentario regio apud Urbem magna inſtrumenti bellici copia evehebatur, navigiis quæ ad portus Sequanæ ſtabant imponenda, ut ad exercitus deduceretur: ea res plebem nondum ſatis tranquillam commovit, ut hæc ſicuti adversùm ſe parata avehi prohiberet: ſed hanc decreto coërcuit Senatus, ſimul de famoſis libellis, ut ne ab quoquam fierent, aut vulgarentur, ſeverè cautum, nam in Urbe maleſaciundi quodammodò, nondùm maledicendi finem fecerant.

a La Somme.

Itaque nihil in Aulâ tam arduum, quò non hujus rei licentia per bellum civile impunè cœpta adſcenderet, quotidiè novi quidpiam hujuſcemodi in vulgus edebatur, quæ res plebem mirificè delectabat, atque adeò qui talia per Urbem venalia circumferebant, ii ubi prehendi cœpti, duoque ad ſupplicium trahebantur, ibi multitudo cogi, fremere, indignari, poſtremò è lictorum manibus eripere noxios, neque quidquam penſi ampliùs, aut ſancti habere, uti cunctis qui multitudinis implorarent fidem omnia impunè futura viderentur, donec noviſſimi tumultûs memoria mentibus paulatim deceſſit, ac tum demùm plebes in Magiſtratuum poteſtate fuit.

Exercitum cui Turena antehàc præerat ab Erlaco Briſiaci Præfecto retentum in fide ſuprà memoravimus, quem ipſe in Galliam adducere juſſus eſt. Germanis equitibus, peditibuſque conflatus erat, qui ab finibus ſuis abduci ſe ægrè ferebant: eo primùm duæ equitum alæ ſeceſsêre, quæ Erlaci ipſius erant, per Alſatiam, & vicina loca copio-

ſè, atque liberaliter haberi ſolitæ, quo aſperiorem quæ futura videbatur, militiam abnuebant, ſtipendiumque procaciter flagitabant, quod fraudatum ab ducibus, averſaſque domum per hyberna collationes querebantur: dein ubi pecunia in ſtipendium deerat, dilaceratis fœdè vexillis, in vicinos Helvetiorum fines dilapſi, nuſquam uti redirent adduci quivêre; cæteri inopiâ ſtipendii quacúmque iter erat populari omnia, haud ſecùs ac ſi in hoſtico eſſent agere, nova, atque inaudita crudelitatis exempla edere, quarum rerum famâ Senatus permotus decrevit uti ſignificatione per vicos Campanæ pulſu, ut in tumultu ſolet, factâ, cuncti Germanos ſicuti latrones invaderent, cæderentque, quod rectè, atque ordine factum fuerit, necne, aliorum judicium eſto. 1649.

Imminuto duarum alarum diſceſſu, & fugâ aliorum equitum, peditumque Germanico exercitu, placuit alias equitum copias conſcribere, datum id Roſæ Tribuno negotium, qui Germanicis inveteraverat bellis. Is ubi aliquot ſcripſerat in Alſatiâ equites, eos in vicinum Baſileenſis Epiſcopi agrum mittere conſtituit, præmiſitque quatuor qui loca ei rei idonea deligerent, frumentum, cæterumque commeatum iis alendis imperarent. Erat tum fortè cum Baſileenſi Epiſcopo quidam è Senatu Solodorenſi, cui Civitati, ſicut & cæteris Civitatibus, pagiſque Helvetiorum Catholicis cum Epiſcopo fœdus intercedit, & quotannis per vices quempiam ex Senatu quæque ſuo deligunt, qui hunc conſilio, & operâ adjuvet, ſicuti hoc anno Solodorenſes fecerant. Hunc Epiſcopo autorem fuiſſe mihi fit veriſimile, ut hos quatuor præmiſſos ab Roſâ equites finibus ſuis pelli ab plebe juberet, quæ grege facto reſtitantes, ac propugnantes necavit.

Continuò Senator Solodorenſis ut id Epiſcopo impunè eſſet, Solodorenſes per litteras monet, ut ad Labardæum Regis apud eos Legatum adeant, factum excuſent. *Contrà pacem Monaſterii Veſtfalorum nuper ſancitam veniſſe* dicant, *hos quatuor equites, eadem atque antehàc per bellum in Baſileenſis Epiſcop. terris uſurpantes, quæ plebes in vicis ſuis tolerare nequiverit, tam diuturnis malis exaſperata, quæ ne per pacem quidem deſinant. Quod injuriam probibuerit id ſuo jure feciſſe: prætereà Quæſtorem quem Erlacus apud Delmontem* (id oppidum Baſileenſis Epiſcopi eſt) *dudum habeat exigendis collationibus, aut ſponte revocandum ab Erlaco, aut eo cunctante abigendum videri, quando & hyberna, & collationes per pacem deſierint.* Hæc Solodorenſes Labardæo dixêre, atque addidêre. *Si quid ob equitum cædem adversùm Baſileenſem Epiſcopum illius ulciſcendi causâ fiat, ſe amico, ac ſocio Principi non defuturos, & quo id fortiùs faciant, quas Rex è Civitate ſuâ mercede conduxerit Centurias, eas ſe accerſituros, ut Epiſcopo præſidio ſint.*

Labardæus hujus omnis rei quemadmodum geſta eſſet ignarus, tamen Solodorenſes docet, *Nondum exiſſe diem, quâ & Gallis, & Germanis copia ſit & imperare ubicúmque per bellum ſolebant, collationes, & militibus hyberna, aut ſtativa deligere, atque adeò neque rectè, neque ordine feciſſe*

1649. *Baſileenſem Epiſcopum, aut quemquam omnium, qui iſthæc aut probibuerit, aut probibere velit. Si eâ modò causâ cæſi fuerint equites, injuriâ cæſos fuiſſe, animadvertendumque in eos qui banc patraverint cædem: quod ſi faciat Epiſcopus, nibil ipſi ab Rege, aut ab bis qui Alſatiam vicinam obtineant, periculi eſſe. Quæſtorem qui apud Delmontem agitet, ſi minùs acceptus Epiſcopo ſit, poſſe ab Erlaco amoveri, in cujus locum alium ſufficiat. Solodorenſes neque alias Helvetiorum Civitates, Pagoſve Catholicos, ullo fœdere illigatos Epiſcopo, quo Regem ab jure probibere teneantur: cæterùm in eo negotio ſi quid ipſis gratificari poſſit, id lubentem facturum.*

Solodorenſibus ita dimiſſis Labardæus continuò ad *a* Carlevoſium Briſiaco Propræfectum ſcribit, hortaturque hominem, uti quantocyùs Epiſcopi fines invadat, & ulciſcatur injuriam, priuſquàm Solodorenſes, aliique Helvetii Catholici de tuendo Epiſcopo Concilium habeant, quod jam indictum ſit: ſin ad id conandum ſeſe imparem ſentiat, faciat hunc certiorem, ut Helvetiis perſuadeat, illum eorum honoris causâ ceſſaſſe. Sed eâ hortatione Carlevoſius nihil indigebat, homo militaris, neque injuriæ patiens, qui tamen plurimùm confirmatus, lætuſque Labardæo probari conſilium ſuum protinùs movet, atque ad Epiſcopi fines ducit. Is poſt equitum cædem Quæſtorem abegerat, clàm acceſitis Delmontem agreſtibus, qui hunc ad cædem depoſcerent, quem ipſe periculo ſe velle eripere ſimulans autor fuit, uti per averſam ædium partem profugeret, quod certè compoſitô ab Epiſcopo, & ab Solodorenſi Senatore factum nemo dubitare poteſt. Is prædia apud, circúmque Delmontem habebat, quorum fructus viliores, & collationes fieri per bellum ſolitæ, & hyberna reddebant, quo magis ſtudebat his exonerare omnem hanc quæ in Epiſcopi ditione erat regionem.

a Charlevois.

Sed ubi Carlevoſius cum ſexcentis modò peditibus, & minùs centum equitibus Epiſcopi fines erat ingreſſus, tantus incolas qui armati editiora loca inſederant, metus cepit, ut ne conſpectum quidem noſtrorum tulerint. Miſſi continuò obviam ab Epiſcopo qui imperata facturum dicerent, hyberna, collationes, cæteraque in promptu eſſe, agreſtes qui equitum patraviſſent cædem profugiſſe, in eorum capita quæſtionem habitum iri, bona publicanda, ſicubi redeant ſumendum de his ſupplicium, de quibus ubi Epiſcopus fidem dedit, tum ab ejus finibus abductæ copiæ ſunt, ſatiſque habuit Carlevoſius hunc edocuiſſe, nihil ipſi adversùm Regis arma præſidii uſpiam fore. De his Carlevoſius ſubitò Labardæum fecit certiorem, atque hic Solodorenſes quid actum eſſet edocuit, qui adeò fruſtrà cæteras Civitates Pagoſve Catholicos ad conſultandum de re confectâ acceſſiverant, ſimul monuit quod cum Rege haberent fœdus, id ut cæteris anteponendum eſſe apud ſe ſtatuerent, ſcirentque ab tanto Principe nihil niſi grande ſperandum, metuendumve.

Mercurium Cæſaris Vindocini filium ſuprà memoravimus, cum Mazarino ſedulò egiſſe, uti pater, fraterque Belfortius cum ipſo redirent

in gratiam, atque hic Mancinam, quæ Mazarini ſororis filia eſt, uxorem duceret; id ſatis placuiſſe primùm Belfortio, victo tantâ viri gratiâ, atque potentiâ, ut injuriam ſibi ab eo pridem illatam ulciſci ſe poſſe deſperaret, dein mutaſſe ſententiam, ubi hujus rei per Senatûs, Populique in Mazarinum odia facultatem ſibi fore ſperaverat. Sed Vindocinus ſibi uſui fore credidit, ſi Mercurius ipſe Mancinam duceret uxorem, neque enim Mazarinum de rei navalis Præfecturâ quam dudùm ſibi mandari cupiebat, negaturum, atque alia ultrò ſibi, atque filiis obventura. Mazarinus eo hanc affinitatem pluris æſtimabat, quod præter Senatûs, Populique iniquam adversùm ſe voluntatem, Condæi animum varium, atque potentiæ avidum metuebat, cui augendæ nihil prætermiſſurus videbatur, quo magis eâ tempeſtate ſibi comparanda ſubſidia ſatis intelligebat: neque deſperabat ipſum Belfortium ad ſuas partes adducere, aut certè gratiam ejus, fidemque apud Senatum, Populumque minuere, ubi patrem, fratremque ſibi devinctos viderent. 1649.

Mazarinus homo prudens ſicuti priùs in Mercurii reditu, ita & in his cum eo Mancinæ nuptiis nihil niſi Condæi voluntate factum ſe velle ſimulabat: quâ illius obſequelâ permotus nihil his primùm obſtitit, quin & has ſibi probari ipſi Mercurio unà cum Gaſtone dixit, præcatus ut illi feliciter evenirent. Poſtremò Mazarinus Reginæ, Gaſtonis, atque Condæi voluntate de Mancinæ nuptiis per Rivieram cum Vindocinis patre, & filio ita egit, ut harum pacta apud Compendium, quò tum Aula agitabat, poſteà perſcripta ſint.

Sed de his poſt paulò Condæus ſententiam mutavit, perſuaſus ab Buillonio huic metuendum videri, uti Mazarinus per Vindocinorum affinitatem ſibi factioſorum in Senatu, atque Populi ſtudia conciliaret, cujus in ſe odium Condæus adversùm Urbem bellum nuper gerendo accenderat: idem *a* Peraltus ſenſit, ac denique *b* Chavignius, ubi in Aulam Condæi operâ redierat, ſicuti poſteà dicemus. Buillonius huic ſe pridem dederat in clientelam, & fidem, ſicuti memoravimus antehàc, quæ neceſſitudo haud dirempta fuerat, tametſi tantiſper Buillonius diverſas ab Condæo partes erat ſecutus, nequedùm enim ſpem abjecerat recuperandi Sedani, cujus rei causâ perturbatam, quàm quietam rempublicam malebat, quod quidem Condæi operâ eventurum denique providebat.

a Perault, Preſident des Comptes.
b Le Comte de Chavigny.

Sed cùm in dies incertior Condæi adversùm Mazarinum voluntas videretur, eo hic ſibi majora quærenda præſidia ſentiebat: nullum autem ſecundùm Reginæ gratiam, validius eſſe poterat, quam Gaſtonis benevolentia, atque adeò hanc ſibi per Rivieram ſedulò conſervandam probè intelligebat, quo magis huic de Cardinalatu animum explere ſe velle ſimulavit, qua de re ad Pontificem Rex de more ſcripſerat, neque tamen de Contio Mazarinus mutaverat quidquam, ſed ſpem modo Rivieræ fecerat illum extra ordinem Cardinalem creatum iri. At Riviera haud ſatis confiſus Mazarini fidei quod cum Condæo

1649. agere cœperat, ſcilicet uti fratrem uxorem ducere propagandæ genti regiæ, quàm in Ordine Eccleſiaſtico manere mallet, id ſibi porrò faciundum decrevit.

Contius per civile bellum Pariſinis Imperator fuerat, atque aliqua belli munia obierat, quæ ut ipſi cordi porrò eſſent Riviera percupiebat: eo pacis conditionibus quam Rex Edicto Pariſinis dederat, per Gaſtonem perfecerat, uti Contio Campania provincia quam obtineret, atque Danvillarium validum in finitimo Lucemburgenſi Agro oppidum cui Præfectus eſſet, traderentur, quibus rebus effici poſſe ſperabat, uti quæ ad bellum pertinerent huic magis quàm Eccleſiaſtica placerent, quæ planè poſthaberet, ac denique deponeret. Condæo multa, ac varia tum agitanti haud minùs curæ, quàm Mazarino fuit Rivieram ſibi adjungere, cui adeò ſpem fecit Contii fratris ab Cardinalatûs petitione avertendi, ſi ille ſibi amicus eſſe vellet, hujus tamen habendi ſtudium porrò ſimulaturum, ut ne cui alii Mazarinus hunc petere auſit. Ita Riviera Condæo, atque Mazarino uti Cardinalatum haberet denique, obſequi cogebatur, quod inter utriuſque diverſiſſima ſtudia difficillimum, ac ipſi denique fraudi fuit. Poſtquàm Condæus Rivieram ſibi obnoxium habere eſt arbitratus, atque hujus operâ Gaſtonem æquum fore, Contium fratrem, atque Condæam ſororem ſibi quàm maximè conjunctos habere ſtuduit, quorum operâ factioſorum, ſeu Funditorum Sectam ad ſuas partes adducere, aut hujus opes minuere conſilium erat.

Fortè accidit eâ tempeſtate, uti Ferdinandus Archiepiſcopus Colonienſis, atque Epiſcopus Leodienſis, Imperii Septemvir Maximiliani Baioariæ Ducis frater Alberti alterius fratris filium Maximilianum Henricum Leodienſibus Canonicis obtruderet, quem huic adjutorem, ac futurum ſucceſſorem deligerent. Id quidem præter morem eſt, cæterùm virorum Principum honoris causâ quandoque fit. Pigebat tamen Leodienſes Canonicos ut id facerent propè cogi gratiâ, atque potentiâ Baioarorum Principum, quæ ſi Ferdinandus hac re infectâ diem ſuum obiret, haud tanta apud ſe futura eſſet, ut ex horum voluntate ſibi Epiſcopum deligerent. Sed Ferdinando vivo, atque Epiſcopatum obtinenti quod poſtulabat id denegare, atque horum Principum obſtare potentiæ difficile erat, niſi ſi huic aut æqualem, aut majorem opponerent. Eâ gratiâ cum Condæo agunt, ac ſe Contium delecturos pollicentur, qui ſibi Epiſcopus foret, ſi ſe ab Baioarorum Principum vi tutos Condæus præſtare vellet. Hic omnem eam rem ad Regem, atque ad Reginam matrem ſicuti par erat, defert, atque adeò ad Mazarinum, qui cuncta quidem ſibi ſedulò uti Condæo morem gereret faciunda ſentiebat, cujus tanta in rem publicam, atque in ſe recentiſſima merita eſſent. Sed *Quod Canonici Leodienſes offerebant Condæo, atque Contio, id in futurum eſſe, nam in eorum non eſſe poteſtate Contium Leodienſem Epiſcopum deligere vivente, atque invito Septemviro Epiſcopo: nihil igitur in eâ re Condæo, atque Contio præſentis utilitatis eſſe, ſed ſpem meram:*

multa intereà dum è vivis Septemvir decedat, intervenire poſſe, quæ hanc vanam, atque inanem reddant. Jamjam autem Baioaricam ex quâ Septemvir oriundus ſit, lædi Domum, duos videlicet Imperii Septemviros Baioariæ Ducem, atque ipſum Colonienſem Archiepiſcopum ab Galliâ prorſùm alienari, quibus potius Regem favere deceat, ſicuti Ludovicus pater, & ipſe filius uſque fecerint. Ita ſe credere Condæum quæ ejus prudentia, atque in Regem, ac rem publicam ſtudium ſit, nuſquam æquum exiſtimaturum, ut hic pro re incertiſſimâ Septemviros duos quibus uſque æquis uſus ſit, abalienatos velit. Hæc tametſi vera erant, tamen Condæo nuſquam placuêre, ac propterea hunc ab Mazarini amicitiâ tum diſcedere cœpiſſe fama fuit. 1649.

Intereà Condæus Mancinæ cum Mercurio nuptiis magis adverſari videbatur, de quibus contemptim ſicuti longè imparibus loquebatur, ac de his cum Belfortio, & Nemoroſio egerat, quo has diſturbare vellent. At in Aula quid per reliquum æſtivorum faciundum adversùm hoſtes in Belgio eſſet, conſultatum eſt. Cameracum haud procul Peronâ poſitum eſt, oppidum magnum, atque valens, ſimul arx munitiſſima, atque diverſiſſimâ parte Caſtellum, quorum oppugnationi cùm nos longè impares eſſe Hiſpani crederent, nequaquàm rem tantam aggreſſuros ſuſpicabantur, quo fiebat ut in hac leve præſidium haberent, ita ut ſi de improviſo urbi appropinquaretur, & caſtra circùm ponerentur, brevî ad deditionem redigi poſſe videretur. Iſthuc ſicuti Condæi virtute digniſſimum huic oſtentare placuit, quo magis ſibi Belgium cum exercitu provinciam decerni ſtuderet. Sed id abnuit, rei difficultatem cauſatus, cui haud quaquàm pares tum Regis opes exiſtimabat: cæterùm tædebat Mazarini ſervire conſiliis, & hujus gloriæ, atque fortunæ operam ſuam, quam ſibi uni præterquàm Regi, ac rei publicæ proficere æquum cenſebat, commodare. Detrectante igitur Condæo hæc data Harcurio Comiti de quo ſæpiùs memoravimus, provincia eſt, viro principi rerum terrâ, marique geſtarum famâ clariſſimo.

Ibi verò Condæus ſibi in Æduos diſcedendum eſſe conſtituit, ut ne ſi maneret ad Aulam, quæ feliciter Harcurio de Cameraco evenirent, ea iniquo, quæ verò ſecùs, ea æquo animo accipere videretur. Tum ad hunc venêre ex Senatu Præſides, atque Conſiliarii officii, atque valedicendi causâ, quibus ſeſe Mazarino offenſum oſtendiſſe fertur, atque dixiſſe. *Hunc omnem ad ſe trahere rem publicam, quam unum ſe gerere videri velit. Quæ feliciter eveniant, eorum gloriam in ſe transferre, tametſi alienâ longè validiori operâ rei publicæ quæſitam: hunc non modò alienæ virtutis fructus intercipere, ſed & hanc quâ unà ſalvus, atque honeſtus uſque permanſerit, Reginæ ſuſpectam reddere: poſtquam populum fortunis ſpoliaverit, Senatûs autoritatem oppugnaverit, reliquum eſſe uti viros è regia gente Principes ea quam ex genere regio habeant gratia, atque potentia plane pellat, quo omnem, atque ipſam Majeſtatem per Regis pueritiam porrò uſurpet. Certè peregrinum, atque advenam nihil iſthic niſi per civium damnum habere poſſe.*

Dein profectus in Æduos non magis foris, quàm ad Urbem ani-

1649. mum inducere quivit, uti rei Navalis Præfecturam ſi hanc Regina deponeret, alteri quàm ſibi dari pateretur: eo Mazerolum ad Regem, ac Reginam matrem miſit, qui illam denuò ſuis verbis peteret, neque enim æquum cenſebat, quæ avunculi Mommorantii, dein Brezæi cujus ſororem uxorem duxerat, antehàc fuiſſet, eam Vindocino futuræ ſuæ cum Mazarino affinitatis mercedem dari: poſtremò ægrè erat ejus opes hac affinitate creſcere, nam tametſi Mercurius nihil factione implicatus erat, quia tamen Belfortius frater princeps hujus habebatur, metuebat ut hanc denique ſibi Mazarinus adjungeret: eò vel maximè aut Mancinæ cum Mercurio nuptias ſibi diſturbandas eſſe, aut Belfortium ab fratre ſejungendum, ſibique cum omni factioſorum grege adjungendum, aut ſi id minùs procederet, ſerendas inter eos diſcordias, atque alios aliis opponendos eſſe decrevit.

Marſillacus cùm Contio, & cum Condæâ ſorore congruebat, Gondius verò cum aliquandiù fruſtrà utriuſque animos tentaſſet, neque perfecerat, ut in ſua eſſent poteſtate, Belfortio conjunxerat ſe, quo videlicet ad ſuas artes haud ita perſpicaci facilè ex voluntate utebatur, perſuadebatque homini, ut ne cum Mazarino redire in gratiam, ac vulgi ſtudia amittere vellet, in quo ipſi ſpes, opeſque omnes ſitæ eſſent, nihil patris, fratriſque exemplo moveretur, quorum aliæ, atque ab ſuis diverſæ rationes eſſent.

Sed inter hæc Mazarinus tametſi in tam variis, ac diſſimilibus hominum ſtudiis, quæ in ejus modò perniciem congruebant, de rebus ſuis ſicuti par erat ſolicitus eſſet, nihil tamen quod ad rem publicam pertineret omiſit: nam poſt paulò quàm Ypræ receptæ ab hoſtibus fuerant, quæ diverſim primùm coactæ fuerant copiæ, eæ in unum conductæ ſunt, atque Harcurio traditæ, quo Imperatore rem publicam benè, feliciterque geſtum iri in Belgio rectè Mazarinus judicaverat. Huic Legati fuêre Villequierus Almontius, Fertimbaltius, Grancæus: Caſtrorum Præfecti [a] Broglius, Quincæus, Roncerollus, & Beliero-Pleſſius. Germani qui cum Erlaco per Campaniæ fines ad Phrudim amnem venerant, cæteris copiis conjuncti ſunt.

[a] Le Comte de Broglio.

Harcurius VIII. Calend. Sextiles ab Regni finibus primâ vigiliâ movit, & progreſſus aliquantùm equitum Germanorum millia duo, prætereà quingentos Scaldim amnem apud Vaucellas Cœnobium tranſire jubet, & ab eâ parte appropinquare Cameraco, atque eò ubi primùm luceſceret adeſſe: cis amnem quatuor Gallorum equitum millia, duo millia ſclopetariorum, prætereà tormenta quatuor præmittit, ipſe tripartitò agmine ſubſequitur cum reliquis peditibus, equitibus, ac tormentis. Inter equitum agmina duo medius procedebat, quorum alterum Villequierus, alterum Fertimbaltius ductabant, & ſimul cum ortu ſolis ſicuti conſtitutum fuerat, ante urbem advenêre. Ultra amnem Germani nondùm aderant, hunc tranſire apud Vaucellas prohibiti ab agreſtibus, qui eò cuſtodias agitabant, atque aliò tranſire coacti, quæ res itineri haud mediocrem, at ſummæ rerum damnoſiſſimam attulit

attulit moram. Nam intereà loci cohortes duæ, altera Belgarum, altera Hibernorum Urbem intravêre: has Buchaïno haud procul eſſe Villequierus per exploratores cognoverat, incertus eóne pergerent, quò magis Galli ituri videbantur, an Cameracum peterent. Villequierus quo de Buchaïno augeret ſuſpicionem, eò per ſimulationem proceſſerat, uſquedùm Germani ultrà amnem adforent. 1649.

Belgarum, atque Hibernorum cohortes & hæ ultrà amnem erant, cujus tranſeundi nulla Villequiero præterquàm apud Piſtrinum quoddam copia erat, tam probè ab hoſtibus munitum, ut huic expugnando tormenta opus eſſent: ſed hæc dùm advehuntur hoſtes facti certiores non Buchaïnum, at Cameracum ipſum ab noſtris peti, ipſi eò properavêre. Germani equites denique horâ poſt meridiem ſecundâ, qui luce primâ juſſi erant, advenêre: reliquum diei caſtra locata, & poſtridiè muniri cœpta. Hoſtes apud Duacum habebant caſtra, quos ampliora auxilia in Urbem introducere conaturos ſatis intelligebat Harcurius, priùs quàm munitiones noſtræ confectæ forent. Sed has facere properabat agreſtium quos ſecum adduxerat multitudo, præterea peditum pars qui in eo exercitu viginti millia fuêre. Igitur Leopoldus maturandum ratus ab Duaco Buchaïnum movet, quod oppidum paſſuum millia duodecim infrà Cameracum ad Scaldim poſitum eſt, auxiliis eò mittendis opportunum. III. Non. Sext. Leopoldus cum equitatu, Carolus Lotharingus cum peditibus Buchaïno profecti primâ luce haud procùl Harcurii caſtris conſedêre. Indè dimiſſis qui pluribus locis in ea impetum ſimularent, quâ parte minùs tumultuatum fuerat, eâ duo millia peditum ad Urbem evasêre, quæ res continuò Harcurium incœptum omittere coëgit.

Cameraco Præfectus erat Garſia Comes, qui ubi noſtri eò advenêre, fortè aberat: ſed continuò ubi acceperat hoſtes adeſſe, rationem inierat, quâ per eorum præſidia incolumis ad Urbem venerat: dein ſcripſerat ad Fuenſaldanium Comitem maturè mittenda duo millia militum eſſe, qui per intervalla munitionum, quæ ab noſtris nondùm erant confectæ, tranſire facilè poſſe videbantur, & qua id fieri poſſe putaret, ipſe docebat. Sed interceptis Garſiæ litteris, quâ parte hoſtes ad urbem venturi eſſent, Harcurio notuit, nam plures uno exemplo Garſiam ad Fuenſaldanium ſcripſiſſe non dubitabat. Stationes igitur eâ parte quàm proximè inter ſe locatæ fuerant: ſed eâ die denſa nebula fuit, quæ conſpectum etiam in propinquo ademerat, quâ freti hoſtes nihil in itinere ad uſquè Urbis portas offendêre, ita ut quà tranſiſſent, ne ipſi quidem ſatis ſcirent. Inſimulati Germani ſunt negligentiùs egiſſe cuſtodias, ſeu quia verum fuit, ſeu hujus rei culpam Gallis in illos rejicere viſum, qui videlicet externi, dein quod in itinere morati fuerant, huic calumniæ opportuni videbantur.

Eâ tempeſtate Carolus Caroli Britanniæ Regis nuper ſecuri percuſſi filius in Galliam venit, ab Ludovico cui conſobrinus eſt, & ab Annâ matre perhumaniter acceptus, præterea regio cultu habitus, ta-

1649. metſi ab popularibus paternam hæreditatem adire, & Regnum capeſſere prohiberetur. Compendio quò Regem, atque Reginam matrem viſerat, Germaniſanum quò Henrica mater commorabatur, profectus eſt.

At Harcurius omiſſo ſicuti diximus Cameraco, apud Caſtellum in Cameracenſi agro ſtativa habuit. Tria modò paſſuum millia hoſtes aberant, atque ea vicinitas ſpem proximam faciebat pugnæ: ſed hæc vana fuit, nam Leopoldus poſt receptas æſtivorum initio Ypras, nihil antiquius habuit, quàm uti prælio abſtineret, provideretque ut ne hanc jacturam aliquo operæpretio Harcurius ſarciret.

Pacis quam in Germania ſancitam fuiſſe diximus, legibus cautum fuerat, uti quædam oppida, aut arces ab Ludovico, Ferdinando, & Chriſtinâ Sueciæ Reginâ in alieno ſolo per bellum capta, aut occupata dominis reſtituerentur. Ferdinandus item ab Philippo Hiſpaniæ Rege Frankendalium Carolo Ludovico Palatino reſtitutum iri receperat, tametſi neutri id facere conſilium eſſet, Philippo quia Hiſpanis diſciplina eſt nihil eorum quæ vi, aut dolo occupaverint, uſquàm reddere, Ferdinando quoniam nihil niſi ex Hiſpaniæ Regis voluntate facit. Sed Imperii Ordines ex compoſito cum Gallis rationem iniêre, quâ utrumque adducerent, uti cupidiſſimè Frankendalium redderent: poſtulant eâ gratiâ aut ut Erenbreſteïni-Petra (arx eſt Trevirenſis Septemviri ad Rhenum poſita) Septemviro Moguntino ab Ferdinando permittatur, dies dicatur antequàm Hiſpani Frankendalio abſcedant, quæ ubi exierit, ſi nondùm abſceſſerint, ibi Erenbreſteïni-Petra Gallis tradatur, quam reddere Trevirenſi Septemviro debeant, ubi Hiſpani Frankendalium Carolo Ludovico Palatino reddiderint: aut uti Belfelda ſtatim Gallis permittatur, quam item Frankendalio ab Hiſpanis reddito & ipſi reddant.

Erenbreſteïni-Petram præſidio Ferdinandus tenebat, ereptam Gallis, quibus hanc Trevirenſis Septemvir antehàc permiſerat, neque quidquam Ferdinando in manu erat magis idoneum, quò ſuam de Frankendalio exolvere velle fidem oſtenderet, ac nihil ſibi de hoc ab Philippo retinendo cum eo conſilii eſſe. Sed cùm alter vix Erenbreſteïni-Petram, dimittere vellet, alter Frankendalium reddere planè nollet, res omnes inter Gallos, Suecos, & Imperii Ordines miſcere ſtuduêrunt. Carolo Palatino qui Legatus ab Chriſtinâ Sueciæ Reginâ Nurimbergam venerat, per homines fidos perſuadent, quoniam Frankendalii negotium ad Carolum Ludovicum Palatinum ejus propinquum, quàm ad Gallos magis attineret, æquius eſſe pignore huic caveri, quàm Gallis, ſeu Erenbreſteïni-Petrâ, ſeu Benfeldâ traditâ. Id oppidum Argentorato haud procul egregiè munitum per hæc bella in poteſtate Suecorum fuit, cujus munitiones uti deſtruerentur, pacis legibus cautum fuerat, annitentibus Gallis, quoniam ab finibus ſuis in Alſatiam euntibus illàc futurum iter erat, quod interrumpi ab his qui tam firmum oppidum poſſiderent, nolebant: neque item Argentoratenſibus

placebat hujus oppidi munitiones ſtare, contrà fœderis Monaſterienſis leges, ab quibus nuſquàm diſcedendum cuncti cenſebant. 1649.

Sed Carolus Palatinus Legatus Suecicus nihil ſe Gallorum operâ egere credebat, ut id negotium conficeret: hujus tanta apud Chriſtinam Sueciæ Reginam gratia fuit, ut hanc ipſi brevî nupturam fama eſſet. Pace confectâ in Germaniam venerat, qui omnibus Suecorum copiis Imperator eſſet, quò adducti plerique ſunt, uti crederent hanc irritam fore: nemini enim fiebat veriſimile hunc Imperatorem eſſe voluiſſe, uti pacem agitaret, ſed potiùs uti ſe per ingentia belli facinora, victorias, ac triumphos dignum Guſtavo Rege invictiſſimo generum, & Chriſtinâ Reginâ virum oſtentaret. Sed omiſſo bello ad pacis negotia porrò animum adjecit, neque tamen in his quidquam operæpretii fecit, quàm uti quod de Erenbreſteïni-Petrâ, aut Benfeldâ inter Gallos, & Imperii Ordines convenerat, id diſturbaret.

Namque Auſtriacorum, atque Hiſpanorum fraudis parùm gnarus haud ſatis intelligebat Erenbreſteïni-Petrâ, aut Benfeldâ Carolo Ludovico Palatino pignori oppoſitâ, nihil de Frankendalio poſthàc mutaturos: nam illa Septemviri Trevirenſis eſt, per cujus damnum ſibi Frankendalium retinere nihil penſi habituri fuiſſent, de Benfeldâ multò minùs ſoliciti futuri, quia in hac nihil damni facturi erant, cujus munitiones ubi ab Suecis Epiſcopo Argentoratenſi Auſtriaco reſtitueretur, dirutum iri cautum fuerat: at maximâ Auſtriacorum intererat neutram penes Gallos eſſe, quorum potentiam in Germaniâ creſcere nolebant, atque adeò nemini dubium erat, quin hujus rei metu ad Frankendalium Carolo Ludovico Palatino reſtituendum adducerentur: ſed hæc fruſtrà & Galli, & Imperii Ordines Carolo Palatino Suecico Imperatori, atque Legato narravére.

Creſcebat in dies ſuper eâ re inter hunc, & Galliæ Legatos contentio, quæ uti deſineret *a* Valtortius denique Legationis Gallicæ apud Nurimbergam facilè princeps Imperii Ordinibus edixit, Regem ab Erenbreſteïni, aut Benfeldæ petitione diſcedere, & quod eâ de re cum iis convenerat, id ipſis concordiæ, & rei publicæ causâ remittere, tantummodò hortari, uti Pacis leges de diruendis Benfeldæ munitionibus haud irritas eſſe vellent, quod ad libertatem Ordinum pertinere cuncti judicaverint. Id Imperii Ordines haud in levi gratiâ habuêre, quo fides ipſis ampliùs facta, magis rei publicæ, quàm ſuâ causâ Regem in pacis negotio omnia facta velle.

a De Vautorte.

Sed ea vix ſatis ſancita erat, cùm jam hanc Ferdinandus Imperator ludibrio habebat: huic Ulricus Vitembergus vir in Germaniâ Princeps dudum merebat cum unâ equitum alâ, item alii Tribuni duo cum his quibus præerant equitibus, peditibuſque, quos in ſpeciem exautoratos, atque ab Ferdinando dimiſſos ſtatim Lumiares Philippi apud Viadanam Legatus mercede conduxit, qui militaturi adverſum nos in Belgio ſacramentum Philippo dixêre, neque in Germaniâ quiſquam in Belgium abeuntes attinuit, tametſi in eâ re pacem violari ſatis ſcirent, cujus le-

1649. gibus cautum fuerat, ut ne quibus copiis adverſùm hujus pacis participes militatum euntibus tranſitus daretur, atque hæc ab Germanis referenda ſaltem Gallis gratia videbatur, quorum ſimul, & Suecorum operâ pacem cum priſtinâ libertate adepti fuerant. Sed id more hominum evenit, qui ubi ſibi benè eſt, aliena parùm curant, magiſque memores injuriæ, quàm beneficii ſunt.

Dum Harcurius apud Caſtellum in Cameracenſi agro, Leopoldus haud procul ſtativa habebant, hic Sfondratum ad Legiam amnem, & Oceanum versùs dimiſit, ſicuti quidpiam operæpretii eò Hiſpani molirentur: commeatus omnibus qui in eâ regione ſunt locis imperati, præterea agreſtium magnus ad opera faciunda numerus, apud Neoportum ſcaphæ complures conquiſitæ. Sed illîc Paliiavius Clerembaltius, cum equitibus mille ducentis, ac duobus peditum millibus apud Ouvinkercam ſtativa habebat, paratus, intentuſque quocúmque hoſtes flecterent, eò præſidium validum introducere. Fuêre qui exiſtimarent Sfondratum ab Leopoldo dimiſſum uti Sylva-Mottæum Caſtellum, quod noſtri præſidio tenebant, reciperet: verùm ubi Harcurium caſtra moturum fama vulgavit, ſubitò Sfondratus eſt ab Leopoldo revocatus.

Mazarinus ægrè tulerat obſidionem apud Cameracum ſolutam fuiſſe, ac tametſi introducta auxilia fuiſſent, tamen Harcurium & numero, & virtute militum fretum oppugnare oppidum, ac denique expugnare potuiſſe credebat. Contrà factioſi ad Urbem lætari id ipſi ſecùs eveniſſe, nullâ rei publicæ curâ, quam per Mazarini damna perditam, aut ſaltem labefactatam velle nihil penſi habebant. Sed Belfortius, & Gondius ſingillatim, *Malè conſultum Cameraci inceptum* dictitabant *dignum temerariis autoris conſiliis exitum habuiſſe: neque id Mazarinum rei publicæ, ſed ſuæ causâ deſignaſſe, qui ad exemplum Balagnii, ſibi Cameracum ab Rege dono dari voluiſſet, cum agro vicino, quibus finibus Balagnius quondam obtinuiſſet poſſidendum: hæc hoſpitem, atque advenam moliri, quo munitus adverſùm leges, has impunè violare, rem ipſam publicam, & privatas cujuſvis invadendo poſſit. Ipſum eâ gratiâ Picardiam provinciam, Ambianum Urbem, atque Arcem, Peronam quæ ſit in finibus agri Cameracenſis affectare. Regem ut ne ad Urbem veniat prohibere, quoniam eò cuncta pro lubidine facere pudor ſit Senatu coràm, atque omnibus bonis.* Ea res plebis animos afficiebat maximè, cui ex Regis ad Urbem commoratione ingens compendium eſt, atque adeò facilè erat hujus odia in Mazarinum fovere, qui Regem foris attineret. Ipſe tamen nihil his permotus de re publicâ benè, ac fortiter per reliquum æſtivorum gerendâ cogitabat.

Hunc inimicos, æmulos, hoſtes de gratiâ reconciliandâ, aut de pace ſanciunda ſecum agere lubentem ſinere diximus, uti pro temporum varietate iſthæc aut porrò faceret, aut omitteret. Nicolaus Bagnius Pontificis Nuntius, atque Michaël Moroſinus Venetorum apud Regem Legatus perpetuò cum eo de pace Ludovicum inter, & Philippum agebant, quibus hujus ſtudium de more oſtentabat. Penneranda tametſi

in Hiſpaniam ſe per Galliæ fines redire ſubitò velle ſimulaverat, cujus rei gratiâ ab Rege Diploma poſtulaverat, quo id tutò ſibi facere liceret, reſtiterat tamen uſque in Belgio, neque detrectabat cum Mazarino de pace colloqui: nam illi eadem quæ huic cautio erat, ſimulare videlicet Philippum nequaquàm pacem abnuere: præterea rebus noſtris haud ſicut antehàc ex voto fluentibus æquiores ſe quàm apud Monaſterium Veſtfalorum pacis conditiones habiturum ſperabat. 1649.

Igitur hujus colloquii ſpecie Mazarinus in Agrum Cameracenſem proficiſcitur, qui non longè ab Valentianis abeſt, quò Penneranda venturus erat. Apud Caſtellum in hoc Agro Harcurius ſtativa habebat, quò conſilium Mazarinus cum eo, Villaregio, ac Pralinopleſſio Equitum Tribunis, (uterque cum Mazarino venerat,) atque cum cæteris Ducibus habuit. Nihil operæpretii per reliquum æſtivorum fieri poſſe viſum: ſed una cura fuit ſublevare finitimæ Picardiæ plebem, longiùs in hoſticum progrediendo, uti Belgarum copiis exercitus aleretur. Igitur placuit Harcurium ſi quà fieri poſſet, Scaldim traducere copias, atque inſulam ingredi, quæ ab Amandi-fano nomen habet, intactum uſquè hoſtium agrum, opimumque. Mazarinus quamdiù in ſtativis fuit, cum omnibus, & cum Ducibus maximè colloqui familiariter, uniuſcujuſque patienter ſeu querelas, ſeu ſententias audire, habere liberaliter, colere donis, ac munuſculis, in convivium adhibere, prorsùs cuncta alia facere, queis & primorum, & vulgi gratia colligitur.

Germanos potiſſimum benignè Mazarinus appellavit, habuitque, & quia aut negligentiæ in cuſtodiis, aut proditionis ubi auxilia ad Cameracum tranſierant, inſimulati fuerant, eos hac culpâ liberavit: nam Regis litteras ad Oëmum Tribunum attulerat, quibus Rex Germanorum fidem, æquè ac virtutem collaudabat, oſtendebatque procul ab his proditionis abeſſe ſuſpicionem. Id ipſis neceſſe fuit, quos majores non ab omni culpâ modò, probrove, ſed & ab ipsâ culpæ opinione vacuos eſſe voluêre:eo hunc ab quo in ſe vulgata ſit in jus vocare tenentur, atque ita expurgare ſe, uti Judex hanc falsò vulgatam videri decernat, quod ni quis fecerit, aut ubi ſi ceſſet, improbus, inteſtabiliſque habetur, huic decedunt omnes, aditum, ſermonemque defugiunt, ut ne ipſi conſimiles habeantur.

Dudùm Leopoldus ex copiâ rerum ſuſpicabatur Harcurium Scaldim copias traducere tentaturum: quod uti prohiberet, per omnes ripas, ac vada valida diſpoſuerat præſidia, atque munitiones ubi opus eſſe exiſtimaverat maturè objecerat. Apud Neovillam tamen poſſe amnem trajici ſpem nactus Harcurius, eò cum ſclopetariorum equitum ſuâ, atque Condæi alis, præterea his quibus Arnaldus Corbevilla Tribunus eſt, properat, agmen gravioris armaturæ equites clauſêre. Neovilla vicus eſt paulò infrà Buchaïnum ad Scaldim: ex adverſo loca ſunt paludoſa caſtris habendis importuna, quò minùs Harcurium eò conaturum Leopoldus exiſtimaverat trajicere amnem. Ipſe apud Denaïnum Cœnobium paulò inferiùs ad eumdem Scaldim caſtra habebat, qui ubi nun-

1649. tiatum eſt ad Neovillam Gallos adventare, idoneum eò qui ripam adverſam defenſarent, militum numerum mittit: hi ſclopetis noſtros vicum ingredientes primùm infeſtavêre, qui viciſſim perforatis ædibus, quæ propiores amnem erant, & ipſi adversùm hoſtes crebras emisêre glandes: ſclopetarii equites ſicuti diximus fuêre, quibus diſciplina eſt equos ſicubi opus eſt omittere, & pedibus pugnare: gravioris armaturæ equites intereà inſtructi in ſubſidiis fuêre, opperientes peditum quæ ſubſequebantur copias, cum impedimentis, tormentiſque.

Harcurius vir impiger ſubitò Broglium, & Belieropleſſium cum idoneo quemque equitum numero dimittit, qui ſuprà, atque infrà Neovillam explorarent, ſi quà fluminis trajiciundi major aliò facultas foret: ipſe circonſpectans apud Neovillam omnia, dum obverſatur amnis ripæ, fortè glans ab hoſtibus qui ſtabant ex adverſo emiſſa hominem ita afflixit, uti quod non fecerat vulnus, prohibente bùbalico tegumento, id ab medicis ſubitò fieri neceſſe fuerit, ex quo graviſſimo dolore affectus eſt: tamen equo ſe ſtatim imponi juſſit, factuſque obviam agmini peditum advenienti, hos ad amnem imperat deſcendere, pars ante ſe aggerem jacere, alii ſclopetis infeſtare hoſtem, donec levi perfectâ munitione omnes eminùs quantùm intercedente fluvio licebat, acriter rem geſsêre: ſimul nando Poloni, atque alii aliâ parte in adverſam evadunt ripam, funes queis ſcaphæ, atque alia navigia faciliùs traducerentur, dein pontem ex arundinibus confectum religant: plures ita tranſvecti amnem muniunt ſeſe, arcentque hoſtem, cæteri ſubſequuntur.

Leopoldus quem cum omni exercitu adventurum, pugnaturumque eâ die plerique arbitrabantur, & noſtris in fluminis tranſitu occupatis, atque ut ferè fit perturbatis interventurum, non ceſſavit modò, verùm etiam quæ habebat apud Denaïnum caſtra munitiſſima, iis continuò movit, Valentianaſque urbem in propinquo item ad Scaldim validiſſimam conceſſit. Perfecto intereà qui ab noſtris inſtitutus fuerat ſuper amnem ponte, omnia tormenta, atque impedimenta traducta, caſtraque Harcurius eadem apud Denaïnum, quæ anteà Leopoldus, habuit.

At is ſeu virtuti ſuorum diffidens, ſeu re apud Cameracum in tuto collocatâ ſatis habebat Harcurium prohibere, ut ne quid ſimile aliò tentaret, apud Valentianas Scaldim exercitum traduxit, ut amnis ſicut antehàc mutatâ modò ab utriſque ripâ intercederet: ſed nondùm omnes Leopoldus traduxerat copias, cùm equites Galli, Germanique ab Harcurio præmiſſi advenêre. Noviſſimum hoſtium agmen in Valentianarum ſuburbio reſtiterat, ſexcenti equites, mille ducenti pedites fuêre, Lotharingi veterani omnes: hos noſtri acriter adorti parùm initio profecêre, nam in viis cavis, inter hortos, ac macerias haud timidi reſiſtebant, ac tametſi equites pulſi, pedites tamen nihil territi glandibus propugnabant. Tormenta ab Urbe, atque ſclopetarii ab mœnibus haud quaquàm intereà ceſſabant, quod etſi Lotharingis addebat animos, tamen noſtris tanta virtus, atque audaciâ fuit, ut hoſtem propulerint: his Villequierus, & Belieropleſſius cum Harcurii ſclope-

tariis equitibus ſubſidio venerant, qui perſequentes hoſtem in ſuburbium ipſum unà introiêre, compluresque inſpectante qui intrà portas Valentianarum erat Leopoldo ab noſtris cæſi, quanquàm deterrendis iis ab ſuburbii ingreſſu primæ hujus ædes incenſæ fuerant. 1649.

a Steinvilla qui peditibus Lotharingicis præerat ab noſtris captus, abductuſque eſt, unus modò Helvetius Vicecenturio deſideratus ex noſtris, *b* Entraguæus dùm hoſtes propiùs urbem perſequitur, ab his viciſſim captus eſt, atque abductus: omninò & apud Neovillam, & apud ſuburbium ab Harcurio præclarè, ac more inſtitutoque ſuo geſta res eſt. Sed hæc ad ſummam belli haud magnoperè pertinebat, nam oppidis in hoſtico potiri, is demùm belli fructus eſt, quem noſtri quotannis ante civilem tumultum capiebant: contrà hoſtes hoc anno Ypras, prioribus æſtivis Landrecium, atque Armentariam, & Curtracum receperant, ita primùm Sociarum Civitatum ubi ab fœdere diſceſsêre, dein noſtrâmet culpâ, & partium lubidine Galliæ fortuna mutata. *a* Steinville. *b* Entrague.

Sed Harcurius traductis Scaldim copiis opimo hoſtium agro potiebatur, qui ſicuti inſula Scaldi, Scarpâ, atque Sanceto amnibus continetur. Is frugum fertiliſſimus ex Amandi-fano ſicuti diximus nomen habet, quod oppidum ad Scarpam, Condæum è regione ad Scaldim poſitum eſt, item Duacum ad Scarpam è Valentianarum regione. Apud Duacum validum Leopoldus equitum, peditumque collocaverat præſidium, urbi, ſimul & agro tuendis: haud procul ab urbe ſtatio erat equitum, neque longè ab eo loco Harcurius poſuerat caſtra, qui & ipſe pro caſtris ſtationem equitum habebat: hæc vicinitas hortabatur, ut hoſtium cuſtodiam pelli juberet, qui id ipſum ſicuti res monebat, ſuſpicati ab Duaco venêre ſubſidio ſuis.

Harcurius tunc cùm maximè quæ huic incœpto uſui erant parabat, quatuorque equitum qui in ſtatione erant turmis totidem turmas alias adjunxit, quas omnes ad hoſtem duxit. Comitati ſunt Imperatorem Villequierus Legatus, Quincæus, & Roncerollus caſtrorum Præfecti, multi præthereà nobiles, adoleſcenteſque primarii, qui virtutem, famamque Harcurii ſecuti voluntate, atque ſumptibus ſuis in eo exercitu militabant. Inter hæc nuntiatum adventare hoſtes, qui tametſi majore quàm noſtri numero erant, tamen ab Harcurio ultrà foſſam quæ viæ militari ab latere fuit, pulſi ſunt. Eò Croatarum equitum manus (ſeptingenti fuêre) catervatim ſicuti advenerant, redintegrant pugnam, quos Villequierus, Quincæus, & Roncerollus præclarâ Nobilitatis quæ voluntate militabat operâ uſi fudêre, atque fugavêre: tantum hoſtis perſequendi ſtudium pleriſque fuit, ut ad urbis portas modò ceſſarent, ægrè ab Præfectis, Tribuniſque, atque ab ipſo Imperatore denique retracti, tametſi ab mœnibus, turribuſque ſclopetis, ac tormentis peterentur.

Dum hæc foris geruntur, interea domi plerique omnes Mazarino invidere miſerè: ſed huic ſingillatim Condæus ex negatâ rei navalis Præfecturâ, ac multis aliis de cauſis in dies infenſior erat, neque huic ægrè fuerat Cameraci incæptum ſicuti prædixerat, ſecùs ceſſiſſe. Hic

1649. tùm ad Aulam redierat, quæ dudùm apud Compendium morabatur: cumque Senatus, Populuſque Regem ad Urbem redire magnoperè cuperet, Condæus ut id fieret palàm, ac publicè autor erat, jubenti magis, quàm conſulenti ſimilis, atque Gaſtonem ut idem ſentiret, diceretque compulerat, nihil admodùm obſtante Rivierâ, quo magis operâ ſuâ Mazarinus apud Gaſtonem egeret, atque ita Cardinalatum adipiſceretur denique, ad quem habendum hujuſcemodi opportunitatibus, ac magis neceſſitatibus egere ſe ſatis intelligebat. Mazarinus tametſi veriſimile erat hunc daturum operam, ut Aula foris agitaret, uſquedùm omnem adversùm ſe Senatûs Populique invidiam tempore dilapſam judicaret, tamen cùm omnis ei rei interjecta mora augendæ magis, quàm minuendæ invidiæ eſſet, nihil obſtitit quò minùs fine æſtivorum Aula de more rediret ad Urbem, quæ res ab omnibus jamdiù exoptata cunctis in Urbe Ordinibus lætiſſima accidit. Regi igitur, atque Reginæ matri advenientibus Mombaſonus Præfectus Urbi, Mercatorum Præfectus *a* Feronius Præſes cum aliis Urbanis Magiſtratibus obviam proceſsêre, dein frequens effuſa portis multitudo feſtivis clamoribus hanc celebrantes diem, & feliciter Regi, atque Reginæ matri precantes, Mazarinus in rhedâ unà cum his erat, ſicut eos ipſe reduceret, nec tùm ob eam rem inviſus plebi.

a Le Preſident le Feron.

Intereà Harcurius ad Arleuxium habebat caſtra, quid faceret incertus, quando ab hoſte nulla fiebat pugnandi poteſtas, qui & ipſe apud Amandi-fanum ſtativa habebat, quod oppidum ad Scarpam poſitum eſſe diximus. Nam Leopoldo cautio erat, uti perpetuò caſtra ad amnem locaret, uti quâ parte amnis noſtri adventarent, eâ relictâ trans amnem eſſet in tuto. Valentianas, atque Duacum quæ oppida in eâ regione validiſſima ſunt, atque tùm præſidiis inſtructiſſima, oppugnare tam vicino hoſte temerarium videbatur, atque etiam Buchaïnum: reliquum erat, ut ad Condæum Harcurius adjiceret animum, haud ita firmum, magnumque, ſed in hoſticum procedere volenti opportunum: nam ubi Scaldim eò trajeceris, nulla Bruſſellas uſque flumina tranſitu difficilia intercedunt. Igitur Arleuxio movit, idem & Amandi-fano fecit Leopoldus, ut ne hoſti opportunus foret, atque ad Mortaïnum conceſſit, quò impedimenta præmiſerat, ut expedito agmine ab Amandi-fano, ſi eò duceret hoſtis, abſcedere copia eſſet. Harcurius Valentianas versùm iit, atque haud procul urbe poſuit caſtra, ſtatimque equites quingentos, & millia peditum duo Gallos, Germanoſque qui Condæum obſidere inciperent præmittit, ipſe de ſecundâ vigiliâ eòdem ducit, ſuburbium per Broglium caſtrorum Præfectum occupat, ac perforatis ædium muris oppidi foſſæ eſt appropinquatum, atque continuò admota tormenta.

Qui oppidum defenſabant, ii eminùs, & cominùs propugnabant acriter; tantâque agebant vi, ut Harcurio veniret in mentem hunc eſſe primum, eumdemque ultimum eorum conatum, atque egregiè tum ſuſtentatâ re deditionis conditiones ſi honeſtæ ferrentur, accepturos.

Sed

Sed hunc ea ſpes fruſtrata eſt, quamobrem acriùs ab noſtris geſta res eſt, tantumque tormentis labefactata ſunt circà oppidi portam omnia, ut ad hanc brevî aditum fore nemo dubitaret. Iterùm igitur mitti ad Præfectum placuit, qui atrocia minaretur, ni protinùs deditionem faceret. Sed ubi tergiverſatur, porrò tormentis mœnia quatiuntur, quo factum eſt, uti ſubitò obſides mitteret, ac ſibi viciſſim mitti poſtularet, & quas Harcurius ferebat conditiones, eas lubens acciperet. Secundùm has deditum Harcurio cum Arce oppidum eſt, quo Præfectus cum quingentis peditibus, & equitibus quinquaginta eſt egreſſus, atque hi omnes ſicuti convenerat, Valentianas cum idoneo præſidio deducti ſunt. Miſſi intereà fuerant ab Harcurio Grancæus Legatus, & a Igbius Anglus Caſtrorum Præfectus, cum equitibus mille ducentis Gallis, Germaniſque, qui vicos, & Caſtella ad Haïſnam amnem propinquum aut metu, aut vi redigerent in poteſtatem, ut ex his locis exercitui, Condæique præſidio frumenti, cæterique commeatûs copia eſſet, quod ab his factum eſt ſedulò, atque in caſtra prædâ onuſti cum aliquanto captivorum numero rediêre. 1649.

a D'Igby.

Finem æſtivorum hoſtes opperiebantur, quo Harcurium, atque omnem exercitum longiùs in hyberna intrà regni fines abire neceſſe erat, atque tum recipiundi Condæi copiam fore ſatis ſcibant, quod damni intereà uſque facerent, parùm ad ſummam rerum pertinere: Una igitur Leopoldo cura erat, necubi noſtris opportunus foret. Ita in aliquâ re occupatis haud procul aderat, ne latè vagarentur, ubi vacui erant, longiùs, neque tamen unius diei itinere abſcedebat. Igitur ubi Condæum captum videt, ab Mortanio quò acceſſerat, Tornacum Urbem magnam, atque opulentam diſceſſit. Difficiles noſtris tum erant commeatus, tametſi omnis ager obnoxius, atque omnia præter urbes loca in poteſtate eſſent: ſed in illas convecta fuerant pleraque omnia, quo fiebat, ut ex Galliâ frumentum advehere neceſſe eſſet. Apud Guiſium fuerant horrea inſtituta, quod ab Condæo bidui carros ducentibus itinere abeſt, intercedunt hoſtium oppida, atque in his valida erant equitum præſidia, quæ commeatus prohiberent, Landrecium, Cameracum, Queſnoïum, Valentianæ, prætereà viarum anguſtiæ, quæ paucos unà capiant, atque adeò inſidiis opportunæ: ut ab his tuti eſſent commeatus, magno equitum numero qui præſidio eſſent opus erat.

Conſumpto propè omni quem Grancæus, atque Igbius adduxerant commeatu, præterquàm quod ex eo in horrea apud Condæum collocatum fuerat, annonæ inopia in exercitu ſubitò futura videbatur: cui ut Harcurius præverteret, Villequierum Legatum cum tribus equitum millibus, ac trecentis ſclopetariis peditibus Guiſium dimittit, qui commeatus advehi juberet, atque his præſidio eſſet, dati qui adjutarent Quincæus, & Beliero-pleſſius Caſtrorum Præfecti. Hi Guiſio redeuntes apud Romirium cum carris quibus annona vehebatur pernoctavêre: Queſnoïum in propinquo eſt, quò hoſtes equitum duo millia, ſclopetarios pedites mille habuêre: hi noctu oppido egreſſi lo-

1649. cum inſidiis opportunum inſederant, apud rivum quemdam altero ab oppido lapide, Vilerſio vico haud procul: eò noſtris longiori, atque adeò tenui agmine tranſeundum erat, propter viarum anguſtias, neque primi ultimis, neque hi illis ſubſidio eſſe poterant.

Primum quod Quincæus ducebat agmen, id quidem rivum, atque anguſtias intactum ab hoſtibus ſuperavit, commeatuſque unà erat: ſed ubi noviſſimum quod Beliero-pleſſius ducebat, anguſtias ingredi cœpit, ibi verò equites hoſtium mille, cum manipulis ſclopetariorum è latebris conſurgunt, prodeuntque, & noſtros acriter aggreſſi magnoperè urgent. Beliero-Pleſſius nihil hoſtium impetu territus, hunc cum duabus modò turmis inhibet, intereà dum ſex aliæ rivum, atque anguſtias & ipſæ ſuperant, dein propulſis tantiſper hoſtibus poſtremò ipſe cum ſuis duabus turmis ultrà rivum, & anguſtias evaſit. Sed & eò hoſtes ab viarum gnaris aliquo circuitu deducti brevî advenêre, quos numero trecentos Beliero-pleſſius cum aliis recentibus equitum duabus turmis excepit, propulſavitque. Ex hoſtibus cæſi ampliùs centum, atque aliquot vulnerati, captique, octo modò è noſtris deſiderati, turmæ unius dux *a* Saſſeyus dum cupidiùs hoſtes perſequitur, ipſe ab his captus, abductuſque eſt. Aderat Villequierus qui ab primo agmine ad noviſſimum ubi ſuos premi ſenſerat ſubitò venerat, & cum eo Quincæus, atque alii, intervenit & pugnantibus Roncerollus ab Harcurio miſſus obviam Villequiero, ac commeatui, cum millibus equitum duobus & ſclopetariis mille, quo faciliùs hoſtis pulſus ad Queſnoïum uſque eſt; dein reliquum itineris noſtri pacatum habuêre.

a De Saſſey.

Cùm ſub æſtivorum finem difficiliores in dies commeatus eſſent, Harcurius ab Condæo Bruſſellas uſque equites dimiſit, qui vaſtarent agros, vicos, villas, caſtellaque expugnarent, atque inde frumenta aveherent: id & factum ad uſque amnem Sabim, quò Grancæus Malbugium oppidum, Eſderam Caſtellum, atque alia loca cepit, diripuitque: poſtremò vaſtatis circùm Condæum undequâque, aut direptis omnibus, ita ut cùm frumenti, tùm pabuli inopiâ eo agitare exercitus porrò nequiret, Harcurius oppido præſidium eduxit, videlicet haud ſatis firmo ad propugnandum, uſquedùm ab finibus Regni ſuccurretur, nam longiùs in hoſtico poſitum eſt. Dein exercitum quamdiù frumenti, atque pabuli copia fuit, in hoſtium agro circumduxit, alia aliò ſtativa habens, maximè Legiam verſùs, quò Sfondratus quidpiam moliri videbatur. Sed is opportunitatem nactus cum Harcurius longiuſculè abeſſet, Sylvamotæum Caſtellum quintâ die poſtquàm oppugnare cœperat, coëgit ad deditionem: poſt paulò Harcurius pleraſque omnes copias in hyberna dimiſit, ipſe verò ad Aulam rediit. At Beliero-pleſſius cum aliquanto equitum numero poſt Harcurii diſceſſum in hoſtium finibus porrò commorari juſſus eſt, & quid reliqui ipſis conſilii foret, explorare: nam tametſi annus in exitu erat menſe Decembri, nondum tamen quieſcebant, ſed quidpiam Legiam verſùs

moliri velle videbantur, aut ſi quò aliò ſpes rei benè gerendæ foret. 1649.

Eo Beliero-pleſſius equites Pernas ducit, quò ſtativa per octiduum habuit. Illinc diſcedere parabat, atque ad id copiæ inſtructæ erant, cùm per exploratores certior factus eſt, ad ſe hoſtes venire. Igitur quà adventabant educit agmen, ſtruebatque ipſis inſidias, cùm advenientium excitus ſtrepitu cum paucis equitibus obviam procedit, atque prælium incipit: at qui in inſidiis erant, ii vano metu adducti profugêre, ita ipſe qui primùm relaturus pedem pugnaverat, ut hoſtem ad locum inſidiarum pertraheret, tum reſiſtere coactus eſt, ac ſtatim miſit, qui ſuos bono animo eſſe juberet, atque ordines reſtituere, dum ipſe rem ſuſtentat: tanta intereà ejus, atque horum qui unà erant virtus fuit, ut hoſtem propulſarent. Sed is paucitate noſtrorum cognitâ procurrit iterùm, ac ni equitum turmæ duæ ſubſidio veniſſent, Beliero-pleſſius, cæterique ſummo in periculo verſabantur: propulit tamen hoſtem denuò, dein agmine pauliſper conſtituto iter ad Regni fines ſicuti conſtituerat ingreditur: locum apud noviſſimos ipſe deligit, ratus ſicuti res monebat, hoſtes crebris præliis iter noſtrorum morari conaturos: ſed quoties id incœpêre, toties ab eo, atque ab aliis qui claudebant agmen, inhibiti, pulſique ſunt, donec noſtri incolumes Auxium Caſtellum ad Autiam amnem pervenêre.

In Italiâ, atque in Hiſpaniâ citeriori nihil admodum aut ab noſtris, aut ab Hiſpanis eſt hoc anno geſtum, tametſi his magna copia fuit: nam in Provinciâ Italiæ finitimâ, item in Aquitaniâ, quæ ad Pyrenæum pertinet, tumultuatum ab popularibus, atque adeò quæ in Italiam, & in Hiſpaniam decretæ fuerant copiæ, eæ pleræque in provinciâ utrâque manere juſſæ ſunt. Provinciam obtinebat Ludovicus Valeſius Aletſius Comes, ſicuti antehàc memoravimus, cui cum Aquenſi Curiâ intercedebant ſimultates. Curiis juris dicundi, qui provincias obtinent, iis bellicæ rei cura eſt: his Nobilitas quæ arma tractare ſolet, illis plebes quæ ſe Curiarum judiciis adversùm Nobilitatis potentiam, atque injurias munitam vult, favere ſolet: cæterùm in inſtituendis Curiis, qui provincias cum Imperio obtinent, eorum moderandæ potentiæ Reges ſtuduiſſe aiunt, huic alteram opponendo. Nam ſicuti natura, ita & res publica contrariis ſuſtentatur.

Vidimus ſuprà Baremium ex Aquenſi Curiâ fidem Senatûs implorantem, atque poſtulantem, ut illi adjumento eſſet, quo regium Edictum de augendo in hac Curiâ Præſidum, & Conſiliariorum numero, ut alteris modò per vices Juriſdictio ſemeſtris eſſet, dum alteri quieſcerent, ac prætereà de unâ Libellorum Claſſe inſtituendâ abrogaretur. Contrà tum Aletſius Comes ſummâ ope nitebatur, ut Aquenſis Curia de juriſdictione ſemeſtri, ac de Libellorum Claſſe Regi morem gereret, quod nî ſponte faceret, hanc vi adigere parabat, atque eâ causâ Richelium navibus longis Præfectum, ac multos nobiles, & milites ſecùm Aquas Sextias adduxerat: prætereà adduxerat quempiam, qui unum ex novis Conſiliariorum in Aquenſi Curiâ inſtitutis Magiſtra-

1649. tibus ab publicanis coëmerat, operam daturus, ut in hanc Curiam admitteretur: hanc Aletſii haud gratuitam operam eſſe dictitabant, ſed venditatam publicanis, quibus horum Magiſtratuum venditio certâ pecuniâ in ærarium collatâ permiſſa fuerat: eo in Aletſium Curiæ Aquenſis invidia ingens, & in emptorem novi Magiſtratus tantum odium fuit, ut hunc inter Centuriones, Vicecenturiones, atque alia militiæ munia obire ſolitos complures ex Aletſii comitatu unà cibum capientem ſex homines perſonati, ut ne cognoſci poſſent, interfecerint. Aletſius hanc cædem vindicare in noxios parat, pergitque ſummâ ope niti, ut Edictum de Semeſtri Juriſdictione, & Libellorum Claſſe in Aquenſi Curiâ promulgetur. Aquenſes Præſidum, atque Conſiliariorum hortatu arma capiunt, *a* Carſius Comes Legatus in Provinciâ, & per Aletſii abſentiam pro Prætore eſſe ſolitus cum imperio, Curiæ, & Aquenſibus favebat, cui multitudine freto cùm Aletſius ſe imparem ſentiret, ei fidem dedit, ſeſe nihil prohibiturum quò minùs Aquenſis Curia poſt biduum ſicuti antehàc jus diceret, quod quidem facere prohibita fuerat, donec Edictum de quo memoravimus promulgaret.

a Le Comte de Carſe.

Intereà Aletſius clàm milites in urbem introducebat, quo factum eſt, uti plebes fraudem ſentiens arma caperet denuò, & Carſio, atque *b* Braſio Barone, aliiſque ex Curiâ ducibus in Aletſii milites qui ſe in Prædicatorum plateâ pro loco, & tempore muniverant, impetum facerent: cæſi pauci, arma cæteris adempta, atque urbe omnes emiſſi ſunt: Senatus verò contrà quàm Rex juſſerat, habitus, decretumque uti poſthabito de Juriſdictione Semeſtri, & Libellorum Claſſe Edicto porrò haberetur, Carſius in Provinciâ pro Prætore eſſet cum imperio (ita Aletſium in ordinem redigebant) qui tum apud Aquas ſextias Conſules erant, facti videlicet ex Regis, aut Aletſii voluntate, & qui negotia provinciæ procurabant, ii conjicerentur in carcerem, Braſius, atque Segueranus qui antehàc Conſules fuiſſent, in hoc etiamtùm Magiſtratu eſſent, uſque dùm alii ſubrogarentur.

b Le Baron de Bras.

Iterum hoc anno in Provinciâ motum quidpiam eſt: apud Draguignanum oppidum Judex quidam necatus fuerat, de cujus cæde uti quæſtio haberetur, quoſdam è ſuo Ordine Aquenſis Curia eò miſerat, quos armati equites, pediteſque ſecuti fuerant præſidii causâ: poſt paulò Carſius trecentos equites, ſclopetarios ſexcentos eódem miſit, quod quidem ſibi injurioſum ratus Aletſius, neque injuſſu ſuo cuiquam in Provinciâ quam obtinebat, milites cogere licere, continuò cogit ipſe copias, nobiles ſibi fidos evocat, quibus Aquenſes occurrêre: ſed ab Santandreâ, Villafranco, Adretſio, Francamonte, Sanfronſio, atque aliis fuſi fugatique ſunt: dein eò miſſus ab Reginâ Joannes *c* Stampæus Valancæus è Conſilio regio pacem Aletſium inter, & Curiam Aquenſem, Carſiumque conciliavit, pacataque demum Provincia eſt.

c D'Eſtempe de Valençay, Conſeiller d'Eſtat.

In Aquitaniâ Curia, Populuſque Burdigalenſis adverſùm Bernardum *d* Nogaretum Spernonium rem acriùs, atque pertinaciùs geſſêre. Is provinciam ſicuti Spernonius pater antehàc, tùm obtinebat, ab

d Le Duc d'Eſpernon de Nogaret.

quibus ſe dudùm graviùs habitos Burdigalenſes querebantur. *Superba patris, filiique fuiſſe imperia, nepotem a Candalium adoleſcentem cui eadem provincia deſtinetur, probè ſimilem avo, patrique eſſe, atque adeò nullum ſuperbè in ſe imperitandi finem fore. Tubæ-Caſtellum quod Urbi inſtar arcis ſit, Spernonio animos facere, uti quodcumque lubitum ſit, id adverſùm ſe incipiat audaciùs, quo ſublato minorem homini malefaciundi facultatem fore.* Intereà miſêre ad Regem, Reginamque matrem qui expoſtularent injurias, Spernonio provinciam adimi, atque alteri decerni flagitarent. Sed ea res Aulæ parùm probabatur, cùm quia præter morem erat, provinciam cuipiam datam adimere, pro lubidine plebis plerumque inconſultiſſimæ, tùm quòd Mazarinus ſibi Spernonium adjunctum volebat, conſiliumque erat homini uti *b* Martinoſſia ſororis filia Candalio Spernonii filio nuberet. 1649.

a Le Duc de Candale.

b Martinoſſi.

Primùm Regina Burdigalam miſit *c* Vayerum Argenſonum virum gravem è Conſilio regio, qui omni ope niteretur Burdigalenſem Curiam, Populumque cum Spernonio reducere in gratiam: quæ res tam difficilis fuit, atque aſpera, uti ſæpiùs inter plebis tumultuantis turbas ipſe, filiuſque dum has ſedare ſtudent, vitæ diſcrimen adierint. Sed qui Burdigalâ miſſi ad Aulam fuerant, ubi in Mazarino nihil auxilii eſſe vident, Condæum adiêre, quem ipſi iniquum eſſe ſcibant. Is nuſquam hos ſibi rejiciundos, ſed magis accuratè, ac liberaliter habendos cenſuit, ſi forte poſthàc ſibi, (ut ſunt humana) uſui eſſe poſſent. In Aquitaniâ Burdigalenſes domi, foriſque bellum adverſùm Spernonium ſumpſerant, quod variâ fortunâ gerebatur: nam extrà mœnia oppidani plerúmque minùs valebant, *d* Chambaretus è vicinâ Nobilitate his Dux erat, homo ſenex, neque ſatis belli ſicut hodie geritur ſciens.

c Le Vayer d'Argenſon.

d De Chambaret.

Is Liburnum verſùs eos duxerat, haud procul Urbe, quò Iſla Duranium amnem influit, ſex armatorum, ad ſeptem millia fuêre, quibus ex improviſo intervenêre *e* Marinus Comes, atque *f* Serra item Comes Caſtrorum Præfecti ambo, ille cum maritimâ, atque Aquitanicâ Legionibus, hic cum Crequii equitum alâ: ipſe Spernonius aderat cum plerâque quam evocaverat nobilitate, & ſclopetariis equitibus, quos cuſtodiæ causâ habere ſolent ii, qui provincias obtinent, ac denique Candalii filii equitum levis amaturæ turmâ, veteranus omnis miles adverſùm urbanum, tyronem, & collectitium, qui continuò diffûgit: Chambaretus modò cum paucis nobilibus generis, & priſtinæ virtutis memor reſtitit, & glorioſam mortem fugæ conſilio prætulit.

e Le Comte de Marin.

f Le Comte de la Serre.

Cùm id Burdigalenſibus ſecùs ceſſiſſet, haud difficulter cum Spernonio in gratiam rediêre, quod idem tamen Senatus nihil Populi exemplo permotus abnuit. Sed Spernonius hujus Ordinis audaciæ ulciſcendæ ſtudio, ab Reginâ ut ab Jure de more dicundo interdiceretur poſtulavit, id decretum quidem in Conſilio regio, atque huic rei per duos Conſilii regii Apparitores conficiundæ Regina Gaſtonem Joannem Baptiſtam *g* Comingium Cuſtodum corporis Ducem delegit: ſed hæc tentata co-

g Le Comte de Cominge.

1649. ram ipſo apud Burdigalam Spernonio Populum ad priſtinam revocavit inſaniam, ita ut Spernonius, atque unà Comingius incœptum omittere, ac ſtatim abire coacti ſint. Comingius tamen haud deſpondit animum, atque Portas oppidum ad Garumnam venit, eò & ab Senatu Burdigalenſi venêre quidam, ſed nihilo magis tùm profecit, quàm antehàc profecerat Argenſonus.

a Le Marquis de Sauveboeuf.

At Chambareto mortuo Burdigalenſes a Salbovium Marchionem ſibi Ducem delegerant: hic apud Petrocorios clarus genere novis rebus, atque factionibus perpetuò ſtuduit, Gaſtonis Sectam ubi ab Rege Ludovico fratre deſciverat ſecutus, atque tùm ex veteri diſciplinâ adversùm Regem filium arma ſumere nihil penſi habuit: idem fecit mox b Luſignanus Marchio, ac poſtremò c Theobonus. Sed d Guionetum aiunt ſuadere Buillonio voluiſſe, uti Burdigalenſibus Imperator eſſet: ille ſpecie pacis ab his miſſus ad Aulam, contrà quæ ad bellum gerendum pertinebant, ea pro virili apud Urbem agebat, cum factioſis in Aulâ, & in Senatu conſilia conferens, ac maximè cum Belfortio, & Gondio.

b Le Marquis de Luſignan.
c De Theobon.
d Guionnet.

Poſtquàm neque Argenſonus primùm, neque poſteà Comingius quidquam de pace ab Burdigalenſibus impetrare potuerant, pertendebantque ipſi poſtulare, uti Spernonio adimeretur Aquitania, atque alteri traderetur, Mazarinus quid facto opus eſſet haud ſatis expediebat: nam ſi his morem gereret, metuebat uti Condæus hanc ſibi provinciam dari vellet, ex quo majus rei publicæ periculum fore arbitrabatur, quàm ex Burdigalenſium in Spernonium odio, belloque. Sed viſum ad eos virum & virtute, & dignitate conſpicuum mittere, ac prætereà moderatiſſimo ingenio, atque adeò conciliandæ inter diſſidentes paci aptiſſimo. Is fuit Pralinopleſſius Equitum Tribunus, qui rectà Blaïam contendit: arx munitiſſima eſt ad Garumnam amnem, paulò infrà Burdegalam. Ubi eò advênit Burdigalenſes Tubæ-Caſtellum oppugnabant, ab quo incœpto nequicquàm eos deterrere conatus eſt: cùm verò Spernonius nihil eò auxilii potuiſſet introducere, poſtremò deditum eſt, ac ſubitò ab Burdigalenſibus dirutum, qui tanto operæpretio facto nullis conditionibus adduci ad pacem poterant, niſi ſi Reginæ placeret Spernonium amoveri.

e Le Comte du Daugnion. Louis Foucaut.

Intereà e Daugnionus Comes cum Claſſe Garumnam erat ingreſſus, multaque in propinquo Burdigalenſibus inferebat damna, quibus denique permoti Pralinopleſſio auſcultare decrevêre. Is in has conditiones pacem dedit, Ut ne Tubæ-Caſtellum donec Rex legitimam ad imperandum ætatem attigiſſet, reficeretur: oppidani portorio quodam ſuper vino in urbe, qui accolunt aliquâ ſectionum parte levarentur: quæ dicta, factave per hunc tumultum eſſent, ea ne cui fraudi, vel noxæ forent. Sed qui ſibi maximè, non Senatui, Populoque Burdigalenſi bellum gerendum ſumpſerant Luſignanus, & Salbovius, & qui cum his congruebant alii nihilò ſeciùs in Hiſpaniam miſêre, qui pecuniam ad belli ſumptus peteret. Hic ad Aro Comitem cujus maximè

operâ ad omnem rem publicam adminiſtrandam Philippus Rex utitur, deductus eſt, atque ab eo comiter, & liberaliter habitus: nihil tamen priùs in eo negotio ſibi faciundum Aro eſt arbitratus, quàm ſatis ſciret, quæ Factionis opes apud Burdigalam eſſent, & quem ex eâ fructum Philippus capere poſſet. 1649.

Eò *a* Battevillam qui finitimam Aquitaniæ Guipiſcoam provinciam obtinet, hominem Sequanum Burdigalam ire jubet, qui ubi advênit cum multis ex Curiâ, & cum aliis ſæpiùs conſultavit palàm, ac publicè, ſicuti Burdigalenſes ſui juris facti ſibi amplum, atque magnificum eſſe ducerent, ab duobus potentiſſimis orbis terrarum Regibus coli, atque amborum habere Legatos, alterum in Urbe, alterum in propinquo, conſultarentque utrius amicitiam mallent.

a Le Baron de Batteville.

In Italiâ poſtquam Caracena Franciſcum Ateſtinum Mutinæ Ducem ad pacis conditiones adegerat, noſtroſque dedito Pompaneſco, atque aliis hybernis Cremonenſi omni agro abſcedere coëgerat, omnem porrò belli gerendi cogitationem omiſiſſe videbatur, totus in apparandis iis quæ advenienti ab Germaniâ Mariæ-Annæ Hiſpaniæ Reginæ accipiundæ perhonorifica viſa. Hæc apud Tridentum cum Ferdinando fratre Pannoniæ, ſeu Ungariæ Rege erat, Ferdinandi III. Imperatoris liberi ambo, ac Philippo IV. Hiſpaniæ Regi ſororis filii, cui abſenti nuper apud Viadanam illa nupſerat, datâ utrimque, atque acceptâ conjugali fide, quod Philippi nomine ab hujus qui aderat Legato factum. Tunc verò nova nupta ad virum deducebatur, quam Ferdinandus frater in Hiſpaniam uſque proſequi decreverat, ſed Hiſpanos nolle aiebant, uti Mediolanum prætergrederetur.

Hunc rumor erat Mariam Thereſiam unicam Philippi filiam ſibi uxorem expetere, atque unà Hiſpaniæ Regnum quod virgini dotale futurum eſt, ni Philippo patri filii ex hac ſecundâ uxore naſcantur. Regina apud Mediolanum tantiſper commorata Finalem petiit, eò navim conſcenſura. At intereà dùm adventaret, Pimientus qui Hiſpanicæ Claſſi Prætor erat, Reginamque in Liguſtico mari opperiebatur, apud Oneliam Sabaudiæ Ducis oppidum, agrumque exſcenſionem fecerat, ac regionem hanc ad mare poſitam occupaverat, quæ poſteà ab Sabaudiæ Duce haud difficulter recepta eſt. Reginam Finalem petentem Caracena comitabatur, qui tametſi ab Sabaudiæ Duce per Pontificis Nuntium Reginæ verbis poſtulaverat, ut huic tutò per vicina illius finibus, atque præſidiis loca iter habere liceret, idque facilè impetraverat, copias tamen iiſdem admovit finibus, atque alias in eam quam Linguas appellant regionem ſecum duxit, quæ Reginæ præſidio forent: hæc regio ab Subalpinis, Montisferrati, & Mediolanenſi Agris ad Ligures pertinet.

Ubi navim Regina conſcendit, Caracena primùm Oneliam quantùm fieri poſſet muniri juſſit, quam Finalis Præfecto attribuit, dein Cebam, atque Albam Pompeiam Sabaudiæ Ducis oppida tentavit, ab illâ quam magno apparatu oppugnare aggreſſus erat, infectâ re, nec

1649. ſine damno diſcedere coactus. Reliquum æſtivorum utrimque factæ prædæ, ac Mediolanenſium rogatu Caracena operam dedit, uti copiæ quàm diutiſſimè in hoſtico morarentur, quo breviora, atque adeò minus gravia popularibus hyberna forent. Eâ gratiâ in Biellenſem Sabaudiæ Ducis Agrum copias immiſit, Biellam ipſam occupavit, infirmum oppidum, atque eò quamdiù commeatûs, & pabuli copia fuit, commoratus eſt, dein disjectis oppidi munitionibus Novembri denique menſe abiit, exercitumque in hyberna dimiſit.

a De Barry Marquis de S. Aunés. *b* Le Comte de Verrüe.

Gallicis in Italia copiis *a* Barius Santaunefius Marchio præerat, de quo ſæpiùs memoravimus, Villa Guidonis Villæ filius Subalpinis, & Sabaudicis, *b* Verrüæ Comes equitatui, qui omnes bonam rei publicæ operam hoc anno navavêre. Sed quia hanc Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis magis, quàm noſtris opibus in Italia ſuſtentatam oportebat, Rex principio anni huic Trinum, Suſam, Civaſium reddiderat, quæ Ludovicus pater, dein ipſe ſicuti fidei illius pignora præſidiis tenebat: ſed tempus monebat, ut alter alteri ſine pignore fidem haberet, quæ certè Sabaudiæ Duci ad ultimum integra fuit, atque ita ſe per hæc æſtiva geſſit, uti ſine ullo in Italia damno noſtro exacta ſint.

c Le Duc de Nevers.

Sed in Italia pridem Sabaudiæ Duces qui cis, tranſque Alpes, atque in ipſis montibus regionem ſatis amplam obtinent, ſibi Reges noſtri adjunxêre, ita ut plerúmque fœdera, atque affinitates interceſſerint. Poſteà verò quam Ludovicus XIII. Rex Carolum Gonſagam *b* Novioduni ad Ligerim in Galliâ Ducem cui Mantuæ, atque Montisferrati Principatus hæreditate obvenerant ita tutatus fuerat adversùm Auſtriacorum, & Hiſpanorum arma, ut in utriuſque Principatûs poſſeſſione permanſerit, hunc primùm Ludovicus, dein hujus nepotem Carolum Mantuæ Ducem (nam filius ante patrem mortem obierat) benignè habere, fovere, rem eorum, atque dignitatem tueri. Hoc & Ludovicus XIV. atque Anna mater porrò faciebant, quin & Caſalium ad Padum totius Italiæ munitiſſimum oppidum, Arcemque Ludovico XIII. ab Carolo Noviodunenſi permiſſa Ludovicus filius etiàm tùm præſidio tenet, adversùm Philippi, atque Hiſpanorum vires, doloſque tuenda, quod antehàc ſæpiùs ingenti ſumptu, ac magnis exercitibus trans Alpes miſſis Ludovicus pater fecerat. Sed neſcio quo pacto accidit, uti Carolo nepoti maturâ ad uxorem ducendam ætate nemo cogitaverit gallicam dare, atque in eâ re Hiſpanos antevenire, qui Elizabetham Claram Eugeniam Auſtriacam Alberti Oenipontani Archiducis filiam dedêre: quo factum eſt, uti proximo anno Ferdinandus III. Imperator Eleonoram Caroli ſororem viciſſim uxorem duxerit, atque adeò hic totus Auſtriacus factus fuerit, Anna Maria Ludovica Aurelia Gaſtonis filia Ferdinandi Imperatoris conjugio ob genus regium, & ingentes divitias, prætereà ob alia quæ mulieres deceant ornamenta longè dignior erat, ſed ea res tentata ſeriùs eſt, atque ab Hiſpanis quorum in poteſtate Ferdinandus eſt, diſturbata.

Præter Sabaudiæ, & Mantuæ Duces, Odoardus Farneſius Parmæ, & Pla-

& Placentiæ Dux ultrò ad Ludovici XIII. Regis partes pridem acceſſerat: de cujus hominis adversùm Mazarinum ſimultatibus, aut aperto potiùs odio diximus, quoniam ſe ab illo deſertum, ac Barberinis quem ſpoliarent, permiſſum credebat. Suprà diximus hunc Olympiam Aldobrandinam Camillo Pamphilio Pontificis fratris filio nuptam voluiſſe, quod ex ſententiâ factum fuerat. Sed quod Odoardus ex his ſperaverat nuptiis, Innocentium videlicet futurum in Aldobrandinæ mulieris adoleſcentis, ac pulchellulæ poteſtate, id verò prohibente ut ne illa in Pontificis conſpectum aut omninò, aut rarò veniret Olympiâ ſocru ſecùs ceſſit: quin & hæc ultionis in Odoardum avida quoniam ſuam apud Pontificem gratiam ab nuru præreptam voluiſſet, quæ antehàc Urbanus in illum de Caſtro oppido, atque Ducatu deſignaverat, ea ut ab Innocentio inſtaurarentur, operam dedit. Sed quod Olympia adversùm Odoardum incæperat, id hoc intereà mortuo Ranucio qui ipſi ſucceſſit filio fraudi fuit. Ranucius Ludovicum Regem demortui patris exemplo colebat, obſervabatque, qui tamen in Philippum, atque Hiſpanos propenſior erat. Adversùm hunc igitur Innocentius Pontifex eadem quæ antehàc Urbanus in Odoardum patrem eſt aggreſſus, Caſtrum videlicet nobile, atque opimum prædium in Agro Romano Pontificibus obnoxium publicando, aut Cameræ (ſicut aiunt) Apoſtolicæ addicendo. Id æris alieni ſpecie faciebat, quod Ranucio Romæ ingens erat, conflatum ab majoribus, cui ſolvendo oppoſitum fuerat pignori prædium. Sed hic, quemadmodùm antehàc Odoardus pater, ſecum ab Pontifice ſicuti cum privatis hominibus agi haud æquum cenſebat, neque tamen ullam æris alieni diſſolvendi quæ honeſta, & commoda eſſet, conditionem abnuebat: at nihilò ſeciùs Pontificii rem urgere, prædii fructus auferre velle, atque alia propè hoſtilia ſpecie juris facere. 1649.

Inter hæc Caſtri Epiſcopo mortuo, huic alium Pontifex ſuffecerat, nihil conſulto Ranucio præter majorum morem: nam tametſi Pontifices ſibi jus eſſe credant, ubicúmque Epiſcopos creandi, ac maximè in Italiâ, id tamen vix facere ſolent in regionibus alieno imperio ſubjectis, inconſulto earum Principe, quò gravius Ranucio fuit, id in ſe Pontificem comitatis omiſiſſe, atque eò res evaſit denique, uti qui Epiſcopus Caſtri ab Pontifice creatus fuerat, is Caſtrum iter faciens necaretur. Cædes hæc atrox omnibus viſa, quam Pontificii Ranucio tribuêre, neque indè id profectum facinus dubitabat quiſquam, atque adeò Caſtrum tùm ex formulâ ab Pontifice publicatum, & Cameræ Apoſtolicæ addictum, conjunctumque. Sed oppidum Ranucius præſidio tenebat, quod Pontificii oppugnare ſunt aggreſſi: ipſe Gaufridum quemdam habebat Scribam Odoardo patri antehàc carum, acceptumque, & cujus conſilio maximè, judicioque in omnibus quæ agenda, aut adminiſtranda erant, patris demortui exemplo utebatur. Hunc Ranucio autorem fuiſſe aiebant interficiundi ubi ad Caſtrum proficiſceretur Epiſcopi: prætereà ubi Pontificii oppidum oppugnabant, Gaufridus

1649. ducem ſe Ranucii quas auxilio mittebat copiis voluit eſſe, homo militiæ inſolens, qui facilè ab Pontificiis fuſus, fugatuſque eſt, atque adeò hujus auxilii ſpe deſtitutus qui Caſtro Præfectus erat, hoc denique Pontificiis dedidit.

Cùm igitur Gaufridi de Caſtro conſulta, factaque aſpera omnia, fœdaque eveniſſent, horum culpam, atque invidiam ſi in hunc Ranucius rejiceret, hanc ab ſe quodammodò amoturum eſt arbitratus: quamobrem de illo more majorum ſupplicium ſumpſit, ſicut hic unus tanti facinoris, atque belli autor fuiſſet, ita miſer, & temeritatis, & ambitionis capite pœnas pendit. Hic honeſto in Provinciâ loco natus erat, primam carminibus condendis dederat operam, quæ Odoardo linguam noſtram ediſcere aggredienti haud inepta viſa fuerant: cæterùm neque eâ re, neque aliâ ullâ clarus fuit. Sed omnibus Italiæ Principibus ægrè erat Pontificem ex alieno creſcere, quod ne huic, aut cuiquam alteri in Italiâ eveniat ſumma unicuique illorum cautio eſt. Eo Philippus Hiſpaniæ Rex Italiæ Principum ipſe facilè, ac longè princeps, & Ferdinandus Etruriæ Dux operam dedère, uti pax inter Innocentium Pontificem, & Ranucium ſanciretur, atque hujus legibus caveretur Caſtrum modò penes Pontificem fore, uſquedùm ille æs alienum propter quod oppoſitum pignori fuerat, diſſolveret. Id eo breviter commemorandum exiſtimavi, ut oſtenderem bellum civile nobis non domi modò, ſed ubique fraudi fuiſſe: nam ubi Italiæ Principes nihil in nobis præſidii eſſe ſensêre, ad Hiſpanos ſeſe applicavêre, atque hos nobis omiſſis coluêre.

In Hiſpaniâ Barcinone, atque omni Cataloniâ noſtros pellere Hiſpanis hoc anno maximè conſilium fuit, atque eâ gratiâ copias ab Germaniâ acceſſiverant: præettereà Claſſem probè inſtruxerant, Reginæ ſuæ primùm ab Italiâ in Hiſpaniam advehendæ, dein quæ, ubi hæc adveniſſet, ante Barcinonis portum ſtationem haberet. Claſſi Pimientus ſicuti ſuprà memoravimus, Prætor erat: quinqueremes viginti duas, bellicas grandes (Galiones appellant) habebat triginta, milites erant in navibus permulti, qui exſcenſionem facerent. Apud Ilerdam, circúmque ea loca Joannes Garayus peditum octo, equitum tribus millibus præerat, inter quos Galli antehàc ab Hiſpanis capti, contrà ſacramenti religionem, & captivorum morem, militare coacti ſunt. Garayo Imperatori Franciſcus Tuttavilla Legatus, Albukercus equitatui Præfectus fuit, tormenta quindecim omnis generis in eo exercitu habuêre.

Maturè movere decreverant, ſed moram attulit tardior Claſſis quæ Reginam vehebat adventus: neque priùs quàm ſub Septembris finem Garayus ab Ilerdâ profectus eſt. Primis ad Junedam, ſecundis caſtris ad Spugam-calvam venit, biduumque viis muniendis moratus propiùs Montem-album habuit caſtra, oppidumque noctu oppugnare aggreſſus poſtridiè capit, ſimulque octoginta milites ex Fabregi Cohorte, cum uno qui his præerat Centurione. Marſinus in Catalonia nullo in Schombergii, qui provinciam obtineret, locum ſuffecto, pro Prætore

erat: qui tametſi hoſte multis partibus inferior, tamen haud deſpondit animum, evocatiſque mille quingentis ab Balaguierâ, Cerverâ, atque Arbecâ peditibus ad Sarcalem cum omni equitatu conſedit: quingentos pedites Barcinonem miſerat, qui navalibus præſidio eſſent, quâ parte Barcinonenſes verebantur uti Pimientus cum Claſſe quidpiam adversùs urbem moliretur. Ubi Garayum apud Montem-album eſſe Marſinus factus per exploratores certior eſt, ipſe ad Piram paſſibus ab hoſtibus vix mille quingentis eſt progreſſus, cum equitum alis quinque, & ſclopetariis ducentis, ut hoſtem ab incœpto aut averteret, aut retineret. Garayus in Tarraconenſes campos deſcendere conſtituerat, quod non eſt facere auſus, donec ab Tarracone duo millia peditum obviam miſſa, ac equites quingenti, cujus præſidii fiduciâ movit denique, & quò intenderat duxit. Hunc apud Montem-album quatriduum hærentem equites noſtri, qui in ſtationibus cuſtodiæ causâ erant, crebrò laceſſivêre: ſed ubi tantas hoſti ſubſidio copias veniſſe Marſinus videt, Pirâ, dein Sarcale diſceſſit, ut ne invitus pugnare cogeretur. 1649.

Hoſtes apud ea loca, noſtri apud *a* Rupefortium in propinquo habuêre caſtra, dein Garayus Tarraconem contendit: eò quæ navibus advectæ fuerant copiæ Garayo conjunctæ ſunt, qui continuò omnem exercitum ad Conſtantinum oppidum duxit. Id quatriduum ab quadraginta modò militibus quibus præerat Gaſto Centurio è Vaillaci Cohorte defenſum, poſtremò deditum eſt: Salo ad mare oppidulum item ab duobus Hiſpanorum millibus eò miſſis haud difficulter eſt expugnatum, Claſſis ab mari tormentis murum petebat, ſexaginta qui propugnaverant, pars cæſi, alii capti cum ipſo Præfecto Beniamino, ſex acceptis ſtrenuè rem gerendo vulneribus. Ita hoſtes Barcinoni appropinquabant, quò adeò Marſino viſum Cohortes Gallicas quinque, cum Helvetiis mercede conductis, & octingentis equitibus mittere, his omnibus Neſtierus Caſtrorum Præfectus præeſſe juſſus. Intereà hoſtes Sitiem ad mare duodecim ab Urbe paſſuum millibus occupaverant, locum infirmum, & ab paucis popularibus, additis qui præeſſent Gallis tantiſper defenſum.

a Rocaſort.

Eò Garayus reſcivit Barcinonem copias Gallorum ingreſſas, quæ præſidio eſſent, quod quidem præter ejus ſpem evênit, qui Barcinonenſes libertatis apprimè ſtudioſos haud quaquàm commiſſuros exiſtimaverat, ut hanc Gallorum fidei crederent, atque adeò ſibi cum unis oppidanis rem fore, qui belli rudes haud ſatis ad propugnandum idonei videbantur. Paulò antè Petrus *b* Marca Coſerantii Epiſcopus qui pleraque Regis negotia in Cataloniâ procurabat, Viſitatorem appellabant, atque Joſephus Margaritus Catalanus magnæ apud populares autoritatis, præterea per Proregis abſentiam pleraque facere, aut ſtatuere ſolitus, complures proditionis ſuſpectos expulerant Urbe, atque hanc *c* Joviſque Montem proximum, qui inſtar Arcis eſt, ampliùs muniverant, populares armaverant, atque in varia præſidia diſtribuerant.

b Marca Evêque de Conſerans.

c Monjuic.

1649. Ibi verò Garayus animadvertit quæ animo agitaverat, ea difficilia, atque aſpera ſi pertenderet, fore.

Marſinus verò uti quid hoſtis moveret, quantùm fieri poſſet, exploratum haberet, *a* Laſarium cum alis equitum quatuor apud Villafrancam Panadis ſtativa habere, atque hoſtem qui apud Sitiem erat, obſervare jubet, & ſi ad ſeſe veniat, abſcedere, quæ res facta ex ſententiâ eſt. Nam cum omni equitatu Albukercus Villafrancam contendit, ſequebatur agmen peditum, qui ſi opus foret ſubſidio eſſent. Laſarius de hoſtium adventu per ſpeculatores certior factus, ſuos in equis armatos, inſtructoſque oppido educit, atque Martorellum versùs iter inſtituit: hoſtes ut qui multò plures eſſent, acriter inſequuntur, noſtri haud timidi reſiſtunt, remque primò ſuſtentant, ac ſuæ virtuti confiſi conſiſtunt denique, dein pars procurrit in hoſtem, & gladiis rem cominùs gerit, reſtitantibus aliis, ſi quid duriùs accidat: id factum quinquies donec Martorellum noſtri pervenêre: ſeptem turmarum Duces ex hoſtibus cæſi, prætereà equites quadraginta, Albukerco equus confoſſus, Gaſpar Cüeva frater ejus ſatis cum periculo vulneratus eſt: tres è noſtris omninò deſiderati, *b* Chauſſius qui turmam Briſonis fratris Vicarius ductabat, Garanciera, & Roqueſelus Vexillarii. Hæc noſtrorum tametſi recedentium virtus Garayum edocuit, eos vix poſſe vinci: prætereà è ſuis caſtris complures diffugiebant militiæ pertæſi, quia nullum dabatur ſtipendium, hi Barcinonem veniebant, quò & viaticum, & per Galliæ fines tranſeundi copia dabatur, uti ſeſe domum aut aliò reciperent: id ut ne & noſtri facerent, Barcinonenſes *c* Bezonſio Quæſtori noſtro mutuam pecuniam in militum ſtipendium dedêre, tantus erat in Hiſpanorum poteſtatem recidendi metus.

a Le Marquis de la Fare.

b De Chauſſy. De Garanciere. De Roqueſel.

c De Beſons Intendant de l'Armée.

Poſteà loci Marſinus ad Andreæ-fanum habuit caſtra, veritusque ut hoſtis diutiùs in Panadeſe agro moraretur, atque Barcinonenſibus, cæteriſque Catalanis diuturna militia ægrè eſſet, hoſtem ſibi ad ſua tutanda avertendum, revocandumque cenſuit, quoniam numero longè ſuperiorem vi pellere nequibat. Itaque *d* Joſephum Dardennam Illæ Comitem è Catalanâ nobilitate, qui in noſtro exercitu Caſtrorum Præfectus erat, cum ſuâ equitum alâ ad Iberum amnem dimittit. Apud Dertoſam, Flixium, aut circùm ea loca tres equitum alæ erant, quæ Dardennam ſequi juſſæ, prætereà Monpuillianus cum peditibus mille ſexcentis. His fretus copiis ac duobus tormentis Dardenna Valentianum agrum ultrà Iberum ingreſſus eſt, vicos complures, atque oppida, Caſtellaque parùm firma multa cepit. Ea res Valentianos adeò perculit, uti Mantuam Carpetanorum ad Philippum Regem, atque in caſtra ad Garayum mitterent, qui utrumque docerent de fortunis ſuis. *Pecuniam ab ſe uti Dertoſa, atque Barcino expugnarentur exactam, quorum neutrum factum, ac ne tentatum quidem ſit, ſed agros ſuos, atque vicos, oppida, atque caſtella vaſtata, hoſtem in patriæ ſinu eſſe, qui ni properè arceatur, ſibi conſilium capturos.*

d Joſeph Dardenne, Comte d'Ille.

Hæc Garayum impulêre, ut omiſſo planè incœpto militum tria

millia naves conſcendere juberet, qui Valentianis auxilio eſſent: ipſe ut expedito agmine faciliùs digrederetur, impedimenta omnia, atque tormenta apud Tarraconem reliquit, Monte-albo, atque aliis, præter quàm Sitie locis præſidia deduxit, atque Ilerdam undè primùm venerat contendit. Neque Marſinus omiſit hoſtium inſiſtere veſtigiis, donec Ilerdam ſeſe recepiſſent, quidpiam in itinere per equites factum, ſed nihil ad belli ſummam. Marſinus antequàm ab his diſcederet locis, Balaguieram, Arbecam, atque Cerveram idoneum copiarum numerum quæ præſidio eſſent, dimittit: nam hæc loca haud procul Ilerdâ poſita ſunt, ipſe cum Balthazaris equitum Alâ, equitibuſque aliis ad Iberum contendit, ut Illæ Comiti auxilio foret: nam præter tria militum millia navibus ab Tarracone ad Valentianos dimiſſa, Garayus Michenenſem versùs pedites mille, atque equites mille ducentos miſerat, qui noſtros in medio deprehenderent, ac cæderent. 1649.

Sed Illæ Comes maturè ſeſe Dertoſam receperat, cujus rei nuntio ad Marſinum allato hunc Flixium versùs ire, atque eò agitare jubet, qui omnem ultrà Iberum regionem tutaretur, item alios aliò, qui provinciam tegerent, dimittit: ſimul Neſtierum Sitiem versùs ire jubet cum duabus equitum alis, qui locum obſidere inciperet, ipſe ſubſequi certus, ut hoſtes inde pelleret, nam horum vicinitas Barcinonenſibus moleſta fore videbatur: at illi diffiſi ſeſe locum tenere poſſe ante Neſtieri adventum munitiones disjecêre, atque abſceſsêre: quo factum eſt, ut Hiſpanis tanti conatus, ſumptuſque potiundæ Cataloniæ hoc anni facti fruſtrà fuerint, magnaque è provinciâ conſervatâ laus Marſinum ſecuta ſit: ſed hujus partem maximam Barcinonenſes habuêre, qui nihil ſumptui, aut labori pepercerant. Igitur ubi Barcinonem rediit, lætiſſimis omnium animis accipitur, mutuæque gratulationes factæ, dein popularium copiæ ab Marſino dimiſſæ, gratiæque pro navatâ ſedulò, atque fideliter operâ actæ.

Poſtquàm Aula ad Urbem ſicuti antehàc memoravimus, redierat, qui Mazarinum oderant, ii Condæum ſatis jam ſuâ ſponte huic infenſum ampliùs ſtimulabant, uti cum eo palàm inimicitias exerceret. Complures Mazarino ex repulſis offenſi, alii qui ab eo ſe quidquam impetrare poſſe diffidebant, Condæum ſectari cæpêre, cæteri Gaſtonem, pauci Mazarino fideles mansêre. Qui in Aulâ ſunt, ii ſerere inter optimates odia, ex quibus partes enaſcantur, magnoperè ſtudent: nam tunc hi ſibi non bonos modò, atque eos qui alicujus rei ſint, ſed & cujuſcumque generis homines adjungere nituntur, iis favent, atque patrocinantur. At Mazarinus adversùs Condæum, atque aliorum invidiam munimenta quærere, Picardiam provinciam quæ haud procul ab Urbe eſt affectare, ſimul Ambianum oppidum magnum, atque Arcem, prætereà Peronam, utrumque in eâdem provinciâ, quibus uti Præfecti, atque omni provinciâ Ellebovius ipſe, qui hanc obtinebat, ſibi cederent, pretio efficere ſtudebat. Sed hi ſeu majus ab eo pretium ſperavêre, ſeu id huic obſequi parùm placebat, ſe negavêre provin-

Ppp iij

1649. ciam, aut oppida ab Ludovico XIII. ſuæ fidei credita, dùm Ludovicus filius per ætatem alieni juris eſſet, deponere, ac id ſe ſatis piè, aut fideliter facere poſſe.

a Le Duc de Chaulne.

Eâ tempeſtate Honoratus *a* Chalnius Dux mortem obiit, in Picardiâ Legatus Ellebovio, prætereà Ambiano oppido, atque Arci Præfectus: utrumque Munus Ludovicus XIII. Chalnii filio *b* Ambianorum Vicedomino quod poſt mortem patris gereret, pridem mandaverat. Igitur eo mortuo filius properè Ambianum petit, Arcemque ingreditur, ut hujus habendæ Mazarino ſpem adimeret, atque eò frumentum, & omnis generis commeatum convexit, prætereà ut adversùm hunc abundè munitus foret, ſeſe Condæo dedit in clientelam, & fidem. Honoratus Chalnius præter Ambianum, atque in Picardiâ Legati Munus, Arvernos diverſiſſimâ parte provinciam obtinebat, quam nulli ab Reginâ decerni curæ Mazarino fuit, non hujus habendæ conſilio, ſed ut cum Chalnii filio rationem iniret, quâ Ambianum ſibi tradere animum induceret. At ferox juvenis ſibi paternam provinciam eripi violentiùs ferens ad Mazarinum ſcripſit procaciùs, quàm par erat, nihil ſe amicitiæ ejus indigere, aut quidquam huic obſequi velle: cæterùm ubi quod velis invito alio facias, adversùm hunc maledictis quæ nihil juvant, parcere ſatiùs videtur.

b Le Vidame d'Amiens.

Sed jam omnes Condæi in Mazarinum odio freti licentiùs multa in eum dicebant, faciebantve, & quod lubebat ab eo poſtulabant audaciùs. Amedeo Sabaudico *c* Nemoroſio Duci quæ provincia primùm vacua foret, ejus habendæ ſpes facta fuerat, eò Arvernos ſibi tribui poſtulabat, neque ipſi magnoperè curæ erat, quid de his Mazarinus haberet conſilii, cum ſe eſſe deputans, cui hanc ultrò tradere deberet provinciam, indignabaturque hunc in eo negotio tergiverſari. Sed qui Mazarino tantoperè adverſari cœperat Condæus, is huic in eâ re æquus fuit, quo factum eſt uti Nemoroſius Arvernos petere deſineret, quæ diù vacua provincia fuit, ex diſciplinâ Mazarini, ut hujus habendæ ſpe nonnullos in officio contineret.

c Le Duc de Nemours.

Chavignium antehàc emiſſum cuſtodiâ, ſed rure agitare juſſum memoravimus. Is ubi Condæum Mazarino palàm infenſum videt, illius præſidio ſibi adversùm hunc utendum eſſe conſtituit: Condæi igitur fidem implorat, quo ad Urbem redire ſibi copia eſſet: hic negotium ſuſcipit lubens, cùm uti Mazarino ægrè faceret, tùm uti talem hunc virum ſibi hoc beneficio magis, ac magis adjungeret. Igitur Condæus ab Reginâ impetrat, uti Rex ad Chavignium ſcriberet, ſignificaretque licere per ſe, ut ad Urbem veniret: hunc iis litteris Adminiſtrum Regni ſicuti dudùm erat, Rex appellavit, prætereà Mazarino curæ fuit, uti Rex id ſe ex ejus ſententiâ feciſſe per litteras diceret, neque tamen eâ causâ magis Chavignius ut eâ de re ad eum ſcriberet, aut poſteà gratias ageret, adduci potuit, ſed totam Condæo acceptam retulit.

d Le Marquis de Jarzé.

Eâ tempeſtate quidpiam de *d* Jarzæo Marchione Ixionis Fabulæ haud abſimile narravêre, quod huic per Condæi clientelam impunè

fuit:ita hic qui alicujus rei eſſent, eorum ſuſcepto patrocinio, opes ſuas augere ſtudebat. Anxius intereà Mazarinus erat, quo pacto tantam hominis vim, atque audaciam leniret, aut ita deluderet, ut ne ſibi damno foret: huic igitur multa quæ ingentia, atque hominis virtute digna viderentur, per interpretes propoſuit rei navalis Præfecturæ loco, atque inter alia uti Sequanorum fines exercitu regio fretus ingredi, urbes oppugnare, capere, atque omnem provinciam ſubigere vellet, quam huic Rex traderet, præterea *a* Montempelicardum oppidum Sequanis finitimum, cum vicino omni Agro, quem Rex eâ gratiâ commercaretur: eâ de re miſſus ad Montiſpelicardi Principem eſt *b* Eruardus, qui Condæum ipſemet monuit hanc rem per ſimulationem ab Mazarino agi. Sed huic curæ fuit, ut iſthæc, atque ejuſdem modi alia Condæo oblata vulgus ſciret, atque crederet hunc ingentia, nimia, nimis alta poſtulare, quæ huic ſalvâ Regis Majeſtate, atque republicâ tribui nequirent. Iſthuc eò ſimiliùs vero videbatur, quod ea in Regem, ac rem publicam Condæi merita eſſent, ut his quantavis præmia vix ſatis digna eſſe viderentur: poſtremò cum eo continuò agere, huic animum explendi ſtudium ingens ſimulare, atque ita tempus trahere viſum, intereà dùm Rex adoleſceret. 1649.

a Montbeliard.

b Eruard.

In Urbe quidpiam adhuc pravi, atque nuperi moris erat, conventus, atque circuli habebantur, libelli famoſi vulgabantur, ubi potiſſimùm de Almerico auditum huic iterum ſummam Quæſturam mandatam: ſed eam rem Condæi, non Mazarini voluntate factam plerique dixêre: nam illius gratiâ fretum Almericum Reginam, ac Mazarinum coëgiſſe, uti ſibi ſumma Quæſtura antehàc abrogata redderetur, cùm fruſtrà antehàc ut ne abrogaretur Gaſtonis fidem imploraſſet, cæterùm Condæus ſibi uſui futurum exiſtimabat, ſi ſummum Quæſtorem haberet in poteſtate. Seu igitur Condæi, ſeu Mazarini voluntate iterum Almerico mandata ſumma Quæſtura eſt, Mazarinus ut hujus rei leniret invidiam, Avauxium qui pridem alter ex ſummis Quæſtoribus creatus fuerat, neque hunc fermè geſſerat Magiſtratum, ejus tunc obire munia, atque huic Almericum collegam eſſe optimum factu eſt arbitratus, nam famam Avauxii integram Almerici adverſæ præſidio fore: neque tamen Avauxius multa ſummæ Quæſturæ munia geſſit, Almerico omnia ad ſe trahente, quoniam huic & audacia, & rei Quæſtoriæ magna peritia, & cum publicanis, ac cæteris qui hanc tractare ſolent, vetus conſuetudo inerat: illi autem ad alia altiora, atque excellentiora idoneum ingenium eſt.

Sed ubi nihil ex ſummâ Quæſturâ iterum Almerico mandatâ turbarum, aut tumultûs in Urbe fuit, aliæ quæſitæ cauſæ ad diſcordiam ſunt: tædebat enim factioſos, tamdiù rem publicam quietam eſſe, atque in rem ſuam eſſe ducebant, Mazarinum ſentire, nondùm adverſùm ſe Senatûs, Populique odia deſiiſſe. Pigebat complures ex Senatu hunc jamdiù frequentem habitum non eſſe: eo quidpiam factioſi ſibi moliendum decrevêre, quo Claſſibus convocatis opus eſſet, rati

1649. videlicet id ubi ſemel factum foret, alia ex aliis eventura, quibus porrò fieri neceſſe foret, inter Aulam, & Senatum futuras ex eo lites, atque alia conſiliis ſuis opportuna.

Uſuræ annuæ creditæ Regibus ab civibus pecuniæ Urbanorum Magiſtratuum, ſeu Urbis fide malignè ſolvebantur, partim eorum ad quos ea res pertinebat fraude, atque avaritiâ, partim quod pecunia ad id quanta opus erat deeſſet, tametſi harum uſurarum jamdiù vix paulò plus quàm pars dimidia ſolveretur: iſthuc ſæpiùs creditores commovebat, uti frequentes ad Urbis ædes vaderent, clamitarent, minarentur ſeu Urbanis Magiſtratibus, ſeu his quorum munus erat iſthæc ſolvere, dictitando utroſque aut indiligentiùs operam dare, ut ex provinciis deſtinata ei rei pecunia corrogaretur, aut hujus partem ſibi ipſis per varias artes ſumere. Eo primùm his movere lites in eâ Senatus Claſſe, quæ cæteris ſub anni finem ceſſantibus juri dicundo tamen operam dat: hæc vetuerat ut ne earum uſurarum creditores poſthàc coïre vellent, turbarum initium metuens. Hi autem è ſuo numero quatuor deligunt, qui ſuo omnium nomine providerent, atque agerent quidquid ad uſurarum ſolutionem ſuis quamque temporibus exigendam pertineret, Syndicos appellavêre, *a* Carretonium videlicet in alterâ libellorum Claſſe Præſidem, Jolium apud Prætoris Urbani Tribunal Conſiliarium, Portalium Advocatum, & Coſturam civem Pariſienſem.

a Le Preſident Charreton. Jolly, Conſeiller au Chaſtelet. Portail. Des Couſtures.

Sed hos Senatus, aut quæ pars hujus in majori Claſſe jus dicebat, perperàm delectos videri decrevit, vetuitque iterùm ut ne creditores aut ad urbis ædes, aut aliò coïre vellent. Syndici ad Inquiſitionum confugiunt Claſſes, quæ ſæpiùs majori Claſſi adverſæ negavêre Syndicos tolli poſſe niſi ab univerſo Senatu, quem eâ causâ frequentem haberi neceſſe ſit. Id primario Præſidi Molæo quidam dixêre, qui Mercatorum Præfectum, atque Urbanos alios Magiſtratus accerſit, eò & venêre delecti ex Senatûs Claſſibus, ac frequentes uſurarum creditores. Molæus eâ de re ſe in majori Claſſe mox acturum recipit, daturumque operam uti rectè, atque ordine fiat: clamant creditores ſeſe in Urbis Ædibus frequentes conventuros, uti quid ſit opus facto conſultent, neque ſe ab jure, & æquo prohibitos cenſere. Cùm id turbas, atque ſeditionem portenderet, lictores juſſi ſunt autores turbarum comprehendere, ac maximè Coſturam cæterorum facilè principem: hunc lictores conquirunt diligenter, nec multùm abfuit, quin ab his comprehenderetur.

Belfortius ſicuti res ſua ageretur, ita injuriam Coſturæ paratam apud Gaſtonem graviter expoſtulavit: conveniunt in Urbis Ædibus poſthabito Senatûs decreto Creditores, ſtatuuntque ſibi ab Senatu libello poſtulandum, uti quæreretur in eos qui Coſturam comprehendere voluiſſent, atque hic intereà unà cum omnibus uſurarum creditoribus in Senatûs fide, atque tutelâ foret: Senatus in majori Claſſe libellum cum Actore regio ex formulâ communicandum decernit, atque

omnia

1649.

omnia mitigandis creditorum animis porrò facturus videbatur. Sed qui exacerbatos malebant, ii quam ad id aptam credidêre fabulam, eam, exorſi ſunt. Jolius unus ex Syndicis ad Carretonium ibat, rhedâ per vicum in quo hic agitabat vectus, cùm quidam inſidens equo propior rhedam factus ſclopetum breviorem in ejus brachium dirigit, quo hunc leviter ictum dixêre, atque continuò profûgit eques.

In vico concurrunt ad ſclopeti ſtrepitum, & Jolii clamorem omnes, atque inter alios Carretonius, clamant indigniſſimè factum, Carretonius properat in Curiam, ſeſe, non Jolium cædere equiti conſilium fuiſſe ait, in majorem Claſſem cæteræ conveniunt, & tametſi illa primùm decreverat, ut in equitem ab rerum capitalium Judice quæreretur, tamen frequens Senatus, ut id Cognitoris regii operâ fieret, ac præthereà Quæſitores duos ex Senatu Joannem *a* Camporotundum, & Joannem Doujatium decernit, Carretonius in Senatûs fide, tutelâque eſſet: addiderat in ſententiam Bruſſellus uti ſtationes ad Urbis portas haberentur, armandæ plebi iterùm, cujus operâ factioſi pro lubidine uterentur. Ubi Senatus frequens eâ de re habebatur, Boulaïus, de quo antehàc memoravimus, in aulâ erat, quæ proxima majorem Claſſem eſt. Illîc proſtant multa quæ ad quotidianum cultum idonea ſunt, in frequentibus mercatorum tabernis, quas ipſe claudendas ſubitò eſſe clamat. *Arripienda protinùs arma, quando in his modò præſidium ſit: quæri ad vincula qui uſuras ab Urbe annuas ſibi perſolvi poſtulent: quos elegerint Syndicos, iis paratam fuiſſe necem in mediâ Urbe: id Carretonium Præſidem, id Jolium tunc cùm maximè apud Senatum expoſtulare. Prætorianos armatos, inſtructoſque ad Belfortii, atque eorum qui Senatui Populoque faveant cædem: Senatum fortem quidem, ſed Populo armato opus eſſe, ut adversùm Aulæ armatæ lubidinem rem publicam, atque omnes bonos tueri queat*: eadem aliis Urbis frequentibus locis narravit: dein Gondium adiit, quem de omni eâ re faceret certiorem. Huic conſilium fuiſſe aiunt prodire in publicum, atque multitudinem ſi Boulaii oratione permota fuiſſet, magis, ac magis accendere: ſed hunc ubi nihil plebem Boulaii oratio moverat, ſibi ceſſandum exiſtimaſſe, atque hunc denique Jolii fabula exitum habuit.

a Champrond, & Doujat, Conſeillers de la grand'Chambre.

Boulaïus *b* Buillonii Lamarki gener eſt, cujus majores Sedanum cum vicino agro poſſedêre, quod poſtremò obtigit horum filiæ unicæ quæ Henrico Turrio Turenæ Vicecomiti nupſerat. Is adeò Buillonii cognomen aſſumpſit, & dotale uxoris prædium, tametſi ex eâ nullos ſuſceperat liberos, ſibi per Henrici IV. Regis gratiam retinuit, Lamarkis id in ſe recidere debere contendentibus. Lamarkus Helvetiorum regiæ cuſtodiæ Dux erat, quod Munus ſibi ubi mortem obiret, Regis Reſcripto deſtinari Boulaïus poſtulaverat, quod quia fuerat negatum, eò Mazarino, atque Aulæ infenſus erat.

b De Boüillon, la Mark.

Huic tamen, ac præthereà *c* Nigromonaſterio, Matignoni, Marſillaco, & Beuvronio data Regis fuerant Reſcripta, quibus ſe hos ubi ætatem Imperio legitimam attigiſſet Duces, ac Pares Franciæ creaturum

c Noirmouſtier. Matignon. Marſillac. Beuvron.

Qqq

1649. recipiebat, atque intereà loci quæ ad tantam attinerent dignitatem ea omnia cùm his, tùm eorum uxoribus tribuebat, prætereà uxori Cæſaris Phœbi *a* Albreti Ponſii Mioſſani, cujus majoribus aliqua cum regiâ gente affinitas interceſſit. Sed pudebat cæteros in Aulâ qui illis genere pares eſſent, dignitate impares fore, ac maximè eorum uxores, cui generi ſumma vanitas, atque ambitio eſt: nam Principes fœminæ, Reginæ aſſident, quod & idem Ducum, & Parium Franciæ uxoribus indultum eſt, cæteris aut ſtandum, aut humi laſſis requieſcendum, quod iis moleſtum, neque tantum inter ſe, atque alias diſcrimen æquo animo patiuntur. Igitur qui tùm in Aulâ nobiles erant, ii ſæpiùs convenire, & conloqui, indignari ſibi paucos anteferri, neque id horum generi, aut meritis in Regem, & rem publicam, ſed magis malefactis ſicuti mercedem tribui, poſtremò ab Reginâ flagitare, ut ne quid hujus facere vellet, quæ his ex ſententiâ reſpondit, atque ipſi gratiæ ab omni eâ nobilitate ingentes actæ, cujus princeps fuit *b* Hoſpitalius Hallierus Equitum Tribunus, de quo antehàc memoravimus. Hæc omnia Reginæ voluntate ab eo, & ab cæterâ nobilitate facta fuêre, ut ne quod temporum iniquitate coacta receperat, id præſtare cogeretur.

a D'Albret de Pons Mioſſan.

b Du Hallier de l'Hôpital, Maréchal de France.

Sed creſcebant in dies Condæi in Mazarinum ſimultates, quæ in apertum odium erupêre denique. Condæus poſt pacem domi factam, Condæam ſororem, ac virum ejus Longavillam ſibi conjunctiùs adſtrinxerat, ut ne poſthàc ab ſe diſſentirent, ſed per reliquos Regis pueritiæ annos tantas opes unà quærerent, ut ubi ad ætatem Imperio legitimam perveniſſet, adversùm jus, & injurias omnes, quorum alterum ſub alterius ſpecie latere ſolet, æquè muniti forent. Eo Pontem Arcuum Longavillæ permitti cui Præfectus eſſet, Condæus volebat, idque ubi apud Ruellium de pace agebatur, Mazarinum ſibi pollicitum fuiſſe, atque eâ de re Longavillæ ſe fidem dediſſe aiebat: ſed illud Mazarinus negabat ſedulò, ſeu verè, ſeu talibus promiſſis quæ neque ſcripto, neque ſolemnibus, atque legitimis verbis facta fuerant, Regem, aut Reginam matrem, aut ſeſe nuſquàm teneri exiſtimabat, cæterùm in pollicendo, quàm in præſtando facilior. Sed Condæo vel minima data ſpes ſicuti res tabulis conſignata repræſentanda erat, cui videlicet ad cogendum vis, atque audacia fuit.

His igitur fretus ſuccenſere Mazarino, nihil parcere maledictis, atque conviciis, poſtremò negare ſe iturum in Conſilium regium, quandiù ille in Aulâ, aut Regni finibus foret. Ubi palàm id, & publicè dictitaverat, plerique ad eum venêre, hujuſcemodi conſilium collaudantes, ac pollicentes operam, ut id ipſi, atque rei publicæ feliciter eveniret, qui hujus, atque omnium bonorum hoſtem, poſtremò peſtem publicam averruncare, atque amandare vellet. Belfortius tamen, ac Gondius, & qui ex eorum grege fuêre factioſi, ii ceſſabant, neque veniebant ad Condæum, pridem huic infenſi, quod hos per bellum civile acriter oppugnaverat: poſtremò tamen Condeæ ſororis operâ huic placati, non modò viſentes ad eum venêre, ſed & pellendo Mazarino

omnem ſe unà cum ipſo operam daturos item polliciti ſunt. Ibi verò Gondius cum eo planè rediit in gratiam, certiſſimam ſpem nactus, ſi Condæus perſtaret in ſententiâ, fore uti Mazarinus Aulâ, atque Regni finibus faceſſere cogeretur, quo amoto rei publicæ curam in Caſtronovanum tantiſper, qui ſenio gravis hanc diù gerere nequeat, ac in ſe denique caſuram. 1649.

At Mazarinus homo callidus in primis, ubi quis ad ſe veniebat operam huic tuendo pollicens, *Gratum id quidem ſibi hujus amicitiæ teſtimonium eſſe* dicebat, *cæterùm nihil ſe adverſùm Condæum præſidii quærere, qui ſi ſe vellet amandatum, huic potiùs geſturum morem, quàm turbarum in Galliæ cauſam fore, ac ne quidem ſi Regina jubeat, reſtiturum, cujus, atque rei publicæ commodis ſe magis ſerviturum abeundo, quàm reſtitando arbitretur. Intereà per homines fidos Condæo ſubjicit, uti factioſorum animos periclitetur, utrùm ſe huic ita velint adjungere, uti Mazarino pulſo, aut in hunc ipſum Condæum, aut in quem ipſe voluerit rei publicæ cura recidat, ibi verò cogniturum nihil illis conſilii eſſe, quàm ut hanc pulſo ipſius operâ Condæi Mazarino invadant ſuo arbitrio gerendam. Caſtronovanum, aut Gondium ad quos id muneris pertinere ex factioſorum ſententia videatur, naturæ ferocioris eſſe, quàm ut facilè quæ Condæus voluerit, ea huic obſequantur, Belfortio, atque opibus factionis freti, Chavignium Reginam nuſquam toleraturam: at Mazarinum jam Condæi potentiâ, atque audaciâ perterritum ex hujus voluntate omnia facturum, neque dubium eſſe quin uti Pons Arcuum Longavillæ permittatur, adduci facilè queat.*

Gaſto, atque Riviera Mazarinum Aulâ pulſum nolebant, nec amotum ab republicâ, aut in eâ Condæum fieri potentiorem: eo gratiam inter ambos reconciliare ſtudebant, quod factum denique eſt iis conditionibus, de quibus poſteà memorabimus, quas in tabulas relatas huic Mazarinum tradidiſſe fama fuit. In his octiduum conſumptum, admirantibus cunctis tam brevî Condæi animum erga Mazarinum mutatum. Sed qui adverſùm hunc illi operam fuerant polliciti, eos indignatio cepit, quod Condæus omnem eam rem nihil conſultis ipſis egerat, tranſegeratque, quibus ſe ſatis facturum exiſtimaſſet, dicendo ubi quid ipſis controverſiæ cum Mazarino intercederet, viciſſim his adjumento fore.

Sed factioſi ubi ſe ab Condæo deluſos credidêre, ac ſpem exploratam pellendi Aulâ Mazarini hujus ſicuti aiebant inconſtantiâ interiiſſe, ibi verò hominem lacerare maledictis, Senatum, Populumque graviùs in eum accendere, qui rem publicam, amicos, ac ſe ipſum denique communi omnium ac ſui ipſius hoſti prodere nihil penſi haberet. Iſthæc Belfortius, iſthæc Gondius ubique prædicabant, magnamque Condæo conflabant apud omnes invidiam.

Fuêre qui ita exiſtimarent, factioſorum in Condæum odium eò proceſſiſſe, ut hunc de medio ſublatum vellent, aut tantum homini metum injectum, ut ne poſthàc ſibi licere crederet hos fallere, aut impunè ab fide quam hunc ſibi dediſſe aiebant, diſcedere. In plateâ Urbis,

1649. (Delphinam appellant) quæ proxima Pontem novum ad Sequanam eſt, convenerant equites aliquo numero. Qui plateam accolunt cives, ii ecquid iſthîc agerent ? cum jam nox adeſſet, percunctati nihil reſponſi tulerunt, niſi id nihil ad eos attinere. Ubi diutiùs in eódem permanent loco, iterùm quæſitum ab iis quid agerent, quive eſſent ? cúmque jactandis hinc indè ſermonibus quidpiam graviùs ab equitibus dictum eſſet, ſclopeto miſſà glans omnem excivit cum armis viciniam, quâ multitudine perterriti equites in pontem proximum decedunt, quò cives non ſunt abeuntes proſecuti: cúmque nulla iſthîc ædificia ſint, nemo fuit, qui reſtitantes ulteriùs abire cogeret.

Sed eâ de re Servianus per codicillos Reginam, Mazarinum, atque Condæum ipſum facit certiores, & cùm Condæus in eo eſſet, ut ab Regiâ domum abiret, Regina, atque Mazarinus perbellè ſimulantes quàm ſibi curæ hujus ſalus eſſet, ipſum attinuêre, ſeſe enim ſuſpicari aiebant, huic paratas inſidias eſſe. Ipſe primùm iſthuc habere ludibrio, neque cuiquam tantam ineſſe audaciam arbitrari, qui hujuſcemódi quidpiam adversùm ſe cogitare, nedùm incœptare vellet. Poſt paulò tamen ab familiaribus eſt admonitus, uti ſibi caveret, eo viſum periculum facere, utrùm hæc vera eſſent, nec ne: rhedam quæ in Regiâ erat vacuam cum pediſequis dimittit: præferebantur ſicuti per noctem ſolet, funalia: ubi rheda in medium venit pontem, equites duo huic facti propiores ſpeculari viſi utrùm in eâ eſſet: dein rati eſſe in aliâ quæ ſequebatur *a* Dirrachii Comitis rhedâ, ſicuti quandoque conſueverat, in hanc ſclopetis emittunt glandes, quarum unâ ictus Comitis pediſequus qui in heri rhedâ fuit, poſt paulò ex vulnere interiit.

a Le Comte de Duraz.

Ubi hæc in Regiâ nuntiata, Condæus ſibi oblatam occaſionem exiſtimavit profligandæ factionis, ut ne poſthàc conſiliis ſuis obſtare, aut ſola, aut cum Aulâ conjuncta poſſet: eo in hujus principes Belfortium, & Gondium, atque alios jure agendum, atque hos capitis arceſſendos decrevit, ſicuti cædis in ſe paratæ reos. Id Reginæ, ac Mazarino magnoperè placebat, quibus uſui erat, ut inter factioſos, atque Condæum tantæ lites, ac tantum odium eſſet, ut ne congruere adversùm ſe uſquàm poſſent. Ab Regiâ Condæus ad Gramontii Equitum Tribuni ædes cœnatum iit, quò Belfortius ad eum adiit, atque unà Boulaïus, ſpeculaturi ſcilicet, quid de inſidiis adversùm ſe in Ponte novo paratis ſentiret. Sed hic ſedulò diſſimulans de his quos ſuſpicari poſſet, planè neſcire præ ſe tulit, cæterùm Boulaïum dixit qui populum adversùm Aulàm concitare voluiſſet, atque adeò eſſet in noxâ, ſeſe videre non poſſe. Belfortius ſpondere ſe ait, Boulaïum nihil adversùm Condæum aut cogitaſſe, aut deſignaſſe, qui ſi quid cogitaſſet, deſignaſſetve, cum ſe eſſe, qui id ſuâ ipſius manu vindicare vellet, cæterùm ab Gramontio invitatus ad cœnam, dimiſſo Boulaïo reſtitit.

Poſtridiè Gaſto venit in Senatum, comitabantur Condæus, Vindocinus, Mercurius, Ellebovius, Buillonius, Sanſimonus: ubi cuncti aſſedêre, redditæque Senatui Regis litteræ ſunt de heſterno Jolii, & Bou-

laii negotio, paucis Gaſto Senatum edocuit, quantum ad rem publicam pertineret, animadvertere in eos, qui ad hanc perturbandam cùm dolis niterentur, tum apertè Populum ad arma capiunda concitarent: dein ubi Senatus quæ viſum eſt, in eos qui rei agebantur, decreverat, Condæus de inſidiis, & cæde adversùm ſe paratâ queſtus eſt graviter, poſtulavitque uti quæreretur in noxios, atque ea res Senatui curæ eſſet. Intereà Regina Tribunos Urbanæ militiæ accerſi juſſit, quibus ſignificavit, quàm gratus Regi filio, ſibique eſſet Populi in utrumque animus, qui nihil commotus nuper factioſorum ſeditioſis vocibus manſiſſet in officio, & fide, cujus rei hunc quandoque, atque intereà ſe memorem fore. 1649.

Poſt octiduum, quod peragendæ Quæſtioni conſumptum eſt, frequens eſt Senatus habitus: adfuit Gaſto, Condæus, & Contius, ac præterea Belfortius, Radeſianus, Briſſacus, Luinæus Duces, ac Franciæ Pares, poſtremò Gondius, atque alii honorarii Conſiliarii. Ibi Belfortius, & Gondius ſeſe reſciviſſe dixêre, *Quibuſdam Conſilium eſſe, utrumque in ſuſpicionem paratæ in Condæum cædis vocare, non quod id verum eſſe ſentiant, ſed ut hanc nomini ſuo labem inferant, & quâcumque de causâ id inceptum ſit, ei ſerviant: ſed ut omnibus exiſtimandi copia ſit, quàm falsò id in ambos jactetur, ſeſe in Curiam veniſſe.* At factioſis conſilium fuit Jolii cauſam, ab Boulaii, atque Condæi negotio ſejungere, alteram ad illum modò, alteram ad rem publicam pertinere dictitantibus.

Id magnoperè contendebat Carretonius, ſibi conſcius pluſquàm facto opus fuiſſet, feciſſe, ubi ſe magis, quàm Jolium petitum in Senatu dixerat, ubi hic ab equite ſicuti memoravimus leviter vulneratus fuerat, quo quidem unà cum Jolio in eadem causâ eſſe viſus, tùm quod & ut in Senatûs tutelâ eſſet, poſtulaverat, aut Senatus ultrò decreverat. Id opportunum Molæo primario Præſidi viſum, quo Carretonium, ei rei quæ agebatur haud ſatis commodum, ab hujus cognitione arceret, quod quidem ex ſententiâ ceſſit, neque juvit Carretonium ab priſtinâ de Jolii pro ſe ad necem petiti querimoniâ diſcedere. Poſt biduum ubi recitata ſunt ſuper utrâque re teſtimonia, ac de utrâque ad Senatum relatum eſt, dicendæque ſententiæ fuêre, negavit Molæus Belfortium, Gondium, & Bruſſellum quos videlicet ea quæſtio exagitabat, inter judices ſedere debere, ſed de more ſecedere.

Ibi Belfortius, & Gondius conſurrexêre, jamque abibant, ni Joannes a Colon ambos monuiſſet, nihil properato opus eſſe, atque ipſis opperiundum quid de ſe Senatus decerneret. Bruſſellus verò ſe nuſquam diſceſſiurum ait, ni Molæus & ipſe diſcederet, qui nuperos multitudinis concitatores hujus interficiundi conſilium habuiſſe dixerit: ſed non id queſtus erat apud Senatum, aut uti de eo quæreretur in noxios poſtulaverat: poſtremò Senatûs Decretum fit, uti Belfortius, Gondius, & Bruſſellus ſecederent: hic poſteà viciſſim Molæum è numero judicum unà cum filio, atque propinquis rejicere conatus eſt, quem ſibi

a Coulon Conſeiller.

1649. inimicùm eſſe dictitabat, Condæumque in cauſâ ſuâ ſedere velle judicem ſeſe negavit credere, qui continuò diſcedere velle viſus, ni ab Memmio fuiſſet admonitus, neceſſe eſſe ut id Bruſſellus ab Senatu libello poſtularet. Veniebant in Curiam unà cum Condæo, & Belfortio, Gondioque multi nobiles de more ſuccincti gladiis, qui ne in mutuam perniciem ruerent, metuendum videbatur.

Sed Condæus nuſquam ab ulciſcendæ quam in ſe paratam aiebat cædis conſilio diſcedebat, quo pacto Belfortium, Gondiumque factionis principes ſeſe amandaturum ſperabat, atque in eo huic Aula plane favere videbatur. At illi ubi ſe tantopere ab Condæo urgeri vident, haud ignari Condæi audaciæ tædere Mazarinum, Reginamque ipſam, cum illo redire in gratiam, ac viciſſim unà Condæum inſectari decrevêre. Cæterùm de omni inſidiarum quas adversùm Condæum inſtructas aiebant, negotio vix quiſquam recte judicare poſſit: nam harum indicium ab Serviano Mazarini cliente ortum diximus: teſtes in hoc, ac Jolii negotio fuêre homines nihili, ſpeculari juſſi quid ubique in Urbe diceretur, ac fieret, hanc miſeram Aulæ venditantes operam, ex cujus voluntate teſtimoniis ſuis utrumque negotium miſcuerant: ſeſe in ædibus Urbis publicis quò creditores uſurarum urbanarum convenerant, audiſſe Belfortium, & Gondium velle Condæum de medio tollere, ſeſe apud Bruſſellum, dein apud Gondium Boulaium vidiſſe eâ die quâ plebem ad ſeditionem concitare voluerat, Jolium in Molæi ædibus dixiſſe cuipiam non ita ſecreto, ut ipſe teſtis non audiverit, oportere Condæum, magnamque necare barbam, qualem habebat Molæus, Carretonium in viciniâ ſuâ plebem concitaturum, conſiliumque fuiſſe Condæum, Seguierum Cancellarium, ac Molæum interficere, atque alium cujus nominis haud ſatis meminiſſent, Cogneuxium tamen fuiſſe exiſtimare. Poſtremò quid Cognitor regius in eo negotio facere deberet, apud Cancellarium perſcriptum fuiſſe aiebant, nihil conſultis præter morem Actoribus regiis Talono, atque Bignono. Inter hæc abiit annus & qui ſecutus eſt is nihilo Galliæ felicior fuit.

Hoc anno mortem obiêre Melchior Mites *a* Sanchamondus Marchio de quo paſſim memoravimus, item Honoratus Albertus Chalnius Dux, qui Arvernos provinciam, Ambianum urbem, atque Arcem in Picardiâ provinciâ obtinebat, ac poſtremò Carolus Brulardus Leonus Abbas, qui primum in regio Conſilio locum obtinebat, in hoc dudùm, atque ante omnes alios lectus, Legatus ad Venetos, ad Helvetios extra ordinem, ac denique in Germaniam ad Imperii Comitia quæ apud Ratiſbonam habebantur, miſſus fuerat.

a Le Marquis de S. Chamond. Le Duc de Chaulne. De Leon Brulard, Doyen du Conſeil.

JOAN· LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER OCTAVUS.
EPITOME.

CONDÆA Richelii cum Caproſâ Virgine nuptias diſturbat, cum Vigeani filiâ conficit. Aquilonia Richelii amita, Rohana Mombaſona Caproſæ mater hanc in Condæam, & Condæum injuriam ulciſci decrevêre. Mazarino ſuadent, uti Condæum in cuſtodiam conjectum velit, item & Gaſtoni. Comprehenditur Condæus, Contius frater, & Longavilla Condææ vir. Mommorantia Condæi mater cum Brezæâ nuru, & Angiano nepote Cantilium rus ſecedit. Condæa in Normanniam viri provinciam abit, ac Diepam concedit. Harcurius Pontem Arcuum ad deditionem redigit. Rex cum Reginâ matre Rothomagum petit. Belie[illegible]pleſſium qui Diepæ Arcem oppugnet præmittit. Condæa auſugit. Regi Arx ab Montignio Præfecto deditur. Croiſetta Cadomum item dedit, ac Richelius Gratiæ-portum. Danvillarium in Lucemburgenſi Agro nuper Contio permiſſum item deditur, dein Claromontium. Turena apud Satenaïum ad Moſam copias cogit. Ædui abrogata Condæo provincia Vindocino datur. Huic Caſtellum apud Divionem deditur. Rex in Æduos proficiſcitur. Huic Seura ſeu Bellogardia item deditur. Turris quæ apud Avaricum Biturigum inſtar Arcis erat, oppugnatur, ac Santaniano deditur. Bellevræi in Senatu Præſidis convivium apud Bernium, atque eò factioſorum conſilium habitum. Regium ſignum Seguiero ablatum Caſtronovano traditur Mazarini voluntate. Erlacus Briſiaco ad Rhenum Præfectus moritur. Carlevoſius Propræfectus ægrè adducitur, uti Tilladetum miſſum ab Rege Præfectum reciperet mœnibus. Helvetiorum Legati ad Regem ubi ad Urbem redierat. Dumontius item uti Salmuriæ Arcem dederet poſt Brezæi Præfecti mortem egrè adducitur. 1650.

1650. *Condæa ab Roterodamo quò profugerat, Satenaïum ad Moſam venit Hæc, atque Turena eò cum Hiſpanis fœdus faciunt. Condæi clientes ad Urbem de hoc cuſtodiâ eximendo cum Gondio, cum Belfortio, cum Gaſtone fœdus faciunt. Brezæa cum Angiano filio Turenam Buillonii Arcem in Aquitaniâ poſitam venit. Venit eòdem ex vicinis Pictonibus Marſillacus. Buillonius virorum Principum cauſam cum Burdigalenſibus rebellibus communicat. Burdigalam Brezæam cum Angiano filio Buillonius, & Rupiſocaldus deducunt. Almericus ſummus Quæſtor moritur. Longolius Maiſonius Præſes huic ſufficitur. Avauxius cui Almericus collega in ſummâ Quæſturâ fuerat hanc abdicat, quæ adeò omnis ad Maiſonium redit. Fuenſaldanius Caſteletum ad Scaldim amnem capit. Guiſium ab Hiſpanis fruſtrà oppugnatum. De Principibus viris eximendis cuſtodiâ, atque amovendo ab Aquitaniâ Spernonio fit ab Brezæâ, Buillonio, Rupiſocaldo, & Burdigalenſibus cum Hiſpanis fœdus. Rex in Aquitaniam proficiſcitur, relicto ad Urbem cum Imperio Gaſtone. Rex per Melleraium Burdigalam oppugnat. Strenuè Buillonius, Rupiſocaldus, ac Burdigalenſes propugnant. Pax denique convenit. Brezæa Muronem cum Angiano filio concedit. Capella in Tieracenſi Agro ab Hiſpanis capta. Viri Principes ab Vincennis ad Marcuſſium Caſtellum traducti. Rex, cum Reginâ matre, atque omni Aula Fontembellaqueum petit. Eò Gaſto de viris Principibus Gratiæ-portum deducendis Reginæ morem gerit. Longonis-portus in Ilva Inſula, ac Plumbinum in continenti proximo Hiſpanis deduntur. Mazarinus ſe negat uti Cardinalatum Gondio mandari patiatur, adduci poſſe. Hic Gaſtonem eò adducit, uti cum Senatu operam det eximendis cuſtodia Condæo, Contio, ac Longavilla. Brezæa ab Senatu uti de viri cauſa cognoſcat, Longavilla virgo idem de patris cauſa poſtulat, atque ut ad Urbem ea gratia adducantur. Rex ad Senatum ſcribit, atque ad ſe mitti ex hoc Ordine delectos jubet. Pralinopleſſius Rhetelium oppugnat. Turenam cum Hiſpanis, ac rebellibus pellit finibus, inſigni de his reportata victoria. Hac præclarus Mazarinus ex cujus ſententia tantæ res geſtæ fuerant, redit ad Urbem, atque Aulam. Nihilò ſegniùs Senatus de viris Principibus cuſtodia eximendis, deque peſſima Mazarini in re publica adminiſtranda ratione ad Regem mittendum decernit. Quid Innocentius Pontifex adversùm Valancæum Regis apud ſe Legatum deſignaverit.*

CONDÆUS Mazarini potentiæ porrò adverſus hanc evertere omni ope properabat, & quandò metu adductus ſecum redierat in gratiam, eo nutare hominem, neque ſatis contrà ſe, ac conſilia ſua, conatuſque firmum fore judicabat: cæterùm hujus artes, ac fraudem Italicam quibus modò valere videbatur, planè ſpernebat: Gaſtonem in ſuâ poteſtate credebat eſſe Rivieræ operâ, ex cujus voluntate omnia uſque dixerat, feceratve: ipſam Reginam nihil pluſquàm Mazarinum poſſe, cujus unius motu ageretur, eo ſibi omnia licere: ſed huic Belfortio, atque Gondio peſſumdatis opus erat, cui rei omnem eâ tempeſtate dabat operam.

Sed tum accidit uti Maria [a] Vignerotia Aquilonia fratris filio Armando Vignerotio Richelio uxorem dare vellet, Claudii Guiſii Caproſi Ducis, ac Mariæ Rohanæ Mombaſonæ de quâ ſæpiùs memoravimus, filiam.

[a] La Ducheſſe d'Aiguillon. Marie de Vignerot.

liam. Hæ nuptiæ patri, ac matri cordi fuêre: nam Richelio Richelii Cardinalis hæredi magnæ divitiæ ſunt, ad hoc fama, cognomenque Richelii avunculi adoleſcentem haud mediocriter illuſtrabant. Sed *a* Caproſa virgo haud facilè adducebatur, ut hunc ſibi virum vellet, neque quidquam cauſæ videbatur eſſe, quamobrem has faſtidiret nuptias, niſi ſi haberet animum aliò deditum: eo nectere moras, quæ adoleſcenti moleſtiſſimæ fuêre. Summa *b* Annæ Neoburgæ, Franciſci Puſſardi Vigeani Marchionis uxori cum Aquiloniâ familiaritas, atque conſuetudo intercedebat, neque alterâ alteri quidquam carius fuit. Illi filia erat Anna Puſſarda antehàc *c* Ponſii Mioſſani uxor, tùm vidua, quæ multa, frequenſque unà cum matre apud Aquiloniam fuit: cum hac Richelius colloquebatur ſæpiùs, querebaturque de Caproſæ virginis tergiverſatione, atque hujus rei tædium ingens oſtendebat. 1650.

a Mademoiſeille de Chevreuſe.

b La Marquiſe du Vigean.

c La Marquiſe de Mioſſan, de Pons.

Fortè accidit uti Puſſarda iſthuc Condææ quam ſæpiùs inviſebat, principem fœminam colere, atque obſervare ſolita, diceret: hæc verò cui illa cara erat, atque accepta, ut ſunt mulierum ingenia ad excogitanda quævis promptiſſima, ſubitò ait, eam rem hujuſcemodi videri, uti Puſſarda ſibi magis quam alteri Richelii nuptias expetere debeat: hortatur uti conciliando ſibi adoleſcentis amori det operam, cujus rei pro familiaritate, quæ huic cum illo jam intercedebat, magna copia eſſet. Illa verò nihil cunctandum rata continuò omnes artes adhibet, quibus facilè adoleſcentis animus caperetur. Sed hæ nuptiæ Aquiloniæ voluntate fieri non poterant, certumque erat, ubi ipſi noteſcerent, eniſuram ut infirmas eſſe Senatus decerneret.

Quamobrem & clàm hanc faciundæ, & quærenda præſidia erant, quibus ubi factæ eſſent, infirmari, ac diſſolvi non poſſent. Id ſe Condæa præſtituram recepit, fretam Condæi potentiâ, cujus voluntate tantam rem eſt aggreſſa, quâ videlicet ipſi Richelium cum Gratiæ-Portu oppido, atque arce validiſſimis adjungebat, ac nonnulla ſpes erat, aut pretio, aut alio pacto efficere, ut hæc in Condæum fratrem, aut in Longavillam virum reciderent, qui tantam uſquè ut id fieret operam dederat. Apud Triam Rus nobile Longavillæ, haud procul ab Urbe, Condæo, Contio, & Condæâ coram fiunt nuptiæ, nova nupta unà cum viro Portum-Gratiæ deducitur, *d* Santimaurus qui eò Propræfectus erat, utrumque recipit mœnibus, tametſi & Regi, & Aquiloniæ fidiſſimus eſſet.

d De Sainte-Maure.

Richelius ſeu milites qui in præſidio erant, ſeſe huic qui Præfectus erat, dicto audientes eſſe debere ſunt arbitrati, ſive hic pecuniâ ab Condæo præbitâ eorum animos ſibi devinxerat, his quàm æquiſſimis uſus eſt, ac *e* Barem qui Richelii avunculi cuſtodum corporis dux fuerat, ab Reginâ miſſum oppidum ingredi vetuit, metuens uti quid eò turbarum adversùm ſe faceret. Condæo lites cum Aquiloniâ intercedebant de Armandi Maillæi Brezæi hæreditate, quam ille uxori Claræ Clementiæ Mailleæ Armandi Sorori, Aquilonia Richelio ipſi obveniſſe contendebat, quantùm ad bona, quæ Richelii Cardinalis fuerant: nam

e De Bar.

Rrr

1650. hæc ex hujus teſtamento in Vignerotium Richelium ſororis nepotem, ſi Brezæo filii deeſſent, recidere debebant: eo Condæus Aquiloniæ lubens in his nuptiis ægrè faciebat, præter ea quæ de Gratiæ-Portu habebat conſilia.

Sed in eo negotio, ſicut & in aliis Regina, atque Mazarinus præclarè intellexêre, quàm nihili ſe, atque Gaſtonem Condæus penderet: ſi iſthuc, atque alia neglexerint, aut ubi ſi ceſſent, hunc per reliquos pueritiæ Regis annos regnaturum, neque facilè poſthàc potentiam, cui aſſueverit dimiſſurum, ſedulò tamen in præſentiâ diſſimulandum decrevêre. Igitur ubi Condæa miſit ad Mazarinum qui doceret quemadmodùm ea res acta eſſet, hanc tametſi maximè ſeria, atque ad rem publicam magnoperè pertinere videbatur, in jocularem vertit, nec ſibi curæ eſſe oſtendit, quod & Regina fecit.

Sed Aquilonia, & Rohana Mombaſona quarum conſilia de nuptiis Caproſæ virginis cum Richelio Condæus, atque Condæa ſoror diſturbaverant, ad ulciſcendam hanc injuriam animum adjecêre: illa Condæo eâ quam diximus de causâ, hæc unà cum Avaucuria ſicuti memoravimus antehàc, Condææ, atque Mommorantiæ matri pridem infenſæ. Erat Rohanæ ſumma cum Gondio amicitia, nam par ingenium nacti ambo miſcendis in Aulâ rebus facilè congruebant: cumque ille tunc cum maximè ab Condæo paratæ in ſe cædis Quæſtione exagitaretur, haud difficile fuit hominem adversùm Condæum impellere. Priùs tamen ipſe, atque Belfortius Condæi animum pertentavêre, utrùm ſibi placatus eſſe vellet, huic factionis ſuæ principatum deferentes, cui omnia obſequi vellent: nam tanti viri operâ haud difficile videbatur peſſumdare Mazarinum, dein illum ipſum Condæum, cui mox Regina ex amoto Mazarino infenſiſſima fore videbatur.

Sed Condæus, ſeu id ipſis conſilii eſſe ſuſpicabatur, ſeu Belfortii fidem, & gratiam apud plebem, atque virtutis opinionem tolerare diutiùs non poſſet, & utriuſque cum omni eorum factione profligandi ſpem nactus erat, quos jam atrociſſimi facinoris reos ageret, omnem cum iis reconciliandæ gratiæ conditionem abnuit. Ita nihil ambobus reliquum eſſe videbatur, quo ſalvi, honeſtique porrò forent, quàm uti Reginæ, ac Mazarino ſe adversùm Condæum conjungerent. Igitur Rohana Mombaſona cum Mazarino agit, uti Gondium ſecum in gratiam reductum vellet, quò & Belfortium eſſet adducturus. Id Mazarino ſatis placuit, neque abnuit tali ſuo tempore Belfortius: cæterùm ſeu ingenii mobilitate, ſeu nimio gratiæ popularis ſtudio uti cum illo omninò, aut diù congrueret, nunquàm animum inducere quivit.

Rohana Mombaſona Mazarino uti Condæum in carcerem conjiceret, autor erat, quod quidem hic aiebat haud neceſſe videri, ſed conjunctis factionis opibus cum Aulâ facilè fore homini modum facere, atque hunc cogere, uti quæ ferociùs adversùm rem publicam, atque adversùm Belfortium, & Gondium agat, ea ſibi ſentiat omittenda. Sed Gondio ad Mazarini artes perſpicaciſſimo, qui inter Condæi, ac factio-

ſorum diverſa ſtudia, ex animi lubidine gerere omnia vellet, haud ita viſum, ſed planè ſibi, atque factioni adversùm Condæi potentiam, & audaciam caveri oportere, quod quidem aliter, quàm hoc in carcerem conjecto fieri poſſe negabat, ſin aliter Mazarinus ſentiret, ſe ſuoſque ſibi conſilium capturos. 1650.

Sed adducendus erat Gaſto in hanc de Condæo in carcerem conjiciundo ſententiam: qui tametſi cum eo ſimultates exercebat, illi tamen in viro è regiâ gente Principe quo nullus ſibi propinquior eſſet, id exemplum haud ſatis placiturum videbatur. Præterea Mazarinus Rivieram Condæo obnoxium eſſe ſcibat ex Cardinalatu, ſicuti ſuprà demonſtravimus, Gaſtonem autem rem tantam Rivieræ cujus in poteſtate uſquè fuerat, haud occultam habiturum credebat, neque hunc Condæo, ex quo Mazarino pernicies, rei publicæ bellum adfore dubium non erat. At Rohana Mombaſona ſatis ſcibat Gaſtoni Condæi virtutem, & audaciam æquè moleſtam eſſe, cui videlicet metueret, ut ne pluſquàm ſuæ ipſius dignitati, & cum Rege propinquitati homines tribuerent.

Hanc auxerat Condæus moleſtiam, ubi nuper apud Gaſtonem quædam fabula aut agebatur, aut ſaltabatur: nam qui ad fores aderat ſeu Vicecenturio, ſeu Vexillarius Cuſtodum Corporis, is turbam abigendo quæ occaſione advenientis Condæi freta ſimul ingredi nitebatur aulam in quâ fabula agi debebat, ſcipione quem de more imperii teſſeram præ manibus habebat, Condæum imprudens attigerat, qui hunc ſubitò è Vicecenturionis manibus ereptum præ iracundiâ perfregerat, rem Gaſtoni graviuſculam, quam tamen tùm diſſimulaverat: ſed oblatâ occaſione huic ægrè aliquid fieri æquo animo paſſurus videbatur. Quantùm ad Rivieram hujus gratiam, & fidem apud Gaſtonem immutatam ex *a* Salgeonæ negotio Rohana ſatis ſcibat. *a* Mademoiſelle de Saugeon.

Illa virgo nobilis in Margaritæ Lotharingæ Gaſtonis uxoris gynæceo erat, utrique æquè grata, acceptaque, quia virtus huic amborum benevolentiam conciliaverat. Id Rivieræ moleſtum, metuenti videlicet, ut ne in cujus alterius poteſtate Gaſtonis animus eſſet. Tanta pietas in Deum erat virgini, ut huic in mentem veniret, reliquam inter Sanctimoniales vitam agendi. Quâ re admodùm lætus Riviera Carolam Margaritam Mommorantiam Condæi matrem impulerat, uti Salgeonam in hac ſententiâ confirmaret, ac ei operam ad rem conficiundam polliceretur: igitur ab Gaſtonis, & Margaritæ ædibus clàm egreſſam deducit ad Carmelitanas Virgines, quò aliquamdiu agitavit.

Intereà Gaſtonem, & Margaritam uxorem Salgeonæ deſiderium tenebat, atque his ægrè erat huic ſe rei Mommorantiam admiſcuiſſe. Dein Gaſto percunctando, anquirendoque id ab Rivierâ ortum reſcivit, quo incidit ſuſpicio hunc cum Condæo plus æquo congruere, ac majorem in eo quàm in ſe ipſo adipiſcendi Cardinalatus ſpem poſuiſſe. Sed uti Salgeonam Carmelitanæ Virgines dimitterent, Gaſto operam dedit, quam Maria Ludovica Aurelia hujus ex priore uxore filia ad Margaritam novercam reduxit. His Rohana Mombaſona freta Gaſtoni ſe perſuaſuram

1650. confidit, magnoperè ad hunc pertinere, uti Condæus comprehenderetur, & in cuſtodiam mitteretur, atque id planè celandum eſſe Rivieram. Quod poſtquàm eſt ab muliere ſolertiſſimâ factum, Mazarinus ipſe de hoc omni negotio cum Gaſtone collocutus eſt, quod & Regina ipſa fecit. Ubi igitur ille in hujus ſententiam diſceſſerat, ibi ambo perbellè majorem cum Condæo amicitiam ſimulant, atque item Mazarinus, ſed maximè ſibi curæ eſſe, uti de paratâ in hunc cæde vindicetur in noxios: cùm intereà Gaſto nectere in eâ re moras, aliis, atque aliis de cauſis non ire in Curiam, ut ne quid decerni poſſet. Gondius verò, ac Nigromonaſterius jam inde ab hujus agendæ rei principio noctu ad Mazarinum ventitabant, & cum eo frequenter agebant. Gondius mutabat veſtem, ac verſicolore ſagulo militariter ornatus erat, ut ne quis ſuas ad Mazarinum itiones poſſet advertere.

Contium cum Condæo comprehendere conſilium erat, qui tametſi vix per ſeſe quidquam movere, aut facere poſſet, tamen cum Condæâ ſorore, & Longavillâ hunc valere quidpiam Aula nuper ſenſerat: eo Principem è regiâ gente adoleſcentem ſubducere Condæi clientibus viſum, ſi quid poſtquàm in cuſtodiam conjectus foret, moliri vellent, atque idem de Longavillâ decretum, quamvis ab Condæo ſe, atque ab uxore Condæâ diſſentire ſimularet, atque utrique ex Puſſardæ cum Richelio nuptiis graviter offenſum: ſed al a graviora fuêre, quamobrem ab uxore diſcordaret, atque adeò ab ipſo Condæo, qui huic ſicuti ſorori decebat, fautor erat. Cum Reginâ itaque, & Mazarino redierat in gratiam, poſtquàm ambobus ut ne præteritorum meminiſſent demiſſiſſimè, atque ſubjectiſſimè ſupplicaverat, fidemque dederat ſe in eorum poteſtate futurum. Vocatus tamen poſtridiè ab ſocru Carolâ Margaritâ Mommorantiâ reconciliandæ inter Condæum, & Contium filios, Condæam filiam, ac generum gratiæ, quæ poſthàc firma foret, his eamdem quam pridiè Reginæ, ac Mazarino, fidem obligavit, incertam videlicet, neque diuturniorem futuram: prætereà Rivieræ animum implevit ſuſpicione de Mazarini ergà hunc voluntate, quod ubi reſcivit Mazarinus Longavillam item ſicuti Condæum, & Contium in cuſtodiam mittendum eſſe rectè cenſuit.

Regina, Gaſto, & Mazarinus quo magis rei patrandæ tempus inſtabat, eo ad ſimulationem intentiores fuêre: de variis rebus Reginæ Condæi ſententiam exquirebat, atque hujus ſibi magnoperè probari conſilia præ ſe ferebat: Gaſto ubi in Senatum ibat, ſe vehementer cupere demonſtrabat, uti qui cædis in Condæum patrandæ autores fuiſſent, ſciretur denique, & in noxios jure ageretur: Mazarinus ſpem magnam oſtentabat ſeſe hujus maximè operâ ſalvum, & honeſtum porrò fore, ſicuti per nuperum civile bellum fuiſſet. His, atque aliis hujuſcemodi deluſus Condæus, ſed magis potentiæ ſuæ, atque virtutis opinione, quam tantam apud omnes eſſe rebatur, uti nemo adversùm ſe cogitare quidquam, nedùm facere auderet, rei quę parabatur indicia multa contempſit.

Intereà componebatur ab Mazarino dolus, quo ipſe caperetur, parúmque abſuit, quin hunc reſciſceret; namque præeunti verba Commentarii quem eâ de re Lionnus perſcribebat fortè intervênit, ſed animus longè alia omnia cogitans ab omni ſuſpicione procul aberat. Indè ad Reginam iit, Conſilium poſt meridiem haberi debebat, vulgatumque fuerat in eo agendum de Coſturâ, quem Syndicum fuiſſe diximus creditorum uſurarum urbanarum: hunc ſeditioſiſſimum Regina, ac Mazarinus dicebant eſſe, *atque cædis in Condæum paratæ autoribus conſcium, ſi comprehendatur, haud dubium videri, quin hujus indicio, & teſtimonio reſciri poſſit, quidquid ad tantum facinus pertineat: hunc latere in ædibus Montis Martyrum portæ vicinis, dandam igitur operam, ut id quantocyùs fiat: obſtare modò quod factioſi plebem commoturi videantur, ut hunc è lictorum manibus eripiat, quod uti prohiberi poſſit, cataphractorum Regis equitum turmam in ſtationibus quibus locis videbitur, diſponendam.* 1650.

Condæus nihil ſuſpicans quæ dicerentur, ac pararentur, ea ad ſe attinere, Carolum Schombergium Equitum Tribunum hujus turmæ ducem per Lionnum monet, ut hanc paratam, atque inſtructam quibus opus eſſe dixerit locis per ſtationes diſponendam properè mittat: ita compoſito dolo digreditur, qui poſteà in illum ipſum vertit. Mazarinus operam dederat, uti Longavilla ſciret poſt meridiem de more Conſilium habitum iri, in quo de pace cum Hiſpaniæ Rege faciundâ ageretur, ac prætereà Egtotum Beuvronii filium jusjurandum Regi editurum ob Legati in Normanniâ Provinciâ, & Prefecti veteri Palatio apud Rothomagum Munera, quæ utraque res ad Longavillam ſingillatim pertinebat, ſcilicet qui de hac pace ſicuti de Germanicâ Monaſterium Veſtfalorum antehàc Legatus fuerat, & qui Normanniam obtinebat provinciam, quo factum eſt ut huic Conſilio adeſſe vehementer vellet.

Adveſperaſcente die Condæus, dein Contius, ac denique Longavilla in Regiam veniunt: Regina minùs bellè habere ſe ſimulabat, cùm ut ne Conſilio adeſſet, tùm ut aliqua cauſa eſſe videretur, quamobrem qui viros Principes comitabantur, eos corporis Cuſtodes unà ingredi ne ſinerent proxima hujus Cubiculo conclavia, unde ſtrepitus ad eam ſic affectam permanaret. Ad hanc iêre primùm viri Principes, dein ad Porticum quo haberi Conſilium ſolet. Aderant Mazarino, & Rivierâ exceptis Adminiſtri omnes, quorum ille alterum accerſiverat, ut ne quid vir callidus, & omnis Aulicæ fraudis ſcientiſſimus perſentiſceret, remque diſturbaret.

Tum *a* Guitaldus Reginæ Cuſtodum Corporis Centurio, Comingius frater & ipſe Centurio, atque Croiſius vexillarius ſinguli ſingulos Condæum, Contium, & Longavillam comprehendunt, ac ſibi deducendos eſſe aiunt, quò Regina juſſerit. Condæus Cancellarium orat, uti ſibi hanc alloqui liceat, qui continuò ad Reginam iit, ſicuti Servianus item ab eo rogatus ad Mazarinum eâdem de causâ: ſed id poſtulaverat fruſtrà, cum uterque ut id ne fieret conſilio adeſſe noluiſſet.

a De Guitauld, Capitaine des Gardes du Corps de la Reyne. De Cominge, auſſi Capitaine. De Croiſy, Enſeigne.

1650. Deducuntur per Regiæ poſticum viri principes ad apparatam rhedam, dein eâ conſcensâ ad Vincennarum arcem: eo circumeunda ſuburbia, & per vias cavas, tranſverſas, luto impeditas iter habendum, quod eo tantiſper, & quod in his rheda corruerat, tardatum eſt: poſtremò tamen ventum ad Vincennas eſt, quò in arcem interiorem viri Principes conjecti ſunt.

Eódem & *a* Peraltus in Rationum Curiâ Præſes qui negotia Condæi curabat, deductus poſt paulò eſt, conquiſitaque in ejus domo ſcripta quæ ad Condæum pertinerent omnia. Primùm in Urbe vulgatum eſt Belfortium comprehenſum: ſed ubi hic per vicos, & plateas ſeſe plebi ex ante compoſito oſtentaverat, nihil eſt tumultuatum, ſed propè omnes ex alienâ calamitate lætari, dictitare hâc eſſe Condæum digniſſimum, ab quo per nuperum quod adversùm Urbem geſſerit bellum, compluria orta ſint mala, quin & eò multitudinis petulantia evaſit, uti ſicut in publico gaudio per compita & plateas frequentes ignes hujus indices accenderit.

a Le Preſident Perrault.

b Lomenius Brienna ad Carolam Margaritam *c* Mommorantiam Condæi matrem, Phelipæus Vriliera ad Annam Condæam ſororem Longavillæ uxorem nuntiatum venêre Reginæ verbis, illi uti poſtridiè rus ſecederet, huic ut in Regiam veniret protinùs, quæ ſtatim ab ædibus matris in quibus erat, unà cùm Annâ *d* Gonzagâ Palatini Principis uxore diſceſſit, & in quibuſdam hujus clientis ædibus abdidit ſe, atque proximâ nocte in Normanniam, quam vir obtinebat, ſicuti ſæpiùs diximus, provinciam abiit. Mommorantia cum *e* Maillæâ Brezeâ nuru, atque Angiano nepote Cantilium Rus haud procul Urbe ſeceſſit. Condæi amici, atque clientes alii aliò diſceſsêre, Buillonius in Lemovices, quò firmiſſimam arcem, atque oppidum habet, Turenam appellant: Turena frater unà cum Goyone Muſſaïo Satenaïum contendit, cui oppido, atque Arci ad Moſam in Campaniæ finibus Condæum Præfectum eſſe diximus antehàc. Eò copias ſubitò Turena conſcripſit. Philippus Hiſpaniæ Rex in propinquo Lucemburgenſem habet agrum, atque omnem Belgii uſque ad Oceanum, ad Rhenum, atque ultrà regionem, unde & pecuniam in belli civilis ſumptus, atque alia ſubſidia ſeſe habiturum Turena confidebat: Marſillacus in Pictonas quam obtinet provinciam diſceſſit.

b De Lomenie, Comte de Brienne. *c* La Princeſſe de Condé, Doüairiere. Phelippeaux de la Vrilliere. La Ducheſſe de Longueville. *d* La Princeſſe Palatine. *e* La Princeſſe de Condé. Le Duc d'Anguien. Chantilly.

Intereà Mazarinus ab omnibus collaudabatur, qui rem tantam ſine tumultu confeciſſet, quo nomine apud hunc omnes ex Aulâ, atque ex Urbe, qui aliquo numero eſſent, homini gratulatum venêre. Sed viſum de more ubi quid hujuſcemodi quod ad rem publicam pertineat, Rex fieri juſſit, de eo Senatum facere certiorem. Eo ad hunc Ordinem litteras dedit, ſignificavitque omnia, quibus adductus Condæum, Contium, & Longavillam in cuſtodiam conjectos voluerit. His litteris permulta in Condæum jactabantur, quæ fermè cuncta memoravimus ſuprà: ſed in narrando tanta ars erat adhibita, ut ampliora vero, multóque graviora viderentur: cæterum factum nullum,

conſilia modò, quæque virtuti ſuæ, & navatæ Regi, atque reipublicæ operæ ingentia præmia poſtulabat, ea crimini dabantur. Eodem exemplo datæ ad cæteras Curias, & ad eos qui provincias obtinebant litteræ: ſed hæ primùm in Regiâ Rege, atque Reginâ matre coràm, accerſitis ab Senatu quibuſdam, ac frequenti Procerum cœtu recitatæ ſunt, quod idem mox factum in Senatu: aderat Gaſto qui pleriſque Patrum fidem fecit, quæ recitata eſſent, ea vera, atque comperta eſſe, haud ſatis æquus Condæi virtuti, atque gloriæ, quam ſubduci hominum oculis haud ægrè ferebat, eâ re magis uti ſuâ voluntate comprehenderetur adductus, quàm quòd ab eo tùm quidquam publicè metuendum exiſtimaret. 1650.

Rex ſuis ad Senatum litteris Patres hortabatur, uti nupera plebis ad ſeditionem vocatæ, & paratæ in Condæum cædis crimina impunita, ne dimitterent, quem tametſi reipublicæ cauſâ in cuſtodiam mitti juſſerit, nihilò minùs quæ ad ejus ſalutem, & dignitatem attineant, ea ſibi curæ eſſe, eadem Regina pridiè dixerat, ubi recitatæ in Regia litteræ fuerant. Sed hæc per ſimulationem dicta, ſcriptaque Senatus ſatis intelligebat, majoraque erant complurium ex hoc ordine in Belfortium, & Gondium ſtudia, prætereà in Bruſſellum, quàm ut hos utriuſvis criminis peragi reos vellent, quin potiùs exemptos noxæ, & ipſum de quo memoravimis Carretonium, nam ad hos omnes hanc quæſtionem pertinere aiebant.

Igitur vbi de hoc negotio ad Senatum relatum eſt, nihil videri decrevit, quo hæc quæſtio ad eos attineret, atque adeò in Senatum ubi vellent de more venire poſſe. Secundùm hæc Belfortius, & Gondius ad Reginam, poſtridiè ad Mazarinum adiêre, utrobique perbenignè, atque liberaliter habiti: neque dubium cuiquam fuit, quin ex Reginæ, & Mazarini voluntate Senatûs Decretum de iis factum fuerit: nam Mazarinus ambos ab Condæo alieniſſimos volebat, ac Belfortium maximè, cujus fratri Mercurio ſororis filiam nuptum dare properabat, uti totam ſibi fidam haberet domum. Vindocino patri Ædui data provincia eſt, Condæi ſpolium, Mercurio filio Catalonia, quam Prorex obtineret. Mazarinus qui maximè Belfortium ſibi adjungere ſtudebat, diligenter hunc in mediâ quò agitabat urbe inviſit, cum maximo comitatu, uti plebes omnis cui ſicuti diximus cariſſimus erat, ſciret ſibi cum eo convenire.

In Catalonia quibus finibus hanc Rex obtinet, pro Prætore erat Marſinus hoſpes, atque advena Leodienſis, qui dudùm Regi merebat, vir fortis, & qui per æſtiva proxima rem illic publicam egregiè ſuſtentaverat. Sed quia Condæo addictus erat, viſum hominem tantiſper habere in cuſtodiâ, ut ne quid plus minuſve quàm opus foret, faceret: eo Perpinianum deductus, & in Arcem conjectus eſt, ita Mazarino cuncta procedebant. At Gaſto in Rohanæ Mombaſonæ, ac magis Gondii poteſtate erat, nam hic Margaritâ Gaſtonis uxore, Annâ Mariâ Ludovicâ hujus ex priori uxore filiâ, ſed Rohanâ ſingillatim, atque aliis,

1650. Rivieræ inimicis fretus hunc rus amandaverat, hominem novum, cui ſpes, opeſque omnes in ſe uno poſitæ erant: Gondio verò genus, virtus, propinqui, affines, amici, ac denique factio in Aulâ, in Senatu, atque in Urbe valida, quæ omnis Mazarino adverſa erat, animos faciebant.

Condæam diximus in Normanniam abſceſſiſſe, quæ primùm Rothomagum petiit: eò Beuvronius veteri Palatio quod eſt inſtar arcis, Præfectus eſt: ſed is Longavillâ in cuſtodiam conjecto nihil ſe poſſe movere ſcibat, quod alicujus ad virorum Principum liberationem momenti foret, neque Curiam, neque populum Rothomagenſem auſurum pro Longavillâ arma capere adversùm Regem, quem mox adfuturum providebant. Non ipſi, non Curiæ, non plebi ſtudium erga Longavillam, atque erga Condæam deerat, ſed quod his nulli uſui futurum facilè judicabant, ſibi autem ſi quid moverent, in certiſſimam verſurum perniciem. Pervicit tamen Beuvronius, uti Rothomagenſis Curia ad Regem ſcriberet, ſi ipſi videretur, nihil opus eſſe, ut in Normanniam veniret, quò omnia obedientia eſſent, ac porrò forent.

Dein ubi Condæa in Curiâ, populoque Rothomagenſi nihil auxilii eſſe videt, Richelium cujus tam egregias cum Puſſardâ Vigeanâ confecerat nuptias, tentat, utrum ſe ad Gratiæ-portum venire vellet: ſed occupaverat Mazarinus per *a* Ternæum navibus longis Propræfectum, cui Richelius Præfectus erat, monere adoleſcentem uti Gratiæ-portum ſibi uni habere vellet. *Si hunc obtinere Aquiloniam amitam ſub cujus videlicet tutela eſſet, ipſi grave fuerit, multò graviùs futurum, ſi penes Condæam ſit. Id planè hanc moliri, ſi recipiatur mœnibus: nihil enim ipſi fore antiquius, quàm uti Centuriones, ac milites qui in præſidio ſint, ſibi adjungat, muliebri arte, atque largitione. Longavillam virum ſibi Gratiæ-portum expetiiſſe, neque omiſiſſe quidquam, atque omni ſtudio contendiſſe, ut id ſibi permitteretur. Condæam uxorem fortaſsè non alia causa Puſſardæ cum ipſo Richelio confeciſſe nuptias, quàm uti quæſita opportunitate, quod uſquè vir nequiverit, id ipſa efficiat. Si ſe huic, atque Condæo obligatum ſentiat, uberiorem utrique referre gratiam poſſe, ſi Gratiæ-portum porrò obtineat, quàm ſi hunc ſibi adimi ſinat: nam hoc pacto Gratiæ-portum, non autem ipſum Richelium Condæo, atque Condææ uſui futurum.*

a Le Marquis de Terne.

His, atque aliis hujuſcemodi Ternæus adoleſcenti perſuaſit, ut ne Condæam Gratiæ-portum venire ſineret, ſed quàm honeſtiſſimâ oratione ex eo nihil ipſi auxilii, ſibi periculum ingens adeſſe oſtenderet. Ternæus pridem Richelii Cardinalis cliens fuerat, quo major illi apud ſororis ejus nepotem fides fuit. Ita Condæam cùm ſua ſpes de Rothomago, & Portu-gratiæ fruſtrata eſſet, poſtremò Diepam confugit. Id oppidum ad Oceanum poſitum dudùm penes Longavillam eſt. Præfectus *b* Montignius, ac præſidium magis in ejus, quàm in Regis fide fuêre, vitio noſtratium, qui ſe iis ab quibus aliqua augendæ rei ſpes eſt, facilè devovent, nullâ Regis, aut reipublicæ curâ: id ea Nobilitas maximè facere ſolet, cui exiguæ fortunæ ſunt, dein milites, Populum haud

b De Montigny.

haud facilè niſi reipublicæ ſpecie commoveas. Hic adeò bonus fideliſque apud Diepam fuit, nihil aut precibus, aut minis Condææ ab officio deductus: præſidii tamen quod in arce erat metu diſſimulare cogebatur, ut ne ſuum in Regem ſtudium priuſquàm ſubveniri poſſet, in perniciem verteret. 1650.

Arx erat munitiſſima, prætereà alia Munitio, quæ valido præſidio ab Condæâ tenebantur, rumorque inceſſerat acccerſi undequâque Longavillæ clientes, & copias, augendo præſidio, ut & oppidum eſſet in poteſtate, ac prætereà qui ſubeſt oppido portus. Is magnam Condææ dabat opportunitatem ad auxilia foris petenda, advehendaque, quorum ab Belgio propinquo copia erat, Hiſpanis qui id obtinent ad fovendas in Gallia turbas intentis: his ut ne Diepa ipſa ab Condæâ traderetur, quo viri, fratrumque cauſam ſuſciperent, Regina metuebat. Jam Turenam apud Satenaïum, quò hunc abiiſſe diximus, copias coëgiſſe, & cum Hiſpanis conſilia conferre fama erat: quibus rebus uti prævertetet Regina profectionem in Normanniam adornat, atque eò præmittit Harcurium cum copiis.

In hac provinciâ Longavilla præter Diepam, cui jamdiù Præfectus fuerat, Cadomum, & Pontem-arcuum ab Rege nuper ſibi permiſſa oppida habebat: huic oppido, atque arci Chamboïum præfecerat virum fortem, ac ſtrenuum, atque eò validum præſidium eſſe aiebant, difficilemque arcis oppugnationem fore: ſed in eâ pauci fuêre qui hanc defenſarent, neque ſàtis ad augendum præſidium ſpatii fuerat, tam maturè Rex poſt comprehenſos Principes viros Urbe moverat. Chamboïus tamen, ut arx ſibi relinqueretur poſtulabat, de quâ Regi conſervandâ fidem daret: quod poſtquàm eſt negatum, atque Harcurius circùm oppidum poſuerat caſtra, poſtremò vitam, & res ſalvas, prætereà alia ſibi, militibuſque honeſta pactus arcem dedidit, ſexaginta omninò fuêre, cæterùm multus commeatus, tormenta ſex, ſclopeti quadringenti. Fuêre qui ita exiſtimarent deditioni maturandæ curatam Chamboïo pecuniam, quæ oppugnandarum arcium ratio vi, atque armis longè potior eſt. Sed ubi Rex Rothomagum advenit, ſuprà quàm dici poteſt lætiſſimis omnium animis accipitur, ex veteri Caſtello, aut Palatio pulſi qui in præſidio erant, in quorum locum ſuffecti ex regiæ cuſtodiæ Legione octoginta Helvetii: Urbis portæ, atque aliæ munitiones Urbanis Magiſtratibus permiſſæ, unam ex portis cæteris firmiorem, atque novam ad Sequanæ pontem munitionem Longavilla clientibus ſuis attribuerat, quæ ipſis ademptæ ſunt.

Inter hæc ab Diepâ miſſi advenêre, qui oppidanorum verbis poſtulavêre ab Rege quempiam militiæ peritum, cujus ductu non modò ſeſe adversùm id quod in arce ſit præſidium, oppidum deffenſuros, ſed & arcem ipſam oppugnaturos aiebant: nihil ad eam rem copiis opus eſſe, hanc oppidanorum fidem, atque virtutem, hunc ad omnia pericula reipublicæ causâ ſubeunda animum, uti ſi accedat ab Duce diſciplina, atque militaris ratio, qui in arcê ſint, eos ad deditionem addu-

1650. cere ſe poſſe confidant. Datus Beliero-pleſſius Caſtrorum Præfectus, qui continuò Diepam unà cum iis profectus eſt: comitabantur *a* Burnonvilla Marchio, Gandavus Vicecomes, Santanianus, & Queſnæus rei maritimæ peritus, prætereà ſeptem è Mazarini cuſtodiâ ſclopetarii equites.

a Le Marquis de Bournonville. Le Vicomte de Gand. Le Comte de S. Agnian. Du Queſne.

Ubi Beliero-pleſſius advenit, oppidanos quadringentos arcem inter, & oppidum collocat, atque eâ parte Burnonvillam, & Gandavum curare jubet, ac maturè vallum hoſti objicere, è regione portûs trecentos item oppidanos ab Santaniano circumduci: trecenti prætereà apud oppidi portas, plateaſque diſpoſiti ſunt. Quod ubi ſensêre qui in arce erant, incredibilis eos regii nominis terror invaſit, ita ut ſupplicii metu plerique è muris præcipites ſeſe darent, diffugerentque. Non tamen ita ſtationibus, ac vigiliis obſepta erant omnia, ut non aliqua fallendi copia eſſet: præmiſſis igitur qui iter explorarent, Condæa certior facta ad mare ſe poſſe tutò evadere, intempeſtâ nocte eò progreditur, ſcapham conſcendit, & ad navim quæ haud ita procul ab littore in anchoris erat, jam anteà ad ſimilem apparata caſum, magnâ remorum vi contendit: ſed adverſi flabant venti, tantaque tempeſtas Oceano inceſſerat, ut hanc ſuperare nautæ nequirent, quo factum eſt uti littus repetere cogeretur, neque multùm abeſſet ab naufragio: poſtremò equo impoſita cum equitibus quinque capeſſit fugam, & cum luceſceret jam multùm itineris anteceperat: ſed nemo fugientem ſequebatur, nullâ Beliero-pleſſii præterquàm de potiundâ arce curâ.

Antequàm profugeret ad Reginam miſerat, qui nihil ab ſe hoſtiliter factum diceret, *Diepam veniſſe uti ſibi in arce tutò eſſe liceret, neque conſilium fuiſſe quidquam adversùm Regem facere. Quando Reginæ ita placeat, ſeſe Montignio mandaſſe, uti cui ipſa jubeat, arcem tradat, ſaluti quoniam aliter copia non ſit, longiùs abſcedendo conſulturam.* Regina *Nihil Condææ aut arce, aut fuga ut in tuto foret, opus fuiſſe* reſpondit, *cui per ſe licuerit Rure aliquo ſuo agitare, dum vir in cuſtodia eſſet: ea de re ſe per* b *Varennam huic dediſſe fidem: quod arcem Regi dedi juſſerit, in nulla gratia habere, quoniam hanc deffendere nequiverit.* Cæterùm continuò arx dedita, neque Montignio conſilium, hanc adversùm Regis copias defenſare, ſed magis Condææ autor fuerat, ut hanc ſubitò dederet, quod ipſâ invitâ faciundum foret denique: ſimiliter *c* Croiſetta Cadomum dedidit, nihil expectato quo oppugnaretur belli apparatu.

b De Varenne.

c La Croiſette.

His ex ſententiâ geſtis viſum ad Richelium mittere, qui Regis verbis juberet adoleſcentem Gratiæ-portum oppidum, atque arcem huic tradere: ſed ille quid faceret incertus colloquium cum eo qui miſſus fuerat, effugit: dein datâ ab Mazarino fide Puſſardam Richelii uxorem tutò Rothomagum venturam, atque ubi luberet ad virum redituram, hæc eò venit, atque impetrato uti nuptiæ ſuæ cum Richelio firmæ haberentur, & ſicuti Ducum, ac Parium Franciæ uxoribus copia eſt, & ipſi Reginâ coràm ſedere liceret, convênit uti Richelius Gratiæ-portu decederet, qui ab Rege, aut Reginâ matre ſicut antehàc Aquiloniæ per-

miſſus eſt, atque hæc eò *a* Santimaurum qui ſicut antehàc præeſſet, remiſit. Ita omnis pacata Normannia eſt, quam Rex Harcurio tantùm de ſe, atque de re publicâ per bellum civile nuper, dudúmque per externa merito provinciam permiſit. 1650.

a De Sainte Maure.

Danvillarium oppidum probè munitum in Lucemburgenſi agro haud procul Campaniæ finibus Contio qui hanc obtinet provinciam, permiſſum nuper diximus: id anteà penes *b* Anevoxium fuerat, virum fortem, ac Regi fidum, cum Cohortis unius præſidio, cui Tribunus erat. *c* Becerellus eódem tùm Propræfectus fuit, atque hujus Cohortis non centuriones modò, ſed & procenturiones, vexillarios, ac gregarios milites benignè, atque liberaliter habuerat, quæ res ſeu benè, ſeu malè facere conſilium eſt, magno uſui eſſe ſolet. Poſtquàm oppidum Contio traditum fuerat, huic Rupifocaldum Marſillacum præfecerat, cum eâdem Cohorte, mutatis modò centurionibus, pauciſque aliis. Sed hanc memorem ſacramenti, & ſuæ erga unum quemque benignitatis fore Becerellus exiſtimavit, ſpemque nactus eſt, ſi cum militibus colloqui copia foret, hos in officio retinendi. Hæc Adminiſtris aperit, Danvillarium versùs mittitur, *d* Vandius, atque Fouquetus Abbas qui conſilio juvent, huic adhibentur.

b Le Baron d'Annevoux.

c De la Becherelle.

d Le Marquis de Vandy. l'Abbé Fouquet.

Ubi propius Danvillarium ventum, accerſit è præſidio quoſdam, hos benignè appellat, & quid rei agatur edocet. *Adversùm Regem bellum ab Condæi, & Contii clientibus parari, Turenam eſſe in propinquo, qui cum Hiſpanis hoſtibus conſilia conferat, contrà ſacramenti religionem facturos, ſi diutiùs aut Contio, aut Marſillaco, aut qui eorum vices in oppido gerat dicto audientes ſint:* prætereà præmia militiæ pro cujuſque captu, atque ordine oſtentat, ita homini militari, atque iis antehàc quos alloquebatur propè contubernali fides apud eos fuit. Jam erumpebant indicia aſpernantium, & Propræfecti (is *e* Rupifocaldus erat è Melitenſi militiâ Marſillaci frater) & centurionum imperia, quibus Propræfectus ſicuti par erat permotus, Turenam qui apud Satenaïum haud procul erat, accerſit. Hic cum copiis eò contendit, quod ubi ſenſêre qui Becerello rei quæ parabatur, conſcii erant, ii, atque omnis gregarius miles arreptis armis centuriones, atque alios qui Contii partes ſequebantur, in vincula conjiciunt: adversùm Rupifocaldum Propræfectum nihil contrà militiæ decus admiſſum, ſed hunc cum honore cuſtodiunt, dein Turenæ appropinquanti emiſſæ tormentis pilæ oppidum in Regis poteſtate eſſe ſignificavêre. Ita ſine cæde, & ſanguine Danvillarium validiſſimum oppidum unius Becerelli operâ Condæi clientibus ereptum eſt, quæ unicuique eâ gratiâ promiſerat, cuncta cum fide præſtita.

e Le Chevalier de la Rochefoucaud.

Haud diſſimiliter *f* Fertæus Sannectarius qui Lotharingiam obtinet provinciam, Claromontium arcem in propinquo, nuper Condæo ab Rege dono datam, recepit, cui ipſe Præfectus antehàc fuerat. *g* Dutotius caſtrorum Præfectus huic eâ de re mandata Regis attulerat, qui juſſus ab Fertæo pedites apud Barem cogere, & Claromontium versùs ducere, dum id exequitur, ille intereà loci cum ſuâ equitum

f De la Ferté Sennetere.

g Du Tot.

1650. alâ celeriùs eò advenit. Quò factus per exploratores certior Angiani levis armaturæ, & Contii cataphractorum, atque levis armaturæ turmas Claromontio diſceſſiſſe eâ ipsâ die, ac Satenaïum petere, has perſequi inſtituit: pernoctavêre in vico qui paſſibus modò millibus novem ab Satenaïo aberat, quem vicum propius poſtridiè primâ luce Fertæus advênit. Satenaii vicinitas, quò, circúmque oppidum Turena omnes habebat copias, prætereà nulla hoſtium qui propè eſſent fama *a* Beljocum qui has ductabat turmas, negligentem fecerat. Itaque ſine excubiis, ſine vigiliis exactâ nocte, nondùm ſatis experrecti equites erant, cùm hos ex improviſo Fertæus adoritur: pauci grege facto regiorum impetum ſuſtinêre conantur, intereà dùm cæteri equos conſcendunt: ſed illi fuſi fugatique, cæteri propè omnes capti, inter quos ipſe Beljocus: *b* Govilla cum octo equitibus in proximam agreſtium munitionem, quales tuendis fortunis ſuis levi opere exſtruere ſolent, confûgit.

a De Beaujeu.

b De Gouvi'le.

Sed hanc omittere & Turenæ vicinitas, qui ab Satenaïo auxilio venire poterat, & Claromontii recipiundi conſilium Fertæo ſuaſit: quod quidem negotium Laplantæi cujuſdam operâ ex ſententiâ evenit. Hunc Fertæus pridem Claromontii portæ præfecerat, cujus beneficii, præterea fidei memorem haud difficulter ad hanc Regi, ſibique præſtandam impulit: is alios uti ſecum ſentirent, & ſacramenti religione, & præmiorum ſpe adduxit, quorum voluntate Fertæum introduxit in arcem, ad cujus conſpectum clamore ſublato benè Regi precati, cæteros qui Condæo favebant comprehendunt. Quâ re nuntiatâ Reginæ duplex præſidio ſtipendium curat, Laplantæo, atque aliis, prout quiſque promeritus erat, præmia decernit, aut promiſſa exoluit.

Muſonium haud procul Satenaïo eſt item ad Moſam amnem poſitum, quod adeò alicujus rei, atque usûs eſt, cæterà loco ad muniendum importuniſſimo: quo factum eſt, uti quoties oppugnatum ſit, virtute magis hominum, quàm loci naturâ, aut operibus defenſaretur, oppidani ſicuti neceſſe eſt boni, ſtrenuique ſunt. Præfectus erat oppido Carolus Franciſcus *c* Joüſius Magnipratæus, qui hujus nominis prædium opimum, ac nobiliſſimum habet in propinquo. Hic juvenis ingens animi, magis quo pacto audaciam oſtentaret, quàm utri parti ſtuderet conſultabat: pro Condæo ſuaſit hominis virtus, atque adverſa fortuna, cujus miſeratio facilè Joüſium cepit, eâdem propè ætate, haud diſſimili animo, atque gloriæ pro fortunâ cupidine. Muſonium oppidum ad eaſdem partes adducere conabatur, quo ſuum erga Condæum ſtudium clarius eſſet, at oppidani ubi ſenſêre fraudem, maturè Præfecti imperium exuêre, ſibique cepêre conſilium, ut in Regis fide manerent, neque in oppidum redeundi Præfecto facultas eſſet.

c De Joyeuſe, Comte de Grand-Pré.

Receptis eo quo diximus pacto Danvillario, ac Claromontio, Satenaïum adhuc in eâ regione penes Condæum erat: ſed cùm eò Turena copias haberet aliquanto numero, res aſpera videbatur id oppidum cum

1650.

arce munitiſſimâ eâ tempeſtate oppugnatum ire. At in Æduis adem-
ptâ Condæo provinciâ, ac Vindocino nuper datâ, Divionis Caſtellum
haud ita validum Condæi præſidio tenebatur, quod adeò ubi Vindo-
cinus eò advenit, ipſi haud difficulter deditum eſt, curatâ Præfecto
pro commeatu quem plurimum eò congeſſerat, pecuniâ. Præter Di-
vionis Caſtellum, Condæus in Æduis Seuram oppidum præſidio te-
nebat ad Ararim amnem Sequanis finitimum, quod oppidum probè
muniverat, nec eâ causâ ſumptui pepercerat, quæ res indicabat eum
magna, atque inſolita moliri, neque enim quiſquam eſt, qui ſuo ſump-
tu Regis oppida muniri æquum cenſeat. a Sanmicaldus quidam vir for-
tis Seuræ Præfectus erat, prætereà b Salxius Comes Tavanius oppi-
dum eſt ingreſſus, cum aliis nobilibus Condæi clientibus, atque ami-
cis: ad hunc Turena ſcripſit, hominem confirmans, uti Seuram cum
Sanmicaldo naviter defenderet.. *Anni tempus oppugnantibus importunum,
eo loco poſitum oppidum, ubi ab ſe auxilii copia ſit, cui rei ſi uſus veniat, non
defuturum: ſi id fecerint, fore ut iis Condæus plurimùm debeat, nam & eo-
rum, & ſua, atque cæterorum Condæi clientium opera eò rem redituram deni-
que, ut hunc cuſtodia emitti neceſſe ſit.* Simul ad Divionenſem Curiam de-
derat litteras, uti convocatis Claſſibus de re publicâ conſultare vellet,
ac mittere ad Regem, qui docerent ad hanc maximè pertinere, ut ne
diutiùs Condæus in cuſtodiâ ſit: eâ causâ civile bellum imminere Reg-
no, quod quanto hujus periculo, atque damno geratur, palàm eſſe:
parceret Æduos fidam gentem onerare miſeriis, quæ ex Seuræ oppug-
natione ſi hanc incipere velit, impendeant: ſed hæc deprehenſo nuntio,
interceptiſque litteris fruſtrà fuere, ſolumque profecere, uti Turenæ
conſilia magis in aperto eſſent..

a Saint Micau.
b De Saux Comte de Tavane.

Præter Æduos Condæo altera Bituriges provincia erat, cujus caput
Avaricum: eò Turris fuit ampliſſima, arcis inſtar, è quadrato ſaxo, cu-
jus murus tam latus, uti tormentis impenetrabilis videretur. Provincia
adempta Condæo c Santaniano uni è regiorum Cubiculariorum prin-
cipibus permiſſa eſt. Is ſubitò Nobilitate vicinâ fretus, atque oppida-
nis Turrim oppugnat: ſed qui defenſabant in malâ causâ ut ferè fit,
deſpondent animos, terrore regii nominis, ac ſupplicii metu objecto,
quo factum eſt, uti Præfectus d Graſſetus Turrim dederet. Ubi con-
jecti viri Principes in cuſtodiam fuerant, ad hos miſerat Regina Ser-
vianum, qui ſuis verbis poſtularet, uti ſcriberent ad clientes, quos op-
pidis, & arcibus ſibi permiſſis præfecerant, ſignificarentque velle ſeſe
eos Regi obedientes eſſe, & quæ imperaret, ea facere: Condæus id
fruſtrà fore reſponderat, quoniam per vim expreſſum fuiſſe credituri
eſſent, cæterùm non commiſſuros, ut adversùm Regem quidquam fa-
cerent, nemo tamen eorum quæ oppida ſibi Condæus permiſerat, ab
iis ſponte diſceſſit, ſed his pellendis ubique vis fuit adhibendâ. In-
ter Condæi amicos, clienteſque Buillonius, atque Turena fratres
de quibus ſæpiùs memoravimus, Rupifocaldus Marſillacus, & Urba-
nus e Maillæus Brezæus principes fuere: hic Condæi ſocer eſt qui nihil

c Le Comte de S.Agnan.
d Graſſet.
e De Maillé, Marèchal de Brezé.

1650. tamen uſquè molitus fuerat, dudùm quieti, atque otio deditus, ſicut aliò diximus. His eſt Edicto ab Rege dicta dies, ante quam in Aulam venire ſine fraude liceret, qui ni paruiſſent rei Majeſtatis forent: promulgatum id in Senatu, neque eo magis venêre, aut pro Condæo præter Brezæum niti deſiêre, Turena maximè, qui copias apud Satenaïum cogebat.

Cùm hæc omnia civile bellum in Galliâ oſtentarent, Hiſpani ſpem nacti ſeſe quidpiam intereà operæpretii facturos, præterea certiores facti Helvetios qui Regi mercede militabant, munia militiæ apud Dunkercam inopiâ ſtipendii abnuere, hanc improviſò adoriri conſtituunt, eâ celeritate rem confici poſſe, uti ſubveniundi ſpatium futurum non ſit, dum noſtros diſcordiæ, atque turbæ diſtineant. [a] Fuenſaldanius ab vicinis præſidiis hyberniſque educit copias, ab Oſtendâ inſtructa properè ad eam rem navigia accerſit, terrâ, marique ad urbem properat. Sed qui Bergæ Fani-Vinoci Dunkercâ haud procul præerat, is arbitratus ad ſe hoſtes venire Cataractas quæ eo ſunt omnes deprimi, atque adeò claudi jubet, quo factum eſt, uti Colmia amnis plurimùm creſceret, atque effuſâ in omnem longè, latéque planitiem aquâ paludem efficeret, quæ res prohibuit [b] Lipontium quem Fuenſaldanius ab Audomari-fano cum copiis præmiſerat, Dunkercam pergere, atque adeò incæptum omittere coactus eſt. Hoſtes & Baſſæam fruſtrà tentavêre, quorum tam varia conſilia Reginam impulêre, uti [c] Villequierum in Atrebates mitteret, qui Hiſpanorum conatibus pro virtute, ac diligentiâ ſuâ occurreret.

[a] Le Comte de Fuenſaldagne.

[b] Liponti.

[c] De Villequier.

Ita domi, foriſque Mazarino cuncta procedebant: ſed huic quæ Gaſtoni, & Condæo erat cura, atque ſolicitudo, ut ne alter plus altero gratiâ, & potentiâ in Aulâ valeret, ea ſaluti uſquè fuerat, dum uterque Mazarinum ſibi æquum habere ſtudet, neque ambos quæ utriuſque animum æmulatio inceſſerat, ea congruere ſinebat in illius perniciem: nam ita ab naturâ ſumus omnes, uti cuncta perdita, quàm æmulum auctum, aut ornatum malimus. At Condæo tunc amoto Gaſto in Mazarinum faciliùs impelli poſſe videbatur: obſtabat una res modò, quod Mazarinus ubi vellet, Condæum emittere poſſet cuſtodiâ, cujus operâ adversùm Gaſtonis injurias munitus foret. Huic Rohana Mombaſona, atque Gondius perſuaſerant, ad ipſum magnoperè pertinere, uti Condæus amoveretur Aulâ, atque hujus animum magnis de hominis conſiliis, & audaciâ ſuſpicionibus impleverant, quibus adductus Gaſto lubentiſſimè conſenſerat, ut in cuſtodiam conjiceretur, quo fiebat ut emitti ſibi offenſum, atque adeò ultionis avidum nollet, omniaque facturus ex Mazarini voluntate videretur, ut iſtuc prohiberet.

Contrà Gondius non Mazarino, ſed ſibi Gaſtonem obnoxium volebat, quem in illum ubi uſus veniret, impelleret: nam ſicuti Condæum amoverat per Gaſtonem, & Mazarinum, ita & hunc abigere per illum decreverat. Sed eâ cauſâ adimendus erat Gaſtoni metus, ut ne Condæus ab Mazarino cuſtodiâ mitteretur, quod uti perficeret Gondius,

omnes ingenii ſui nervos intendit. Habendus eâ gratiâ Condæus erat in poteſtate, ſed id quo pacto fieret, haud ſatis expediebat. Apud Vincennarum arcem quod id ſperaret nihil erat, neque enim inde per multitudinis tumultum eripi poterat, cujus vis intrà mœnia eſt, altero ab Urbe lapide Vincennæ ſunt: ſed ſi in Baſtiliam Urbis arcem adduceretur, tum denique in Gaſtonis, Senatûs, Populique, atque adeò in ſuâ quodammodò poteſtate futurum, qui plurimum apud eos autoritate polleat. Igitur per Regis, & Reginæ matris abſentiam qui tum in Normanniâ erant, rumores jacere cœpit, longiuſculè ab Urbe Condæum, Contium, & Longavillam haud ſatis tutò aſſervari: complures eſſe qui eos eripere cuſtodiâ velint, qui ſi vi, aut dolo graſſentur, difficiliùs apud Vincennas id caveri poſſe, quàm ſi in Urbe eſſent, eam rem ad Gaſtonem magnoperè pertinere, quamobrem hanc ſibi curæ eſſe aiebat. 1650.

Eâ tempeſtate quidam è præſidio interioris Vincennarum Arcis haſtati milites, qui perferre, & exequi Centurionum imperia, & cogere in ſuos ordines cæteros milites ſolent, triginta ex his ſibi devinxerant, qui ad viros Principes cuſtodiâ emittendos operam ſuam erant polliciti, dein omne propè præſidium conſiliis ſuis opportunum habuêre. Primùm illi ſponte ſuâ rem totam excogitaverant, quam ad Roquettum Abbatem Contii clientem detulêre, uti ſibi præmium tanto facinore dignum conſtitueret, & quæ huic patrando opus eſſent, ea ab amicis, & clientibus Principum foris pararentur. Ille Gourvillæ de quò ſuprà memoravimus rem omnem aperit, quam eò denique adduxerat, uti parùm abfuerit, quin confecta foret: obſtitit cujuſdam ex conjuratis religio, qui codicillos hujus rei indices in majore Urbis Templo conſultò reliquit: hi in manus cujuſdam ſacerdotis incidêre, ab quo perlati ſunt ad Gondium, ab ipſo vero ad Gaſtonem: cumque id tam opportunè accidiſſet, ut huic traducendorum ad Urbem virorum Principum neceſſitatem Gondius confirmaret, plerique hujus commentum fuiſſe ſunt arbitrati: ſed quidam è præſidio interioris Vincennarum Arcis comprehenſi, & in vincula conjecti ſunt, mutatumque præſidium eſt.

Multa ſimul Gondius eâ tempeſtate, atque Rohana Mombaſona movebant, ambo tamen cum Mazarino amicitiam ſimulabant, quo faciliùs hominem opprimerent: ſed ipſi ad cavendum dolus, atque aſtutia ſuperabant. Pomponius Belevræus in Senatu Præſes apud Bernium Rus ſuum nobile, atque amœnum tum convivium inſtituit: hic Aulæ percupidus erat, fortè per avi memoriam qui Cancellarius fuerat, eumdem ſibi Magiſtratum expetens. Extrà ordinem in Italiam Legatus fuerat adoleſcens, magis Legatione liberâ per Bullionis ſoceri ſummi tum Quæſtoris gratiam, quàm quod quidquam magnoperè eò agendum haberet, dein legatus in Britanniam eſt, poſtremò iterùm eódem extrà ordinem, & nuper ad Socias Belgii Civitates, quibus in Legationibus nihil operæpretii uſquàm fecit: ſeu alienis temporibus hæ ſuſ-

1650. ceptæ fuêre, ſeu aliud alii natura iter oſtendit, ab quo ſi aberraveris, continuò offendas, ſed vitio humani ingenii evenit, uti nemini ſua ſatis placeant, aliena potiora videantur. Nam Belevræus in Senatu clarus, magnâ prudentiæ, peritiæ, atque probitatis famâ erat, qui dùm præſentium tædio nova exoptat, cum Rohanâ, Belfortio, Caſtronovano, atque Gondio amicitiam inſtituerat, ſpem nactus horum ſe operâ Cancellarium, aut Procancellarium denique futurum, nam hi Magiſtratus penes Caſtronovanum primùm futuri erant, dein penes Belevræum, ſeu illius morte vacui forent, ſeu hos habendo Cardinalatui abdicaturus eſſet, uti regii Conſilii Princeps fieret.

Hos omnes ad convivium Belevræus vocaverat, uti de rebus communibus conſultarent, nam prætereà ſingulis conſilium ſuum in occulto fuit. De Caſtronovano quem antehàc tanto Aulæ deſiderio teneri diximus, placuit cunctis hunc iterum Procancellarium fieri, quo minui Mazarini gratiam, & potentiam poſſe arbitrabantur, quia ille jamdiù Reginæ, cognitus, & virtute probatus erat, quem majoribus Regni negotiis haud ſecùs parem ſatis ſciret: hac opinione diſtractum iri ejus animum, & abſtrahi denique ab Mazarino poſſe. Jamdiù *a* Rohana iſthuc moliebatur, neque ceſſaverat, poſtquàm Bruſſellis redeunti Reginam adire copia fuerat, pro Caſtronovano niti, ut ipſi cum priſtinâ dignitate in Aulam redire liceret, quóque id Mazarini voluntate fieret, inter hunc, & Caſtronovanum amicitiam conciliare ſtuduerat, quam & ipſa cum Mazarino inſtituerat, ab hac ubi res moneret diſceſſura. Nam in Aulâ vix ulla amicitia niſi ex commodo eſt.

a Madame de Chevreuſe.

Pacatis in Normanniâ rebus Rex, atque Regina mater ad Urbem rediêre. Plebes lætis clamoribus, dein omnes Ordines ſingillatim adventum, & quod iis omnia proſperè eveniſſent, ſunt gratulati, neque alias magis populus in Regis poteſtate fuit, ſcilicet qui omnia eventu potiùs, quàm officio metitur. At Mazarinus Rohanam, Belfortium, & Gondium ſibi magis, magiſque adjungere cupiens, iis ex ærario grandem pecuniam decernit, quam haud difficulter Rohana accepit, parùm ſolicita quid eâ de re Senatus, Populuſque ſentiret. Sed accidit fortè, uti qui ab Urbe annuos reditus, aut uſuras hujus fide pecuniæ Regibus creditæ accipere ſolent, eas ſicuti par erat, flagitarent. E regiâ pecuniâ urbanis Magiſtratibus traditâ penduntur, quæ cum ab Almerico ſummo Quæſtore curata non eſſet, ad eum frequentes adeunt, queruntur, clamitant, maledicunt homini, qui ſeu nihil aliud tùm occurrit, ſeu de induſtriâ Rohanæ, Belfortio, atque Gondio invidiam conflare voluit, quidquid præſentis pecuniæ in ærario eſſet, id iis decretum eſſe reſpondit, neque ſupereſſe quidquam. Quod ubi reſcivêre Belfortius, & Gondius, ingens eos adversùm Almericum indignatio cepit, tamen ut ne vulgi quibus maximè nitebantur, ſtudia amitterent, negavêre ſibi quidquam è regiâ pecuniâ decretum voluiſſe, ſed magis uti plebes immenſo vectigalium onere levaretur.

Nihilò minus tamen ex eorum voluntate Caſtronovanus eſt Procancellarius

canccllarius factus, miſſus enim eſt ad Cancellarium Seguierum Phelipæus Vrilliera unus ex Quatuorviris, qui regium repoſceret ſignum, quod ſibi traditum attulit Regi, dein accerſitus eſt ex ſuburbano rure ſuo Caſtronovanus, cui idem ab Rege traditum ſignum eſt. Seguierus Roſnium Suillii generi Rus nobile ſeceſſit, de cujus hominis naturâ, & moribus antehàc diximus. Addendum modò videtur, quod in otio, ſicut in negotio idem fuit, ingenio quod perrarum eſt in utrâque fortunâ æquabili. At de Caſtronovano mirum viſum, hominem ſeptuagenario majorem in Aulam redire voluiſſe, cùm plerúmque id ætatis homines ab negotiis ad otium ſeſe conferant, contrà ab illo tantum uti redire liceret, ſtudium adhibitum, uti per ſeptennium ex quo Regina in procuratione regni ſit, nuſquàm ceſſaverit, uſquè dùm quod animo agitaverat, id perficeret. 1650.

Iſthuc primum factioſorum operæpretium fuit, poſt Condæum Aulâ pulſum, quod quidem Mazarino fraudi fuiſſe multi exiſtimavêre, nam ſublato Gaſtonis æmulo, hujus potentia crevit, atque adeò ex hujus ſententiâ, aut quorum erat in poteſtate omnia poſthàc faciunda fuère, qui Mazarino tametſi cum eo amicitiam ſimulabant, erant infenſiſſimi, uti ſatiùs fuerit omnes ab Condæo moleſtias, atque indignitates perferre, modò ut Gaſtonis ſicut uſquè fecerat, potentiæ adferret modum, non quo is ſuâ ſponte Mazarino adverſus eſſet, ſed quod ab ejus inimicis quò vellent, impelleretur. At nondùm contra hunc palàm incipiebant quidquam, ſcilicet qui priùs res ſuas ejus voluntate, quin & per ejus gratiam conſtabilire vellent, nuſquàm conſilia ſua niſi ubi res moneret, nudaturi.

Per id tempus mortem obière Urbanus Maillæus Brezæus, & Franciſcus Rupifocaldus: hic Pictonas, ille Andes Provinciam obtinebat, uterque è regiâ ſancti Spiritus Militiâ, Rupifocaldus Dux & par Franciæ, Brezæus primùm Cuſtodibus regii Corporis Dux, dein Tribunus equitum creatus, Ludovici Condæi ſocer, genere, ac rebus geſtis haud tantâ indignus affinitate: cæterùm Henricus Condæus hujus filiam Ludovico filio uxorem expetiverat, Richelii Cardinalis cauſâ, qui huic avunculus fuit, per cujus florentiſſima tempora Brezæus ab Aulâ diſceſſerat, ruris, atque otii cupidus, ab quo poſtillâ nuſquàm avocari potuit. Sed quia Regina metuebat, ut ne quid generi cauſâ moveret, huic, ſicut & Marſillaco diem dixerat, ante quam utrique in Aulam venire ſine fraude poteſtas facta fuerat. Sed ille ſuâ, hic Rupifocaldi patris morte quo minùs Reginæ dicto audiens eſſet, prohibitus eſt, quæ Marſillaci excuſatio ſicuti tali tempore accepta, poſtquàm per litteras ſe in fide manſurum receperat.

Vindocinum in Æduos præmiſſum diximus, qui provinciam obtineret, atque huic deditum Caſtellum apud Divionem. Tavanius Comes qui apud Seuram erat, excurſiones circumquàque fecerat, prædas egerat, villas incenderat, atque alia hoſtilia fecerat, neque hunc Tavanius Marchio in eâ Provinciâ Legatus ſatis coërcere potuerat, ino-

1650. piâ copiarum, quas paucas habebat, quo factum eſt, ut equites, pediteſque qui ab Rege defecerant, per Æduos Satenaïum ad Turenam propè intacti contenderent. At poſtquàm Vindocinus advenerat cum copiis pluribus, ibi verò Tavanius Comes finem populandi fecit. Fama erat Regem cum exercitu propediem venturum, cujus rei metu viſum periculum facere, utrùm Sanmicaldus quem Seuræ Præfectum eſſe diximus, animum ad deditionem adjicere vellet: miſſus eſt eâ gratiâ Tubicen, qui de hâc re virum more majorum compellaret: is oppidum ſeſe cuiquam niſi Condæo, qui id ſuæ fidei credidiſſet, redditurum negavit, quod ubi in Aulâ reſcitum, continuò in Æduos eſt decreta profectio.

a Le General d'Erlac.

Eâ tempeſtate mortem obiit a Erlacus Briſiaco Præfectus, vir nobili apud Helvetios genere, cujuſmodi quatuor apud Bernenſes familiæ plebis voluntate conſervatæ ſunt, ubi apud Bernam parandi juris, & libertatis conſtituendæ gratiâ, nobilitatem omnem, aut cecidêre, aut abegêre. Erlaco res familiaris perexigua, aut nulla, uxori quæ ex eâdem familiâ erat, ut in ea regione, ſatis ampla fuit. Is ad Bernardum Saxonem Veimarienſem Principem in Germaniâ virum qui fortè in propinquo bellum gerebat, applicaverat ſeſe, ac Briſiacum oppugnanti ſuggeſſerat ſumptum, nihil in eâ re uxoris bonis, nihil ſuæ amicorumque fidei pepercerat, donec deditum Veimario oppidum eſt, quod poſt paulò moriens ipſe dedit operam uti penes ipſum Erlacum foret, quod certè eo pacto magis quàm Ludovici XIII. Regis judicio, aut ſponte factum eſt, qui quoniam aliter fieri nequibat, illum Diplomate regio Briſiaco Præfectum conſtituit, atque ab eo accepit jusjurandum.

Dein Erlacus & apud Briſiacum, & in Alſatiâ vicinâ, præterea in Galliâ, ac Belgio bonam fidelemque Ludovico, & Regi filio navavit operam: nam eò ſemel, atque iterum Germanorum copias juſti exercitûs inſtar adduxit. Condæum aiebant ex clientibus ſuis quempiam huic generum antehàc deſtinaſſe, nam tres modò habebat filias, quo per has nuptias hominem ſibi fidum Briſiacum introduceret, oppidumque validiſſimum haberet in poteſtate, quod & nuperis Regis litteris in Senatu recitatis Condæo objectabatur. Ubi Erlacus obierat mortem b Carlevoſius eâ de re & Regem, & Reginam matrem certiores fecit, ſibique ſicuti Propræfectum decebat curæ fore, ut ne quid illic contrà rem publicam accideret.

b De Charlevoy.

c De Tilladet.

Intereà qui eò Præfectus eſſet ab Rege c Tilladetus deligitur, primùm in Prætorianorum legione centurio, dein Caſtrorum Præfectus, atque item Bapalmæ in Belgio Præfectus. Quod ubi reſcivit Carlevoſius, cum Erlaco qui demortui Erlaci fratris filius erat, atque Germanorum Cohorti apud Briſiacum Tribunus, ac præterea Caſtrorum Præfectus, fœdus init, quo cavebatur, ut ne quem Præfectum apud Briſiacum admitterent, ſed oppidum æquato imperio obtinerent: deinambo mittunt ad Tellierum Quatuorvirum, qui hunc moneret, fruſ-

trà Briſiacum Tilladetum venturum, neque mœnibus receptum iri. 1650.
Tellierus rem defert ad Mazarinum, atque hic ſtatim ab Æduis quò tùm Aula erat, *a* Bauſſanum, Heruartum, ac Miletum ad Carlevoſium, atque Erlacum mittit, qui ambos in viam reducerent. Erlacus haud difficulter cùm ab his, tùm ab Carlevoſio perſuaſus acceptâ decem millium librarum ſummâ Briſiaco in patriam diſcedit.

a Bauſſan, Eruard, Milet.

Mazarinus præter hos tres quos diximus Renatæ *b* Dubecæ operâ apud Carlevoſium uſus eſt, quæ per litteras hominem hortata eſt, uti maneret in officio, neque incerta pro certis captaret: hanc diximus Joannis Budæ Guebriani Equitum Tribuni uxorem fuiſſe, per cujus clientelam Carlevoſius multa militiæ decora, atque ornamenta conſecutus fuerat, ac poſtremò Propræfectus Briſiaco creatus, quo Dubeca magnam apud eum autoritatem, fidemque habitura videbatur: ſed hujus litteris, nihil plus eſt profectum, quàm Bauſſani, & collegarum oratione, neque his Carlevoſius tùm adduci potuit, uti quemquam Briſiaco Præfectum eſſe pateretur.

b La Maréchale de Guebrian, Renee du Bec.

Bauſſanus, atque collegæ huic de Cohorte cui Tribunus erat apud Briſiacum, ac Propræfecti Munere nihil mutatum iri fidem dedêre, quæ poſteà Regis ad eum litteris firmata eſt. Eo fiebat uti dubius, atque incertus hæreret, quid ſibi faciundum eſſet denique, ac poſtremò Labardæum apud Helvetios Regis Legatum in propinquo adiit, quid de Mazarino ſentiret curioſiùs rogans, utrùm hunc in Aulâ, aut omninò in Galliâ porrò agitare poſſe crederet, ex quo dicebat ſibi conſilium de admittendo Tilladeto eſſe capiundum: Labardæus verò qui neque Tilladetum, neque Carlevoſium, neque ipſum reſpiciebat Mazarinum, ſed rempublicam, ſed fidem, ſed officium, quibus cætera omnia poſthabenda ſunt, ſalubre homini de recipiundo apud Briſiacum Tilladeto, quem huic Rex Præfectum eſſe vellet, conſilium dedit, cum præſertim ipſi de Cohorte cui Tribunus erat in oppido nihil mutatum iri cautum fuiſſet.

Sed Ludovicus Rex, atque Anna mater ſicuti priùs Normanniam, ita tunc Æduos pacavêre: eo Divionem quæ caput provinciæ eſt venêre quò tametſi, atque in omni provinciâ Condæo plerique ex Ordine Eccleſiaſtico, ex Nobilitate, atque ex Senatu, Populoque ſtuderent, tamen ingenitâ quâdam apud nos regii nominis ſanctitate, cuncti Ludovico, atque Reginæ matri quæ voluêre omnia, ea facilè ſunt obſecuti, Conſilio eâ gratiâ provinciæ habito: quin & ipſi perduelles eâ ſanctitate permoti poſtremò Seuram dedidêre. Priùs tamen cis, tranſque Ararim caſtra ponenda fuêre, circumvallandum oppidum prohibendis eruptionibus, nam quingenti in præſidio erant equites, tantùmdem & peditum fuit. Rex denique venit in caſtra, ad cujus conſpectum perduelles flexêre animum ſuum, atque deditionem facere decrevêre. Qui oppido exceſſêre equites, peditesque datâ fide ſe adversùm Regem nuſquàm militaturos exautorati ſunt, quidam Regis voluntate in ſupplementum copiarum ejus nomina dedêre, veterani omnes, ac militiæ aſ-

1650. ſueti, Tavanius, Paſſagius Caſtrorum Præfectus, qui & ipſe apud Seurram erat, & Sanmicaldus ex deditionis legibus domos ſuas diſceſſére, poſtquàm jusjurandum polliciti fuerant ſe in officio manſuros, Vindocinus qui exercitui regio Imperator erat, oppidum eſt ingreſſus, cui Rex Roncerollum Caſtrorum Præfectum præeſſe cum Villæ Marchionis Subalpini Cohorte juſſit.

Apud Divionem quo Rex tùm commorabatur, venêre ab Sequanis, & Genevenſibus Legati, utrique Galliæ eâ parte finitimi: hi liberi, illi propius libertatem ſunt, nam tametſi in Philippi Hiſpaniæ Regis ſint ditione, tamen quia longiùs ab cæteris hujus terris incolunt, eo apud hunc immunes, atque levi imperio habentur, præthereà his ſalvâ Regis Majeſtate ſibi conſulere plerúmque licet, quoniam ipſi procul ſitos tueri quandóque difficile eſt. De Sequanis Philippo ſicuti Caroli V. Imperatoris atque Sequanorum Principis (Comitem appellant) hæredi fœdus cum Helvetiis perpetuum eſt, inchoatum ab Maximiliano Caroli patruo Germanorum Imperatore, ſub cujus hic tutelâ erat, quo fœdere cavetur curæ alteri futurum, ut ne alteri quidquam moleſtiæ contrà jus, faſque fiat. Eâ causâ ſed magis vicinitatis; (namque Sequani ſicuti Æduis, ita & Helvetiis finitimi ſunt) hi ab Regibus noſtris ſæpiùs aliquot annorùm inducias Sequanis impetravêre, uti tametſi Gallis cum Hiſpaniæ Rege, qui & Sequanorum Princeps eſt, intercederet bellum, pax tamen inter Sequanos, & finitimos Galliæ populos eſſet.

Conſimiles inducias pro Sequanis per hæc bella Helvetii ab Rege ſæpiùs poſtulaverant, ſed huic rectiùs viſum id Sequanis ipſis petentibus indulgere, ut ne hujus rei gratiam magis Helvetiis, quàm ipſi Regi ſe debere, atque illorum autoritate id ab nobis expreſſum crederent, neu adversùm nos poſthàc apud Helvetios ſibi præſidium quærerent, ſcirentque nullum niſi in Regis clementiâ, atque benignitate ſatis firmum eſſe. Datæ igitur in annum fuerant induciæ, ſpeſque facta in ſingulos annos renovatum iri: ut id impetrarent, ſummam annuam centum milliûm librarum ſeſe penſuros convenêre, haud ineptam rei firmandæ rationem, nam præthereà privatim quorum gratiâ opus habuêre, iis & nonnullam pecuniam curaſſe aiunt. Igitur Sequani cùm Regis beneficio pacem circumquâque omnibus bello ardentibus haberent, legavêre ad eum qui verbis ſuis ſalutem dicerent, & coram tanti Principis majeſtatem colerent, ac venerarentur.

Non nihil ægrè fuerat Helvetiis ubi poſtulaſſent Sequanis inducias, eas ab Rege negatas, dein poſtpaulò abſque operâ ſuâ datas: ſed fuêre alia longè graviora, quæ expoſtularent: nam ipſis neque creditarum Regibus noſtris pecuniarum uſuræ annuæ, neque publicè ex fœdere, neque privatim ex Regis conſuetâ munificentiâ, neque popularibus qui Regi merebant quidquam, aut perexiguum curabatur, quo factum eſt, ut aliqui primùm quibus in præſidiis erant, eò arma deponerent, atque omnia militiæ munia abnuerent, dein Civitatum, Pago-

rumque quibus Helvetiorum Reſpublica conſtat, implorārent fidem. 1650.
Sed hæc utrobique integra in Regem fuit, nam neque Tribuni, Centurioneſque Helvetii ab eâ diſceſsêre uſquàm, tametſi ab Hiſpanis ſolicitati, & ingentibus promiſſis onerati, neque Civitates, Pagique quidquam niſi mittendos ad Regem Legatos decrevêre. Primò de reducendis ſuis qui Regi mercede militabant, mittendos cenſuerant: at mox ab Labardæo edocti id his per fœderis leges non licere, niſi ubi bellum ipſis in patriâ ſit, ſententiam mutavêre, atque hujus negotii quod Regis commodò fieret, conficiundi licentiam Legatis permisêre, quâ in re Gentem hanc non modò pecuniâ, cujus certè ſtudium ingens habet, ſed & conſilio, atque amicitiâ duci compertum eſt.

Centuriones Helvetii ſæpiùs popularium vice Germanos milites in ſuis habent Centuriis, quoniam minori quàm Helvetii mercede operam ſuam locant: in illis ſi qua virtus eſt, eos & Vexillarios, & Vicecenturiones faciunt. Homo quidam hujuſcemodi qui apud Dunkercam antea in unâ Helvetiorum Centuriâ meruerat, dein ad Hiſpanorum tranſierat partes, eòdem ab Leopoldo qui Belgium obtinet, miſſus redit, ac Centurionem Helvetium adoritur: huic ingentem mercedem pro ſe, ac cæteris Helvetiis qui in præſidio erant, oſtentat, ſi oppidum Hiſpanis tradere velint. Is haud aſpernari viſus conditionem eſt, ſi quid haberet Germanus quo dictis ſuis faceret fidem: ipſe verò ſe dixit habere ab Leopoldo codicillos, quos Centurioni imprudens tradit. Hic ſubitò ad Eſtradam oppido Præfectum vadit, narratque huic rem ordine omnem, profert codicillos, quibus Eſtrada perlectis Germanum comprehendi jubet, de quo more majorum ſupplicium ſumptum.

Rex nuper ab Æduis ad Urbem redierat, cùm Legati Helvetiorum advenêre, hi ab Ludovico atque ab Annâ matre benignè habiti, poſtremò convenêre uti Tribunis, ac Centurionibus ſuæ Gentis quadringenta librarum millia ſtatim, quod ampliùs debebatur, id in ſingulos annos certis penſionibus curaretur, neque enim tantam præſenti pecuniâ ſummam pendere Ærarii inopia patiebatur. At omnem initio rem ferus, atque illiberalis Legatorum animus propè corrupit, quam ubi nec quâ celeritate, nec quâ ratione æquum cenſebant, procedere vident, quæ pro Regiâ de more in ſtatione Centuriâ gentis erat, eam ab Centurione deduci jubent; neque tamen is locus diù vacuus eſt relictus, occupavêre Rhœti Helvetiis corporum, atque armorum ſpecie conſimiles, finitimi, fœderati, & ſub iiſdem ſignis militare ſoliti, ſed qui non eâdem procacitate ſtipendia flagitaverant, quibuſque haud injucundum fuiſſet Helvetios abſcedere, uti ſua gens in eorum ſuccederet locum, atque Regi militando ditaretur.

Eâ causâ Rhœtorum Pagi tres, quibus eorum Res publica conſtat, Centurionibus ſuæ gentis, qui Regi militabant poteſtatem fecerant, in eâ militiâ tametſi Helvetii diſcederent, permanendi. Sunt qui Helvetiorum Legatos eò proceſſiſſe ſuâ ſponte negent, uti videlicet Centuriam

1650. ab Regiâ deduci juberent, ſed magis noſtratium quorumdam autoritate, qui Tribunorum, atque Centurionum Helvetiorum negotiis immixti ſuo potiùs, quàm eorum compendio ſtudent. Tanta vis avaritiæ invaſit, uti nemo huic ſervire, ne per Regis quidem dedecus, & rei publicæ damnum quidquam penſi habeat.

Quatuor erant Helvetiorum Legati, qui ex ingenio gentis ſuâ magis, quàm Rei ſuæ publicæ, aut Tribunorum, atque Centurionum causâ id muneris ſuſceperant. Nullus his ex publico decretus fuerat ab Civitatibus ſuis ſumptus, qui omnis quod ipſi malebant, ab Tribunis, ac Centurionibus, qui Regi merebant, atque adeò pro illorum lubidine præbendus erat. Igitur uti quamplurimùm iis facerent, primùm ſicuti diximus, ferociùs agere, de reducendis minari, ingentia poſtulare, quo major ſibi ſumptus ab Tribunis, & Centurionibus ſponte curaretur: dein ubi nihil proficiebant, neque ampliùs quadringentis librarum millibus quidquam auferre poſſunt, ut hæc ſibi non Tribunis, atque Centurionibus ſumma tradatur, depoſcunt; factum id ex ſententiâ, atque hi ſibi ſuos ſumptus, quantùm lubuit, retinuêre, cæteram ſummam illis diſtribuêre, id eò moleſtius ferentibus, quod ante adventum Legatorum, eamdem ipſis ſummam Adminiſtri decreverant, de quâ decedere quod Legati in ſumptum decerpſerant, id verò ſuprà quàm dici poteſt, ægrè fuit, atque eò ſibi poſthàc tam damnosâ hujuſcemodi Legatorum operâ nuſquàm utendum ſtatuêre.

Sed hi denique torquibus aureis ab Rege donati, tres in patriam rediêre, unus reſtitit ad Urbem, nomine Vagnerus Bernenſis, qui hujus Legationis inſtituendæ Helvetiorum Civitatibus, Pagiſque autor maximè fuerat, rei publicæ ſpecie. Is familiarem dudùm corruperat, cui reſtituendæ unà cum duobus Centurionibus Solodorenſibus animum induxerat, Salinas quæ apud Sequanos ſunt, conducere, ex quibus ſal ad proximas tres Helvetiorum Civitates Bernenſes videlicet, Friburgenſes, & Solodorenſes advehi ſolet: atque ut illas quàm minimo conducerent pretio, Sequanis oſtentare decreverant ſibi copiam eſſe ſalis ab Galliâ eòdem advehendi, ex quo omnis propè quem ex Salinis ſuis uſquè fructum ceperant, interiturus eſſet.

Eo Vagnerus poſtulabat, uti Rex ſalem ab Septimaniâ in Bernenſium fines advehi juberet, quem certo pretio coëmerent, mediam ejus partem præſenti pecuniâ, quantum autem alterius partis pretium eſſet, tanto ære alieno Regem, quo majores ejus Bernenſibus obſtricti eſſent, liberarent: id ſi Regi ſatis placeret, cum eo Bernenſes vel ſolos, vel unà cum cæteris Helvetiis fœdus renovaturos nullâ aliâ mercede, atque militum millia ſex ubi Rex vellet præbituros, quibus ſolita penderet ſtipendia. Hanc conditionem Serviano Vagnerus tulit: ſed hanc accipiundam, tametſi ferretur ſeriò, Labardæus Regis apud Helvetios Legatus multis de cauſis negabat, quas commemorare longum eſſet: contrà Servianus & id factu optimum, & in Urbe conficiundum aiebat, ſeu Labardæi odio, quoniam Chavignio propinquus

erat, cum quo ſimultates pridem exercebat, ſeu rei per ſeſe agendæ ſtudio, poſtremò tamen Vagnerus eâ infectâ diſceſſit. 1650.

Sed hæc de Helvetiis uno tenore diximus, quo factum eſt, uti quidpiam ubi necdùm ab Æduis Rex ad Urbem rediiſſet, in eâ geſtum uſque differremus. Id hujuſmodi eſt, Regina facta certior fuerat, Carolam Margaritam Mommorantiam quæ Cantilio rure ſuo haud procul Urbe agitabat, multa movere: hæc Condæi, atque Contii mater eſt, ac ſocrus Longavillæ: cum hac unà erat Brezæa nurus, uxor Condæi, nepoſque Angianus, dabatque vicinitas Urbis magnam nova molientibus opportunitatem. Eo Regina ſcripſerat ad Gaſtonem, qui cum imperio ad Urbem reſtiterat, ut has aut Avaricum Biturigum, aut Muronem, aut Caſtrorufum abire juberet. Id ab Gaſtone factum ſedulò: ſed Mommorantia triduum poſcit adornandæ profectioni, biduò autem nurus cum Angiano filio noctu profûgit: Mommorantia clàm ad Urbem venit, manſitque, opperiens eam diem quâ Senatus frequens de Patrum moribus bis quotannis haberi ſolet, Mercurialem appellant, quoniam id Mercurii die fit.

Primâ luce ſtetit in veſtibulo Curiæ, Patrum advenientium fidem, uti more majorum de filiorum, atque generi causâ cognoſcere velint, implorans, atque intereà uti ſibi tutò in Urbe eſſe liceret, quod & per libellum ab Senatu poſtulat, de quò *a* Petrus Paganus Deſlandius ad Senatum retulit, ſimulque de Peralti qui unà cum Condæo in carcerem conjectus fuerat, libello conſimili. Patres ut ne quid præterquàm cujus rei gratiâ de more conveniſſent, ageretur, decernunt: viſum tamen ad Gaſtonem mittere, qui Senatûs verbis rogarent, uti Mommorantiæ in Urbe per hunc manere liceret, intereà dùm Rex eò rediret. Gaſto reſpondit: *Quod ſibi mandatum ab Rege, ac Reginâ matre ſit, id uti fiat curæ eſſe debere, condonare tamen Patribus, uti Mommorantiæ haud ita procul ab Urbe quòpiam quâ iter ſit ad Avaricum Biturigum commorari, & Regis adventum opperiri liceat, cæterùm abſcedendum Urbe, atque in eo Regi parendum.*

a Deſlandes Payen, Conſeiller.

Id ubi Mommorantiæ Gaſtonis verbis renuntiatum eſt, hæc verò ſe quod Senatus de libello ſuo decerneret, id ſe facturam reſpondit. Itaque Gaſto poſtridiè in Senatum venit, docuitque Patres, quanto cum rei publicæ periculo Mommorantia tamdiù apud Cantilium agitaviſſet. *Eò conſcriptos, eo coactos equites, & quò libuerit dimiſſos, prætereà miſſos qui cum Hiſpanis hoſtibus agerent, qui apud Seuram rebelles auxilii ſpe confirmarent, idem apud Salmuriæ arcem factum, quibus niſi occurratur, rei publicæ damno futurum: quò Rex Mommorantiam abire juſſerit, eò licere eſſe in tuto, cui an hæc parere debeat, necne, in controverſiam adduci fas non eſſe, in eo lædi jus, atque Majeſtatem regiam, quod ut ne fiat, omni ſe ope eniſurum: ſatis ſe ſcire idem ſentire Senatum, atque adeò pluribus ut hunc in ſuam adducat ſententiam nihil opus eſſe.* Gaſtonis oratio Patribus probata, atque accepta fuit, Senatûs tamen rogatu Mommorantiæ ut haud ita procul ab Urbe intereà dùm Rex adveniret, commoraretur, poteſtatem

1650. facit: ſed poſt triduum hanc Regina ad Urbem reverſa longiùs abire juſſit. Inter hæc Buillonii uxor quæ prægnans domi ſuæ cuſtodiebatur, poſtquàm pepererat, clàm aufugit, ſed hæc poſt paulò in B. Germani ſuburbio deprehenſa in Baſtiliæ arcem deducta eſt, atque eódem mox Catharina Turria ejuſdem Buillonii ſoror.

Urbanum Maillæum Brezæum mortem obiiſſe ſuprà memoravimus, qui Andes provinciam obtinebat: hic & Salmuriæ in eâdem provinciâ Præfectus fuit, quod oppidum ad ſiniſtram Ligeris ripam ſecundo amne navigantibus eſt, pons ad dextram pertinet, in quâ ſuburbium quondam ab Sectariis dùm id oppidum præſidio tenebant, probè munitum fuit, nunc dirutæ munitiones ſunt. Suprà oppidum arx eſt edito loco ad eumdem Ligerim, ex quâ in oppidum, & amnem, & in omnem circùm planitiem deſpectus eſt, quæ omnia arcis tormentis, atque telis opportuna ſunt. In eâ quidam Dumontius Brezæi cliens fuit, qui fretus iniquitate illorum temporum quod Patronus iſto loco vir obtinebat, id ſibi retinere animum induxit, ſeu Mommorantia Condæi mater, atque uxor Brezæa Urbani Brezæi filia ut id faceret, ſuaſerant.

Igitur ubi primùm poſt Brezæi mortem eò miſſus eſt ab Rege qui oppidum, arcemque ſibi tradi juberet, Dumontius dicto audiens non fuit. Poſt paulò Joannes Baptiſta Comingius Cuſtodum Reginæ corporis unà cum fratre Guitaldo Dux eódem advenit, qui & unà cum Guitaldo Salmuriæ oppido, atque Arci Præfectus eſſet, ſed nihilo huic, quàm alteri Dumontius obedientior fuit: nihil Regi copiarum in eâ regione eſſe ſcibat, præterea qui virorum Principum partibus favebant, ii hominem ut ne arcem dederet hortabantur. Contrà Comingius patrem ejus adhibet, prætereà amicos, qui admoneant officii, edoceantque quantùm ipſi periculum impendeat, ſi diutiùs Regis imperium contemnat. Poſtquàm hæc parùm proficiebant, neque flectitur animus ferox, Comingius Salmurienſium, atque Lodunenſium qui ipſis finitimi ſunt operâ adversùm Dumontium uti parat, utrique hanc bonam, fidelemque pollicebantur.

Quingenti ab Loduno venturi erant, jamque ducenti, & quinquaginta aderant, cùm Marſillacum Rupifocaldum qui Pictonas paternam antehàc provinciam obtinet, Lodunum venire eſt nuntiatum: comitabatur pleraque Nobilitas ad Patris nuper demortui funus evocata, atque ignara fortè quò duceretur: quindecim paſſuum millia ab Loduno aberat, cum eò præmittit qui oppidanis ſignificaret ſe ad eos venire. Id ut eorum pertentaret animos fiebat, liceretne armato oppidum ingredi: hi verò ſe negant hujus rei copiam facturos, qui fidem ad ultimum Regi ſervare decreverint, prohibitique ſint Rupifocaldum recipere mœnibus. Intereà dùm apud Lodunum eâ de re diſceptatur, è Rupifocaldi copiis equites aliquot quàm proximè oppidum, quoad ſatis tutò poſſent, excurrere juſſi ſunt, quo periculum facerent quid conſilii, atque animi Lodunenſibus denique eſſet, ſaltem eo attineri hos poſſe, quos ad Comingium miſſuri erant. Sed Lodunenſes nihil

territi,

territi ſeſe ad propugnandum parant, quod ubi Rupifocaldus videt, neque ſe Pictonum Nobilitas ſatis adduci ſinit, uti quid adversùm Regem faciat, incœptum omiſit. Ad Comingium intereà loci venêre equitum turmæ tres, una equitum ala, Cohortes duæ, præterea *a* Gonnorius Guffierius, qui in ea agitabat regione, ſummo loco vir, cum equitibus ſexaginta clientibus ſuis, haud quaquàm ſatis pares ad arcem oppugnandam copiæ. Quod tamen ubi Dumontius videt, neque ulla ampliùs auxilii ab Rupifocaldo ſpes erat, deſpondit animum, arcemque dedidit. 1650.

a Gouffier Comte de Gonnor.

Condæam Longavillæ uxorem Diepâ profugiſſe diximus, paucis comitantibus, quæ in maritimâ Normanniæ orâ navim Batavam nacta Roterodamum, quod eſt oppidum Batavorum, contendit: eò Guillelmus Naſſauvius Arauſiorum in Galliâ Princeps, hujus mater, atque uxor Condæam venêre ſalutatum, atque rogatum ut Hagam Comitis venire vellet. Hic vicus multis Urbibus major, nobiliorque Sociarum Civitatum ſicuti caput eſt, quia illic harum commune Conſilium habetur ab delectis ex ſingulis Civitatibus, Ordines ſeu Status appellant. Sed Condæa Satenaïum propediem erat profectura, quò quidem eunti per Hiſpanorum in Belgio fines iter habendum erat, ab quibus ut id ſibi facere liceret Diploma expectabat, quod ubi accepit, Trajectum ad Moſam petiit.

Venit eò miſſus ab Leopoldo Gabriel Toletanus, qui hujus verbis fœminæ principi adventum gratularetur, ac præterea de fœdere, ſi huic videretur, ageret: ſed id Condæa ſibi non eſſe niſi unà cum Turenâ faciundum ſtatuit, atque adeò Gabriel Toletanus cum illâ Satenaïum versùs iit. Obviam Condææ proceſſit Turena cum omnibus copiis, cùm honoris cauſâ, tùm ut has oſtentaret Toletano. Actum dein de fœdere, quod in has ictum eſt leges. *Utrimque conjungito arma, bellumque Philippi auſpiciis gerito, uſquè dùm Pax inter ambos Reges ſanciatur, ac viri Principes emittantur cuſtodiâ. Id ſi priùs fiat, quàm Pax ſanciatur, hi nihilò minùs copiis ſuis Philippum adjuvanto, & Mazarinum qui hanc detrectet, uti fiat adigunto. Ducenta nummûm millia Philippus Condææ, atque Turenæ curato, conſcribendis, armandiſque militibus, præſentia centum, poſt menſem alia centum: ſingulis vero menſibus in ſtipendium, cæterumque belli ſumptum millia nummûm quadrâginta: pro alimentis, cultuque Condææ, & Turenæ millia nummûm ſexaginta annuatim tribus penſionibus. Philippus tria peditum, duo equitum millia cum Præfecto Hiſpano Turenæ copiis conjungito, qui huic dicto audiens ſit. Satenaium, & Seuram in Æduis Condæa, & Turena, item omnia oppida quæ in Galliæ finibus vi, atque armis Turena ceperit, Philippo permittito, uſquè dùm pax ſanciatur, quæ tùm reſtituat.*

Id fœdus antequàm Seura oppugnaretur, factum fuerat: apud Satenaïum arx penes Condæam porrò futura erat: ſed ubi Seuram Regi deditam fuiſſe auditum eſt, ibi verò Hiſpani contendêre, ut in hujus oppidi æſtimationem ſibi & arx apud Satenaïum traderetur, atque Bruſſellis Condæa agitare vellet: neutrum hæc ſe facturam liqui-

Vuu

1650. dò dixit, cujus voluntati Hiſpani acquievêre denique, eo lubentiùs, quod hujus mulieris ingenium, nec abſimilis fraternæ virtus haud leve momentum alliciundis nobilium Gallorum animis, movendiſque, ac perturbandis magis, magiſque in Gallia rebus allatura videbatur.

Intereà qui Condæi ad Urbem clientes, atque amici fuêre, ii continuò quid facto ad hunc, Contium, & Longavillam cuſtodiâ eximendos opus eſſet, conſultabant, quod quidem fieri non poſſe intellexêre, niſi ſi factioſos ſibi adjungerent. Sed cùm hi Condæo uſquè adeò infenſi fuiſſent, uti de eo in carcerem conjiciundo cum Mazarino congruiſſent, atque de illius calamitate gaudium ingens oſtentaſſent, vix tantum odium in miſericordiam verti poſſe videbatur, uti quem perditum voluiſſent, ejus commodis ſervire tàm ſubitò animum inducerent. Veniebat tamen in mentem illos omni ope eniſos, uti Condæum ad ſuas adducerent partes, neque ullâ de causâ huic factos inimicos, quàm quod cum his ſentire noluiſſet, quod ſi nunc ſe velle illis fidem facere poſſit, veriſimile eſſe tanti viri amicitiam, atque operam non abnuituros: hunc enim ultionis in Mazarinum avidum futurum, ad cujus perniciem omnia factionis conſilia planè tendant, dubitari non poſſe. Rohana Mombaſona infenſiſſima Condæo, ex nuptiis filiæ cum Richelio diſturbatis, placanda in primis, & adjungenda videbatur, nam & Caſtronovanus, & Gondius, ac denique Belfortius propter Avaucuriam in illius erant poteſtate.

a Madame de Rhode. Eo a Rhodii uxori venit in mentem longè nobiliores Richelianis quas Condæa diſturbaverat, Rohanæ Mombaſonæ pro virgine filia nuptias oſtentare, cum Contio videlicet adoleſcente, quarum cupidine illa nihil quod ad Condæi, Contii, & Longavillæ commoda pertineret, prætermiſſura videretur. Apud b Annam Gonzagam clientes, atque amici Condæi convenerant, cui maximè, atque omnibus aliis probatum de Caproſæ virginis cum Contio nuptiis conſilium. Gonzaga continuò ad Condæam ſcribit, & quid conſultatum eſſet, de eo certiorem facit, atque tùm ratio inita ſcribendi ad Condæum variis quæ cuſtodes fallerent, artibus: placuit & Condæo, & Condææ de Caproſæ Virginis cum Contio nuptiis ſententia: quod ubi Rohana Mombaſona reſciverat, nihil antiquius habuit, quàm uti fierent ocyùs, atque adeò viri Principes quàm primùm emitterentur cuſtodiâ. De eâ re ſæpiùs conveniebant apud Gonzagam Belfortius, Nemoroſius, Gondius, Viola, & Petrus Longolius, atque alii factionis principes. Nemoroſius Belfortii ſororem Elizabetham habebat uxorem, atque privatim ſimultates cum Mazarino exercebat, ex negatâ Arvernorum provinciâ, ac poſtremò erat in Elizabethæ Angelicæ c Buttavillæ Mommorantiæ poteſtate, hæc Carolæ Margaritæ Mommorantiæ Condæi matris propinqua eſt, atque Ludovici Gaſparis Colinii Caſtilloni Ducis haud ita pridem demortui uxor fuerat, quæ res Nemoroſium ad Condæi partes trahebant.

b La Princeſſe Palatine.

c La Ducheſſe de Chaſtillon.

Poſt Regis reditum ab Æduis, Belfortius tempus opportunum eſt

arbitratus, uti de rei navalis Præfectura, & patri, & ſibi quàm poſt hujus obitum gereret, tradendâ ab Reginâ, aut Mazarino impetraret. Præterea conſiderans navatæ huic ab factione in Condæi negotio operæ mercedem Caſtronovano Procancellariatum quem iterùm gerat, mandatum fuiſſe, per Bellevræum, Mazarino ſignificat, ni patri ex pacis antehàc ſancitæ legibus rei navalis Præfectura tradatur, ac ſibi concedatur, ut hanc unà obtineat, & poſt ejus obitum gerat, ac denique quidpiam annuatim ex Anchorario tributo pendatur, ſicut antehàc promiſſum fuerit, ſeſe cum omni factione daturum operam, uti viri Principes emittantur cuſtodiâ, & in integrum reſtituantur. 1650.

Bellevræo Mazarinus reſpondit, quod Belfortius ſibi expeteret, id Mercurio illius fratri majori promiſſum, cui rei nihil ſe obſtiturum Belfortius Mercurio fidem dederit: ſi hic tamen illi de Præfecturâ concedere animum inducat, rem factu facilem, & expeditam eſſe. Belfortius contrà fratrem qui Mazarini ſororis filiam ducturus uxorem ſit, omnia ex illius gratiâ, & potentiâ in promptu habiturum, quæ ad dignitatem, gloriam, atque rem ſuam pertinebunt, ſibi unam ſpem in rei navalis Præfecturâ ſitam, quam poſt patris obitum gerat: poſtremò explendus homini animus fuit, datumque de eâ re Diploma Vindocino, quo & Belfortio dabatur rei Navalis Præfectura poſt patris obitum gerenda, atque intereà ſuper Anchorario tributo quod opimum eſt, annuum ſtipendium. Mercurius id ſuprà quàm dici poteſt violenter tulit, atque acres eâ de re ad Belfortium litteras ſcripſit: deſertam ab eo, atque violatam fidem dictitans, quod is nihili pendebat, ſcilicet qui fratris placidam, clementemque naturam noſſet, neque hunc commiſſurum ſatis ſcibat, quo diſcordia inter fratres in publicum erumperet. Ita recti ſtudium pleriſque fraudi eſſe videtur, quod contrà eſt, nam Mercurium ex virtute ſuâ perpetua laus, Belfortium ex cupiditate, & violatâ erga fratrem fide adverſa ſequetur fama.

Buillonium poſt comprehenſum Condæum Turenam Rus ſuum nobile in Aquitania poſitum conceſſiſſe ſuprà memoravimus, quò nuſquam ceſſavit ſedulò facere omnia, quæ illi uſui fore credidit: his de rebus cum Rupifocaldo per litteras, & per homines quos miſſitabat ad eum, continuò egerat, neque haud ita procul alter ab altero agitabant, nam Aquitanis Pictones finitimi ſunt. Utrique conſilium fuit ſicuti Condæa, & Turena bellum in Campaniæ finibus unà cum Hiſpanis adversùm Regem, aut quemadmodùm aiebant, adversùm Mazarinum gerere cœperant, ita ipſi in Aquitaniâ iiſdem adjutoribus Hiſpanis gererent. Eo Buillonius Condæi cauſam cum Burdigalenſium cauſâ communicatam voluit, quibus ægrè erat Spernonium eſſe etiamtùm in Aquitaniâ, ab quâ diſcedere per conditiones nuperæ pacis Pralinopleſſii Equitum Tribuni operâ ſancitæ, ac tantiſper procul commorari debebat. Contrà hic non modò non diſcedebat, ſed & adversùm hos non deſinebat hoſtilia facere, ſicuti pax dolo malo, & quo Burdigalenſes ad ſuſtinendum bellum negligentiores forent, facta fuiſſet.

1650. Ita Buillonius, & quibus interpretibus apud Burdigalenſes utebatur, ii ſuâpte naturâ pronos ad rebellandum homines haud difficulter impulêre, ut id facerent iterùm, neque ſe pacis legibus magis, quàm Spernonium qui has violare nihil penſi haberet, teneri arbitrarentur. Plerique ex Curiâ Burdigalenſi plebem in hac ſententiâ confirmabant, rati videlicet nihil utriſque opportunius eſſe, quàm Condæi clientium operâ ultrò ſibi oblatâ uti, quo Mazarinum ad provinciam Spernonio abrogandam cogerent: neque ulla religio erat illis viciſſim operam dare, uti Condæus, Contius, & Longavilla cuſtodiâ emitterentur, quæ res poſthàc Burdigalenſibus præſidio futura videbatur, qui ob tantum in Condæum meritum hujus benevolentiam, atque adeò patrocinium promeriturі eſſent.

a De Caumont, Duc de la Force. Le Duc de S. Simon.

Buillonius unà cum amicis apud Burdigalam Armandum Nonparem Caumontium Forcæum Ducem, atque Claudium Sanſimonum item Ducem, ac Franciæ Parem ad ſuas partes adducere ſtudebat: hic Blaïæ oppido, atque arci validiſſimæ ad Garumnam amnem infra Burdigalam Præfectus eſt, Ludovico XIII. Regi antehàc carus, acceptuſque. Rupifocaldus venerat in Lemovices ad Buillonium, atque eò adduxerat aliquantùm equitum, peditumque, quorum paulò majorem numerum Buillonius coëgerat, nam ad ambos ſumma belli eâ parte gerendi reciderat, Forcæo denique, & Sanſimono tergiverſantibus. Sed ex compoſito Brezæa cum Angiano filio ab Cantilio Rure Muronem contenderat, munitiſſimam in Biturigibus Condæi arcem, quò & pecuniam quæ haud magna fuit, & alia ei quæ parabatur rei idonea compararet, dein Turenam versùs profecta eſt, comitabatur Chavagnacus cum aliquot equitibus miſſus ab Buillonio præſidii causâ.

Per Arvernos iter habuit, quò Buillonius ipſe, qui & in hac provinciâ ampla, atque opima prædia, caſtellaque poſſidet, & Rupifocaldus illi venêre obviam, cum aliquanto equitatu, atque hanc Turenam deduxêre. Eò tantiſper commorata eſt, dùm apud Burdigalam Buillonius per Scribam, quem eò miſerat, ſuadet, agit, molitur, uti Burdigalenſes Brezæam, atque Angianum filium ad ſe deductos velint: hos opibus virorum Principum, quæ haud exiguæ domi foriſque ſint, auctos, ab Aulâ facilè quæ velint, impetraturos, ut ab impotentiſſimo Spernonii, Candaliique filii dominatu liberentur. Iſthæc compluribus ſatis placebant, ſed alios multa ex nupero civili bello accepta incommoda, ab hoc de integro ſumendo deterrebant.

Intereà Buillonius hoſtilia facere cœpit: apud Brivam, quòd oppidum eſt in Lemovicibus, gravioris armaturæ equitum turma erat, cui Thomas vir Princeps è Sabaudicâ gente Dux fuit, id iſto loco viris haud indignum videtur, cæterùm ipſimet non ducunt hujuſmodi turmas, ſed has Vicariis permittunt: huic igitur præerat Lenſius Comes, qui ab Brivianis cum omni turmâ Buillonio per proditionem propè traditus eſt. Ad Brivam cum aliquanto equitum, peditumque numero acceſſerat, jubebatque ſibi tradi turmam, crudeliter oppidanis ni face-

rent, minitans: quo metu adducti, ſeu lubido ſecundùm Buillonium ſuadebat, Lenſium monent, uti cum turmâ per averſam portam diſcedat, atque intereà huic, ac cæteris equitibus vitam pacti alteram Buillonio aperiunt portam, qui properè Lenſium aſſecutus hunc cum omni turmâ cepit, omnibus equi, arma, cæteraque adempta, niſi ſi qui Buillonio ſacramento dicere voluêre, Lenſius cum paucis aliis eſt dimiſſus. 1650.

Idem apud Tullas oppidum item in Lemovicibus Buillonius facere tentavit, quò una Cohors erat, cui Tribunus Cuniacus: hanc & ſibi tradi ab Tullenſibus jubebat, ſed hi ſe negavêre tam indignum facinus admiſſuros, conſilioque cum hujus Cohortis Centurionibus habito, nam Tribunus aberat, quæ ad propugnandum idonea eſſent, ea naviter parant, quo factum eſt, uti Buillonius incœptum omitteret. Hic Angiano puero, qui regio exercitui Imperator eſſet ſe Legatum ferebat: cæterùm is exercitus paucis equitibus, ac peditibus conſtabat: hunc regium dixêre, quia rebelles ſeſe Regi, atque rei publicæ operam navare falsò prædicare ſolent: neque enim cuiquam tanta impudentia eſt, uti ſe adversùm Regem, & rem publicam bellum gerere profiteatur.

Sed adversùm Buillonium, cæteroſque qui in Aquitaniâ virorum Principum partes ſequebantur, copiæ Melleraïo E. T. ac rei tormentariæ Præfecto traditæ ab Rege ſunt, qui in Pictonibus, in Santonibus, & in Aquitaniâ illorum conatus pro virili frangeret, daretque operam, ut ne quid in his regionibus detrimenti res publica caperet. Intereà Rex Buillonium, Turenam fratrem, Rupifocaldum, Condæam Longavillæ uxorem, & qui eorum conſiliis, aut incœptis favebant, edicit hoſtes eſſe, dicta tamen dies eſt, ante quam his liceret ſine fraude ab armis diſcedere: edictum prætereà uti quod in Urbe menſe Decembri proximo tumultuatum fuerat, id ne cui fraudi eſſet, quo quidem Boulaïum deſignari nemo ambigebat: ſed ita tum Mazarino tempus erat, ut omnibus placatis uti vellet adversùm tantas Condæi, aut clientium ejus opes.

Eâ tempeſtate mortem obiit Michaël Particellus Almericus, ſummus Regni Quæſtor, de cujus hominis moribus ſuprà diximus: rem haud tantam reliquit, quanta ſolet eſſe iis qui regiam adminiſtrant, cæterùm quod ab tenui, ad ampliorem pervenerit, nec ei, nec cuiquam omnium vitio dare auſim, cùm & rectè, & pravè id fieri poſſit. In hujus locum ſuffectus eſt Renatus Longolius Maiſonius in Senatu Præſes, vir genere, ingenio atque induſtriâ clarus, quæ conciliandis ſibi eorum qui gratiâ valerent, animis planè magna fuit. Unâ cum eo ſummam Quæſturam petivit Carolus *a* Vetuſvilla Marchio è regiâ ſancti Spiritus militiâ, qui eundem per Ludovici XIII. tempora geſſerat Magiſtratum, hujus iterùm habendi cupidior quàm hominem exactâ ætate deceret: ſed ætas cæteris omnibus, quæſtus verò cupidini nuſquam modum facit, quem ingentem facere per ſummam Regni Quæſturam copia eſt.

a Le Marquis de la Vieuville.

1650. Maiſonius Claudio Memmio Avauxio qui & dudùm Quæſtor ſummus erat, collega eſſe debebat: ſed Avauxio major hujus Magiſtratûs abdicandi, quàm Maiſonio, ac Vetuſvillæ adipiſcendi cupido fuit: nam is erat ille, cui omnis pecuniæ regiæ & cogendæ, & curandæ ratio parùm placebat, quorum alterum eâ tempeſtate per vim, atque atrocitatem, utrumque per ſummam omnium ad quos ea res plus, minùſve pertinebat, avaritiam fiebat: prætereà pigebat hominem totius publicanorum nequitiæ expertem, ab aliis qui hanc callebant, vinci, ita ut cum his illi agere, quàm ſecum mallent, nam jamdiù res publica abſque publicanorum operâ geri nequit. Obtrectatores Avauxii quos magna virtus ſemper habet, hunc parùm ad ſummam Quæſturam idoneum eſſe aiebant, ſed magis ad litteras, atque ad eas artes, quæ ingenio exercentur, quo certe porrò juvare rem publicam non deſtitit, multus, frequenſque ubi dehac conſilia habebantur apud Regem, Reginamque, poſtquàm ſummam Quæſturam abdicaverat. Fama erat, Avauxium pietate in Deum adductum ſeſe in ſolitudinem abdere decreviſſe, quod certè neſcio an rectè faciant ſummi, atque eâ probitate viri, quibus curæ eſſe decet, ut ne rem publicam deſerendo, hanc pravis hominibus gerendam permittant.

Inter tanta quæ in Galliâ erant diſſidia, Hiſpani hoſtes feſtinare, parare omnia, quo maturè æſtiva inciperent. Primùm Fuenſaldanius cum aliquanto copiarum numero ad Caſteletum movet, exiguum ad Scaldim amnem oppidum, quò nondùm navium patiens eſt: quatuor propugnacula id muniunt, murus eſt lateritius: quò ad Cameracum itur, ſuburbium eſt, cujus ædificia ultima tegit munitio, quam ab ſimilitudine Cornua appellamus. Vandius Præfectus erat vir fortis, cum idoneo præſidio, paucis ut in anguſto loco oppidanis, ſed ſatis magno agreſtium numero, qui eò ſe, fortunaſque ſuas cum fœminarum, & puerorum grege contulerant. Hæ ubi ſuburbio expugnato hoſtem ad portas, & mœnia oppidi conſpicatæ, clamoribus, atque lamentationibus viros compellunt, uti deditionem faciant, qui ad Præfectum adeunt, atque abnuentem cogunt venire ad mœnia. Fuenſaldanius de omni re certior factus accedit, conditiones Præfecto, præſidio, oppidanis, agreſtibus fert quàm honeſtiſſimas, quibus res ſuæ integræ cunctis relinquebantur, quo magis Vandium univerſi ut eas acciperet, adegêre.

Dedito Caſteleto hoſtes omnibus copiis ad Quintini-Fanum venêre, oppidum magnum atque valens, & præſidio militum aliquanto, prætereà multitudine oppidanorum defenſum. Ubi hoſtes fuêre in conſpectu, continuò tormentis ab Urbe emiſſæ in eos pilæ ſunt: ſed hi ſimulandi gratiâ eò venerant, ut aliò improviſi graviores acciderent, nam ſubitò Guiſium properavêre. Oppidum eſt ad Eſiam amnem, neque naturâ, neque operibus ſatis firmum: collis circùm propè perpetuus, ex quo in oppidum deſpectus eſt: arx edito loco ſita imminet oppido, nec ea ſatis firma adversùm tantum hoſtium numerum, nam viginti quinque millia erant. Sed viro forti audacia pro muro eſt. Op-

pido namque, & Arci Præfectus Ludovicus *a* Bridæus erat, Juvenis 1650.
acer, qui nihil hoſtium numero territus, ſuæque virtuti magis, quam *a* De Bri-
alienæ confiſus, nam paucæ erant copiæ Regis, quæ auxilio venire dieu.
poſſent, ſtatuit ad ultimum oppidum, arcemque defendere, & fortunam opperiri, quâ ſæpè magnæ, ac ſubitæ rerum commutationes fiunt.

In oppido Guiſia, & Perſana cohortes fuêre, Helvetii trecenti, Poloni quadringenti, oppidani propè octingenti centuriati. Hoſtes caſtris circùm oppidum, arcemque poſitis, ac permunitis, tormenta omnis generis idoneis locis collocavêre, oblonga verberando muro, brevia, lato que ore jaculandis in excelſum globis æneis pulvere tormentario oppletis, qui in tecta recidentes cùm pondere ipſo, tùm igne concepto, ac longè latèque ſparſo ædificia labefactare, atque homines ſuis maximè fragmentis, ubi ſaxis incidunt, necare ſolent. Sed hæc mulierum fermè, & puerorum terricula ſunt, aut eorum qui talium inſueti ſtrepitu magis, quàm malo pavent, nam huic idonea remedia ſunt. Id eò commemorandum duxi, quòd Guiſiani primùm tametſi bono animo, fortique eſſent, tamen his ſicuti fulminibus territi propè animo deficiebant, ni Bridæus inania eſſe docuiſſet, ac perturbatos confirmaſſet, dein horum operâ haud minùs egregiâ in propugnando, quàm militum uſus eſt.

Oppidum ipſi haud ſecùs ac cæteri milites qui in præſidio erant, defenſavêre, maximâ ſui parte imminutum, quam cum ſuburbiis duobus autore Bridæo propter defenſorum paucitatem incenderant. Claromontius Comes in oppido curabat, neque in mœnibus, aut ſtationibus oppidani manebant, ſed & cum equitibus ipſi in equis erumpebant in hoſtes, & foris cominùs pugnabant. Poſt undecimum denique diem comportatâ priùs in arcem omni annonâ, in eam ſe pulſi omnibus munitionibus, mœnibuſque recepêre. Noctu Hiſpani locum ad foſſam arcis occupavêre, ac munivêre, dein in ipsâ foſſâ muſculum ad proximum Carbonariæ propugnaculum ducere incipiunt, cùm Bridæus ex omni propugnatorum numero ducentos eò miſit, qui Hiſpanos pleriſque cæſis propulêre.

Intereà Rex, atque Regina ab Urbe profecti Compendium venerant: eò traditus exercitus Pralinopleſſio Equitum Tribuno, cui Legati fuêre Hoquincurius, Villequierus, Sannectarius certis quiſque copiis præfecti. Is primùm ad Feram in Tardenenſi agro ſtativa habuit, dùm copiæ conveniunt undique, & quæ ad bellum idonea ſunt, ea comportantur. Dein Guiſium versùs movet, nullo pugnandi conſilio, longè enim hoſti copiarum numero impar erat, ſed uti quàm proximè, & quàm tutò poſſet caſtra poneret. Id eſt factum ex ſententiâ, & quoniam hoſtes longiuſculè ab finibus ſuis aberant, intercedebantque ſylvæ frequentes, primùm agreſtes, quâ cuique proximum, aut commodum fuit, has inſedêre prædandi cupidine, atque eorum operâ difficiles hoſtibus commeatus fuêre. Hoc exemplo edoctus Pralinopleſſius

1650. Legatos, Præfectoſque alium aliò cum equitibus maximè dimittit, qui commeatûs hoſtium deprehenderent: quo factum eſt denique, ut inopiâ adducti incœptum omitterent.

Priùs tamen cuniculos duos ſubtus murum egêre, quorum alter pulvere tormentario de more oppletus, dein accenſus nihil in muro ruinæ edidit, properantiùs, neque ſatis ex diſciplinâ inſtitutus, alter omni ex pulveris tormentarii vi concuſsâ arce, nam perexigua eſt, rupem modò quâ fundamenta muri continentur, diſrupit, & quæ paulùm declivis ad oppidum erat, eam præcipitem, ac præruptam reddidit. Igitur hoſtes ubi quæ incœperant omnia, ea aſpera, fœdaque eveniſſe vident, noctu more militari vaſa collegêre, & antequàm luceſceret, iter ingreſſi poſtremò abiêre. Bridæus ut id noſtris ſignificaret, ſimul lætitiâ, ſicuti par erat, elatus ter ſuos ſclopetis ſtrepitum facere, atque idem omnibus tormentis ſemel fieri jubet. Sed Pralinopleſſius hoſtes tunc cum maximè impetum in arcem facere ratus mittit qui rem explorarent, certiorque factus eſt eos abiiſſe. Quinque millia hoſtium, atque ampliùs ab ferro, atque ab fame circùm Guiſium interiêre, magnaque ex eo defenſo laus Bridæum eſt ſecuta: nam adeò contuſæ Hiſpanorum opes viſæ, ut his reliquum æſtivorum coërcendis modicâ manu opus eſſet, quod eſt ab Pralino-pleſſio ſedulò factum, cæteræ copiæ in Aquitaniam adversùm rebelles abductæ.

Eò ſicuti memoravimus Brezæa cum filio Angiano profugerat, & apud Turenam commorabatur. Indè Buillonius, & Rupifocaldus hanc Burdigalam deduxêre, fruſtrà obnitente Valettâ, dein Spernonio ipſo. Ubi Burdigalæ eſt appropinquatum, Urbanorum Magiſtratuum, Juratos appellant, juſſu clauſæ fuêre portæ: ſed exorto in Urbe tumultu, atque contentione inter eos qui juberent has aperiri, & qui vetarent, poſtremò eò res rediit, uti Brezæa cum Angiano filio, atque omni familiâ mœnibus reciperetur, Buillonius, atque Rupifocaldus cum his quas habebant copiis, foris manerent, nequedùm enim omnes de bello iterùm ſumendo ſatis inter ſe congruebant, cùm pluribus pax ab Rege nuper data ſatis placeret.

Sed Brezæa paulatim primarias fœminas, quæ ad eam ventitabant, benignè appellando, & habendo comiter, ac præatereà Leſnæus Condæi cliens qui cum eâ erat, homo callidus, ac diſertus agendo, moliendoque pervicit denique, uti Burdigalenſis Curia negotium virorum Principum ſuſciperet, cujus exemplum cæteri in urbe poſtea ſecuti ſunt. Buillonius, & Rupifocaldus tametſi primùm excluſi, tamen ubi poſteà ſine copiis Burdigalam venêre, privato cultu, atque comitatu nihil quiſquam obſtitit aut eorum ingreſſui, aut commorationi. Primùm omnium quoniam in belli quod moliebantur ſumptus pecunia deerat, neque hanc aliundè, quam ab Philippo Hiſpaniæ Rege ſperare poterant, viſum ad hunc mittere qui poſtularent, uti Brezææ, atque Angiano filio, Buillonio, atque Rupifocaldo perindè ac Condææ, & Turenæ auxiliari vellet, qui huic haud minori uſui ad habendam æquis conditionibus

nibus pacem futuri eſſent: ſibi & pecuniam, & naves armatas opus eſ- 1650.
ſe, uti terrâ, marique in Urbe, ac provinciâ ad Oceanum poſitis ſtre-
nuè rem communem gererent.

Eâ gratiâ Mantuam Carpetanorum primùm iêre *a* Mazerollus Con- *a* De Mazerolle.
dæi, & Bazus Buillonii clientes, dein ipſe *b* Brulardus Sillerius Mar- *b* Le Marquis de Sillery-Brulard.
chio Rupifocaldo affinis, cujus videlicet ſororem uxorem duxerat. Phi-
lippus ſicuti par erat lætus apud Burdigalam civile renovari bellum,
quod facilè alere poſſet ex propinquo, continuò ad Brezæam, & An-
gianum filium Joſephum Oſorium mittit, qui ſuis verbis omnia beni-
gnè polliceretur, quibus Aula adduci poſſet ad viros principes cuſto-
diâ emittendos, quos viciſſim hujus beneficii memores operam datu-
ros confidat paci inter ambos Reges ſanciundæ, cujus rei apud utram-
que Gentem ſicuti meritum, ita & gratia ingens viris Principibus fu-
tura videatur, dein pecuniam tradit haud multam hanc quidem, ſed
quæ ad rem quæ parabatur, incipiundam alicui uſui fuit.

Ubi primùm Brezæa Burdigalam advenerat, ab Curiâ Burdigalen-
ſi libello poſtulaverat, ut in urbe ſibi eſſe tutò liceret, orans, obſecranſ-
que ut ne ſe cum unico filio Aulâ pulſam, & quò ſe in tuto fore ſpe-
raverit, appulſam rejicere vellent: Curia libellum aſſervandum in mo-
nimentis, hujus exemplum ad Regem mittendum decreverat: inte-
reà ſi Brezæa fidem daret nihil ſe quod Regi damno foret, molituram,
huic, & filio, atque omni familiæ, quod Regis voluntate Curia fac-
tum vellet, in Urbe tutò eſſe licere. Sed Rex id fieri anteà per litte-
ras vetuerat, quæ fruſtrà fuêre: prætereà Rex ad Curiam Burdigalen-
ſem miſerat Diploma, quo Condæam Longavillæ uxorem, Buillonium,
Rupifocaldum, atque Turenam edixerat hoſtes eſſe: ſed hujus promul-
gationi Buillonius, & Rupifocaldus libello interceſſerant, atque poſtu-
laverant, ut & ſibi, ſuiſque Burdigalæ tutò eſſe liceret, de quibus Cu-
ria ſicuti de Brezæâ, & Angiano filio fermè decrevit, atque eo pacto
quæ Rex edixerat, ea ludibrio habita, ab his quos minùs decebat. Bur-
digalenſem Curiam ferunt ubi Brezææ libelli exemplum ad Regem
miſerat, ſimul per litteras poſtulaſſe uti de cauſâ virorum Principum
Senatus cognoſceret, ex Edicto quod anno CIↃ. IↃC. XLVIII.
promulgatum fuerat, jamdiù legitimos exiſſe dies, quibus nondùm cau-
ſâ cognitâ in carcere detineantur: poſtulabat & ab Senatu Curia Bur-
digalenſis, ut hanc ad ſuas rationes adjunctam vellet, de quâ re ta-
metſi nihil tùm ab Senatu decretum fuerit, omnia tamen pro Burdiga-
lenſi Curiâ ſedulò facta ſunt.

Valetta primùm in Aquitaniâ bellum ſuſtentabat, ac multa Buillo-
nio, & Rupifocaldo Brezæam, & Angianum filium deducentibus in-
commoda tulerat, dein priùs prælium facere cupientes, quàm omnis
ab his coacta nobilitas dilaberetur, cunctando fruſtratus fuerat, poſ
tremò ſancti Georgii inſulam ad Garumnam ſuprà Burdigalam cepe-
rat, pulſis qui hanc defenſabant rebellibus, atque eò Canolum Vice-
tribunum Navailliæ Cohortis cum idoneo præſidio reliquerat. Sed Re-

1650. gi, atque Reginæ matri viſum in Aquitaniâ majori conatu rem publicam gerere: eò Spernonium quantas poſſet cogere copias jubent, ac Melleraium qui in Pictonibus, & ipſe exercitum parare juſſus fuerat, in Aquitaniam proficiſci: at hunc negabat Spernonius æquato ſecum imperio in provinciâ ſuâ eſſe paſſurum, poſtmodùm tamen bellum communi conſilio adminiſtravêre.

Sed Spernonius ubi res in Aquitaniâ ſuperiori commodiorem in ſtatum conſtituerat, atque eò *a* Marinum Caſtrorum Præfectum, & Fimarconem Marchionem cum Cohortibus duabus, & turmâ unâ, prætereà cum Aginnenſium, & Condomenſium nobilitate reliquerat, ad Valettam qui in inferiori Aquitaniâ erat, deſcendit, atque tum Caſtellum novum, & Blancafortem recepit, & Burdigalenſes in paludes Burdigalam propiùs compulit. Ad urbem accedere haud ſatis tutum Spernonio viſum, magnam, validam, opulentam, atque ut id fieret Regis adventum opperiundum ſtatuit. Sed quæ adversùm Burdigalenſes geſſerat, ea Curiæ Burdigalenſis, Populique odia in eum auxerant, quibus tantò graviùs erat, nondùm ab Provinciâ ſicuti convenerat, revocatum. Burdigalenſes tamen ſancti Georgii inſulam recepêre, omnibus qui huic præſidio erant, captis abductiſque, inter quos fuit & Canolus qui his præerat.

a Le Comte de Marin, Le Marquis de Fiemarcon.

Ubi Joſephus Oſorius Hiſpanus ad Brezæam, & Angianum filium miſſus ab Philippo cum hac, cum Buillonio, & cum Rupifocaldo, cæteriſque apud Burdigalam factioſis egerat, tranſegeratque, nihil ab quoquam iſthuc facere prohibitus: poſtremò tamen ex compoſito Curia Burdigalenſis decernit omnes qui in urbe eſſent Hiſpanos comprehendi debêre, ſed hi nihilò minùs ſicuti cum bonâ Burdigalenſium gratiâ venerant, ita & abiêre: verùm Curia Burdigalenſis ſibi conſcia quantùm alienum eſſet ab eâ quam Regi inviolatam ſervare debebat fide, Hiſpanos hoſtes recepiſſe mœnibus, & cum civibus conſilia conferre ſiviſſe, id omne Brezææ aſſignandum putavit, ſicut hujus conſilio factum eſſet: quamobrem ad hanc miſit qui Hiſpanorum adventum, & quod cum his egiſſet, expoſtularent, atque huic objectarent deſertam quam Curiæ dederat fidem, ſe nihil hujuſcemodi facturam.

Iſthùc per ſimulationem ab Curiâ Burdigalenſi agebatur, neque obſtabat quo minùs Brezæa, Buillonius, Rupifocaldus, Leſnæus multitudinis animos quantùm poſſent, ad cauſam virorum Principum tuendam accenderent, cui rei tam naviter operam dedêre, uti plebem planè ſuam fecerint, ita ut ne in Magiſtratuum quidem poteſtate ampliùs eſſet. Quæ non licent ſi lubido ſuadeat, ea nos invitos facere videri volumus: ita Curiæ Burdigalenſi ſatis placebat tumultuari plebem, atque videri ſe huic invitam gerere morem. Sed neſcit multitudo ſimulare, aut diſſimulare quidquam, quæ ne id quidem quod bonum eſt, rectè facit, nam impetu ad bonum, pravumque juxtà fertur. Hæc igitur ab Buillonio, Rupifocaldo, Leſnæo, atque aliis, qui Principum vi-

rorum ſequebantur ſectam, concitata Curiam circumſedit, uti Senatum cogeret cum Brezæâ, atque amicis fœdus facere, quo alteri alteris quod æquum videretur, caverent. 1650.

Eâ die in cauſis audiendis Senatus tempus omne, quo haberi ſolet, conſumpſerat: at ubi Patres abire voluêre, obſtitit quæ ad fores erat armata multitudo: aderant & ex Buillonii clientibus pauci, quorum id operâ fiebat. Plebes Regi, atque viris Principibus acclamavit, objurgavitque Patres, quod tamdiù in decernendâ cum iis ſocietate morarentur, quod quidem extemplò his aut faciundum, aut moriundum eſſet, ſimul in Curiam regredi juſsêre. At Patres ubi quid optimum factu eſſet conſultavêre, neque id ſatis expediebat quiſquam, cenſuêre denique qui magis gratiâ, atque autoritate apud plebem valerent, eos ad hanc mittendos, qui mollirent animos, eóque adducerent, ut ab Curiæ foribus diſcederet: ſed plebes more ſuo ubi ſe metui ſentit, inſolentior magis quàm anteà tumultuari, diſtrictis gladiis minitari Patribus, poſtremò in Curiam denuò ingredi coacti.

Sed quamvis periculi facies ingens erat, nihil tamen de ſuâ gravitate, & conſtantiâ remisêre, omnibuſque ſententiis, atque uno ore nihil de fœdere, aut ſocietate cum viris Principibus decernendum porrò cenſuêre. Quod ubi eſt multitudini nuntiatum, ibi verò vehementiùs fremere, & qui tumultus circà Curiam modò fuerat, is per totam urbem ſpargi, atque augeſcere, neque ſibi temperatura multitudo videbatur. Ibi Brezæa cùm officii causâ, tùm quod hujus tumultûs ſuſpicionem ab ſe amotam vellet, mittit ad Patres, qui in eo tam aſpero negotio operam illis ſuam polliceretur, ſi hanc ſibi uſui eſſe exiſtimarent, prætereà faceret certiores nihil ad ſe attinere hanc omnem rem, neque hujus quidquam ab ſe ortum, aut voluntate ſuâ factum. Patres gratias egêre quidem, cæterùm palàm eſſe dixêre rationem Brezææ omnem nunc alienam eſſe ab eâ fide, quam ipſa Senatui, Senatus verò Regi dederat.

Poſtremò Brezæa ipſa cum Angiano filio, Buillonio, & Rupifocaldo in Curiam venit, uti ſe coràm expurgaret, polliceretur operam Patribus, atque hos denique ſi quo modo fieri poſſet, ad ſocietatem decernendam adduceret, ita ſeſe tanto tumultu impeditos facilè expedituros, atque omni periculo excempturos, quod hujuſmodi videatur, ut hujus effugiendi causâ quod decreverint, id neque Rex, aut Regina mater, neque quiſquam omnium ipſis vitio dare poſſit. Sed obfirmatis animis manſêre in ſententiâ, dictitantes ſpem omnem, opemque ſibi in ſemetipſis, atque in eâ quam & hi, & Urbani Magiſtratus ab Rege habeant autoritate ſitas: ſimul urbanos Magiſtratus ad ſeſe venire armatos jubent.

Hi urbanam vigilum cuſtodiam accerſunt, civium præterea armatorum quantùm ſatis viſum, opportunis locis diſponunt ſtationes: dein unus ex his Magiſtratibus cum vigilibus, & civibus armatis ad Curiam vadit, multitudini imperat, ut illius fores quæ clauſæ erant, aperiat,

1650. & continuò abſcedat, ni pareat cædem minatur. Sed malè conſulta plebes expediebat arma, adversùm quam glandes ſclopetis ab vigilibus civibuſque miſſæ quoſdam attigêre, quâ re perterriti cæteri diffugêre. Ibi verò Patres tanto metu liberati edicunt, ut ne quis è ſuo Ordine, aut Brezæam, aut Buillonium, aut Rupifocaldum poſthàc viſere, neu conſiliis eorum intereſſe velit. Præclarè id quidem ab Burdigalenſi Curiâ, atque Urbanis Magiſtratibus factum, decretumque, neque quidquam priùs, aut fortiùs ſi naviter pertendiſſent. Sed naturâ proni ad malum ſumus omnes, neque fermè quiſquam diù rectè ſenſit, aut fecit. Utrique igitur ſeu Spernonium ulciſci, & provinciâ pellere ſe poſſe diffiderent, niſi ſi Brezææ, Buillonio, Rupifocaldo, cæteriſque Condæi clientibus conjungerent ſe, ſeu plebes eò tantis ſtudiis trahebat rem, ut huic obſequi neceſſe eſſet, id ex ejus ſententiâ denique fecêre.

Ubi Rex, atque Regina mater quæ in Aquitaniâ gerebantur, ea acceperant, his maturè occurrendum cenſuêre, venitque primùm in mentem Mazarino, mittendum eò Gaſtonem, qui aut autoritate Burdigalenſes in viam redigeret, aut armis cogeret, huic enim cum exercitu Aquitaniam provinciam, & ſi quò aliò ultrà Ligerim opus eſſet, Rex decreturus erat, ut ubique ſicuti Patruum decebat, cum imperio foret. Sed non juvabat factioſos hunc ab Urbe decedere, cujus operâ multa moliri decreverant, qui cùm in eorum propè jam poteſtate eſſet, id oneris deprecatus eſt. Reliquum erat, uti Rex ipſe, atque Regina mater cum omni Aulâ in Aquitaniam proficiſcerentur, ac ne id quidem factioſis ſatis placebat, qui hanc pacatam nolebant, ſed Brezææ, Buillonii, atque Rupifocaldi machinationibus magis, ac magis perturbatam, eo Mazarinum impeditum minùs ad prohibendam injuriam validum, ſeſe verò ad inferendam potentiores fore.

Vulgabant præterea *Mazarinum non rei publicæ causâ hanc inſtituere profectionem, ſed uti profligatis, ac peſſumdatis Senatu, populoque Burdigalenſi, conſtitutoque ſuper illorum cervicibus Spernonio Martinoſſiam ſororis filiam Candalio hujus filio uxorem det, dein tranſeat in Provinciam, atque eò alterius ſororis filiæ cum Mercurio nuptias conficiat, quæ rationes homini diſturbandæ videantur. Nam intereà Picardiæ, atque Campaniæ fines abductis in Aquitaniam compluribus copiis hoſtibus Hiſpanis planè permitti, quos vix ab Urbe infirmus Pralinopleſſii exercitus prohibere poſſit:* his atque aliis hujuſcemodi profectionem Regis in Aquitaniam impedire conabantur.

Sed id ubi fruſtrà eſſe vident, ad augendas in Urbe factionis opes animum adjiciunt. Id fieri maximè poſſe credebant, ſi in ſua poteſtate viri Principes eſſent, atque adeò hos haud ſatis in tuto eſſe aiebant extrà Urbem apud Vincennarum Arcem, ſeu clientes horum qui in Galliâ reliqui ſint, ſeu qui conjuncti Hiſpanis eſſent in Campaniæ finibus vi, aut dolo animum inducerent illos indè per Regis abſentiam educere, quod certè foris, quàm in Urbe multò facilius foret. Sed Gaſtoni ſingillatim hujus maximâ intereſſe ſuadebant, ut ne copia Mazarino

eſſet viros Principes emittere cuſtodiâ, quibus luberet conditionibus, nam ſibi æquiſſimas laturum eſſe, daturumque omnem operam, uti ſibi viri principes poſthàc conjunctiſſimi forent. 1650.

Cùm igitur Gaſto his auctoribus inſtaret, ut in Baſtiliam deducerentur, Regina denique per Caſtronovanum Procancellarium, & Rohanam Mombaſonam pervicit, uti Gaſto ad ſe Compendium veniret: eò cum homine ſine arbitris agit, docetque nihil eſſe quod de viris Principibus tantoperè laboret, nam præter fidem quæ ipſi data ſit, de his haud ipſius injuſſu cuſtodiâ emittendis, penes ipſum fore qui cum imperio manſurus ad Urbem ſit, providere ut ne id fiat, cùm Vincennæ in ſuburbio propè poſitæ ſint: de Baſtiliâ quod poſtulet, id neutri condücere, nam utriuſque maximâ intereſſe, ut ne viri Principes multitudinis voluntati, atque lubidini permittantur: quâ oratione Reginæ adductus Gaſto, poſtremò in illius ſententiam de viris Principibus apud Vincennas relinquendis diſceſſit: ſimul & ex hujus ſententiâ tum in Aquitaniam Regis, Reginæ matris, Philippi fratris, atque omnis Aulæ decreta profectio eſt, edictumque uti Gaſto maneret ad Urbem cum imperio, Caſtronovanus Procancellarius, Hoſpitalius Equitum Tribunus, atque Urbi Præfectus, ac Tellierus Quatuorvir huic adeſſent, quorum conſilio, judicioque rem publicam in omnibus cis Ligerim amnem provinciis adminiſtraret.

Sed factioſi virorum Principum in poteſtate habendorum ſpe dejecti rem aliam haud ita magni ad conſilia ſua momenti, cæterùm his opportunam ſunt aggreſſi. Tempus aderat Mercatorum Præfecti creandi, qui Urbanorum Magiſtratuum princeps magnam in Urbe autoritatem habet: hunc ipſi antehàc in Urbis Ædibus deligere ſolebant, ſed jamdiù conſuetudo invaluit, uti Regis illum non autem ſuo creent arbitrio: quod tametſi præter legem, & majorum morem factum uſque fuerat, neque ex eo quidquam mali, damnive rei publicæ evenerat, tamen eâ tempeſtate huic propè fraudi fuit: nam illâ conſuetudine freti factioſi æquum cenſebant, uti quem volebant, eum Rex, aut Mazarinus Mercatorum Præfectum crearet. Certè ſi Regibus, ac Populis æquè legum ſtudium eſſet, in his alteri imperium, alteri libertatem ſibi ſita eſſe præclarè intelligerent: quia ſecundùm has regnare, & parere ſicuti Regibus juſtum imperium, ita & Populis juſta libertas eſt. Vellè enim quæ licent, & facere quæ velis, hoc eſt liberum eſſe. Sed vitio humani ingenii evenit, uti licentiam rerum omnium Populi libertatem, Reges ſecundùm leges imperare ſervitutem eſſe falsò arbitrentur, nam ubi id faciunt ſibi ipſis ſerviunt, cùm hi uni apud nos legum conditores ſint, quas ferre, & abrogare his juxtà copia eſt, atque ab his diſcedere, aut declinare, quod tamen haud temerè, ſed ex rei publicæ modò ſalute, aut commodo faciundum eſſe probè ſciunt. Igitur Rohana Mombaſona, Avaucuria, Belfortius, atque alii factioſi in Urbe Mazarinum adegêre, ut Antonium [a] Fabrum in Senatu Conſiliarum Mercatorum Præfectum creari vellet. Hoc homine ſe ex voluntate uſuros

[a] Le Févre, Conſeiller au Parlement.

1650. ſperabant, atque hujus operâ quæ luberet, ea in Urbe deſignaturos: ſed hic ubi Magiſtratum eſt ingreſſus, quæ ad ſe rei publicæ pars pertinuit, eam ſummâ cum induſtriâ, prudentiâque tractavit, uti nec erga eos quorum operâ hunc adeptus erat, ingratus, nec Aulæ adverſus eſſet, donec pax denique ſancita eſt, ſicuti poſteà memorabimus.

Id ubi Rex Compendio ad Urbem redierat, de Fabro Mazarinus factioſis eſt obſecutus, qui nihilo minùs hunc dictitavêre, *Paci inter ambos Reges porrò adverſari, quia bellum conſiliis ſuis opportunum ducat, cujus ſpecie populum fortunis ſuis pro lubidine ſpoliet, ex quibus ſuas augeat: ſicuti jamdiù Regis vicem fungatur, ita & regio cultu ætatem agere, ſororum filias cum ingenti dote principibus viris nuptum dare velle, hoc pacto peregrinum hominem, atque advenam, quem neque genus, neque virtus commendet, ſed fraus Italica modò ſuſtentet, omnibus cujuſcumque generis, atque ordinis civibus illudere*; quod ſe ampliùs paſſuros negabant. Hæc Belfortius maximè prædicabat, uti famam apud multitudinem quæſitam retineret, aliquantùm labefactatam, ubi plebes Mazarinum ad eum viſentem veniſſe reſciverat.

Inter hæc Rex, atque Regina mater, & omnis Aula ab Urbe profecta eſt, & in Aquitaniam contendit, eódem uti venire vellet Michaëlem Moroſinum Venetorum apud Regem Legatum Mazarinus rogavit, quo hujus operâ uteretur, ſi fortè Hiſpani ubi Aula in Aquitaniâ ipſis finitimâ foret, animum inducerent agere de pace, atque hanc æquis ſancire conditionibus, ſeu id ſibi cordi eſſe ſimulabat, fuco plebi faciundo, cui factioſi hujus animum ab hac pace alienum eſſe ſuadere conabantur: cæterùm Mazarinus nullum uſquàm ſicuti ſæpiùs memoravimus, cum hoſtibus, atque inimicis agendi finem fecit, ſeriò ubi neceſſe eſſe ſenſit, per ſimulationem ubi id ſibi uſui eſſe exiſtimavit.

Sed neque tum omiſit cum Burdigalenſibus agere, cujus rei gratiâ *a* Laviam præmiſerat, qui ad *b* Miratum in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarium ſcripſit, ut ad Roquedetavium ſi videretur, colloqui poſſent, habere ſe pacis conditiones, quas cum eo communicandas cenſeret, & ad Curiam ferendas, *Regem non eſſe alienum ab audiendis Burdigalenſis Curiæ admonitionibus, precibuſque, ac ne quidem Brezææ poſtulatus de viris Principibus cuſtodia emittendis, de quibus ante dies quindecim æqua ſe Regis reſponſa relaturum, modò uti Curia Buillonium, atque Rupifocaldum Burdigalâ decedere velit, atque oppidanos ab armis diſcedere: iniquum enim eſſe, armatos ab Rege quæ placeant conditiones, eas exprimere velle videri.* Miratus Buillonium, & Rupifocaldum, non modò Burdigalâ, ſed & Regno abituros recepit, ſi viri Principes emitterentur cuſtodiâ, quorum neutrum eâ tempeſtate factum eſt.

a De la Vie.
b Mirat, Conſeiller du Parlement Bourdeaux.

Sed ubi Burdigalæ nuntiatum Regem eò venire, pleroſque omnes metus cepit eorum quæ ab irato Principe pertimeſcenda videbantur, qui tametſi non expugnaret urbem, tamen omnem agrum circumquâque vaſtatum, villas incenſum, vites, arbores, ſata corruptum iri, quæ

quantâvis Spernonii ſuperbiâ, atque injuriis multò intolerabiliora ſint. 1650.
Longè præſtare Regis benignitatem, atque clementiam experiri, qui ſpem faciat hujuſcemodi malis levari poſſe provinciam, neque Brezææ ipſius preces de Principibus viris carcere emittendis rejecturum. Hanc maximè ferre conditionem uti Buillonius, ac Rupifocaldus Urbe decedant, quos dimittere ſatius ſit, quàm rem publicam in diſcrimen adducere: mittendos igitur ad Regem, qui de his polliceantur imperata facturos, ac diſceſſuros ab armis hujus clementia, & æquitate fretos, qua hunc permotum haud paſſurum diutius ſperent, ſe priſtinæ Spernoniorum impotentiæ, & novo ultionis ſtudio obnoxios eſſe: Si quid prætereà de Brezææ poſtulatis impetrari poſſit, quis non præclarè ſecum actum eſſe plane judicet? alii ubi Rex propior urbem eſſet, ſatis maturum fore, cenſebant, ut ad hæc denique deſcenderetur.

Sed qui in perturbatione rerum omnium ſpem poſitam habebant, ii Spernonii injurias dicendo amplificavêre, atque æternam quæ ab eo patiunda ſit, ſervitutem commemoravêre, *Ad hanc confirmandam nihil pudere hominem cætera ſuperbiſſimum degenerem cum Mazarino jungere affinitatem: quos ambos ſi Burdigalenſes labefactaverint, Hiſpanorum ſimul, & virorum Principum opibus adjuti, quantam gloriam, atque famam conſecuturos? quantam apud Condæum, qui omnes retrò Imperatores virtute, ac rebus geſtis longè antecellat, gratiam inituros? qui ſi opera ſua cuſtodia emittatur, ſub tanti viri clientela tutos, florenteſque ætatem acturos. Mazarino qui Regis clementiam oſtentet, nihil fidei habendum, quam ex commodo mutare ſolitus ſit. Quæ de Regis venientis clementia narret, ea oſtentui modò eſſe, uti repleta peditibus, equitibuſque ſpecie regii comitatûs urbe, Caſtella diruta reficiat, atque his frænis coërcitam Spernonii lubidini, atque ultioni permittat. Omnem Galliam adverſum Mazarinum odio incenſam, quæ videlicet ſentiat hunc abnuere pacem, uti ſpecie belli quod ſempiternum eſſe velit, in ejus ſumptus immenſam ab omnibus Regni ordinibus pecuniam cogat, ac diripiat. Senatum, Populumque Pariſienſem nuper Principibus viris fretos huic malo, mederi voluiſſe, atque ea cauſa ſibi jus eſſe credidiſſe ſumere arma, quandò adversùs Mazarini potentiam parùm leges valerent: manere illis idem hujus coërcendæ ſtudium, neque quod ipſis placuerit, id in aliis diſplicêre. Agendum igitur porrò, conandumque, muniundam urbem, copias augendas, atque intereà quid ſibi in Pariſienſi Senatu præſidii futurum ſit, experiundum: mittendum ea gratia Lutetiam Pariſiorum quempiam è ſuo Ordine, qui unà cum Guioneto qui pridem ad Urbem ſit, Senatum doceat de rebus ſuis, atque hujus, imploret fidem.*

Hæc vicit in Senatu Burdigalenſi ſententia, quæ gentis ingenio feroci magis congruebat: prætereà conſultantibus intervenit Brezæa, Buillonius, & Rupifocaldus, qui pronos ad rebellionem animos magis, magiſque inflammarunt. Miſſus Lutetiam ad Senatum *a* Vicinus Conſiliarius cum mandatis, quorum hæc ſumma erat. Ut operam Senatus dare vellet abigendo ab Aquitaniâ Spernonio, atque adducendo Regi, uti cum viris Principibus ex Edicto anni CIↃ. IↃC. XLVIII. agi, & de eorum causâ Senatum more majorum cognoſcere, vellet, item de his quæ avarè, atque crudeliter *b* Fullæum libellorum Magiſtrum apud

a Voiſin, Conſeiller au Parlement de Bourdeaux.
b Foulé Maiſtre des Requeſtes.

1650. Lemovices, feciſſe aiebant: poſtremò uti Rex aut profectionem ad eos omittere, aut pacatus venire vellet, atque omnia quæ Spernonius peccaverat, clementiâ ſuâ, atque benignitate corrigere. Ubi Vicinus Lutetiam Pariſiorum advenit, Senatum ſibi dari poſtulat, in quo nonnihil eſt hæſitatum, ſed annitentibus factioſis poſtremò datus eſt: aderat Gaſto, Belfortius, Hoſpitalius, & Gondius: ſed ubi Vicinus Curiæ Burdigalenſis mandata expoſuit, acriter, ac pluribus in Spernonium, & Fullæum eſt invectus, ita ut ſententias rogandi ſpatium non fuerit, cùm adeſſet hora quâ Senatus dimitti ſolet.

Poſtridiè ubi Molæus quidpiam præfatus eſſet, atque docuiſſet rectè, atque opportunè Gaſtone coram de Burdigalenſi negotio agi, quod ad rem publicam magnoperè pertineret, cui omni gerendæ ad Urbem manſiſſet, ſermonem excepit ipſe Gaſto, atque ait. *Quod Burdigalenſis Curia de viris Principibus poſtulet, id enimverò magnoperè ad rem publicam pertinere, cùm idem hoſtes Hiſpani poſtulent, & cum Condæi clientibus, atque amicis congruant, atque adeo periculoſum videri, tantam rem Regis injuſſu Senatum attingere: de Fullæo nihil obſtare, quo minùs quæ ſecùs feciſſe dicatur apud Lemovices, de iis Senatus cognoſcat: cæterùm Regem in Aquitaniam ſedandis motibus, omnique rei publicæ quantâ per Burdigalenſes licebit clementiâ conſtituendæ ire paratiſſimum.* Secundùm hæc rogati ſententiam Patres pleraque gravia, atque acerba in Mazarinum dixêre, ſcilicet uti Regno quemadmodùm antehàc decretum fuerat, faceſſeret, plerique Principes viros emitti volebant cuſtodiâ, ac maximè Contium adoleſcentem tenui valetudine, poſtremò viſum ad Regem ex eo ordine mittere, qui pacem cum Burdigalenſibus ſuaderent, eâ gratiâ Spernonium decedere provinciâ, atque alia quæ eódem pertinerent. Hujus Legationis *a* Bailleulius Præſes princeps fuit, comitati ſunt duo ex majori Claſſe, *b* Clemens Muſnierus, & Stephanus Saintotus, ſinguli ex aliis Claſſibus, Joannes Canayus, Joannes Camuſius, Franciſcus Bitaltius, Carolus Comes Montoglanus, Jacobus Maugiſius, & Petrus Martinellus.

Intereà Rex, atque Regina mater Burdigalam versùs maturabant iter pergere, de quâ re viſum Curiam Burdigalenſem, atque Urbanos Magiſtratus apud Burdigalam facere certiores: Rex eò ſcripſit ad eos, nihil ſe quóquam moraturum, ſed rectâ ad hos versùm iturum, uti Buillonii, & Rupifocaldi conſiliis occurrat. *c* Phelipæus Vriliera Quatuorvir ſimul ad Cognitorem regium ſcribebat, monens Regem in Aquitaniam properare, uti Curia Burdigalenſis more majorum obviam quoſdam è ſuo Ordine mitteret, adventum gratulatum, & quæ videretur Regi nuntiatum. Ubi de his litteris relatum eſt in Curiâ, Regem ſcripto admonere placuit, *Mazarini in provinciam adventum commovere plebis, atque omnium animos poſſe, quem Spernonio favere ſatis ſciant, atque ſibi inimiciſſimum putent, eò metum, & deſperationem, & quæ ex his naſcantur in multitudine imperitâ mala pertimeſcenda: cæterùm inviolatam erga Regem Curiæ Burdigalenſis fidem & eſſe, & perpetuò fore, cui adeò curæ futurum, ut ne quid damni, malive aut illi, aut rei publicæ ex quorumcúmque conſiliis eveniat:*

a Le Preſident le Bailleul.
b Le Meuſnier, & Saintot, Conſeillers de la grande Chambre. Canaye. Le Camus. Bitault. Le Comte de Montoglan. Maugis. Martineau.
c Phelippeaux de la Vriliere, ſecretaire d'Eſtat.

niat : ab Cognitore regio Phelipæo Vrilieræ reſcriptum. *Quem habeat Curia Burdigalenſis ex Mazarini inimicitiâ metum, eo adduci uti dubitet, utrum ſatis rectè hujus fidei committere poſſit eos, quos è ſuo Ordine obviam Regi mittere ſe debere ſciat.* 1650.

Sanſimonus ubi Regem Aquitaniæ fines attigiſſe reſcivit, ad hunc venit ocyùs, fidem, operam, & quidquid Rex imperaret, id ſe naviter facturum pollicens: Daugnionus verò Comes quem rei navali Propræfectum eſſe diximus, atque Broagio Præfectum, ſimulatione podagræ eò reſtitit, ex conſcientiâ digna metuens, ſi ad Regem veniſſet. Is cùm Broagio Ream, atque Oleronam vicinas inſulas occupaverat, conabaturque tunc cùm maximè Regem, aut Mazarinum malefaciundo adducere, uti ſe Tribunum Equitum, aut Ducem, ac Parem Franciæ crearent. Hæc, atque alia hujuſmodi venire huic, atque aliis in mentem aiebant, ex Mazarini diſciplinâ qui malefacerent, iis benefaciundi: ſed magis iniquitati temporum tribuenda videntur, quibus regia potentia in pupillo Rege infirmior erat, quàm ut hâc fretus Mazarinus eadem, ac ſi matura ætate eſſet, deſignare poſſet.

Pridiè Calend. Sextiles Rex Liburnum advênit, quò demùm ab Senatu Burdigalenſi miſſi venêre, qui adventum huic, & Annæ Reginæ matri gratularentur, atque Ordinem ſuum in officio manſurum dicerent: clementiam ex omnibus virtutibus regiis maximè celebravêre, in quâ ſpem omnem Burdigalenſes poſitam haberent, confiderentque Regem malorum omnium, quæ jam diù Aquitania patiatur, cauſam, lubentem amoturum: dein Regina pauca præſente Aulâ locuta Burdigalenſes in proximum conclave ſeducit.

Eò Phelipæus Vriliera unus ex Quatuorviris ſcriptum quod præ manibus habebat, recitando Reginæ verbis dixit, *Regem in Aquitaniam veniſſe pacandæ Burdigalæ, atque omni provinciæ: quæ Burdigalenſes cujuſcúmque ſint ordinis, uſque deliquerint, ea rei publicæ condonaturum: cæterùm fieri velle certiorem, utrum Buillonium cum iis quas Burdigalæ habeat copiis, apud ſe manere malint, quàm Regem ipſum, cum omni Aula, equitibus, peditibuſque, quos ſecum cuſtodiæ cauſa habere ſoleat, recipere mœnibus.* Burdigalenſes, *ſe verò Regem cum omni comitatu lætiſſimis animis accepturos* reſpondent: *ſed quo liquidius de toto Curiæ, populique ſenſu Reginæ exiſtimandi copia ſit, quæ ſibi ſint recitata, ea renuntiaturos, neque enim quod reſponderint, id ſingillatim in mandatis habuiſſe.* Ita qui ab Senatu, & qui ex urbanis magiſtratibus ad Regem venerant, ac juſſi utrique ſunt biduò redire, uti quid Senatui populoque ſententiæ foret, Rex reſciſceret.

Sed corrupti erant omnium animi, nam Senatus decreto pulſi ab Urbe fuerant ii, quibus placebat cum Rege æquis conditionibus redire in gratiam, Builloniumque, & Rupifocaldum dimitti, ſpem nactis videlicet, ſi quæ ad Urbis modò, & provinciæ pacem pertinerent, ab Rege poſtularent, ea hunc haud denegaturum, ſed magis ſupplicantibus condonaturum. His ab Urbe pulſis cæteri omnes cum Brezæâ, cum Buillonio, cum Rupifocaldo, cum Hiſpanis hoſtibus, cum Belfortio, cum

1650. Gondio, cum factioſis apud Lutetiam Pariſiorum, ab quibus crebras accipiebant litteras, planè ſentiebant: neque ipſi omittebant undequâque ſcribere, Curias omnes uti ſibi adjutrices eſſent, hortari, ſi minùs exemplum ſequi vellent: iſthuc verò Tholoſana quæ vicinior erat, abnuit, alterum autem lubentiſſima fecit, orans, atque obſecrans per litteras Regem, uti cauſam belli, Spernonium videlicet procul ab Aquitaniâ vellet eſſe.

Melleraïus qui circà Fronſacum ad Duranium amnem habuerat caſtra, apud Branam navibus junctis copias traduxit, atque hanc ingreſſus eſt regionem, quæ inter Duranium, & Garumnam poſita eſt: tanta illîc utriuſque fluminis eſt latitudo, ſubeunte maximè per vices maris æſtu, ut ab incolis inſtar duorum marium habeantur, ita ut hanc Interduo-maria regionem appellent. Eò Melleraïus Vayrem caſtellum oppugnat Liburno haud procul, Pichonus Burdigalenſis cum trecentis militibus miſſus ab Buillonio caſtellum defenſabat, haud ſatis validum adversùm exercitum regium: quo factum eſt, ut hoc brevî Melleraïus potiretur, atque Pichonum ipſum caperet.

Bironum Marchionem aiunt in regio exercitu caſtrorum Præfectum cum centurione, qui in caſtello erat, egiſſe uti milites Pichonum noxæ dederent, quo operæpretio mortem quæ impendebat redimerent: cæterùm Pichonus laqueo vitam finiit, ſcilicet qui loco infirmo regium exercitum attinuerat, monitus uti priuſquàm tormentis ageretur, deditionem faceret, atque id ſine fraude licere, Rege huic rebellionis gratiam faciente. Sed in eo graviter eſt ab regiis offenſum, nam & id pacem cujus nonnulla ſpes erat, diſturbavit, inſaniente, ex tam fœdo Pichoni ſupplicio apud Burdigalam multitudine, & a Canolo qui eo captivus erat, fraudi fuit: nam Buillonius hunc viciſſim nihil hujuſcemodi cogitantem, neque commeritum, virum nobilem, Vicetribunum quem contra comparare Pichono iniquiſſimum fuit, pari ſupplicio affecit. At ne id quidem regios ſatis docuit, qui bellum vel adversùm ipſum Principem gerat, eum juſti hoſtis loco habendum, uſque dùm victus fuerit: nam Vayrem Caſtellum, nuper captum evertere cœperant, cum nuntiatum eſt Burdigalenſes viciſſim Lermontium caſtellum Henrici Bethunii Archiepiſcopi Regi fidiſſimi evertere aggreſſos, quo factum eſt, ut utrimque ceſſaretur. Dum hæc in Aquitaniâ geruntur, Lutetiæ Pariſiorum Senatus de Burdigalenſis Curiæ periculo magnoperè laborabat, quod certè ingens futurum videbatur, ſi Burdigala oppugnaretur, atque eò res rediret, uti tandem ab Rege victore conditiones accipiundæ forent. Cui rei uti præverterent Patres, Bailleulium Præſidem, atque alios maturare ad Regem iter jubent: hi tametſi Reginæ ægrè erat Pariſienſem Senatum his ſe rebus admiſcere, tamen curatiſſimè accepti ſunt: dein ubi ad Regem deducti, hic Senatûs mandata frequenti Conſilio unà cùm Regina matre cognoſcit, atque eâdem die benignè appellatos, habitoſque dimiſit: datum iis ſcripto reſponſum, exemplumque hujus quod recitatum Burdiga-

a Le Baron de Canole.

lenſibus anteà fuerat, uti Senatus intelligeret, nihil vi ſi clementiâ ſatis proficeret, Regem uſurum: ad Burdigalam non adiêre, ſeu ab Senatu præceptum non erat, ſeu ab Rege copia non fuit, ſeu denique Burdigalenſes ſeſe nullam Pariſienſibus gratiam ex hac Legatione debere oſtenderant.

Vayre Caſtello capto Melleraïus ad Creonem movit caſtra, ex quibus Valetta copias queis dudùm præerat eduxit, duxitque ad ſancti Georgii nuper receptam ab Burdigalenſibus inſulam: eò Buillonius munitionem novam inſtituerat, præſidioque miſerat milites octingentos: hanc *a* Mottæus Delaſius tantiſper defenſavit, quia nondum advenerant tormenta: ſed ubi hæc in colle propinquo locata, foſſamque ad ſe versùm duci videt, deditionem fecit: milites ad Regem poſthabito priore ſacramento facilè tranſiêre, centuriones fide datâ ſe nihil poſthàc belli adversùm Regem geſturos, dimiſſi ſunt: ſed eò graviter eſt vulneratus Valetta de quo ſupra memoravimus.

a La Motte de Las.

Hæc cum Regi ex ſententiâ evenirent, & in dies ejus copiæ augerentur, qui è Burdigalenſi Curiâ Lutetiæ Pariſiorum erant *b* Gourguius Præſes, Guionetus, & Vicinus Conſiliarii, ii & Gaſtonem, & Senatum uti ſibi neceſſario maximè tempore ſubvenirent, orabant, ſatis gnari Patribus metum eſſe, uti Mazarinus Burdigalenſes armis ſubigeret. At Gaſtoni pacis modò ſtudium erat, nequedùm hunc ullum in Mazarinum odium ceperat, quem adminiſtrandæ rei publicæ eâ tempeſtate neceſſarium judicabat: præterea haud ingratum erat hujus operâ Condæum æmulum Aulâ pulſum, & in cuſtodiam conjectum: illi adeò ægrè fuit Burdigalenſes adversùm Mazarinum omnia facere, ſuadere voluiſſe Regi, ut ne hunc in Aquitaniam adduceret, ſicut hunc omnes æquè, ac Spernonium cui fautor eſſet, odiſſent, & cujus adventus perturbandæ, quàm pacandæ provinciæ magis futurus videretur.

b Le Preſident de Gourgues. Guionet, Voiſin, Conſeillers.

Iſthæc igitur objectavit Gourguio, quem graviter, atque collegas objurgavit, monuitque uti Burdigalenſibus magis curæ eſſet, ſibi ipſis conſulere, quàm aliis maledicere, aut facere. Iſthæc Gaſto Burdigalenſibus ex Annæ Mariæ Ludovicæ filiæ ſententiâ dicebat, quæ in Aulâ cum Annâ Reginâ erat, eâ tempeſtate æquiſſima Mazarino, de quo ad patrem, ut huic item quàm æquiſſimus eſſe vellet, ſæpiùs ſcribebat, ac præterea ad Salgeonam virginem de quâ ſuprà memoravimus, cujus gratiam, atque fidem apud Gaſtonem noverat, quâ unâ hunc attineri poſſe credebat, ut ne ſe planè Gondio, ac Belfortio permitteret.

Sed hi, atque alii in Urbe factioſi Burdigalenſium ſi victi forent, cladem haud ſecùs quàm ſuam conſiderabant, qui in eâdem, ac fortè graviori noxâ eſſent, & quos ulciſci tum demùm Mazarino faciliùs foret: eo ipſis cautio erat, uti conditionibus potiùs, quàm Regis victoriâ bellum adversùm hos deſineret. Quamobrem Gondius Gaſtoni perſuadet, ut illas perſcribi velit, atque de his ad Senatum referri: quæ ſi huic probentur ad Regem, ab hujus Ordinis legatis perferantur, ſimulque mittat Gaſto, qui Burdigalenſes hortetur, ut has accipiant, quod &

1650. Gourguii Præſidis, Guioneti, & Vicini, qui ſimul eódem proficiſci debeant, operâ fieri poſſit.

Id ſcitè Gondio in mentem venit, uti ſi Burdigalenſibus ab Hiſpaniâ auxilia advenirent, ſeque ſatis ad bellum defendendum validos ſentirent, id facere pergerent: ſin rebus ſuis diffiderent, tùm verò acciperent conditiones, ac periculum quod impenderet, effugerent. Gaſtoni verò haud ſe indignum viſum, inter Regem, & Burdigalenſes ita arbitrum eſſe, ut ille non minùs, quàm hi ſibi gratiam de pace debere ſentirent. In Senatu conditiones recitatæ ſunt, quas ab Gaſtone mittendas ad Regem cenſuit, atque earum exemplum intereà mitti ad Burdigalenſem Curiam ab Gourguio, & collegis: poſtremò ubi quid ſententiæ Regi, & Burdigalenſibus foret Senatus reſciſceret, tùm profecturos eos, quos hic Ordo, iterum ad illum de pace legaturus eſſet.

a Le Coudray.

Gaſto a Codrayum miſit, cum conditionibus, quæ poſtquàm Regi probatæ ſunt, Burdigalenſes de adventu ſuo Tubicine ad hos miſſo, ſicuti per bellum fieri ſolet, certiores facit, poſtulatque ut ſibi ad eos tutò ire liceat: dein alium, poſt alium eódem mittit, ac tandem uti Burdigalam venire copia ſit, ægrè impetrat. Jam quid adferret ſatis ſcibant, & quamdiù hujus adventum morarentur, tantùm temporis ad deliberandum ſibi accedere, intereà ab Hiſpaniâ & pecuniam, & auxilia quæ expectent, ventura. Id his Brezæa, & Buillonius pollicebantur, & bono animo, atque optimâ ſpe eſſe jubebant. Brezæa ſpeculatoriam navim in Hiſpaniam miſerat, addideratque præſidio navim longam, quæ ſpeculatoriam ad uſque oſtium Garumnæ proſequeretur: nam eò advenerant regiæ naves ab Normanniâ quinque eximiæ magnitudinis, totidem ab Baïonâ cum levioribus navigiis octodecim plano alveo ſicuti ſolent eſſe in fluminibus, quæ tamen in ipſo Oceano uſui ſunt: hæc navigia adverſo Garumnâ venientia in longas Burdigalenſium naves undecim incidêre, quarum unam cepêre, cæteras remorum vi abreptas conſequi nequivêre.

Poſtquàm Codrayus advenerat, Burdigalenſes nihil aut Gaſtonis, aut Senatûs autoritate permoti ſunt, uti quas ille ferebat conditiones, eas acciperent, eo feroces quod nihildum quo ſe vinci poſſe crederent, belli ſenſerant: Spernonium Aquitaniâ, Mazarinum Aulâ, Galliâque pelli, Principes viros cuſtodiâ emitti poſtulabant: tantum autem erga hos plebis ſtudium fuit, uti Codrayum ipſum Regi, ac viris Principibus acclamare, Mazarino verò ſi ſe ſalvum vellet, malè precari cogeret. Qui ubi ad Regem redierat, quæ Burdigalæ acta eſſent, ea renuntiavit, ſimul pertinaciam plebis, atque ipſius Curiæ Burdigalenſis oſtendit, quos neque Regis clementia, neque conditionum quæ ferebantur, æquitas, neque Gaſtonis, atque Senatûs autoritas commoverent, uti pacem quàm bellum mallent: quibus rebus Rex adductus eſt denique, ut omni ope adverſùm hos bellum gerendum eſſe decerneret.

Igitur Melleraïum propius urbem accedere cum exercitu jubet; Pa-

lüavio copiæ quibus Valetta præerat attributæ ſunt, nam hic ab vulneribus quæ in S. Georgii inſulâ acceperat, nuper interierat, vir fortis, qui vitæ conſimilem obiit mortem: nam illam domi, foriſque ſtipendiis faciundis exegerat, ſecundas ab Imperatoribus partes ſæpiùs ſuſtinendo, Valetta Spernonii filius nothus, non hujus qui tum Aquitaniam obtinet, ſed patris ejus: per adoleſcentiam è Melitenſi Militiâ fuerat, quem adeò Equitem etiam tùm appellabant, nam qui huic nomen dedêre, eos equites vocant, credo quod ab Hieroſolimâ quò primùm agitavêre, omnem uſque ad mare regionem ab latronibus quos Arabes vocant, infeſtam, contra horum inſidias, furta, ac cædes tutam præſtare debebant, his videlicet qui Urbis ſanctæ viſundæ ſtudio eò ab Europâ veniebant, quibus iter facientibus præſidio fuêre, atque ut hac omni operâ fungi poſſent, perpetuò in equis verſabantur, quo factum eſt, ut equites rectè appellarentur: ſed hæc omnis ratio poſtquàm Rhodam, dein Melitam migraverant, mutata eſt: nam ab his inſulis excurrere maria, ac Turcicas naves oppugnare deinceps conſuevêre, ut ne Chriſtianas deprehendere, capere, ac vectores in duriſſimam ſervitutem abducere more, inſtitutoque ſuo poſſint. 1650.

Intereà Hiſpani hoſtes qui ſicuti ſuprà memoravimus, ab Guiſio re infectâ diſceſſerant, neque procul ab finibus noſtris abierant, circumſpectabant ſi quò per Regis, atque copiarum quas ſecum in Aquitaniam abduxerat, abſentiam rem meliùs gerere poſſent. Igitur ubi militem in ſtativis refecêre, atque auxêre ſupplemento copias, improvisò ad Capellam movêre, dignaque res viſa, cui gerendæ Leopoldus adeſſet, non loci nobilitate, nam exiguum oppidum eſt, ſed quoniam erat Hiſpanis magnificum expugnare oppida noſtra, qui antehàc ſua defendere minimè potuerant, atque ægrè bellum in finibus ſuis ſuſtentaverant. Caſtra circùm Capellam XII. Calend. Sext. poſuêre, triduum iis muniundis conſumptum, ut ne quà oppidum auxilia ingredi poſſent: duobus locis diſpoſita tormenta, & foſſæ ad murum duci cœptæ: quæ pars caſtrorum Avennas verſus erat, in ea Sfondratus curabat, Verbinum versùs Fuenſaldanius. Ubi munita fuêre caſtra, ad hæc Leopoldus acceſſit, & apud Lerſium vicum Prætorium habuit, quò & Fuenſaldanius agitabat.

a Roccaſpinæus oppido Præfectus erat, vir fortis, & ſtrenuus, cujus operâ multi qui ad oppugnantes antehàc Guiſium hoſtes vehebantur, commeatus interierant, quæ res maximè Guiſianis ſaluti fuerat: at huic Capellam defendenti, qui parem gratiam referret, inventus eſt nemo: neque id facile fuit, cùm hoſtes ab Landrecio, & Avennis propinquis locis ſuis peterent commeatus, quorum adeò brevis ſubvectio horum intercipiundorum minorem dabat facultatem. Pralino-pleſſius cum exercitu apud Riblemontem, dein apud Marlas ſtativa habuit, quorum alterum ad Eſiam, alterum ad Serram amnem eſt, neque omiſit quæ per paucitatem copiarum licebat, ea tentare, ſi fortè aut hoſti commeatus prohibere, aut auxilia in oppidum introducere poſſet. Roccaſpinæus eruptione ſæpiùs adversùm hoſtes pugnavit, tormentis a De Roccaſpinæ.

1650. opportunè uſus eſt, ab quibus Geraldinus vir magnâ apud eos opinione virtutis interiit, prætereà Sfondratum glande ictum aiebant: poſtremò Roccaſpinæus cum omnis inſtrumenti bellici in oppido finis adeſſet, deditionem facere coactus eſt, cujus ab victore leges perhonorificæ dictæ.

Ubi Pralino-pleſſius Capellam deditam videt, & quò hoſtes moturi ſint, in incerto eſſe, Villequierum, & Hoquincurium Legatos, cum equitibus, peditibuſque, quantum eſt viſum, in Atrebates, & ad Quintinifanum dimittit, atque alios aliò per omnes Picardiæ, & Campaniæ ſecundùm Moſam amnem fines, ipſe ab Marlis ad Barnetonem receſſerat, citrà Serram amnem, ut ne tot dimiſſis copiis hoſti opportunus foret. Sed hunc ex copiâ rerum in Campaniam ducturum exiſtimavit, quò Fertæum Sannectarium præmiſerat, cum iis quibus præeſſe ſolet copiis, atque aliis. Is in Campaniam adveniens Varennam equitum quos Turena cuſtodiæ causâ habebat, ducem Villafrancæ ad Moſam dirutas munitiones reficere accepit, quò ipſe cum equitatu advolat, jubetque Varennam faceſſere oppido, qui ubi ſe negavit id facturum, Fertæus partem equitatus Moſam traducit, ac dùm pedites cum tormentis oppugnando oppido opperitur, Varenna noctu ſecundo amne Satenaïum profugit.

At Leopoldus Marlas, Verbinum infirma haud procul Capellâ oppida, dein Portiani-caſtellum, & Rethelium in Campaniâ item parùm valida occupat. Hæc regio plana, atque campeſtris equitatui opportuna eſt, qui multus Leopoldo erat, peditum habebat multò minùs, ſeptem modò millia in ejus exercitu fuêre, equitum propè duplex numerus. Adversùm tantas copias Pralino-pleſſius conſilio magis, ſaltuoſis, aut paludoſis, aut amne munitis locis caſtra ponendo, quàm manu tuebatur ſe, atque provinciam. Sed Durocortoro Rhemorum metuens, ab quo haud longè hoſtes aberant, caſtra primùm apud Fimas, dein propiùs urbem ad Campignium vicum habuit, quæ loca ad Veſlam amnem ſunt, cæterùm Legatos, atque alios, quos undequàque dimiſerat, ad ſe redire juſſerat. Fortè Hoquincurius ad eum veniens apud Fimas poſuerat caſtra, quò & hoſtem advenire per exploratores nuntiatum eſt: puduit hominem ingentem animi, nec ab hoſte pelli ſolitum, huic cedere loco, atque adeò tametſi haud magnum equitum numerum haberet, eò hoſtes opperiri conſtituit: Veſlam amnem iis aliquam objecturum moram, quem ſi tranſire tentarent eos facilè cædi poſſe, haud procul eſſe Auguſtam Sueſſionum, quò ſi res moneat, equitatui receptus haud difficilis ſit.

At Turena quo freti hoſtes Campaniæ fines erant ingreſſi, duobus vadis magnum equitum numerum Veſlam traducit, neque Hoquincurium modò pellere, ſed & hunc Durocortoro Rhemorum, & Auguſtâ Sueſſionum ſimul intercludere conatur. Senſit hoſtis conſilium Hoquincurius paulò ſeriùs quàm par erat, tamen in eo tam aſpero negotio nihil territus, hoſtium qui obſtabant agmen perrumpit, & Auguſ-

tam Sueſſionum cum ſuis equitibus pervênit, quadraginta modò ex his deſiderati, quâ tantulâ jacturâ ſalus cæteris quæſita, & Ducis nimia audacia expiata eſt: nam eâ tempeſtate rem publicam ſuſtentare modò, neque fortunæ committere quidquam, ſatius fuit, Rege remoto procul, perculſis hoſtium in Galliam ingreſſu omnibus, & exiguis ad defendendam copiis. Id præclarè Pralino-pleſſius intelligebat: quamobrem ubi hoſtes ad Fimas habuêre caſtra, ipſe in Durocortori Rhemorum ſuburbium conceſſit, dein urbem ipſam eſt ingreſſus, relictis in ſuburbio hoſtem versùs Roſâ Tribuno, ac Germanis quibus præerat equitibus, nihil enim Fimas inter, & Campignium quò noſtros habuiſſe caſtra diximus, ac ne ipſam quidem urbem intercedebat ſatis firmum ab naturâ, aut loco munitum, quo freti adversùm tantùm hoſtium numerum propugnare poſſent. Germani equites quotidie hinc inde mittebantur, qui de hoſte cognoſcerent, quidam capti, alii quoſdam ex hoſtibus cepêre, ſecundùm fortunæ quæ ſumma in bello eſſe ſolet, viciſſitudinem. 1650.

Ab Satenaïo quod oppidum penes Hiſpanos ſicuti ſuprà diximus, arx penes Turenam erat, hoſtes Meſieram versùs, & Muſonium, aliaque circùm loca vagabantur, quibus coërcendis Pralinopleſſius *a* Lametum Vicecomitem cum ducentis equitibus eò dimiſerat. Is fortè in quadringentos hoſtium equites incidit, certamen effugere tametſi animus ferret, hoſtium propinquitas prohibebat, majuſque in fugâ, quàm in prælio periculum fore videbatur. Igitur Lametus equitum ſuorum alas quinque conſtituit, quoniam totidem hoſtium erant: procurritur utrimque, pugnatur per horam, poſtremò virtus numero potior fuit, ac tametſi Lametus equo ſuffoſſo ab hoſtibus captus, abductuſque fuerat, tamen noſtri quo pugnatum eſt loco mansêre, quod quidem victoriæ certiſſimum argumentum eſt: hoſtes Protribunis duobus, ducibus turmarum ſeptem, ſexaginta equitibus amiſſis, ex quibus quadraginta cæſi, cæteri capti, diſceſsêre: è noſtris *b* Buſcodelphinus è Melitenſi Militiâ turmæ unius Dux, atque *c* Ambervalius item unius turmæ Dux, ac pauci alii deſiderati, qui egregiè pugnantes occubuêre.

a Le Vicomte de Lamen

b Le Chevalier de Bois-Dauphin.

c D'Amberval.

Ubi hoſtes ad Fimas, & Bazochium vicum propinquum cis Veſlam amnem habuêre caſtra, neque inde flumen ullum prohibebat ad Lutetiam Pariſiorum venire, ibi verò qui in urbe erant factioſi, dictitare, *Patriam ab Mazarino proditam hoſti, abductas aliò regni copias, adversùm cives bellum geri, dum hoſtis ſuprà caput eſt, hunc auctum, illos perditos Mazarinum velle*, cui hujuſcemodi ſermonibus magnam conflabant invidiam. Sed major alia ſingillatim Gondio cura erat, hic enim animum induxerat omni ope efficere, uti Condæus, duoque alii viri Principes in ſuâ poteſtate eſſent, quos ubi luberet emitteret cuſtodiâ, atque hanc ab Condæo gratiam iniret, quæ tanta ipſi futura videbatur, uti non modò ſibi placatus foret, ſed & de ſe augendo, ornandoque cum Gaſtone congrueret, quibus duobus viris fretus nihil tam arduum erat, quò non evadere ſe poſſe confideret.

1650. Igitur per *a* Lecam de quo ſuprà memoravimus Gaſtonis animum implet metu. *Hoſtes haud procul Urbe eſſe: in eâ complures Condæi clientes tempus, atque opportunitatem bujus eripiundi circumſpicere, Turenam cum equitatu ea gratia adventurum, ad id probibendum in plebe nihil eſſe auxilii, quæ extra mœnia egredi non audeat, eò ex Vincennarum arce hunc, atque Contium, & Longavillam aliò deducendos.* Conſilium ſuper eâ re habitum: Belfortius Principes viros ad Urbem adducendos cenſebat, & in Baſtiliâ cuſtodiendos, aliò ſe paſſurum negabat, quò in Mazarini magis, quàm in Gaſtonis forent poteſtate. Gondius nihildùm eſſe aiebat, quo ab Vincennarum arce abducerentur, ſin id faciundum eſſet, Belfortio de Baſtiliâ aſſentiebatur. Rohana Mombaſona, & Caſtronovanus abducendos modò aliò cenſebant, neque de loco dicebant quidquam. Tellierus unus ex Quatuorviris, qui cum Caſtronovano, uti Gaſtoni præſto eſſet in omnibus quæ ad rempublicam pertinerent, ad Urbem relictus fuerat, ſimul ut ne hujus animus uſque Mazarino æquus ab Gondio, aut ab aliis ſubverteretur, nihildùm videri eſſe aiebat, quo neceſſe eſſet viros principes abducere Vincennarum arce, & quid Rex juberet, opperiundum cenſebat.

a Le Marquis de Legue.

At Gaſto qui neque Reginam, aut Mazarinum, neque Belfortium, Gondium, atque ex eo grege alios offenſos vellet, decrevit uti Principes viri Marcuſſium deducerentur, atque Bar cum eodem quod apud Vincennas erat præſidio, eorum porrò haberet cuſtodiam. Marcuſſium caſtellum eſt ad eam rem ſatis firmum, quod cis Sequanam haud procul Urbe poſitum eſt: eò Condæus, Contius, & Longavilla ab Vincennis deducti ſunt, atque ita Gondius, & qui hos in Baſtiliam adductos volebant, iterum fruſtrà fuêre.

Inter hæc ab Leopoldo advenit Tubicen, cum litteris ad Gaſtonem, quibus ſignificabat, Philippo, ſibique pacem cordi eſſe: neque ſe dubitare idem Gaſtonem de pace ſentire, alterum ad Urbem eſſe, alterum in exercitu cum imperio, ac rerum componendarum poteſtate, cujus rei ſibi majus ſtudium futurum, ſi de eâ cum Gaſtone agere liceat. Hic tam præclaram occaſionem ſibi ab hoſte oſtentatam haud dimittendam ratus *a* Albaſpinæum Verderonam ad Leopoldum mittit, reſcribitque non minus Regi, atque Reginæ matri, ſibique, quàm Philippo, & Leopoldo pacis ſtudium eſſe: quo loco, quâ die, & ab quibus de hac agi placeat, ſententiam ejus exquirere, quam ubi reſciverit, in ſe nihil moræ futurum.

a De l'Aubeſpine, Marquis de Verderonne.

Leopoldus per *b* Gabrielem Toletanum diem, locumque colloquio conſtituit: id inter ſe, & Gaſtonem fieri in rem publicam eſſe: ubi complures ad id negotii antehàc adhibiti ſint, fruſtrà fuiſſe: cæterùm id ſe de loco, & tempore colloquii Gaſtonis juſſu feciſſe aiebat, ut ne quid moræ tanto, tamque utili negotio interveniret. Gaſto ut inter ambos pax per colloquium ſanciretur, ſibi itidem, uti Leopoldo placere reſpondit: *Sed cùm Pontifex, atque Veneti Pacificatorum inter duos Reges uſque partes ſuſtinuerint, cum illius Nuntio, atque cum horum Procuratore qui ad Urbem*

a Gabriel de Tolede.

Urbem ſint, omnia quæ ſibi ab Leopoldo fuerint nuntiata, communicaſſe: ambo 1650.
rogatu ſuo ad Leopoldum proficiſci, prætereà Avauxium, qui antehàc Monaſterium Veſtfalorum de eadem pace ab Rege legatus fuerit: hos ſi placeat, de omnibus quæ colloquium antecedere debeant, cum eo conventuros.

Sed iter facientibus advenêre ab Leopoldo litteræ, quarum ſententia hæc fuit. *Sibi cum Gaſtone colloqui conſilium fuiſſe, & cum eo breviſſimo tempore pacem conficere: ubi ſpatium erit de ea prolixiùs agendi, ibi pacificatorum operam Philippo gratam, atque acceptam fore: cæterùm ubi properandum videbatur, nihil ea opus fuiſſe: eadem ad Gaſtonem ſcripſit, præſe ferens optatiſſimum ſibi fuiſſe hunc videre, & cum eo colloqui, atque id facturum lubentiſſime quoties res monebit: ſe enim ſatis ſcire Gaſtonem nullam pacis inter ambos Reges conciliandæ occaſionem prætermiſſam velle, quod idem ſibi ſtudium ſit.* Ita tùm demùm Hiſpanorum ſimulatio palàm fuit, quæ quorsùm tenderet haud ſatis intelligo, niſi ſi ad gloriam, & famam pertinere ſunt arbitrati, ubi primùm fines noſtros per diuturnum bellum intactos attigerant, oſtentare nobis rerum commutationem eſſe factam, moxque pacem ſuo tempore, ſuo loco, atque etiam ſuis legibus factum iri, quod tamen quis eorum virtuti, ac non potiùs vitio noſtro tribuat, quos victoriæ ſatias, & novarum rerum lubido cepit?

Sed illius Gentis ut in ſecundis rebus ſuperbiam, & inſolentiam reprehendere, ſic in adverſis conſtantiam, & animi magnitudinem mirari lubet, qui cùm per tot annos fortunæ violentiam toleraverint, pacem tamen petiêre nuſquàm, & ultrò oblatam abnuêre, indignum rati ab hoſte, qui in finibus ſuis victor, & tot urbium, ac regionum potens eſſet, accipere conditionem. Leopoldo fortè conſilium fuit, plebis odium in Mazarinum magis, ac magis accendere, cui nuſquàm placiturum judicabat ſe abſente agi de pace, atque hujus arbitrum Gaſtonem, aut Gondium eſſe. Sed ille uti ſeu Leopoldi, ſeu Gondii fraudi, ac iniquis utriuſque adversùm ſe conſiliis occurreret, tametſi Gaſtonem plus æquo adproperaſſe ſentiret, ne id quidem tamen reprehendit, quin & ſe haud minus quàm illos omnes pacis cupidum oſtentavit: ſed Nuntium Pontificis, ſimul qui per abſentiam Michaëlis Moroſini Venetorum Legati hujus ad Urbem vices in omnibus negotiis ſubire debebat, eum huic negotio adhibendum cenſuit, uti rectè, atque ordine ſi ad id ſeriò Hiſpani animum adjeciſſent, fieri poſſet: cæterùm hos ab pacis conſiliis longè alienos eſſe eâ tempeſtate non dubitabat.

Inter hæc *a* Codrayus ab Aulâ, & Burdigalâ redierat, productuſque ab Gaſtone in Senatum, quæ apud Regem, Reginamque matrem, & apud Burdigalenſem Curiam egerat, ea enarrat ordine. *Hanc nihil ad pacis conditiones quæ ferebantur, reſpondiſſe, quo eas accipere velle videretur, ſed magis ad bellum defendendum parare ſe, quod Rex ſumma ope gerere quoniam pacem Burdigalenſes abnuant, per Melleraium aggrediatur: terra, marique clauſos ad urbem aditus, majorem civium pertinaciam, quam opes eſſe.* Secundùm hæc ubi Codrayus Curiâ exceſſerat, Gaſto, *Seſe*, ait, *& ſua ſponte, judicioque, & ex ſententia Senatus uti Burdigalenſibus ab Rege pacem*

a Le Coudray-Montpenſier.

1650. *impetraret, omnia feciſſe: quo minùs hanc habeant, per eos ſtare, quos tamen modò ut regia Majeſtas ſalva, atque integra ſit, perditos nolit: placere igitur ad Regem, & ad Burdigalenſes Codrayum iterùm mitti, qui pacem ſuadeat: hos ubi opes ſuas infirmas eſſe ſenſerint, quod jam abnuant, id cupidiſſimè accepturos: tempus adeſſe quo ſi videatur, Senatus ad Regem, & Burdigalenſes mittere poſſit, qui utrimque de pace agant, quæ res magnum ad hanc conficiundam pondus habitura ſit.*

Senatûs decretum fit, ſicuti Gaſto autor erat, atque id ipſum de Gaſtone adſcriptum decreto eſt: præctereà eodem decreto cautum, ubi eâ de re ad Senatum quidpiam porrò referretur, id ut illo præſente fieret. Ita Codrayus ad Regem, & ad Burdigalenſes iterùm de pace miſſus: iêre prætereà iterùm duo ab Senatu Clemens a Muſnierus, & Franciſcus Bitaltius, acres viri ambo, & ei quæ dabatur provinciæ pares. Hi in Aquitaniam properant, ut integris adhuc Burdigalenſium rebus advenirent, Gourguius, Guionetus, & Vicinus è Curiâ Burdigalenſi qui ad Urbem erant, Gaſtonis, & Senatûs rogatu eodem tempore profecti ſunt, uti Burdigalenſes ad conditiones quæ ferebantur, accipiundas hortarentur.

a Le Meuſnier. Bitault, Conſeiller.

Jam Melleraïus cum exercitu propiùs Burdigalam erat, & S. Suriai ſuburbium per Sammegrinum, & b Rupilaurium Legatos oppugnaverat. Eò magna utrimque facta cædes, Buillonius, & Rupifocaldus aderant, qui ſtrenuè rem ſuſtentavêre: ſed ſuperatis omnibus quas objecerant munitionibus, poſtremò advectis tormentis regii in urbem, aut proximas foſſæ munitiones compulêre hoſtem. Atrox planè certamen fuit, uti facilè inter Gallos factum crederes: neque virtute, ſed causâ, & numero qui vicêre, eos potiores fuiſſe. Urbi erat appropinquatum, magnuſque plebem Burdigalenſem ceperat metus: ſed qui oppugnabant, & qui propugnabant experti invicem, atque adeò ſatis gnari quàm utrumque periculoſum eſſet, prætereà quidquid his, aut illis accidiſſet damni, id ad Regem maximè, & ad rem publicam pertinere, ad pacem animum adjecêre denique, quo factum eſt, uti Codrayus ab Gaſtone, Muſnierus, & Bitaltius ab Senatu opportunè advenerint.

b Le Marquis de Rocquelaure.

Mazarinus haud difficulter ad pacem adducebatur, quia poſt ſuburbii oppugnationem quæ Melleraïus incœperat adversùm urbem, ea haud ex ſententiâ ceſſerant, Buillonio, ac Rupifocaldo, ac prætereà Burdigalenſibus ad propugnationem intentiſſimis, quin & illi ſemel, atque iterùm erupêre. Sed Burdigalenſes angebat Hiſpanorum ceſſatio, ab quibus nihil adveniebat auxilii: quamobrem de pace cœptum eſt agi, ſeriò quidem ab Mazarino, ſed non ſine dolo ab Burdigalenſibus factioſis, quibus rem ducere quamdiù poſſent, conſilium fuit, ut intereà loci ab Hiſpaniâ adeſſent auxilia, quibus ne ipsâ quidem pace factâ uti quidquam penſi habuiſſent, tam grave erat ab Mazarino, & Spernonio ad quas hi vellent, conditiones adigi.

Ad Burgum propiùs Burdigalam Rex acceſſerat, quò Curia popu-

luſque Burdigalenſis miſêre, qui de pace agerent, neque aderat primùm quiſquam ab Brezæâ, Buillonio, & Rupifocaldo, cæteriſque Condæi clientibus, qui intereà finxêre ſæpiùs advenire nuntios, ac litteras ab Hiſpaniâ, quæ præſto adfutura auxilia pollicerentur, quo pacis negotio moram adferrent. Sed cùm hæc vana eſſe Burdigalenſes viderent, ac milites vigiliis, & continuo ſtationum, atque excubiarum labore fatiſcerent, ſeriò tum demùm de pace egêre, atque rogavêre Condæam, Buillonium, & Rupifocaldum, uti ſecum ad Regem mittere vellent, qui de ſuis rebus agerent: ſed ſibi quidquam poſtulandum negavêre, præter quàm uti viri Principes emitterentur cuſtodiâ, quod cùm fieri hâc tempeſtate non poſſe ſatis perſpicerent, nihil eſſe quod ad Regem mitterent, eaſdem quas Curia, populuſque Burdigalenſis conditiones ſibi accipiundas eſſe, quibuſcum cauſam ſuam communicaſſent, atque adeò quæ ſibi paciſcerentur, iis ſeſe uſuros. 1650.

Poſteà tamen Gourvillam Rupifocaldi clientem Burgum Regis voluntate miſêre qui de virorum Principum, Brezææ, Buillonii, Rupifocaldi, ac cæterorum qui in eâdem causâ eſſent, rebus ageret: ab hoc latæ Mazarino ſunt de Principibus viris emittendis cuſtodiâ conditiones, quibus & reipublicæ, & ipſi ſingillatim abundè cautum videbatur, Buillonius, ac Rupifocaldus fidei causâ ſeſe quo Rex juberet, in cuſtodiâ futuros recipiebant per menſes ſex, quin & de nuptiis alicujus è ſororum Mazarini filiabus cum ipſo Contio tùm primùm facta mentio eſt. Burdigalenſes tametſi flagitarent Spernonium amoveri ab Aquitaniâ, ſi tamen Rex Principes viros cuſtodiâ emiſſos vellet, hâc unâ de causâ ſe pati poſſe dixêre hunc porrò provinciam obtinere: nihil denique omiſſum, quo flecti Mazarini animus poſſet. Sed obſtitit fides data Gaſtoni, nihil in eâ re hujus injuſſu factum iri: poſtremò apud Burgum de pace tranſactum, horum quos de eâ Senatus legaverat operâ, haud diſſimiliter ab conditionibus quas Gaſto ad Regem miſerat, quæque in Senatu recitatæ fuerant.

Convenit igitur uti Rex ediceret (nam hæc eſt formula pacis quæ inter Regem, & eos qui ipſi ſubjecti ſunt ſancitur) quæ dicta, factave hoſtiliter fuerint ab Burdigalenſibus, atque ab Ducibus, militibuſve, qui Burdigalæ fuerint, ac militaverint, eorum ſe oblivíſci. Brezæam cum filio Angiano rus apud Andes ſeceſſuram, & in quo voluerit prædio ſuo agitaturam, atque omnia ſua, virique bona poſſeſſuram. Ab omni fœdere ac ſocietate domi, foriſque diſcederet, atque Regi eâ de re ſcripto fidem daret. Hoſtilia in Biturigibus, atque aliò cis Ligerim, quò Condæus, atque hujus clientes caſtella habeant, fieri deſinerent. Quæ armis occupaverint loca, iis præſidia deducerent, atque hæc Regi redderent, quibus viciſſim occupata loca redderentur: ſi Brezæa apud Muronem, quàm apud Andes agitare mallet, illò ne plus ducentis peditibus, ac ſexaginta equitibus præſidium eſſet. Hoc oblivionis Edicto cuncti fruerentur. Captivi utrimque ſine pretio dimitterentur. Qui conſcripti ab Burdigalenſibus, ac Sociis milites eſſent, ii exau-

1650. torarentur, ac ſine fraude diſcederent. Quæ Curia Burdigalenſis adverſùm Spernonium dixerit, fecerit, decreverit, & viciſſim Spernonius in Burdigalenſem Curiam, ea pro dictis, factis, decretiſve ne haberentur, & quando vix quieti apud Burdigalam, atque in Aquitaniâ animi eſſe poſſe videantur, ob nuperas, priſtinaſque cum Spernonio contentiones, hanc ſe alteri Rex traditurum recipiebat.

Dum hæc apud Burgum aguntur, Brezæa, eò Figeanum miſit, qui rei conficiundæ adeſſet. Quod ubi factum, atque Edictum Regis promulgatum eſt, Brezæa cum filio Angiano, Buillonius, Rupifocaldus, ac plerique unà cum his nobiles conſcenſis navibus Burdigalâ profecti ſunt, atque in Melleraïum fortè incidêre, quem pleræque è Claſſe regiâ naves comitabantur: hæ Brezæam, & Angianum, ſicuti navigantibus moris eſt, omnibus tormentis ſalutavêre: dein factus propior Melleraïus cum eâ colloquitur, ac percunctatur num ſub oculis Regis, atque Reginæ matris Burgo, quò adverſo Duranio iter habitura erat, tranſire his inſalutatis conſilium eſſet? illa verò autoribus Buillonio, & Rupifocaldo ſe lubentiſſimam ad utrumque diverſuram reſpondit, ac ſupplicaturam uti virum emiſſum cuſtodiâ velint, modò ut ne his importunum foret.

Melleraïus continuò mittit, qui Regem, ac Reginam monerent, Brezæam ad eos properare: hi *a* Danvillam Vantadurium miſêre obviam cum rhedis, qui hanc navi exſcendentem, omnemque comitatum exciperent. Quæ ubi Regi, atque Reginæ in conſpectum venit, ſalute dictâ invicem, ac paucis quæ ad humanitatem, comitatemque pertinerent, verbis commutatis, ad utriuſque genua procumbens, os totum lacrymis oppleta de viro cuſtodiâ mittendo iis ſupplicat, tam enixè, ac lamentabiliter, ut ambos, & qui aderant omnes, eos miſericordia caperet, ita ut ni res publica, & data Gaſtoni fides attinuiſſet, id mulieri Rex, atque Regina obſecuturi viderentur, ſed bono animo, atque optimâ ſpe eſſe juſſam dimiſêre.

a Vantadour, Duc Danville.

De re eâdem Buillonius, & Rupifocaldus cum Mazarino egêre diligenter, atque ingenti ſtudio. *Hujus meritum eo majus futurum apud Condæum demonſtrando, quo minùs jam ut id ille faciat, vi, atque armis cogi poſſit: omnia movere factioſos ad Urbem, uti Condæum habeant in poteſtate, cujus opibus ipſum Mazarinum oppugnent: finem quidem bello Aquitanico impoſitum ſed nullum hujus gerendi ſtudio factum iri, quamdiù viri Principes in cuſtodia fuerint, neque ceſſaturos omnes Regni Ordines, uſque dùm hac emiſſi ſint: ſe quidem ut id fiat omni ope eniſuros, ſed malle hujus, quàm aliorum opera fieri, atque huic ab Condæo tantæ rei gratiam deberi, quo æterna inter ambos amicitia concilietur.* Iſthæc commovêre hominem, uti magis ad viros Principes emittendos cuſtodiâ propenderet, atque eâ de re ſecùm agi poſthàc facilè pateretur. Cæterùm Brezææ ad Regem, atque ad Reginam matrem ſupplicatio, dein conſecuta Buillonii, ac Rupifocaldi cum Mazarino colloquia Aureliæ virginis animum implevêre ſuſpicione, ita ut ad Patrem ſcriberet ſe de Condæo cuſtodiâ emittêdo confectum eſſe arbitrari.

Mazarino conſilium erat ab Aquitaniâ in vicinam tranſire Septimaniam, atque inde in Provinciam, corrogandæ ad neceſſarios Aulæ, atque belli ſumptus pecuniæ, cujus rei gratiâ indicta utrobique fuerant comitia: ac ſingillatim in Provinciâ conciliandа erat inter Aletſium Comitem, & Curiam Aquenſem gratia, aut hic ſicuti Spernonius erat amovendus. Sed factioſi quibus ægrè erat pacatam eſſe Aquitaniam, aliò durare lites cupiebant: quo factum eſt, uti per Gaſtonem adigerent Regem, atque Reginam ut ad Urbem omiſsâ Septimaniâ, atque Provinciâ redirent. Id urgebat Gaſto maximè, quia ſupra quàm dici poteſt, ſolicitus erat de virorum Principum cuſtodiâ, quos neque ad Urbem deductos volebat, ut ne in alienâ magis, quàm in ſuâ eſſent poteſtate, neque ſatis in tuto eſſe apud Marcuſſium Caſtellum arbitrabatur. Igitur Rex poſtquàm dies decem Burdigalæ commoratus fuerat, ad Urbem versùs iter intendit. 1650.

Intereà dùm Rex in Aquitaniâ erat, bellumque adversùm Burdigalenſes gerebatur, *a* Santanianus unus è Principibus regiorum Cubiculariorum, cui Bituriges provinciam permiſſam ſuprà diximus, in hac cum paucis copiis Condæi clientes apud Muronem, quò validum erat præſidium, atque apud alia circumquâque Caſtella, & ipſe bello ſicuti juſſus erat, perſequebatur. Hic propè omnia per ſe adminiſtrare, ac gerere, cum paucis plures adoriri, ac vincere, princeps prælium manu facere, ac tametſi quandoque vulneratus hoſtes pellere, ac profligare, oppida, atque Caſtella pugnando capere, poſtremò clariſſima virtutis exempla edere, ac planè ampliori ſcenâ digniſſima: ſed qui ſibi mandatam rei publicæ partem ſtrenuè gerit, is mihi vir ſummus, & quantovis honore dignus videtur.

a Le Comte de Saint Aignan.

Ubi ab Aquitaniâ Rex Fontembellaqueum advênit, eò tantiſper Aula reſtitit, rure regio nobiliſſimo, atque amœniſſimo. Venit eòdem Gaſto Regi, atque Reginæ ab Urbe obviam: ſed manſit domi Gondius, ſibi conſcius multa per Regis abſentiam deſignaſſe, quæ Mazarino gravia fuerant, indignanti illum abuti Gaſtonis gratiâ, & facilitate, quibus fretus hunc quò res publica minimè poſtulet, impelleret, atque in eâ gerendâ ſibi rationes omnes conturbaret, ac denique æmulus videri vellet. Cùm hæc ſæpiùs palàm Mazarinus expoſtularet, dum adhuc Aula in Aquitaniâ eſſet, multi Gondio renuntiaverant huic illum iis de rebus offenſum, infenſumque eſſe.

Sed Gondius ad Rohanam Mombaſonam adit, quæ utrique mutuæ inter ambos nuper initæ amicitiæ conſcia, & ſicuti teſtis erat. Ibi ſeſe Mazarini expoſtulationibus pulſum ait ab amicitiâ, cui adeò rursùm integra omnia de eo ſint, ſibique conſilium capturum. Rohana nihil temerè faciundum cenſebat, ſed magis explorandum Mazarini animum erga Gondium ut eſſet: eâ gratiâ petendum ab eo quidpiam, quod ſi denegaret, Gondium tum demùm rectiùs ab amicitiâ diſceſſurum. Is verò ſe negare quidquam ab Mazarino poſtulaturum: uti Cardinalatum peteret Rohana ſuadebat, quem ſe haud impetraturum Gondius

1650. non ambigebat, neque commiſſurum aiebat, ut eâ cauſâ ſeſe cum eo Mazarino amicitiam inſtituiſſe, aut de Condæo in carcerem conjiciundo concordaſſe fama ferret: ſi tamen Rohanæ videretur Cardinalatum petendum eſſe, haud abnuere quin ipſa hanc ſibi daret operam, quo ſi de eo impetraret, tantæ rei huic maximè gratiam deberet. Ita Gondius quid Mazarinum aut amaret, aut odiſſet, & quâ gratiâ tot, tantaque moveret, palàm faciebat.

Rohana provinciam accipit lubens, talium avida, & quæ pro Mazarino, & Gondio haud æquam amicitiæ partem habebat, ſed huic favebat impenſiùs. Igitur cum Telliero agit, qui ad Urbem Aulâ in Aquitaniam proficiſcente eâ quâ diximus de causâ manſerat: hunc Gondii de Mazarino ſuſpicionem edocet. *Quanti Condæi clientium conatus ſint, ut hunc pertrahant ad ſuas partes, quæ ejus gratia, & fides apud Gaſtonem, poſtremò hoc homine quovis pacto cum Mazarino porrò conjuncto opus eſſe: ſed quæ levia amicitiæ vincula ſint, ea facile diſſolvi: hunc tanto beneficio adjungendum, quanto circumcluſus elabi nequeat: hujuſmodi eſſe Cardinalatum, quem ſi placeat Gondio dare, ſicuti nihil ipſi ſuprà hanc dignitatem ſit, ita nihil ſuprà ejus adverſùm Mazarinum amicitiam fore, id ad eum ſcribere velit, atque docere quanto uſui futurum ipſi ſit.* Tellierus commotus inſolitâ re, & quid eſſet Mazarino ſententiæ ſatis gnarus, deprecari iſthæc ad Mazarinum ſcribendi onus, quod ipſa ſuſcipere facilè poſſet, cujus litteræ magnum apud hunc habituræ pondus eſſent: poſtquàm ipſa acriùs inſtat, atque in denegando pudor erat, ita ſe ſcripturum Tellierus recipit, ſi & ipſa idem ſcribat, fidemque Mazarino faciat, id rogatu, ac magis juſſu ſuo Tellierum feciſſe. Mazarinus utrique reſcribit, rem omnem in adventum ſuum ad Urbem rejiciens, de quâ tum ampliùs ageretur.

Intereà Condæi clientes ambire, fatigare Gondium, uti Principum virorum apud Gaſtonem, & Senatum negotium ſuſciperet: magnam in ipſo viro tanto ſi diutiùs falli ſe Mazarini artibus non ſinat, ſpem ſibi ſitam: ſi præter Gaſtonem, & Senatum, Condæum adjungat, omnia & virtuti ejus, & gratiæ prona fore. Arnaldus Corbevilla noctu ad eum ventitabat, & hæc, atque alia hujuſcemodi prædicabat homini potentiæ avido, cuique videlicet Cardinalatûs cupientiſſimo nihil ut ferè fit, ſatis feſtinabatur. Quia tamen non omnis ab Mazarino quod brevius erat, hujuſce habendi ſpes interciderat, nondùm Condæi clientibus ſatis certa reſpondebat, atque intereà Mazarinus Fontembellaqueum unà cum Rege advênit. Eò Rohana Mombaſona ab Urbe Reginæ præſto fuit, huic perpetuò cara, acceptaque. Illa cum Mazarino colloquitur, cauſamque agit Gondii, neque tamen perſuadet, ut huic Cardinalatum datum velit.

Rohana, re ſicuti videbatur infectâ Fontebellaqueo proficiſcitur: ſed continuo metus cepit Mazarinum, ut ne hanc, atque Gondium repulſæ dolor tranſverſos ageret, atque adverſùm ſe quidpiam inceptarent, cui rei uti præverteret, Lecam utrique fidum accerſit, cui ſibi conſilium eſſe ait, Rohanæ de Gondio morem gerere, ſi poſtquàm ite-

rum collocuti fuerint, id ſibi faciundum eſſe exiſtimet: ubi primùm ad Urbem advenerit, eâ de re acturos, ipſe properè eò redeat, atque iſthæc Rohanæ nuntiet. Leca Mazarinum monet, id ut ne more ſuo dictum, aut omninò Gondium produci poſſe putet, biduò ubi ad Urbem redierit, rem conficiundam. Sed ſi eâ parùm procederet, jam Gondio inſtituta erant in animo conſilia omnia, uti de Principibus viris cuſtodiâ eximendis Gaſtoni perſuaderet cum Senatu ſentire, atque congruere, tanto beneficio ſibi devinctum Condæum de ornamentis ſuis facilè cum Gaſtone concordaturum, & utroque ſe fretum, ac præterea Senatu, populoque Mazarinum jam publicâ invidiâ laborantem, nutantemque de ſummâ rei publicæ quæ ipſi ab Reginâ credita ſit, haud difficulter deturbaturum. 1650.

Ita animus varius, ac potentiæ avidus ambitioni ſuæ ſervire, modò Mazarino, modò Condæo ſicut hæc monebat, favere, modò ut hunc in carcerem conjectum, modò ut emiſſum vellet, Gaſtonem impellere, intereà tamen de Cardinalatu quid Mazarinus facere vellet, opperiri, nihil ipſi quamvis hunc adipiſcatur, amicior, aut in eo labefactando, pellendove ſi qua facultas dabitur, ſegnior futurus. Quæ Gondii conſilia, atque ſtudia cùm Mazarinus probè noſſet, nequaquàm hunc ſibi per Cardinalatum adæquari, aut ſocietatis in re publicâ gerendâ homini ambitioſo ſpem injici volebat: eo per Reginam dabat operam, uti Gaſto hunc, atque Belfortium ab ſe amitteret, homines factioſos, qui neque ipſi quieſcere, neque alios ſinere poſſent, ſed id Mazarino fruſtrà fuit. Uti tamen omnem Gondio virorum Principum cuſtodiâ eximendorum ſpem præcideret, eos ad Gratiæ-portum deducendos conſtituerat: ſed quoniam id Gaſtonis voluntate fieri neceſſe erat, hunc apud Fontembellaquеum per Gondii, & Belfortii abſentiam aggreditur.

Res in Regis Conſilio agitur, Regina Gaſtoni permittit, uti viros Principes in aliquâ cui aut ipſe, aut ſui præſint, arce aſſervari velit, quando tantoperè ea res ad hunc attineat, & apud Marcuſſium hos haud ſatis eſſe in tuto meritò arbitretur: ſed is ſe negat hujus rei invidiam ſubire velle: dein alia de induſtriâ loca nominantur, quæ parùm idonea erant: poſtremò de Gratiæ-portu mentio facta. Ibi verò Gaſto memor quanto ſtudio Gondius, atque Belfortius ei rei antehàc obſtitiſſent, huic & ſeſe acriter obſtare debere eſt arbitratus. Id planè faciebat, ni Regina urgeret, aut ut ipſe cuſtodiam eorum ſibi ſumeret, aut hos quò in tuto eſſe Rex exiſtimaret, deduci pateretur: locum, non cuſtodiam mutari, Barem qui huic præſit fidem dediſſe, ſeſe Principes viros niſi Reginæ ſimul, & Gaſtonis juſſu uſquàm dimiſſurum, eo ipſi abundè cautum videri.

Inter hæc Mazarini ore excidiſſe ferunt, Reginam rectè quidem Gaſtonis ad id locorum talis viri de re tantâ, & quæ tantoperè ad rempublicam pertineat, ſententiam exquirere, cæterùm huic ſtare nihil ipſi neceſſe eſſe: quæ verba tametſi vera erant, Gaſtonis tamen animum exacerbavêre, quo per Reginam lenito, poſtremò hujus & ra-

1650. tionibus, & precibus victus huic de Gratiæ-portu aſſentitur. Sed ingenium varium, & qui poſtremus ipſi loquebatur, ad ejus voluntatem mobile, brevî ſententiam mutavit, ſcilicet perſuaſus denuò ab quodam qui Gondio conſiliorum particeps, & conſcius erat, ſuâ multùm intereſſe, ut ne viri Principes ad Gratiæ-portum deducerentur: pudebat tamen levitatis, & inconſtantiæ, ſi Reginæ quod ſemel conſenſerat, in eo ſe tum ab eâ diſſentire in os diceret: tolerabiliùs viſum Tellierum accerſere, atque huic edicere, ut ne quid de abducendis viris Principibus cuiquam perſcribere vellet, uſque dùm eâ de re rursùm in Regis Conſilio ageretur: ſed ſcriptis ſubitò de hoc negotio litteris, & cui Regina juſſerat traditis Tellierus foris abierat, ſcilicet veritus id ipſum quod tunc agebatur.

Ubi ſub veſperam domum rediit, ſubitò ad Gaſtonem adit, qui ſicuti conſtituerat, hunc de Principibus viris Gratiæ-portum deducendis quidquam ſcribere vetat: Tellierus reſpondet tardiùs id Gaſtonem facere, factum enim eſſe quod prohibeat, viros Principes Marcuſſio profectos credere, & qui eos Gratiæ-portum deducant, eos tunc cum maximè maturare iter pergere. Ad hæc Gaſto excandeſcere, Tellierum dimittere, accerſere Caſtronovanum Procancellarium, ac dictitare, *Seſe ludibrio habitum, de re multò ante decretâ, atque parata conſultum, precibus, muliebri arte, & Reginæ verecundia victum magis non diſſenſiſſe, quàm rationibus ſicuti par erat, adductum de Gratiæ-portu conſenſiſſe: properatum in eo negotio de induſtria, ut ne eſſet ſpatium reſipiſcendi, ſeu potiùs quod jamdiù antehàc decretum, atque nihilò minùs uti diſſentiret futurum fuerat, properantiùs quàm par erat factum fuiſſe.*

Intereà viri Principes Gratiæ-Portum deducebantur, & quò id tutiùs fieret, ubi Normanniam attigêre, præſto fuit ad fines Harcurius, cui hæc provincia Longavillæ abrogata permiſſa fuerat, Principeſque viros ad Gratiæ-portum eſt proſecutus, quæ ejus opera quàm Reginæ, & Mazarino eſt obſecutus, pleriſque tanto viro indigna viſa, ſed Harcurio intercedebant cum Condæo ſimultates. Raro enim quiſquam alium ſibi virtute, aut parem, aut ſuperiorem æquo animo tulit. Cæterùm viri Principes ad Gratiæ-portum pervenêre, atque in arcem conjecti ſunt, ſub eâdem quâ antehàc fuerant, Baris cuſtodiâ.

Dum viri Principes apud Vincennarum arcem, dein apud Marcuſſium Caſtellum fuêre haud procul ab Urbe, ſpeſque nonnulla erat hos in Baſtiliam ad Urbem ipſam adduci poſſe, Condæi clientes magis ſponte ſuâ, judicioque, quàm Momnorantiæ, atque Brezææ voluntate de his cuſtodiâ eximendis cum Belfortio, & Gondio, cæteriſque factioſis egerant: nam ambas pigebat hanc ipſis gratiam debere, atque idem ſentire Condæum facilè judicabant, ab naturâ Belfortio, & Gondio infenſum. Eo & ipſæ, & Anna Gonzaga ſolertiſſima fœmina Mazarini animum pertentandum exiſtimavêre, qui ſi flecti poſſet, nihil ſibi prenſatis factioſis opus eſſe, qui conditiones duras laturi videbantur, ſed ubi Mazarinus dubia, atque incerta reſpondebat, dedêre manus denique, uti

uti cum factioſis ageretur. Iſthuc profectò de Principibus viris cuſto- 1650.
diâ mittendis multos recipiebat caſus, neque ſatis tutum Mazarino videbatur hominis quem & genus, & virtus audaciſſimum, injuria facta infenſiſſimum reddiderant, fidei ſeſe committere, quam ab ipſo in carcere accipere neceſſe erat, & quâ adeò ſe teneri mox negare facilè poterat: prætereà res ejuſmodi erat, quæ ſemel facta corrigi non poſſet, & in quâ omnis ejus, ac fortaſsè rei publicæ ſalus agebatur.

Nam ſaltem per reliquum Regis pueritiæ tempus Condæus ab fide diſcedendo ſummam rerum invadere poſſe videbatur, quæ ad Reginam matrem pertinebat, cujus rei periculum ſi porrò in cuſtodiâ foret, nullum erat: Reginam verò cogi poſſe, ut hunc emitteret, quis credidiſſet, aut adduci poſſe Gaſtonem, ut id vellet, qui tanto ſtudio in Reginæ ſententiam de eo in cuſtodiam mittendo diſceſſiſſet? ſed eâ tempeſtate Gaſto planè fuit in poteſtate Gondii, qui & Cardinalis eſſe, Mazarinum Aulâ pellere, & ſibi rem omnem publicam permiſſam volebat. Diximus ſupra Aureliam virginem Annam-Mariam-Ludovicam in Aquitaniam unà cum Reginâ veniſſe, atque illâ quàm æquiſſimâ uſum eſſe Mazarinum: hæc, atque Salgeona virgo de quâ item memoravimus, dabant operam, ut & Gaſto porrò illi æquus eſſet: Aureliæ enim ſpem de Regis nuptiis tametſi multò majuſcula eſſet, Mazarinus fovebat, Salgeonæ verò amplum videbatur, operam ſuam uti Gaſto cum Reginâ, & Mazarino concordaret, utilem eſſe, ex quo utrimque gratiam inibat. Sed Aurelia denique ſe deludi ab Mazarino ſuſpicata ab hujus amicitiâ diſceſſit: Salgeona autem deſiit pro eo niti, quia fama erat Mazarinum cum Gaſtone Rivieram in gratiam reductum velle, in cujus illum, quàm in Gondii poteſtate eſſe mallet: neque enim Gaſtonem Salgeonæ conſilio, judiciove in re publicâ uſurum, atque adeò neceſſe erat uti quæ ad hanc pertinerent, de iis Gondio haberet fidem, ita ceſſante Salgeonâ quæ omiſsâ omni Aulæ rerum curâ pietatem poſthàc impenſiùs coluit, facilè Gaſtone Gondius ex voluntate uſus eſt.

Dum hæc in Galliâ geruntur Gallis indigniſſima, qui per ambitionem, & vana ingenia rem publicam perditum ibant, Hiſpani ſuam reſtituere conabantur. Jamdiù Ognatus Comes Prorex apud Neapolim Claſſem adornabat, conſcribebat copias, atque alia quæ uſui eſſent, parabat: Joannes Auſtrius in Siciliâ, quam obtinebat, & ipſe faciebat ſedulò quæ opus erant omnia. Quæ quanquàm magna eſſent, tamen hæc augebat fama, uti crederes ei Claſſi patere maria, ac terras, atque ad hujus conſpectum dedenda cuncta quæ ad Oceanum poſita ſunt oppida, tanta virtus in dictis Hiſpanorum eſt, ab quibus plerumque facta diſſentiunt. Neque tum tamen dictis planè abfuit fides, nam ubi Claſſis inſtructa, naveſque copiæ conſcendêre, Auſtrius, atque Ognatus ad Longonis-portum, Converſanus ad Plumbinum tenuêre curſum, quorum alterum in Ilvâ Inſulâ, alterum in Etruſco littore poſitum eſt, exiguo freto directa oppida ſicuti jam aliò diximus. Converſanus exſcenſione factâ Plumbinum oppugnat, pauci fuêre defenſores, ne-

1650. que plures oppido infirmo committere viſum, qui tamen opinione omnium diutiùs hoſtem attinuêre, eruptiones fecêre, in quarum unâ Præfectus, filiuſque ejus oppido ab hoſtibus interclusi, captique ſunt: dein hoſtes quà ſtratus ruinis erat murus, in oppidum irrupêre, noſtri in arcem conceſsére, & ipſam haud ſatis firmam: tanta ſtrages hoſtium in propugnando facta eſt, uti Converſanus ſibi ab Ognato mitti auxilia poſceret, ut ne omitteret incœptum, quibus acceptis poſtremò & arce potitus eſt.

Apud Longonis-Portum multa virtutis exempla utrimque edita, hoſtes trinis caſtris oppidum circumſederant, quæ Hiſpanorum, Germanorum, atque Italicorum fuêre, naves ante portum conſtitutæ ab mari aditum prohibebant. Menſes duos noſtri oppidum defendêre, multi ex hoſtibus cæſi, plures vulnerati, quos Neapolim navibus revehebant, atque adeò ab Mediolano, Siciliâ, atque aliò ſæpiùs ut auxilia venirent, opus fuit, imminutis per quotidiana quæ fiebant certamina Auſtrii, atque Ognati quæ primùm venerant copiis. Ubi quæ pro oppidi muro, portiſque fuere munitiones, iis hoſtes potiti ſunt, paucique erant, qui porrò propugnarent, ac mœnia defenderent, a Neuilliacus Præfectus deditionem fecit, quam honeſtiſſimis conditionibus, ac Tauroëntum cum cætero præſidio devectus eſt.

a De Neuillac.

Inſtructa fuerat ad auxilium noſtrorum actuaria navis, conduplicato remigum numero, uti per mediam hoſtium Claſſem ad Longonem evaderet: prohibuit adverſa tempeſtas, quæ hanc in Corſicam dejecit. In eo negotio Hiſpani enixè adjuti ſunt ab Nicolao Ludoviſio, atque ab ipſo Pontifice Innocentio, cui ille affinis eſt, vir Romæ Princeps, quoniam Gregorius ex Ludoviſiorum familiâ Pontifex hujus nominis XV. fuit, Nicolaus Pamphilii qui Innocentii frater fuit, atque Olympiæ filiam uxorem duxerat. Longonis oppidum, Plumbinum, atque omnis circùm regio Ludoviſii fuerat, antequàm ab noſtris caperetur, ex quibus annuatim magnos percipiebat fructus, cæterùm hæc oppida pridem ab Hiſpanis occupata fuerant, quæ præſidio tenerent ab Hiſpaniâ Neapolim navigantibus opportuna. Ubi ab noſtris recepta fuerant eoſdem fructûs percipiundi Ludoviſio ab Rege poteſtas facta fuerat, quam ipſe abnuit, tantum homini pro Hiſpanis ſtudium fuit, quo incitatus iis & milites in ſupplementum, & pecuniam in ſumptum, & annonam in commeatum Longonem, & Plumbinum oppugnantibus præbuit. Plures hoc anno qui apud Catholicos ſanctus propter Jubilæum vocabatur, Romam profecti fuerant: qui ubi eò advenere, pars ab Ludoviſio, alii ab Hiſpaniæ Regis Legato comprehenſi, atque ad caſtra Hiſpanorum circùm Longonem qui Philippo inviti militarent, navibus deducti ſunt, quæ res Pontificis erga nos animus ut eſſet, vel maximè indicabat, ſcilicet ab eâ æquitate, quæ Patrem in omnes filios decuit, alieniſſimus.

In Subalpinorum, Montisferrati, atque Mediolanenſis agri finibus nihil magnoperè factum hoc anno, quoniam bellum aliò gerebatur, cui

& Caracena qui Mediolanenſem obtinebat agrum intentus fuit, eò crebra mittendo ſicuti opus fuit, auxilia. Igitur cùm apertâ vi nihil agere poſſet, ad dolum adjecit animum. Quoſdam qui in Caſalii caſtello fuêre, illexerat ad proditionem, atque omnia parata intus erant ad accipiundos hoſtes, cùm *a* Aquæbonno Præfecto nuntiatum hos haud procul abeſſe. Is ſimul milites arma capere, in ſtatione quemque ſuâ eſſe, & ab pleriſque tormentis quà hoſtes adventabant, pilas emitti jubet, quorum ſtrepitu territi, ſuſpicatique palàm factam eſſe proditionem, continuò abſceſsêre: aufugêre & idem ſuſpicati qui hanc in caſtello inſtituerant, neque aliud indicium fuit hos in noxâ eſſe. 1650.

a Le Marquis d'Aiguebonne.

Poſt paulò ſimilis proditio patefacta pariter eſt ab eo qui hoſtium litteras ad proditores duos perferebat: *b* Santangelus Propræfectus apud Caſalium per Aquæbonni Præfecti abſentiam tunc curabat, proditorum alter oppidanus, alter in præſidio vexillarius fuit: ille ædes haud procul muro, qui ad Padum eſt, habebat, ab quibus cuniculum ducere ad infimum decreverat murum, quo locus erat ab aggere vacuus, ſeptus parietibus, ac fornice vinctus, cum cavo quantum ad os tormenti neceſſe erat patente, quo extrinſecus pars muri, defenderetur, id cavum augere, atque eâ hoſtem introducere, deducere in ædes ſuas, ac deinde in oppidum ſe poſſe ſperabat, quæ res proditione patefactâ comprehenſiſque proditoribus fruſtrà fuit.

b De Saint Ange.

Hoc anno *c* Uxellus Marchio Legatus Thomæ Sabaudico fuit in Italiâ, exercitumque ipſe duxit, per abſentiam Imperatoris, quoniam exiguus in eo copiarum numerus fuit, neque ſatis dignus cui vir Princeps præeſſet: Gabriel Sabaudicus Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis copias ductabat, quæ & ipſæ haud amplæ fuêre: ſingillatim equitatui *d* Verrüa Comes præerat, cui Legatus fuit Villa Marchio. Jam multum æſtivorum abierat, cum noſtri movêre, quo tardiùs perventum ad hoſtes eſt, qui & ipſi mittendis Longonem versùs auxiliis intenti ſuis ſe hybernis etiamtùm continebant: prætereà in belli ſumptum pecunia deerat, quam ex Pontremolii venditione uti corrogarent, operam dabant. Id oppidum ante quadriennium Genuenſibus venumdederant, nequedùm tamen ab his planè perſolutum erat pretium, quantum convenerat, cùm inter has moras majus aliud eſt Hiſpanis ultrò datum præſenti pecuniâ ab Ferdinando Etruriæ Duce, quo factum eſt ut huic mutatâ cum Genuenſibus fide Pontremolium traderetur. Id ipſis utique grave, ſed ab potentiori toleranda, ac muſſitanda injuria fuit.

c Le Marquis d'Uxelles.

d Le Comte de Verrué.

Ubi curata ab Etruriæ Duce Hiſpanis pecunia fuit, tum demùm movêre ex hybernis: noſtri jam in Alexandrinum venerant agrum, dein Padum traductis apud Caſalium copiis ad Seſſitem amnem habuêre caſtra: ex adverſo Hiſpani in agro Laumellino conſederant. At *e* Galeaſſus Trotus qui hoſtium præerat equitatui, Pado tranſmiſſo, diverſiſſimâ parte maturat per agrum Alexandrinum ad Aſtam ducere: hæc urbs vaſta eſt, atque disjecta ad Tanarum amnem cum caſtello, & arce,

e Galeazzo Trotti.

1650. ac prætereà ſuburbio, ad cujus aditum porta eſt cum caſtellis exiguis duobus: pauci erant qui hæc omnia defenſarent, eo in hujus Urbis improviſò capiundæ ſpem Galeaſſus Trotus adductus eſt, ad quam properavit accedere. Huic Præfectus fuit Hieronymus [a] Comes Moretta, qui per ſpeculatores certior factus hoſtem ad ſe verſum venire, continuò Auguſtam Taurinorum, & ad caſtra mittit, qui properè auxilia accerſerent, nuntiarentque ni maturè advenirent, ſummo in periculo rem apud Aſtam fore.

[a] Le Comte de Morette.

Intereà è viciniâ nobilitatem, atque agreſtes armatos evocat, undequâque ſtationes, ac màximè quà hoſtium adventus erat, diſponit, equites qui de his cognoſcerent in eam partem dimittit. At hoſtes captis undecim ex iis qui ſpeculandi causâ proceſſerant equitibus, ad ſemilunam quæ pro ſuburbii portâ erat, perveniunt, percunctantem ecqui eſſent? vigilem obtruncant, cæteros pellunt, atque ſemilunâ potiuntur: dein applicato ad ſuburbii portam tormento, hæc facilè perfringitur: hoſtes eâ irrupêre, neque in eâ quæ ad portam erat ſtatione quidquam auxilii fuit, diffugêre cuncti, atque item qui in altero ex caſtellis duobus fuêre, quæ ex aggere modò conſtructa haud quaquàm ſatis firma erant. Moretta ad hoſtium irrumpentium, ſuorumque diffugientium clamorem accurrit, atque in medio ſuburbio illorum impetum inhibet, ac ne longiùs procederent, ſubitariam objicit munitionem.

Intereà & ab Auguſtâ Taurinorum, & ab caſtris veniebant auxilia: Villa cum quadringentis equitibus eò contendit, ſubſequi juſſus eſt cum cætero equitatu Verrüa, atque ipſe denique Uxellus eòdem movit: nam Caracenam ad Aſtam omnes copias ducere fama erat, præmiſſum modò Trotum, qui ſi de improviſo urbem capere nequiret, hanc cum omni exercitu Caracena oppugnaret: neque ea res temerè inſtituta, incœptaque, ſed adventu Villæ fruſtrà fuit, pulſique Hiſpani ſuburbio, dein qui in altero ex caſtellis duobus relicti fuerant, ii deditionem fecêre. Intereà Caracena cum omnibus copiis, atque omni oppugnandarum urbium apparatu haud procul Aſtâ caſtra poſuerat, qui accenſus irâ, nec cui ex re cujus gratiâ venerat, corruptâ ſuccenſeret, ſatis certus itineris duces duos necari jubet, ſicuti longiori circuitu conſultò duxiſſent Troti agmen: prætereà qui alteri ex duobus caſtellis præfectus fuerat, de eo more militari ſupplicium ſumit, ſicuti properantiùs deditionem feciſſet, ita Imperatoris ira ignobilium capitum ſupplicio ſedata, cæterùm ad infectæ rei dedecus flagitium additum. Reliquum æſtivorum Caracena id modò operam dedit, uti quàm diutiſſimè in hoſtico agitaret, primùm in Canaveſe, deinde in Bielenſi agro, atque in ipſo Bielâ oppido, unde poſtremò pabulo, atque commeatu deficientibus magis, quàm ullâ noſtrorum operâ decedere, & copias in fines ſuos reducere coactus eſt: quibus in hyberna dimiſſis, idem eſt ab noſtris multâ jam hyeme factum.

Cataloniam provinciam Mercurio decretam ſuprà diximus, quam juſtitiâ potiùs, & æquitate adversùm Hiſpanorum arma, doloſque,

quàm copiis tutatus eſt, nam hæ exiguæ hoc anno fuêre. Cùm bellum civile in Galliâ gereretur, Hiſpanis magna copia erat, & vi, & dolo in Cataloniâ graſſari, popularium ab Rege animos avertere, allicere ad proditionem, dempto ab Gallis metu, eòdemque injecto ab ſe, qui ex propinquo imminerent. His quantùm conſilio provideri poterat Mercurius occurrebat, ingenio in omnes benigno, & comi eſſe, urbanos apud Barcinonem Magiſtratus in conſilium de re publicâ adhibere, iis magnam habere fidem, quæ res incredibile memoratu eſt quàm grata ipſis, jucundaque fuerit, & quàm multos in officio continuerit. Nonnulli tamen commutationem fortunæ factam rati, atque hanc penes Hiſpanos porrò futuram, ab noſtris ad eorum partes deſcivêre, de quâ re inita conſilia, conjurationeſque quotidiè fiebant, quæ anxium, ſolicitumque habebant Mercurium, cùm ſuâpte naturâ mitem, atque clementem, tùm metuentem ut ne ſi de his ſumeret ſupplicium, id univerſæ provinciæ defectionem maturaret: nihilò ſeciùs tamen volentibus omnibus bonis de Arnaldo Moyo ſupplicium ſumptum more majorum, abductique in carcerem Perpinianum ſunt qui huic fuêre conſcii, atque conjurationis participes, prættereà quæſitores inſtituti, qui eâ de re cognoſcerent. 1650.

Principio anni ubique in Hiſpaniâ conſcribebantur copiæ, conquirebantur, atque apparabantur naves, quo magis Mercurius intentus erat, ſicuti bellum in provinciâ terrâ, marique eſſet habiturus. Sed ubi Claſſis omiſſis Cataloniæ portubus, in Italiam tenuit curſum, eò majores Hiſpanorum conatus ſpectare palàm fuit. Reſtabat Mercurio, uti Balaguieræ ultrà Sicorim, Dertoſæ ad Iberum, Miraveſi, atque Flixio ultrà eumdem amnem caveret, nam ab Barcinone procul, ac prope in hoſtico hæc oppida, præter Dertoſam, quæ cis Iberum eſt, poſita ſunt. Apud Balaguieram validum erat præſidium, ſpatiumque ſubveniundi futurum videbatur, ſi hanc hoſtes oppugnare aggrederentur: major de Dertoſâ, Miraveſe, & Flixio erat Mercurio ſolicitudo, quoniam eò commeatus ab Barcinone ſubvehere difficile futurum videbatur, ſi hoſtes qui intercedebant ſaltus, eos occuparent.

Ilerdam ad Sicorim, Tarraconem ad Oceanum penes Hiſpanos ex omni Cataloniâ eſſe ſuprà diximus: Ilerdam versùs Urgellarum planities, versùs Tarraconem campi Tarraconenſes ſunt: intercedunt loca ſaltuoſa, quibus noſtri freti ſatis tutò commeatus Dertoſam, dein Miraveſem, & Flixium deducebant, nam per loca plana hoſtibus opportuni fuiſſent. In hoc rerum ſtatu primùm hoſtes de oppugnandâ Balaguierâ conſilium inierant, atque paratas huic incœpto habebant copias, quod exorta apud Valentianos rebellio diſturbavit, nam eò has ducere pacandæ provinciæ neceſſe fuit. Eâ re brevî ex ſententiâ confectâ, Hiſpani de Dertoſâ, Flixio, atque Miraveſe recipiundis cogitavêre: quod fieri poſſe videbatur, ſi qui ſaltum Tarraconenſes campos inter, & Urgellarum planitiem medium incolunt, eos ad ſuas partes adducere poſſent, quorum operâ auxilia, & commeatus, qui ab noſtris Dertoſam deducerentur, facilè prohiberent.

1650. Ex his quidam promiſſis onerati, tùm etiam præmiis illecti Hiſpanis favebant, perditas res noſtras apud populares prædicando. *Gallus in militum ſtipendium nihil eſſe pecuniæ, eo conſtituiſſe Catalanorum fortunas diripere, u:i bellum in eâ regione alere poſſint; qui ſi has integras, & ſe ſalvos velint, maturè ſibi conſulant, & cum Philippo redeant in gratiam: ſi tergiverſentur ipſis unà cum Gallis pereundum, quos adeò properè deſerere præſtet, atque ſe Hiſpanis adjungere.* His ſermonibus continuò fatigati qui ſaltum incolunt, in eorum qui Hiſpanis favebant, fuère poteſtate.

Ultrà Iberum amnem Cataloniæ regionem eſſe diximus, quam Ampuſtæ Caſtellaniam appellant, hæc ipſo Ibero, Algâ, atque Ceniâ amnibus, prætereà Oceano continetur: quæ ad Algam, & Ceniam loca ſunt Aragoniæ, & Valentiæ finitima, ea dubiæ adversùm nos fidei fuère: quæ autem ad Iberum ea cum cæterâ Cataloniâ ſentiebant, parebantque Ludovico, neque aliter facere per Flixii, Miraveſis, ac Dertoſæ præſidia licuiſſet, ſed eò ſicuti aliò Hiſpani non popularium modò, ſed & Gallorum fidem tentavère. *a* Laurierus erat Miraveſi Præfectus, cui decem nummûm millia, prætereà cum ſtipendio perpetuo turmam equitum polliciti ſunt, quâ Luſitaniæ fines versùm Philippo mereret, ne qua religio adversùm cives hoſtilia faciundi hominem teneret: eâ mercede Miraveſem ſibi ab ipſo tradi poſtulabant. Is conditionem neque accipere, neque abnuere, ſed rem omnem ad *b* Sancolumbum Marinum Flixio Præfectum, hic ad Mercurium defert.

a Du Laurier.

b De ſainte Colombe-Marin.

Mercurius Laurierum hoſtium ſpem de Miraveſe alere jubet, *eo rem arte tractare, atque intereà conſilia eorum quàm maxime manifeſta habere, ut ubi tempus foret, capiundo Miraveſi venientibus inſidias tenderet, atque ſuâ ipſos caperet fraude, id vel maximo in poſterum uſui futurum, ut ne his quidem qui verè proditionem facere poſthàc velint, hoſtes fidem habere audeant, ita Laurieri operam non in præſens modò, ſed & in futurum Regi, ac rei publicæ proceſſuram.* Omnes ejus regionis homines Hiſpani perpulerant, uti ſecum ſentirent, neque quidquam porrò ſibi in Gallis præſidii futurum crederent, atque adeò nihil aliud nudandis quæ inierant conſiliis, quàm opportunitatem expectabant. Ab Cæſaraugustâ, quæ caput Aragoniæ eſt, Franciſcus Tuttavilla, arma, atque alia quibus adversùm nos hoſtilia facere poſſent, affatim miſerat, pollicituſque erat in tempore affuturos qui unà cum his agendæ rei operam darent.

Quibus hoſtium conſiliis Mercurius uti maturè præverteret, Balthaſarem Caſtrorum Præfectum, cum equitum alis quinque in Ampuſtæ Caſtellaniam dimittit, qui tranſmiſſo Ibero, (nam ultrà hunc amnem poſita eſt) apud Moram, & Banizanetum, Flixio, ac Miraveſe haud procul conſedit. Sed Sancolumbus Marinus apud Flixium, Balthazar apud Moram, Laurierus apud Miraveſem inopiâ ſtipendii popularium ſumptibus copias alere coacti ſunt, atque hos adeò ad collationes Sancolumbus, & Laurierus adegère, Balthazar Moram diripuit, atque alii aliò idem fecère: quod quidem Hiſpanorum dictis de omnibus Catalanorum fortunis ab Gallis diripiundis fidem faciebat, cujus rei metus ho-

mines benè, atque liberaliter uſquè ab Ludovico, & Gallis habitos 1650.
tranſverſos agebat: nam pecunia ingens in belli apud Cataloniam ſumptus antehàc curabatur, ita ut popularibus magis quæſtui, quàm oneri uſquè fuiſſet, quod tum deſinere Catalanis ſuprà quàm dici poteſt ægrè erat: neque animum inducebant, ex quibus tanta ad ſe commoda publicè, privatimque pervenerant, ex iis viciſſim quidpiam incommodi tolerandum eſſe, intereà dùm res publica in Galliâ commodiorem in ſtatum reſtitueretur: hanc enim fermè unuſquiſque ſicuti familiari convenit, geſtam vult, quod ubi non fit, continuò ægrè eſt.

Balthazar Roïas Pantojas Ilerdæ Præfectus erat, maximus omnium quæ in Cataloniâ movebantur artifex: is ubi Balthazarem noſtrum ultrà Iberum progreſſum accepit, ibi ſpem rei benè gerendæ nactus ad Burum Marchionem, qui hoſtium equitatui in finibus Aragoniæ præerat, ſcribit, ut equites mille, peditum duo millia, atque quingentos è præſidiis deducat, *Tantum ſufficere ad pellendos qui ultrà Iberum progreſſi ſint Gallos: hos cis amnem ſi regredi cogat, quod facilè factu videatur, ſe cætera uti res poſtulabit, inſtructurum.* Simul ad factionis principes, in omnibus apud ſaltum, quem medium inter Urgellarum planitiem, & Tarraconenſes campos eſſe diximus, oppidis, vicíſque litteras dat, uti populares arma caperent, montes omnes, ſaltuſque obſiderent, *Eo pacto facilè fore Balthazaris equitatum, ubi ſit ingreſſus ſaltum, omnem delere: cominùs agere nihil opus futurum, glandibus ab editioribus locis per inferiora tendentes equites, impeditos viarum anguſtiis, atque aſperitate, nullo negotio cæſum iri. Si is cæſus fuerit equitatus, mille quingentos modò in omni provinciâ reliquos Gallos fore, qui & Hiſpanorum copiis, & omni popularium multitudini longe impares futuri ſint: ſi hæc fecerint magnam ipſis Philippum gratiam debiturum, atque adeò poſthàc in pace Regi ſuo gratiſſimos, atque acceptiſſimos, & hos, & cæteros Catalanos, quo nihil ipſis optabilius eſſe debeat, ætatem acturos. Mortaram ab Mantua Carpetanorum brevì cum magna venturum manu, qui ſi populares æquos habebit, nullum Gallis in Catalonia conſiſtendi locum ſit relicturus. Non eſſe tantam opportunitatem dimittendam, cùm ea Gens ſuæ juxtà, ac alienæ paci adverſa, domi, ſicuti foris bellum agitet, imparibus ad utrumque ſimul opibus, quas potiſſimum ad civile bellum conferat.*

Hæc, atque alia factioſi multitudini ſæpè dicundo, hanc ad arma capiunda, atque editiora, ac ſaltuoſa loca occupanda permovent denique, quam adeò locorum aſperitate munitam adoriri, ac vi ad æquiora cogere arduum videbatur: placuit adeò hujus mollire animos, & factioſorum dicta vana, falſaque, contrariâ oratione refellere. Ei rei Joſephus Margaritus Aquilaris Marchio, de quo antehàc memoravimus, homo & Galliæ, & patriæ juxtà ſtudioſus maximè idoneus viſus, cui videlicet apud populares ſumma fides, ſumma autoritas eſt. Quamobrem Mercurius hunc Pradem, Falſetum, quæ loca in ſaltu poſita ſunt, atque aliò, quò maximè opus eſſe cognoſceret, prætereà ultrà Iberum ire jubet. Is negotium ſuſcipit lubens, tametſi haud ſatis rectè multitudini ſeſe commiſſurum ſatis intelligeret, ſcilicet cui dudum Hiſpani inſidia-

1650. bantur, ſed in eo homine patriæ caritas omnia ſuperabat. Hanc eamdem ſimulabat vehementer quidam Vimbodi Magiſtratus, Baïlum appellant, qui ſe Margarito comitem adhibet Pobletum uſquè, quà ad montes aditur.

Eò ubique multitudinem in armis eſſe Margaritus certior fit, ab quâ ne quid ipſi gravius accideret Vimbodi Baïlus ante iturum ſe, & quinquaginta armatos adducturum ait, qui huic præſidio ſint. Sed priuſquàm Baïlus rediret, Margaritus ingreditur ſaltum, atque adeò quam ille parabat proditionem, eam celeritate vitavit. Nam huic homini conſilium fuerat Margaritum ubi introiret ſaltum, idoneo ad inſidias loco comprehendere, atque hoſtibus tradere, aut ſi id parùm procederet, necare. Sed is Pradem incolumis advenit, oppidanos edocet, *Nihil ab Gallis de eorum fortunis diripiundis initum conſilii, quas contrà, & integras, & ſi qua fieri poſſit auctas velint: quamdiù ad patriam defendendam opus erit ut apud eos agitent, his neque oneri, neque ſumptui futuros, ſed ſicut antehàc ſuis ſumptibus victuros: ſi quid apud Flixium Moram, Miraveſem, aut aliò factum contrà ſit, id magis pro libertate tantiſper tolerandum videri ab Gallis qui hujus vindices ſint, quàm priſtinam ab Hiſpanis ſervitutem: illud non ſponte, ſed neceſſitate adductos feciſſe, quæ brevì deſitura ſit, hanc ab Hiſpanis, ſi potiantur, æternam fore. Cataloniæ Legatos nuper ab Aula rediiſſe, qui retulerint provinciæ res Regi, atque Reginæ matri curæ eſſe, neque commiſſuros uti negligentia ſua peſſum eant. Hiſpanos quòd Catalani ab ſe defecerint, perpetuò infenſos fore, neque ipſis tametſi hujus rei impunitatem, atque alia polliceantur, fidei quidquam habendum, ſicuti Neapolitanorum exempla ſatis oſtendant.*

His, atque hujuſcemodi aliis adducti Pradenſes, & qui eò convenerant è proximis vicis complures ab armis diſcedunt, idem apud Falſetum fit, poſtquàm eò Margaritus advenerat, tametſi factioſi ſemel, atque iterùm ad hunc pellendum multitudinem incitaverint, quæ res hominis prudentiâ diſcuſſa. Ab Falſeto Moram ultrà Iberum, dein Flixium petiit, & cum Balthazare, ac Sancolumbo, quod ad hanc regionem pacandam attineret, collocutus præſentiâ ſuâ, atque autoritate effecit, uti quæ populares adverſùm nos ceperant arma, ea cuncti deponerent. Burus Marchio ſicuti Roïas Ilerdæ Præfectus autor fuerat, ad Bateam venerat, in Ampuſtæ Caſtellaniæ finibus oppidum haud procul Morâ, quò Balthazar cum equitatûs quem eò adduxerat parte agitabat. Sed is ubi hoſtem in propinquo eſſe ſentit, continuò ad Bateam ducit, atque acie inſtructâ ſtetit in conſpectu oppidi, ſi fortè hoſtes mœnibus egredi, & prælium facere vellent. Burus pro oppidi mœnibus ſuos inſtruit, nec longiùs procedendo pugnandi copiam facit. At poſtquàm Margaritus in eam venerat regionem, & hujus hortatu populares ab armis diſceſſerant, præterea Laurierus Miraveſi Præfectus defectionis ſpem omnem hoſtibus præciderat, Burus in Aragoniæ fines copias reduxit, item Margaritus, & Balthazar pacatâ omni ultrà Iberum regione, equitatum cis amnem & ipſi reduxêre.

Dum hæc ad Iberum ex ſententiâ gerebantur, Mercurius ad Sicorim

rim verſùs Aletſium Baronem cum ſuâ equitum alâ dimiſerat. Is in Urgellarum planitie agitabat, cujus & incolas ab Roïâ Ilerdæ Præfecto corruptos, atque ab noſtris partibus alienatos aiebant: præterea in rem publicam erat prohibere, ut ab Ilerdâ ad ſaltum de quo ſuprà memoravimus, atque inde Tarraconem hoſtes commearent. Aletſius equites trans Sicorim excurrere, in hoſtico prædas agere, captivos abducere juſſerat. Sed illi fortè cepêre quemdam, qui litteras Roïæ Mantuam Carpetanorum ferebat: hæ ad Mercurium allatæ indicio fuêre, nondùm factionem in Cataloniâ extinctam, verùm hoſtes ut hæc ſibi quàm maximo uſui eſſet tempus opperiri, & ne fruſtrà erumperet ipſis cautionem eſſe, Granadellæ caſtello potiri velle, quâ noſtri ad Flixium commeatus facilè ſupportabant, præterea loco hoſtibus opportuno, ſi de Flixio (ſicuti futurum videbatur) oppugnando conſilium caperent: cui rei uti præverteret Mercurius, Granadellæ præſidium auget: quæ erant in Tarraconenſibus campis copiæ, eas ad Cerveram duci jubet, iis quæ ad Sicorim ſunt regionibus metuens, quoniam factioſi cum Roïâ Ilerdæ Præfecto potiſſimùm homine impigro, atque multa ſimul movente congruebant: equitatum autem apud Montem-album collocat, haud ita procul ab Tarracone, ſi quid eâ parte Palavicinus huic oppido Præfectus cum factioſis haberet conſilii, ut id conturbaret. 1650.

Intereà Margaritus, & Balthazar ab Ampuſtæ regione redierant, neque minor illius fuit apud populares cis Iberum fides, atque autoritas, ita ut equitibus noſtris quæ ad victum eſſent iter facientibus neceſſaria, ea lubentes præberent. Sed ubi ventum ad montes, ſaltûſque, de quibus ſæpiùs memoravimus, primùm factioſi nihil movère, & noſtris quieta res erat, donec ad viarum anguſta pervenêre. Primùm agmen Balthazar, noviſſimum Margaritus ductabat, ſed utrumque ſimul adorti rebelles ab editioribus quæ obſederant locis, glandes ſclopetis in ſubjectos noſtros misêre: hi tametſi iniquo loco deprehenſi, tamen veterani adversùm agreſtes, ac ſubitarios milites plus virtute valuêre: ducenti quinquaginta omninò erant, qui loco freti rem tantam auſi erant, qui ubi noſtros ad ſeſe venire vident, continuò locorum gnari capeſſunt fugam, cæſi pauci, captus modò unus qui Vimbodi Baïlum iis caput eſſe, atque huic de necando, aut capiundo Margarito conſilium fuiſſe ſicuti ſuprà diximus, indicavit: quod ubi parùm adversùm euntem in Ampuſtæ regionem proceſſerat, redeunti has ſtruxiſſe inſidias, queis tantúmdem profecerit: cæterùm incredibilem hominis ad concitandos adversùm Margaritum populárium animos fraudem eſſe, queis perſuaſerit hunc Ludovico autorem fuiſſe, ut ne quid pecuniæ ad belli ſumptus in Cataloniam mitteret, ſeſe effecturum uti ſumptum omnem populares ſuſtineant, hos eâ re ſuprà quàm dici poſſit exacerbatos, atque Margarito infenſos eſſe.

Mercurius inter hæc Columbæ-fanum venerat, de rebellium, atque unà Roïæ, ac Palavicini conſiliis ſolicitus, incertuſque quâ parte ma-

1650. ximè iis eſſet occurrendum, nam id undequàque facere copiarum paucitas prohibebat: tamen quando Vimbodi Baïlus propiùs Tarraconem erat, ſuſpicatus eâ parte rebelles, hoſteſque potiùs, quàm ab Ilerdâ quidpiam molituros, in campos Tarraconenſes Merinvillam Caſtrorum Præfectum, cum iis quæ eò hyemaverant copiis ire jubet: opportunè id quidem, nam Palavicinus hanc regionem ab copiis noſtris aliò dimiſſis vacuam rebellium præſidio tenere conſtituerat, atque eâ gratiâ Vimbodi Baïlum delectum habere totâ regione, militeſque ſeptingentos conſcribere, ac centuriare juſſerat, atque ut id celeriùs tutiúſque fieret, ad Reum oppidulum, altero ab Tarracone lapide, cum centum & viginti equitibus, peditibus centum proceſſerat, quò & rebelles convenerant. Id ubi Merinvilla reſcivit, tametſi copiæ per horas viginti quatuor iter feciſſent, neque intereà cepiſſent cibum, tamen ad Reum ducit, ſpem nactus & Palavicinum, & rebelles eò deprehendi poſſe, ac maximè Vimbodi Baïlum.

Sed Palavicinus ubi per ſpeculatores factus certior fuerat, adventare cum copiis Merinvillam, de primâ vigiliâ cum ſuis Tarraconem rediit, cujus exemplo plerique è rebellibus diffugêre. At Vimbodi Baïlus, neſcio quo fato, cum aliquibus è grege ſuo eò reſtitit, qui oppreſſi Merinvillæ adventu, & ob proditionem ſupplicii metu perculſi latebras quæſiêre, ab quibus extracti, & ad ſupplicium reſervati ſunt: capti, abductique è Tarraconenſi præſidio quinque, quibus pretio ſui redimendi, quoniam juſti hoſtes erant, copia facta. Merinvilla dum hæc in oppido gerebantur, foris circumquâque coſtodias equitum diſpoſuerat, ne quis dilabi poſſet, ſtudebatque maximè, uti Vimbodi Baïlus vivus in manus veniret, cùm interim ipſe invenitur in Cœnobio quodam oppidi, unde veſte indutus clericali evadere properabat: ſed ab milite Gallo agnitus, ac propè comprehenſus haud quaquàm ſibi defuit, nam impigrè ſtricto gladio militem obtruncat, maturabatque ab eâ cæde fugam facere, ni aſſecuti alii fuiſſent, qui egregiè defendentem ſeſe confodêre denique tali vitæ exitu indigniſſimum proditorem. Ubi mortuo milites ſpolia more ſuo detrahunt, invenêre & Palavicini de habendo delectu, & Hiſpanicæ Aulæ de capiundo, aut necando Margarito, & præthereà de commovendâ in Cataloniâ plebe mandata.

Qui tamen ex eâdem erant factione, ii porrò dedêre operam, uti populares rebellarent, apud Falſetum maximè, quod oppidum eſt ad exitum montium, ſaltûſque, Iberum versùs, muro, atque caſtello ſatis firmum, quod ſi hoſtes tenerent, commeatus noſtros ad Dertoſam, Miraveſem, ac Flixium facilè prohibituri videbantur. Eo plerique oppidanorum ab factioſis corrupti cùm de rebus noſtris fama tum adverſa eſſet, facilè adducti ſunt, uti nobiſcum mutarent fidem. Simulandi tamen gratiâ misêre ad Merinvillam, qui hanc integram porrò fore dicerent: at ex aliâ parte misêre ad Palavicinum Tarraconi Præfectum, oratum uti præſidium, Præfectumque ad ſe, quamprimùm venire juberet. Is quoniam Tarraconenſes campi intercedebant, in quibus Me-

rinvilla cum copiis agitabat, ſuos navibus circumduci, & quò propius 1650.
ad Falſetum iter eſſet appulſos, eò properè duci imperat: trecenti, atque triginta fuêre, queis præerat Gabriel Seſpedes. Is ubi appropinquavit oppido ingreſſurum ſe cum præſidio negavit, ni oppidani conſilio habito hunc recipiundum mœnibus, & ſe, ſuaque ipſi rectè credituros cenſerent, quod ut apud eos majorem iniret gratiam, & in poſterum conſulens, ut ne invitis præſidium, Præfectumque obtruſum dicerent, faciebat.

Conſilium extemplò habetur, atque omnibus propè ſuffragiis Seſpedes cum præſidio acceptus eſt, pauci fidei, & libertatis memores haud ab Gallis deficiundum dixêre, ſed multo plures ad Hiſpanos traxêre rem, quæ multò ante ab rebellibus conſtituta fuerat. Intereà Mercurius ad Montem-album venerat, commeatuſque qui Dertoſam, & Flixium veherentur apparabat. Sed ubi Falſetum in poteſtate hoſtium eſſe nuntiatum, haud ſibi cunctandum arbitratus eſt, quin priùs quàm ad propugnandum omnia neceſſaria comparaſſent, ipſe oppidum oppugnatum ire properaret. Igitur Merinvillam, qui in campis Tarraconenſibus erat, Dertoſam cum quingentis equitibus properè commeatum ducere jubet, atque redeuntem ad Falſetum venire, circùm oppidum collocare ſtationes, & cuſtodias, ut ne quid introduci poſſet, intereà dum ipſe cum cæteris copiis eódem adveniret. Merinvilla celeriter mandata efficit, ac fortè incidit in hoſtium agmen, quod mulis quindecim præſidio erat: hi omnibus quæ Falſetanis ad propugnandum deerant onuſti ad eos deducebantur, quæ ab noſtris fuſo præſidio capta ipſis poſteà uſui fuêre, nam eorum inopia Falſetanos ad deditionem compulit, qui quinto denique die, poſtquam Mercurius circùm oppidum poſuerat caſtra, ac foſſas tribus locis, atque alia opera ad murum promoverat, latas ab eo conditiones accepêre: diruta oppidi, atque caſtelli mœnia ſunt, ut ne eſſet Falſetanis, quo ad rebellionem proni ſeſe ſatis munitos poſthàc fore crederent.

Dum hæc Mercurius gerebat, Mortara in Aragoniâ Hiſpanorum cogebat exercitum, quem Falſetum hunc ducturum aiebant, oppidanis ſubſidio, quo ipſis æquiores conditiones Mercurius tulerat, uti deditionem popularent facere. Sed Mortara poſtquàm Falſetum deditum accepit, continuò Flixium duxit. Oppidum eſt, ſicuti ſuprà diximus, ultrà Iberum amnem, nequaquàm ſatis firmum, atque adeò haud difficulter ab Hiſpanis receptum, poſtquàm noſtri in oppido, ac poſtremò in caſtello egregiè propugnaverant, ſed hæc eorum virtus ceſſante ob copiarum paucitatem Mercurio, fruſtrà fuit denique, ac deditio ab Sancolumbo Præfecto facta eſt: deditum prætereà eſt Mortaræ Miravez oppidum, cæſo priùs qui Præfectus erat Lauriero, viro forti, dum acriter propugnat, ac poſtremò Dertoſa poſt duorum propè menſium obſidionem, quâ noſtri fatigati, atque ad rerum omnium inopiam redacti ſunt. Hæc æſtivorum fine geſta, quibus exactis, Mercurius Sammegrino Proprætore in Cataloniâ relicto, qui præeſſet hybernis,

1650. in Aulam Regis voluntate rediit, re publicâ propter omnium ſine quibus ſuſtentari nequibat, inopiam in Cataloniâ haud ſatis ex ſententiâ geſtâ.

At in Campaniâ poſtquàm Leopoldus diù ad Fimas, & Bazochium ſtativa habuerat, neque ipſi ſatis procedebat quidquam, cùm oppida circumquâque firmiſſimis præſidiis tenerentur, nec faciles procul ab finibus ſuis in hoſtico agitanti commeatus eſſent, ad Axonam amnem verſùs movit caſtra, atque ad Vandium Rhetelio haud procul alia ſtativa habuit: ab his ſtativis Molingenem cum equitibus mille, totidemque peditibus Muſonium versùs dimiſit, qui oppidum circumſedere inciperet. At Pralino-pleſſius movit & ipſe ab Rhemis, atque apud Favergæ-pontem, qui locus ad Suipam amnem eſt, habuit caſtra, metuenſque omnibus ad Moſam oppidis Villequierum, qui apud Laodunum Clavatum erat, Duncherium venire jubet, ut his oppidis præſidio eſſet. Is Cohortes tres, item equitum alas quinque habebat ſecum, quinque alias Pralino-pleſſius quo validior foret, ab Rhemis mittebat, ſed hæ nondùm advenerant, cùm Villequierus ab Laoduno profectus eſt: nam ut hoſtium conſilia, & conatus anteveniret, maturato opus erat.

Ab Aubentone tria millia paſſuum aberat, cùm equitatum ad ſe verſùm tendere conſpicatur: duæ erant hoſtium alæ, altera Ariæ Gonſalis Hiſpani, altera Eſtreïni Baronis Belgæ, præterea turmæ aliæ, cui omni equitatui Gonſales præerat. Hic in Belgium ab Leopoldo miſſus ibat, ut equitatum omnem è Landrecii, Queſnoii, Montium, Avennarum, Cameraci, atque Duaci præſidiis, præterea qui apud Legiam amnem erat equitatum cogeret, atque eo fretus circùm Avennas, & Capellam in Thieracenſi agro haberet caſtra, prohiberetque ut ne eâ parte ſubſidia, aut commeatus ad Moſæ oppida venirent. At hic Gonſales non ex Hiſpanorum ingenio, qui tuta omnia, quàm glorioſa malunt, ubi noſtrorum agmen procedere, & ad Moſam tendere videt, cui rei prohibendæ mittebatur, nihil ſibi cunctandum eſt arbitratus, *fortunam præclari facinoris caſum dare, neque tantam pugnandi opportunitatem dimittendam: ſi noſtri ad Moſam tum pervenirent, fruſtrà tantum equitatum ab ſe poſthàc coactum iri, conandum igitur, tentandamque prælii fortunam:* ſimul calones, atque impedimenta poſt agmen collocat, dein cum quatuor equitum alis procedit.

Villequierus hæc agitantem hoſtem ex editiore loco conſpiciebat, dein ſubitò cum totidem equitum alis huic vadit obviam, unam in ſubſidiis eſſe, atque pedites accerſi jubet: concurritur utrimque, & prælium fit quàm pro numero pugnantium acrius: ex hoſtibus cæduntur complures, alii ſauciantur, inter quos Gonſales ipſe, qui ab noſtris circumventus, cùm omnes, queis dederet ſe, indignos deputat, Villequierum appellat, cui ſe modò deditum voluit: is captivum accipit in fidem, atque conſolatur, impoſitumque rhedæ ſedulò curari jubet, ſed ab vulneribus, quæ in prælio gravia acceperat duobus, poſt paulò interiit. Huic genus in Hiſpaniâ clarum, virtus quantùm ex eo prælio exiſti-

mare licet, haud indigna genere fuit. Eſtreïnus Baro Tribunus, Protribuni duo, Major unus, turmarum Duces Hiſpani ſex, Vicarii Ducum novem, totidem Vexillarii, Quæſtor, ducenti prætereà ex vulgo equitum capti, uno modò vexillo noſtri potiti, cætera in caſtris Leopoldi relicta: ex noſtris *a* Monteclarus è Melitenſi militiâ, Durlano ad Autiam amnem in Picardiâ Præfectus graviter eſt vulneratus, dum adversùm hoſtes acriùs rem gerit, atque ex vulnere poſt paulò interiit: is Caſtrorum Præfectus erat, ad hunc militiæ gradum per virtutem genere ſuo dignam, atque res ab pueritiâ terrâ, marique præclarè geſtas pervenerat: Villequierus fuſis, fugatiſque hoſtibus, tametſi diei veſper erat, adhuc millia paſſuum ſex proceſſit, dein ſecundis caſtris Duncherium pervênit. 1650.

a Le Chevalier de Monteclair.

Hoc oppido ut ne potirentur hoſtes magnoperè cavendum videbatur, nam haud multò infrà Sedanum ad Moſam poſitum eſt. Muſonium ſuprà ſitum jam ab his oppugnabatur, quorum in poteſtate ſi utrumque oppidum foret, ea res ad Sedanum, quod in medio eſt, oppugnandum facultatem datura erat. Sedanum ſicuti memoravimus antehàc Buillonii Turrii fuit, cujus frater Turena in Hiſpanico exercitu erat, certiſque cùm ſuis, tùm hoſtium copiis circùm Muſonium præerat. Poſtquàm Leopoldus cum omni Hiſpanorum exercitu eò conſederat, Pralinopleſſius ad Neovillæ-pontem, qui locus ad Axonam haud procul Meneculphi-fano eſt, movit, atque eò ſtativa habuit. Inde Virodunum cum equitatu contendit, ſi fortè Muſonienſibus ſubveniundi eâ parte copia foret. Virodunum ſuprà Muſonium ad Moſam eſt, ſed intercedit Satenaïum, quod erat in hoſtium poteſtate, atque adeò vix quidquam eâ Muſonienſibus auxilii ſubmitti poterat.

Ab Duncherio quod infrà eſt, Villequierus milites quadringentos eò introducere tentavit: his præfuit *b* Rupifortius Bonna in Salxii cohorte Vice-Tribunus, qui apud Sedanum conſcendit cum eâ manu naviculas, nam earum modò leviſſimarum ſuprà Mezieram amnis patiens eſt: dux itineris, inceptique autor fuit Boda quidam, qui equitum antehàc duxerat turmam. Is nocte profectus quoniam Moſa creverat, omiſſo alveo amnis, quo adverſo navigare difficilius erat, per reſtagnantes extrà ſolitam ripam aquas naves Muſonium uſquè ſeſe ante lucem ducturum confidebat: neque multùm ab oppido aberat, cum dies exorta adventum hoſtibus prodidit: hi tormentis arcere noſtros aggreſſi Rupifortium, ac milites aliquot cecidêre, cæteri ſecundo flumini permittunt naves, ac Sedanum regrediuntur.

b Rochefort de Bonne.

Vigeſimum ſecundum diem Muſonienſes obſidebantur, poſt dies tredecim oppugnari cœpti, nam tantum temporis hoſtes conſtituendis eis, tranſque amnem caſtris, conſumpſerant: novem reliquis diebus oppidum tam acriter oppugnatum, defenſumque, uti multi utrimque interierint. Sed iſthæc jactura major erat in eorum qui oppidum defenſabant paucitate, quâ adductus Moncius turmæ unius equitum dux, unà cum Vaſcone quodam, (Baſcos appellant, quod gentis in Hiſpa-

1650. niæ finibus nomen eſt, miræ ad iter pedibus faciundum velocitatis) conſcenſâ naviculâ oppido exiit, exſcenditque paulò infrà hoſtium caſtra, & omiſſâ naviculâ equum quem advexerat conſcendit, properavitque Duncherium, quò brevius terrâ, quàm amne iter eſt, propter hujus circuitum. Vaſco ſecundo amne Sedanum naviculâ delatus, quo loco apud Muſonium res eſſet, nuntiavit, quod fuerat ab eo factum multoties, neque uſquàm aut amne, aut terrâ offenderat.

Villequierus ab Moncio, admonitus Muſonienſes ſubſidio magnoperè indigere, poſtridie Duncherio proficiſcitur, cum eo equitum, peditumque numero, qui ſatis eſſe viſus eſt: partem eorum haud procul Sedano in ſtatione collocat, quò receptus re factâ, infeſtâve ſuis foret: ab ipſo Sedano trans amnem idoneam manum ad Douſium, quod ad Chierum amnem eſt, paulò ſuprà ambos confluentes amnes, procedere jubet, atque ſimulare eò ſeſe pontem, quem hoſtes interruperant, reficere velle, factoque per noctem grandi ſtrepitu, eò copias eorum avertere, quò cis amnem ſubſidia Muſonium introducere copia foret. Cuncta hæc facta ex ſententiâ, trecentique milites oppidum introiêre, accepti naviculis, quas Maſonius Præfectus ſignificatione ab Villequiero de adventu ſuo factâ paraverat, neque priùs hoſtes ſenſêre, ſcilicet in diverſiſſimam partem intenti, quàm Villequierus confectâ re aliquantùm itineris anteceperat: conati ſunt tamen immiſſo equitatu abſcedentem labefactare, ſed ab ſpeculatoribus edocti pedites, equiteſque Sedanum versùs in ſtatione eſſe, qui Villequiero ſi opus foret ſubſidio eſſent, hunc longiùs perſequi deſiêre.

Apud Muſonium oppidani haud ſegniorem Regi, ac rei publicæ, quàm præſidiarii dabant operam, neque labori ipſæ parcebant mulieres, aggerem portantes humeris, atque alia quæ uſui ad propugnandum eſſent facientes, donec disjectis ad Burgundiæ portam circúmque eam omnibus, quibus defenſores tegebantur, cuniculiſque ſub ipſum murum actis, ut amplior ruina fieret, quæ jam ſatis ſuperque magna erat, Maſonius Præfectus de Rege, atque de re publicâ benè meritis cùm militibus, tùm oppidanis conſulendum eſt arbitratus: quod deditione factum eſt, cujus conditiones honeſtiſſimæ latæ ab hoſtibus ſunt. Ex his tria peditum millia, tantúmdem equitum in eâ obſidione, atque oppugnatione, aut ab ferro, aut ab morbis interiêre, Autumni gravitate affectis hominum corporibus, qui loco paludoſo, atque inſalubri, quoniam Moſa plurimùm creverat, caſtra diutiùs habuerant: nam poſt quadrageſimum modò, quàm obſideri cæperant diem, Muſonienſes deditionem fecêre, quod ſpatium ad firmiſſima oppida capiunda ſatis ſupráque eſt: Muſonium verò ex omnibus quæ in finibus noſtris ſunt, infirmiſſimum ſemper habitum, neque uſpiàm verius id eſſe conſtitit, quod vulgò dicitur, hominum virtute magis quàm mœnium firmitudine oppida defendi. Trina caſtra circùm oppidum hoſtes habuêre, quorum una Gallorum rebellium fuêre, in quibus Turena curabat: *a* Jouſius Magûpratæus ex rebellium erat grege, Muſonio

a De Joyeuſe, Comte de Grandpré.

Præfectus antehàc, cui & tùm ab Hiſpanis præfectus eſt: ſed huic datus Propræfectus Reinclingius, quoniam rectiùs Magnipratæum foris, atque in exercitu futurum cenſebant, Stephanus Gamarra omnem circùm Muſonium in Campaniâ regionem cum imperio obtinere juſſus. 1650.

In hoſtium caſtris fuêre & Lotharingi Faugio Duce, quorum operam Carolus quondam Lotharingiæ Dux Hiſpanis quotannis aliquâ locabat mercede, præthereà hunc prædarum cum ducibus, militibuſque participem eſſe aiunt: cæteras copias queis præeſt Lignevilla, Carolus ſibi ipſi militare per hæc æſtiva voluit, atque has in Lotharingiam dimiſerat. Fertæi Sannectarii diſceſſu vacua erat ab defenſoribus provincia, abductis quibus hanc obtinebat copiis, quæ Pralinopleſſii exercitum augerent, Campaniæ adverſùm Leopoldi conatus tuendæ. Barenſis ager Lotharingiæ confinis eſt, quo & Carolus ab Rege Ludovico XIII. ſpoliatus fuerat. In eo Lignevilla Voïdium, Ligniumque oppida parùm firma cepit, ac Barem caput regionis oppugnabat, cum Fertæus in provinciam rediit.

Is primùm conſtitutis apud Nancium, ac Claromontium rebus, ſubvectoque in ea loca commeatu, ac miſſis undequâque militibus, ad augenda adverſùm hoſtem qui in finibus erat præſidia, ad Sommeillas habuit caſtra, quò nuntiatum eſt Perigalium Bari Præfectum deditionem feciſſe. Reliquum erat uti Lignevillam cum copiis ab Bare diſcedentem, ſi quà fieri poſſet, deprehenderet, quo conſilio longiuſculè caſtra habuit, uti major hoſtibus ab Bare diſcedendi, & quò vellent abeundi fiducia eſſet. Id planè fecêre, quos Fertæus aliquanto circuitu conſecutus, quoniam pontem quà brevius iter futurum fuerat, interruperant, noctu aſſecutus eſt. Tribus vicis haud longè inter ſe poſitis conſederant: in quo Lignevilla poſuerat caſtra, cum oppugnare Fertæus poſtridiè aggreditur. Trecenti Lotharingi in Templo erant, quod imminebat viæ: Lignevilla cum equitum alis quinque, peditum manibus tribus, & tormentis quatuor vico proximum inſederat collem, noſtroſque inſtructâ acie opperiebatur. Fertæus nihil moratus in vico pergit ad collem, & quanquam locus ſubeuntibus noſtris iniquus fore videbatur, tamen virtuti nihil arduum ratus, hos adverſo colle evadere jubet.

In primâ acie Galli equites fuêre, queis præfectus fuit *a* Maipaſius: *a* De Maipas.
in dextro cornu *b* Linvilla: in ſiniſtro *c* Villarſius, ambo caſtrorum Præ- *b* De Linville.
fecti: Flekenſteinus cum Germanis equitibus in ſubſidiis fuit, pedites *c* De Villars.
adverſùm Templum quod hoſtes in vico tenebant collocati: ſimul & ad Templum, & ad collem pugnatum eſt, utrobique hoſtes fuſi, fugatique: Equitum Tribuni tres, Protribunus unus, Procenturiones octo, è vulgo equitum, peditumque quadringenti capti, cæſi ſexcenti, tormentis quæ ſuprà diximus quatuor, vexillis duobus, atque omnibus impedimentis noſtri potiti: Lignevilla cum paucis equitibus Michaëliſfanum profûgit, eódem ex fugâ trecenti equites, pediteſque aliquot,

1650. qui ſylvarum noctiſque præſidio tecti evaſerant, advenêre: poſtridiè longiùs abiêre, Tullum, dein Lingonas versùs, ubique ab vicinis præſidiis, ſicuti fermè victis accedere ſolet, malè habiti. Ab eâ pugnâ Fertæus Lignium ducit, quod ſtatim deditum eſt: arci tormenta admovere neceſſe fuit, cui rei ubi incautiùs operam dat, glande graviter eſt ictus, quo vulnere impeditus Linvillam, & Villarſium caſtrorum Præfectos alternis oppugnationi præeſſe juſſit, quibus Lotharingi vitam modò pacti arcem dedidêre. Qui apud Voïdium fuêre, ii ſe, ſuaque Flekenſteino oppugnanti permittere coacti ſunt, quoniam loco infirmo tormentorum verberationem opperti fuerant.

Regem, atque Reginam matrem Fontembellaqueum adveniſſe ſuprà diximus: ſed poſt paulò ad Urbem iêre, quò ſummâ civium, ut ferè fit, lætitiâ accepti ſunt. Mazarinum ut ne Aula ad Urbem rediret, ſenſiſſe ferunt, providentem illam fore in factioſorum poteſtate, quos pridem ut id fieret, omni ope niti diximus, Gaſto ipſe horum hortatu Reginam de reditu fatigaverat, prætereà Rohana Mombaſona ex ſententiâ Gondii: ſed priſtino more magis hyemandi ad Urbem, quàm aliis de cauſis Regina adducta eſt, ut eò rediret, parùm de factioſorum conſiliis ſolicita, quæ vana, & inania fore ſperabat, quamdiù Condæus in cuſtodiâ eſſet, quem apud Gratiæ-portum ita credebat eſſe in tuto, ut hinc injuſſu ſuo educi non poſſet. Ubi primùm Aula ad Urbem advenit, atque Rohanæ cum Mazarino colloquendi copia fuit, hunc quid ſibi de Gondio pollicitus eſſet, id ut effectum redderet, ſeriò admonuit: ſed is primùm nectere moras, dictitare in re tantâ ſpatium opus eſſe, nihil eâdem de re urgenti Lecæ ex ſententiâ reſpondere, objicere multa, conditiones quæ accipi nequirent ferre, atque inter hæc quid ſibi ſententiæ eſſet ſatis oſtendere.

Poſt paulò Rohana, & Leca uſquè adeò hominem de Gondio fatigavêre, uti nudare conſilia ſua coactus fuerit, cujus tanta in ſe, atque in rem publicam malè facta eſſent, eum ſe nequaquam Cardinalem creari velle. Id ubi Gondio eſt nuntiatum, neque quidquam ampliùs erat, quod animum jamdiù Mazarino infenſum ab priſtino odio exercendo retineret, ibi verò quæ de Condæo antehàc decreverat, ad ea patranda ſibi & apud Gaſtonem, & apud Senatum dandam omnem operam conſtituit. Sed cùm ipſe, atque Rohana Mombaſona Gaſtoni autores fuiſſent, uti de Condæo in carcerem conjiciundo Reginæ, atque Mazarino aſſentiretur, pudebat nunc contrà ſuadere, ut hunc cuſtodiâ emiſſum vellet, quamobrem non per ſe primùm, ſed per alium hujus rei mentionem Gaſtoni injiciundam exiſtimavêre.

Intereà amicos, & clientes Condæi quid ſibi eâ de re ſententiæ eſſet, certiores facit: nam Arnaldus Corbevilla noctu ad eum ventitabat, & quid actum cum eo eſſet, mox ad Violam referebat. Is ex Senatu Condæi clientium tùm princeps fuit, in unâ ſicuti antehàc diximus Inquiſitionum Claſſe Præſes: priùſquam tamen eam rem omninò Gondius aggrederetur, ſibi ab Condæo non modò de oblivione injuriæ, quam

huic

huic ut in carcerem conjiceretur, ſuæ tùm, ac Mazarini lubidini ſerviundo, fecerat, ſed & de ornamentis ſuis, cautum voluit. Quod ubi ex ſententiâ factum, Rohanam Mombaſonam, ab Mazarini amicitiâ per Lecam abducere conatus eſt, id primùm difficile fuit, quoniam omnia de Condæo ſatis incerta videbantur, & cum Aulâ ſtare Rohanæ haud ſine quæſtu erat, non ita pridem ingenti ſummâ donatæ, eo pudorem, religionemque ſimulabat, ſi cum Mazarino fidem ſine causâ mutaret, quam tamen uti quæreret, hunc ſe de Gondii Cardinalatu fatigaturam denuò pollicebatur, ac ſi denegare pertenderet, non injuſtam hanc ab amicitiâ diſcedendi cauſam fore. 1650.

Inter hæc Gondius ab Condæi clientibus exemplum accipit Tabularum fœderis, quas ab Mazarino huic datas aiebant, menſes duos antequàm in carcerem conjiceretur, quâ tempeſtate lites inter ambos erant maximæ, quibus componendis id fœdus factum fuiſſet, cujus hæ conditiones fuêre. Mazarinum fidem Condæo dare, nihil ſibi, aut ſororis filio Mancino, quem in magnæ fortunæ ſpem apud Aulam educabat, Condæi injuſſu expetiturum. Sororum filias tres, quæ & in Aulâ erant, quibus modò Condæo placeret, nuptum daturum. Uti Sacerdotia, poteſtates, & imperia quibus ipſe vellet ab Rege darentur effecturum. Nihil omnino ſe niſi Condæi voluntate facturum, aut moliturum. Hujus Fœderis Tabulas poſtquàm Condæus in carcerem conjectus fuerat, Genevam miſſas, ut intereà in tuto eſſent, Condæi amici dicebant: quarum exemplo fretus Gondius Lecam qui id Gaſtoni oſtenderet allegat. Fortè is ubi primùm Lecam vidit, huic in aurem dixit factionem virorum Principum in Senatu augeri, cavendumque magnoperè, ut ne quid novarum rerum moliatur: Leca nihil ſe quod de eo negotio palàm reſpondeat, habere ait, verùm peropus eſſe, uti cum eo ſecretò colloquatur.

Cum Gaſtone erat Belfortius, quo dimiſſo ſeducit Lecam in proximam porticum: eò cùm veniſſent Leca Gaſtonem rogat, ut hujus voluntate ſibi quædam ab eo ſciſcitari liceat: factâ poteſtate quærit, numnam ſæpiùs in Aulâ ipſi minitentur Condæum ſeſe cuſtodiâ emiſſuros? verumne ſit Mazarinum in pleriſque quibus obſtaret negotiis ipſi dixiſſe Condæum in his Reginæ morem geſturum fuiſſe, quem denique liberare cogeretur? Annuente Gaſtone proſequitur, *Hanccine Mazarini inſolentiam æquo animo ferre tibi conſilum eſt? me certè Principibus viris ſtudere nemo omnium dicere auſit: ſed peſſima omnis in re publicâ gerendâ Mazarini ratio, atque ſingillatim ea quâ in te tali dignitate virum utitur impudentia, omnes bonos commovet, atque commonet, ut hanc non eſſe diutiùs tolerandam tibi dicendum putent:* dein Fœderis Mazarinum inter, & Condæum icti exemplum Gaſtoni porrigit, quo perlecto hic obſtupuit. Magna tamen vis boni, quæ in Gaſtone eſt, hunc ab perdundo Mazarino retinebat, quod id ſine rei publicæ periculo fieri non poſſe arbitrabatur: poſtremò urgenti ut id faceret Lecæ reſpondet, nihil ſe in tanto negotio niſi ex amicorum ſententiâ facturum, qui ſi id ſibi autores fuerint, tum fore uti rem aggrediatur.

1650. Ab hoc colloquio Leca ad Gondium redit, legationem renuntiat cujus ſucceſſu hic lætiſſimus unà cum Lecâ ad Rohanam Mombaſonam properat, rem huic enarrat ordine, urgentque ambo, uti denique ab Mazarini amicitiâ planè diſcedat, Condæi negotium apud Gaſtonem ſuſcipiat, in utriuſque ubi conjuncti fuerint, benevolentiâ majorem, ac certiorem ipſi, quàm in Mazarini amicitiâ ſpem fore. Rohana primùm hærere, neque quid ſibi faciundum eſſet ſatis expedire, nam incerta pro certis captare haud ſatis placebat, lubido pro Gondio, quæſtus pro Mazarino ſuadebat: poſtremò animus ſuâpte naturâ inquies, ac varia movere ſolitus facilè quò Gondius volebat adductus: unicuique quid provinciæ foret, conſtituunt: Rohana Mombaſona Gaſtonem, & Caſtronovanum Procancellarium uti Principes viros emiſſos cuſtodiâ velint, ſe effecturam recipit: Gondius cum horum clientibus ageret, & quid in unius cujuſque rem foret, de eo ab his, atque ab ipſis viris Principibus fidem acciperet: horum, atque ſuos in Senatu amicos confirmaret, ipſe, atque Rohana frequentes apud Gaſtonem eſſent, huic quod res monebat ambo ſedulò, ac continuò dicerent, qui eadem dictitarent, quàm plurimos allegarent: hæc celarent Belfortium, itidem ut ipſe quæ cum Principibus viris egerat, ea ipſos celatos voluiſſet: nam ab *a* Avaucuriâ perſuaſus cum Condæi clientibus nuper clàm fœdus fecerat.

a La Duchesſe de Mombaſon.

Intereà multi apud Gaſtonem de Mazarino multa ſecùs dicere, injicere ſuſpicionem huic conſilium eſſe Principes viros emittere cuſtodiâ, aut ipſius injuſſu, aut ita ut ſibi uni tanti beneficii gratiam debeant, atque his fretus Gaſtonis potentiam imminuat. *Eo Gratiæ-portum abductos, uſquè dùm hujus rei patrandæ tempus opportunum ſit: anteeundum hominis conſilus, atque huic conturbandas rationes, qui ſimultates Gaſtonem inter, & Condæum alendo, & ſuis ipſos viribus atterendo, utroque potior uſque fuerit. Id adeò in promptu eſſe, ſi Gaſtonis operâ carcere Condæus emittatur, qui tanto illius beneficio devinctus omnia Gaſtoni poſthàc ſit obſecuturus: eſſe utrique liberos, per quorum connubia perpetuam inter ſe amicitiam, & gratiam confirment: eâ causâ Gaſtonem cum Senatu congruere opus eſſe, quo fretum facilè Principes viros cuſtodia educturum.*

Hæc, atque hujuſcemodi alia Gaſto ſæpiùs audiendo victus eſt, jamque angebant hominem quædam ab Mazarino temerè dicta, factaque: ſcilicet quod cum Buillonio, ac Rupifocaldo unà cum Brezæâ Condæi uxore Burdigalâ abeuntibus eſſet collocutus, id de Principibus viris emittendis cuſtodiâ factum haud falsò exiſtimans: præterea quod *b* Vardio Dubeco, qui Gaſtoni cliens erat, petenti uti Præfectus Durlano in Monteclari nuper demortui locum eſſet, reſponderat, non aliâ causâ Condæum, & Longavillam in carcerem conjectos, quàm quod arces, atque oppida munita quibus Præfecti forent, affectaverant, quæ res Gaſtoni magis ad ſe, quàm ad Vardium pertinere viſa.

b Du Bec, Marquis de Vardes.

Poſteà loci apud Annam Gonzagam *c* Palatini viri Principis uxorem Condæi clientes, & apud Avaucuriam Gondius, & Belfortius, cum

c La Princeſſe Palatine.

aliis qui Principes viros cuſtodiâ emiſſos volebant, ſæpiùs convenêre, nam Condæi clientes facilè pervicerant, ut ambo de ejus rebus in commune conſultarent, tametſi Belfortius occupaverat cum eo fœdus facere. Inter omnes hæc inita ratio eſt, uti rem in Senatu inciperent, atque eò ubi opus foret, Gaſto veniret. Sed in Senatu res erat agenda ex diſciplinâ hujus Ordinis, quod eſt ab Brezæâ Condæi uxore, & ab Annâ Mariâ Longavillâ virgine Longavillæ filiâ factum: nam ſingulæ libello ab Senatu poſtulavêre, illa ut in virum, hæc ut in patrem jure ageretur, ex formulâ quam Rex anno CIↃ. IↃC. XLVIII. edixerat, eo ad Urbem deducerentur, cuſtodirenturque ab his quibus Senatui videretur, ſeu in arce Luparæ, ſeu aliò. Longavilla virgo præterea poſtulabat uti ſibi ad Urbem tutò commorari liceret, intereà dùm Senatus de Patris causâ cognoſceret, ut huic tali ſuo tempore debitam ab filiâ pietatem præſtaret. Libellus Condææ traditus Petro a Pagano Deſlandio eſt, de quo ad Senatum referret, quod cùm Paganus facere vellet, Molæus primarius Præſes ſatis gnarus ægrè Aulæ futurum, ſi Senatus rem tantam Regis, aut Annæ Reginæ matris injuſſu aggrederetur, hanc diſturbare nitebatur, atque efficere, ut ne libellus recitaretur: at Juvenes ex Inquiſitionum Claſſibus ſtrepere ſuo more, tumultuari, uſquè adeò donec perpulêre uti libellum cum Cognitore regio communicatum Molæus vellet, de quo proximâ Mercurii die ad Senatum referretur.

a Des Landes Payen.

Mazarinus ab Urbe aberat, in Campaniam profectus, uti Rhetelium reciperet: nam ſi eò hyemarent hoſtes, magnum provinciæ damnum allaturi videbantur, in quâ excurſiones facere, & prædas pro lubidine agere, quin & haud procul Urbe quandóque vagari copia foret, eo de hac benè mereri hoſtem abigendo ſtudebat, quod & ſibi gloriæ, & adversùm inimicos munimento fore ſperabat. Igitur hujus ſpei plenus maturabat iter pergere, atque ubi Catalaunum advenit, eódem copias quæ per hæc æſtiva in Campaniâ fuerant, & quæ ab Aquitaniâ redierant, cogit, cæteraque oppugnando Rethelio idonea parat, quod mox ab Pralino-pleſſio E. T. acriter eſt oppugnatum.

Nihil intereà ceſſatum in Senatu, nam quæ dicta dies erat, eâ die frequens convênit, aderant ex compoſito Belfortius, Gondius, atque alii ex factione. Ibi Talonus alter ex Actoribus regiis pro Cognitore regio verba faciens, *Negat tempus quod finitum lege ſit, de interrogandis iis qui in carcerem conjecti ſint, & quod ea de re ante biennium Rex edixerit, quidquam ad Principes viros attinere, quos de conſiliis adversùm rem publicam initis comprehenſos, atque in cuſtodiam miſſos ad Senatum ſcripſerit. Cætera maleficia tùm modò perſequare, ubi facta ſunt: quæ verò perdundæ rei publicæ quis moliatur, ea ut ne fiant providendum, quod vix rectiùs fieri poſſit, quàm horum autores in cuſtodia habendo, qua ubi educi re publica ſalva viri Principes poſſint, unius Reginæ judicium eſſe, neque id præter hanc quemquam dijudicare poſſe. Quamobrem Brezææ libellum ad Reginam mittendum videri, atque huic ſupplicandum, uti quidquid è republica, & ex fide ſua, quo*

1650. *viri Principes cuſtodiâ emittantur, fieri poſſe judicaverit, id pro clementia ſua, atque benignitate factum velit. Poſtremò ſi Brezææ cauſa ex juris formula agenda ſit, omninò libellum ejus rejiciundum, ſicuti videlicet abſque viri cujus in manu ſit, autoritate factum, aut hujuſce rei huic, quoniam vir non poſſit, ab Senatu poteſtatem faciundam:* dein Hieronymus Criſpinus de libello Longavillæ virginis ad Senatum refert.

a La Roche. Opportunè tùm ad Curiæ fores advênit *a* Rupæus Dux Condæi cuſtodum corporis, adferens ab eo, Contio, & Longavillâ litteras Condæi ipſius manu ſcriptas, quas uti Senatui redderet, introduci poſtulabat. De eo rogatus ſententiam Paganus Deſlandius introducendum cenſuit: at Memmius Præſes redegit ad memoriam Patribus, cuidam haud ita pridem ab Rege ipſo cum litteris miſſo idem negatum, Molæus adulterinas fortè eſſe has litteras ait, quas Cognitori, atque Actoribus regiis priùs reddi opus ſit, de quibus Senatum faciant certiorem, complures litteras per noviſſimum tumultum, quæ aut Leopoldi, aut Curiæ Burdigalenſis eſſe dicerentur, confictas in Urbe fuiſſe, atque Senatum ludibrio habitum.

Ibi Juniores ex Inquiſitionum Claſſibus exclamare introducendum Rupæum, ac recitandas extemplò litteras: complures dictitare Cognitori, atque Actoribus regiis per noviſſimum tumultum redditas fuiſſe litteras, quas Patres celaverint: pervicit tamen Molæus uti tradendas Cognitori, atque Actoribus regiis decerneretur: ſed ubi accipiundis adfuêre, ibi verò Rupæus ſe negavit has cuiquam, niſi ipſi Senatui redditurum, edoctus ſcilicet ab factioſis, quibus res Condæi curæ erant: poſtremò de virorum Principum litteris viſum, ut has Rupæus uni ex Accenſis qui ad fores Curiæ eſſe ſolent, traderet Patribus reddendas. Hæ continuò in Senatu recitatæ: ſed de his, & de Longavillæ virginis libello cùm adveniſſet hora, quâ Senatus dimitti conſuevit, non eſt eâ die deliberatum. Cùm verò poſt biduum id facere Patres pararent, Regis litteris inhibiti ſunt, quibus in Regiam accerſebantur, non univerſi, ſed pauci ex Claſſibus, quoniam Regina morbo implicita, vel levis ſtrepitûs vix patiens eſſet.

Eò cùm veniſſent, atque Regina pauca modò cùm more regio, tùm ob morbum eſſet præfata, Caſtronovanus Procancellarius Regis, & Reginæ verbis, *Placere utrique* ait, *uti Senatus frequens haberi deſineret, atque de virorum Principum negotio agere, de quo ſibi conſultis iis quos in conſilium adhibere ſoleant, ac maximè Gaſtone opus eſſe: id per morbum quo Regina laboret tùm non licere, ſed brevì ubi meliuſcule habuerit, factum iri.*

Poſtridiè quàm ad Reginam itum eſt, ubi hujus mandata Patres cognovêre, Juniores ex Inquiſitionum Claſſibus clamitare, *De induſtria Senatûs deliberationibus adferri moram, ad eam de qua agatur rem Reginæ morbum nihil attinere, cujus ſicuti par ſit ſalutem Senatui curæ eſſe: ſecundùm hanc verò nihil virorum Principum, qui è regio ſanguine ſint, ſalute Patribus carius eſſe debere: hanc cælo gravi, atque inſalubritate loci quo abducti ſint, in dubio eſſe: eo mature opus conſulto, ut iis ſubveniatur:* pervicêre tamen majores

natu, uti poſt diem quintum modò de eo negotio ageretur. Ubi ea dies advênit, redditæ ſunt Senatui ab Rege litteræ, quibus de virorum Principum negotio hunc frequentem haberi denuò vetabat, dicebatque ſe brevî huic operam daturum: ſed his poſthabitis poſtquàm Cognitor, atque Actores regii de Brezææ, & Longavillæ virginis libellis, ſimul & de virorum Principum litteris eadem quæ ſuprà cenſuerant, ſententiæ rogari cœptæ, quam princeps dixit Paganus, quia de Brezææ libello ad Senatum retulerat, atque ab eo initium hujus in Senatu agendæ rei factum fuerat. 1650.

Is de præſenti rei publicæ ſtatu Reginam cenſuit edocendam: intereà Condæus, Contius, & Longavilla in Luparæ deducerentur arcem, ac cæteræ Curiæ rogarentur ab Senatu, ut huic ſe rei publicæ causâ conjunctas vellent, in hanc ſententiam tres alii diſceſsêre. Joannes *a* Naïnus rem magnam dixit agi, atque adeò dignam, quæ coram Gaſtone conſultetur, eò hunc rogandum cenſere, ut in Senatum venire velit: datum continuò negotium *b* Doujato, ac Menardello ut ad Gaſtonem eâ de re adirent, quæ adeò dilata eſt in craſtinum. At Regina ubi id nuntiatum eſt, ſuccenſere Patribus, horum audaciam apud Gaſtonem accuſare graviùs, dein ad lacrymas, & preces delapſa obſecrare, atque obteſtari, uti ſe negaret in Senatum iturum, quod quidem tùm impetravit.

a Le Nain.

b Doujat. Menardeau.

Dùm hæc ad Urbem agebantur, intereà loci apud Vitrium in Partenſi agro Pralino-pleſſius coëgerat copias, Villequierum, & Hoquincurium eòdem accerſiverat, qui certis ipſi copiis per hæc æſtiva præfuerant: prætereà ab Lotharingiâ miſſæ aliæ Deſiderii-fanum venerant, Villequierus, Hoquincurius, & *c* Manicampus Legati Pralino-pleſſio in eo exercitu fuêre: Valon, *d* Bugius, Linvilla, & Aluimarius Caſtrorum Præfecti. Pralino-pleſſius incœptum ſuum hoſtibus occultare ſtudebat, atque adeò propius Barem, quàm Rethelium, quod utrumque oppidum in eorum erat poteſtate, exercitum cogebat, commeatum, atque alia quæ uſui forent parabat. Fine æſtivorum Leopoldus Fuenſaldanio, dein hic poſt paulò Turenæ exercitum permiſerat, quem in finibus noſtris hujus operâ hyematurum confidebant: nam id ſe facturum receperat Rethelio, Portiani-Caſtello, atque aliis Moſam inter, & Veſlam amnes locis fretus, quibus eâ tempeſtate pellere hoſtem operæpretium noſtris erat.

c De Manicamp.

d Le Marquis de Bougy.

Id uti prohiberet Turena, nec abſque certamine factum iri Pralino-pleſſio oſtentaret, ab Lucemburgenſi qui ultrà Moſam eſt agro, ad Falconis qui cis amnem eſt montem movit, apud Dunum pontibus factis duobus. Id eâ gratiâ faciebat, uti Pralino-pleſſium eò advocaret, dein ubi appropinquaſſet, reducto ultrà Moſam exercitu ludificaretur, atque adeò hic quod reliquum erat idoneæ ad incœptum tempeſtatis præteriret. At Pralino-pleſſius hujus Turenæ conſilii ſatis gnarus, & quas tùm habebat copias earum paucitatem aſpernatus eo ſibi properantiùs agendum ſtatuit, dùm hæ ad ſuppetias Rhetelio ferendas vix ſatis pares videbantur. Igitur eò Villequierum, atque Hocquincurium

1650. Legatos præmittit, hunc ut improviſò ad Tugnii pontem qui ad Axonam ſuprà Rhetelium eſt, adveniat, ſedulò monet, rem in celeritate poſitam, ut ne hunc priùs hoſtes reſcindant, quod quidem magnam ad reficiundum adferret moram.

At is pontem interrumpere conantibus intervenit, quibus celeriter pulſis, eâ nocte ultrà amnem haud procul oppido habuit caſtra. Villequierus poſtridiè Hocquincurium ſecutus, unà cum eo ultrà Axonam oppidum circumſedit. Pralino-pleſſius, atque unà Manicampus Legatus, cum cæteris copiis ad ſiniſtram habuêre iter, & rectà ad Rhetelium iêre. Cis Axonam ſuburbium eſt, in quo hoſtes paulùm noſtros morati poſtremò in oppidum conceſsêre, tantaque in his inſequendis celeritas eſt ab noſtris adhibita, uti qui pons intercedit, eum reſcindere copia non fuerit. In eo conſervando omnis rei patrandæ ratio conſiſtere videbatur: nam ſi interruptus foret, quo pacto refici poſſet, prohibente ex alterâ ripâ hoſte, nemo ſatis capiebat: cæterùm amne ſuperato portam, ac mœnia quæ ex adverſo ſita erant, infirma eſſe Manicampus aſſerebat, oppidi eâ parte oppugnandi Pralino-pleſſio autor.

Ille igitur ad caput pontis tranſverſam inſtituit munitionem, quâ tecti milites glandibus ut ne pontem reſcinderet, prohiberent hoſtem: tormentum prætereà adduci jubet, quo & pontem tutaretur, portamque, ac turrim in quâ poſita erat quateret: illa properè effracta, ruinaque eâ die in turri edita eſt: quæ ſubſecuta eſt nox, ea reficiundo ponti conſumpta, qui etſi non interruptus, tamen haud mediocriter ab hoſtibus labefactatus fuerat. Poſtridiè *a* Guadanius qui ad munitionem cum Legione quam maris appellant in ſtatione erat, per pontem ad portam irrumpit, quâ potitus aliquandiù eſt, ſed coactus denique ab omni hoſtium præſidio inde diſcedere. Hæc tamen tanta noſtrorum audacia uſquè adeò perterrefecit hoſtem, uti *b* Lipontius oppido Præfectus diffidens ſeſe eorum impetum ſuſtinere iterùm poſſe, deditionis conditiones confeſtim tulerit, quibus hæc poſt aliquot fieret dies, ſi intereà ab Turenâ quem de oppidi ſtatu certiorem faceret, nihil auxilii adveniret. Quod cùm eſſet ab Pralino-pleſſio negatum, convênit denique, uti poſtridiè cum præſidio abſcederet, cæteræ conditiones Lipontio honeſtæ fuêre, neque in eo tergiverſandum Pralino-pleſſio viſum, quia de Turenæ adventu audiebatur.

a Le Marquis Gadagne.

b Li Ponti.

Sed is ubi deditum ab Lipontio Rhetelium accepit, retrò convertit agmen, dabatque operam, ut ne prælium facere cogeretur. Editis eâ gratiâ, munitiſque naturâ locis & ducebat agmen, & habebat caſtra. At Pralino-pleſſius recepto Rhetelio æquioribus locis hoſtem ſequebatur, monitus ab Mazarino cum illò eſſe pugnandum, qui aliter hybernis in Galliâ habendis prohiberi non poſſet. Ita quamvis unius propè diei intervallo hoſtes abeſſent, ubi Pralino-pleſſius Rhetelio moverat, hos tamen poſt biduum eſt aſſecutus, cùm aliquantum noctis itineri faciundo conſumpſiſſet. Dein propè æquo gradu Turena per colles, Pralino-pleſſius per ſubjectos campos progreſſus: ſed hic uti viâ faciliori, ita

celeriùs aliquanto pergebat iter facere, paratus, intentuſque adoriri hoſtem, ubi in planitiem deſcenderet. 1650.

Eo conſilio agmen itineri, & prælio jam ante inſtructum pauliſper conſtituit. In dextro cornu equitum alæ quindecim fuêre, certis de more intervallis conſtitutæ, eò Villequierus, ac Manicampus Legati, præterea Pralino-pleſſii filius Caſtrorum Præfectus curabant. In ſubſidiis fuêre Germani equites, queis Flekenſteinus Caſtrorum Præfectus praeerat in octo alas diſtributi. In ſiniſtro cornu equitum alæ decem, eò Hocquincurius, & Rloſa Germanus Legati, *a* Navaillius, ac *b* Sangeneſius frater, & *c* Corvalius Caſtrorum Præfecti curabant. In ſubſidiis equitum alæ novem, quibus *d* Coſſæus Caſtrorum Præfectus præfuit. *e* In mediâ acie pedites fuêre, ſex in fronte cohortes quibus Valon, & Pradella Caſtrorum Præfecti præeſſe juſſi, dein aliquo intervallo quinque collocatæ in ſubſidiis, prætereà equitum turmæ quatuor, quarum una gravioris armaturæ fuit. In utroque cornu quoniam hoſtes equitum numero præſtabant, ſclopetarii equitibus admixti quingenti: Pralino-pleſſius inter cornu dextrum, & mediam aciem ſibi delegit locum, utrique ſicuti res moneret conſulturus. Ponè mediam aciem *f* Linvilla fuit Caſtrorum Præfectus, cum duabus Montaterii, & Corvallii cohortibus, Nigromonaſterii, & Fertæi, ac Maipaſii equitum alis, ultimum laborantibus, ſi ita fors ferret, noſtris ſubſidium.

a Le Comte de Navaille.
b Le Marquis de S. Geniez.
c Le Vicomte de Counval.
d Le Comte de Coſſé. Vallon.
e De Pradelle.
f De Linville. De Montatére.

Ita inſtructâ acie, Pralino-pleſſius ipſe cum equitibus aliquot, an vallis quæ inter utramque jacebat aciem, ſatis prælio faciundo commoda eſſet, exploratum iit, cui Turena colle deſcendens, quâ de causâ incertum, quoniam is ipſi locus firmiſſimus erat, obviam venit: proceſſêre & noſtri Imperatoris juſſu: ſimul ab ſiniſtro cornu Hocquincurius homo impiger adoritur hoſtem acriter, pellitque equites Hiſpanos, qui ſeu metu, ſeu de induſtriâ loco ceſsêre: continuò monitus eſt Hocquincurius ab Guayo aciem inſtruere ſolito, quem in editiorem quemdam locum ab lævâ miſerat, quinque equitum alas in valle proximâ, haud procul ab eâ viâ, quâ equites Hiſpani fugam intenderant, in inſidiis latere. Eò continuò ipſe cum duabus equitum alis properat: hoſtes ne primum quidem hominis impetum ſuſtinuêre, ſed primo congreſſu fuſi, fugatique: dein ad dextram rediit, quò Hiſpani equites è primâ ſeſe colligebant fugâ colle freti, atque ordines reſtituere conabantur, eos Hocquincurius vix dùm inſtructos oppreſſit. Sed alii Germanis equitibus noſtris, quibus præerat Roſa, hoſtes imminebant, majori numero, quàm ut ab illis ſuſtineri poſſent, ni ſubſidio veniſſet Coſſæus, cum duabus equitum alis, quæ unà cum Germanis hoſtes fudêre, atque fugavêre, ita ut nulli eâ parte reliqui eſſent.

In cornu dextro longè diverſa noſtrorum fortuna erat, quoniam Turena cum hoſtium cornu ſiniſtro, in quo rebelles Galli fuêre, noſtros urgebat: virtus utriſque par, fortuna noſtris primùm iniquior fuit. Igitur propiores facti inter ſe, ut equorum capitibus arietarent, tamen brevioribus ſclopetis glandes emittere ſuperſedebant, nam rati qui poſte-

1650. riùs id facerent, id ipſis magno uſui futurum : quamobrem minantes invicem id ut hoſtis prior faceret hunc adducere conabantur : factum denique priùs eſt ab hoſtibus, ex quo *a* Auguſtus Choiſeulius Pralino-pleſſius Comes qui inter primos ordines verſabatur, glande ictus occubuit: quæ res tametſi in Caſtrorum Præfecto, atque Imperatoris filio periculum cæteris, metumque oſtentabat, nihilo tamen eſt ſegniùs ab omnibus dimicatum. Sed quò Pralino-pleſſius pater in acie delegerat locum, eò major impetus, conatuſque hoſtium fuit, atque adeò noſtri poſtquàm diû, multúmque pugnaverant, loco ceſsêre, victi numero, quoniam qui ex hoſtibus in ſubſidiis fuerant, ii ubi æquo marte ſuos cum noſtris decertare vident, ac metuunt ut ne pellantur, ipſis auxilio venerant: noſtris autem non eadem auxilii copia fuit, ceſſante, incertum quâ de causâ, Flekenſteïno, ac Germanis equitibus, quos in dextro cornu ſubſidiarios eſſe diximus.

a Auguſte de Choiſeuil, Comte du Pleſſis-Praſlin.

Sed in eo tam aſpero negotio Pralino-pleſſius haud quaquàm territus, nam in hoc homine mira eſt animi tranquillitas, firmitudoque, gravioris armaturæ turmam, treſque alias levioris armaturæ, quæ ponè mediam peditum aciem erant, turmas accerſi jubet, atque hanc hoſtibus recentem, firmamque opponit manum. Luſſingius qui gravioris equitum turmæ præerat (hæc Thomæ Sabaudici viri Principis fuit) uno, & altero confoſſo equo tamen egregiè porrò dimicans hoſtium impetum ſuſtinuit, cùm intereà Pralino-pleſſius equitum qui loco ceſſerant, reſtituit ordines, in eo Manicampi Legati, & Romaneti Caſtrorum adjutoris uſus operâ: poſtremò Flekenſteïnus cum equitibus Germanis movit ſe, acie jam abſque ejus ope reſtitutâ.

Hoſtes & ipſi perturbatis tametſi rem benè eâ parte uſquè geſſerant, ordinibus, iis reſtituendis operam dederant, dùm idem ab Pralino-pleſſio fiebat. Sed ubi Flekenſteïnus cum recenti Germanorum equitatu in eos jam ex primo certamine fatigatos procurrit, hujus impetu coacti & ipſi viciſſim loco ceſsêre, donec equitum alæ duæ venêre ſubſidio. Ibi noſtris iterùm perturbatis equitibus, pulſiſque, hoſtes in peditum manus, quibus media conſtabat acies, incidêre: ſed his planè equitum præſidio dextrâ, lævâque nudatis, quos diverſim ſecundæ, atque adverſæ res longiùs amoverant, audacia pro muro fuit: nam quacúmque hoſtes aderant, converſâ fronte, atque prælongis objectis haſtis, ſclopetariiſque qui ab lateribus de more haſtatis fuêre, glandes non niſi ex propinquo in hoſtes mittentibus, tantum iis ſui metum fecêre, ut intereà ponè pedites iterum Pralino-pleſſius, ac Manicampus Legatus, tametſi jamdiu ſaucius equitum ordines reſtituerint. Tùm opportunè advênit Villequierus, cum his qui in ultimo cornu dextro fuerant equitibus, quibus fretus adverſum pepulerat hoſtem, ipſumque Turenam longiuſculè proſecutus fuerat, donec Imperatorem, mediamque aciem pulſis equitibus noſtris, qui propiores eam fuerant, laborare accepit.

Ea res revocaverat ab perſequendo hoſte hominem, qui collectis cæteris qui paſſim, ac ſine ordine, ut ferè fit, fugiente hoſte equitibus

ſubſidio

ſubſidio venit Pralino-pleſſio. Is tùm cum omni equitatu, peditibuſque ultimùm in hoſtes procurrit: hi partim inordinati, ſparſique toto campo, qui videlicet equites noſtros pepulerant, dein pedites acriter oppugnaverant, alii, equitum ſcilicet alæ duæ, peditum item manus duæ ſtabant ex adverſo intacti, atque integri: ante hos erant tormenta, quibus tametſi aliquam ſtragem noſtrorum tùm fecère, eorum tamen impetum haud inhibuêre: cui ubi ſe impares ſentiunt, equites capeſſunt fugam, pedites ab ſuis deſerti poſtquàm emisère ſclopetis glandes, in poteſtate victorum fuêre. 1650.

Tùm Pralino-pleſſius collecto omni equitatu, præter eos qui ex cornu ſiniſtro cum Hocquincurio hoſtem perſequebantur, ac prætereà peditibus, ut ne quid partam haud dubiè omni ex parte victoriam, ut ſunt omnia mortalium incerta, fortè corrumperet, ſuorum hoſtes proſequentium veſtigiis inſtitit. Tormenta illorum, impedimenta, carrique, peditum vexilla viginti (nam ſingulis cohortibus unum modò fuit) equitum octuaginta quatuor capta: captivi fuêre inſignes Stephanus Gamarra Hiſpanus, Turenæ ſicuti Collega datus, qui omnem hominis obſervaret rationem, prætereà *a* Faugius qui Lotharingorum equitum parti præerat, *b* Lignevilla qui cæteros ductabat unà cum Turena profugerat, è perfugis Gallis *c* Buttevilla Mommorancius Haucurius, Seriſius, Jarſæus è Melitenſi Militiâ, *d* Quintinius Comes, duo millia ducenti è vulgo equitum, peditumque, major aliquanto numerus eorum qui poteſtate factâ apud Germanorum, Hibernorum, Polonorumque copias, quæ Regi merent, ſacramento dixère, cæſorum in pugnâ, atque fugâ millia duo, atque ampliùs, inter quos è Palatinâ Gente vir Princeps unus, & Tribuni ſex, cæteri omnes Tribuni capti, præter Boſſutum Comitem, & Reenſem. Ita quæ de hybernis in Galliâ Turena Hiſpanis erat pollicitus, ea non modò vana, ſed & aſpera, fœdaque evenêre.

a Fauge.
b Ligneville.
c Le Comte de Boutevil-le.
Haucour.
Seriſi.
Le Chevalier de Jarzé.
d Le Comte de Quintin.

È noſtris præter Pralino-pleſſii filium, *e* Alvimarus, Wala Hibernus, Corvallius *f* Vicecomes, Roſa Germanus caſtrorum Præfecti omnes, *g* Hoſpitalius Vicecomes, Benſius Tribunus Germanus, atque alii deſiderati, vulnerati propè omnes, qui aliquo numero in exercitu fuêre, tanta in hoc prælio virtus hoſtium fuit, ſcilicet qui Gallis rebellibus freti pugnaverant. Qui ex his captivi fuêre, eos Imperator, atque Legati ægrè ab injuriâ prohibuêre, de quibus recenti imbutus cæde miles, ſicuti de patriæ proditoribus ſupplicium ſumere ardebat. Bugius ad Portiani-caſtellum intereà miſſus oppidum poſt malam hoſtium pugnam continuò deditum recipit, item alia omnia quæ Moſam inter, & Axonam hoſtes præſidiis tenebant, loca recepta. Jam dudùm æſtivorum exierat tempus, quo factum eſt, uti copias in hyberna dimittere neceſſe fuerit.

e Alvimar.
f Le Vicomte de Courval.
Le Colonel. Roſe.
g Le Vicomte de l'Hôpital.
Bens.

Hàc victoriâ præclarus Mazarinus ad Urbem venturus videbatur: neque quiſquam omnium erat, quin hanc de Belfortio, & Gondio huic dudùm infenſis, æquè ac de Turenâ, atque Hiſpanis, partam, atque

Dddd

1650. adeò Mazarini domi, foriſque proſtratos hoſtes arbitraretur, neque illi ſibi modò ereptam hominis pellendi facultatem rebantur, ſed & de ſuâ ipſi ſalute ſoliciti erant: Gaſto cujus potentiâ freti tanta adversùm Mazarinum incœperant, haud ſatis firmus contra tantam hominis gratiam, gloriamque futurus habebatur, ſtatimque Regis, ac Reginæ matris arbitrio Belfortium, & Gondium permiſſurus, ipſi ſibi aut vincula, aut exilium portendi eâ victoriâ minimè dubitabant. Qui Mazarino ſtudebant, huic uno ore autores erant, *Uti Regem, Reginamque matrem, omnemque Aulam evocaret ab urbe, aut ad hanc cum exercitu victore accederet, ita perterrefactum Gaſtonem, Senatum, Populumque, ultrò ipſi Belfortium, Gondium, ac cæteros ex factione dedituros, neque commiſſuros Patres, plebemve, uti fortunas ſuas paucorum hominum cauſa in diſcrimen iterùm adducerent, nupero maxime tumultu edocti belli incommoda ad ſe, præmia ſi quæ ſint, ad viros Principes pertinere: ſin. Mazarinus ceſſet, illos enimverò haud ceſſaturos, neque ſola hujus victoriæ fama, atque gloria ab peſſimis quæ inierint, conſiliis deterritum iri, majus aliquid, atque fortius opus eſſe.* Sed ipſe fractos inimicorum tantæ victoriæ famâ conatûs exiſtimans hac uti neſcivit. Igitur ad Regem, Reginamque de re publicâ in Campaniæ finibus benè geſtâ, metuque hybernorum, atque excurſionum ad Urbem ſublato, profligatis, atque occidione occiſis hoſtibus dat litteras, quibus perlectis decreta ſupplicatio eſt.

Contrà qui Mazarino inimici erant, ii quidquid in victoriâ boni eſſet, Pralino-pleſſii Imperatoris, Ducum, ac militum virtuti tribuêre. *Rhetelii ea tempeſtate recipiundi, prætereà pugnandi conſilium quod ab Mazarino profectum ſit, pravum, atque temerarium fuiſſe: finibus noſtris antehâc hoſtes deceſſiſſe, neque tantùm ab paucis quæ cis Moſam reliquiſſent, præſidiis periculi fuiſſe, ut ea gratia quieta movere, hoſtem in fines noſtros revocare, rem omnem publicam in diſcrimen adducere neceſſe fuerit. Hoſtes numero plures, quibus animus cum noſtris conflixiſſe? tantis hercule uti proxime victoriam fuerint. Quod non vicerint Dei benignitate in nos, atque Imperatoris, ac militum virtute, uti vincere potuerint, quod magis futurum videbatur, Mazarini temeritate factum. Hunc ſibi conſcium multa perperam in re publica quæ ipſi immeritò permiſſa ſit, feciſſe, in aliena opera, atque virtute, atque in diſcrimine publico ſibi famam, & gloriam quæſiiſſe, quibus illa munita forent. Quod contrà eſſe debere res ipſa moneat, cùm hac culpa noviſſima cumulus cæteris acceſſerit. Eo decere Patres ad vindicandum attentiores eſſe, quod uti ſatis tutò facere poſſint, id modò Mazarinum devictis, pulſiſque hoſtibus rei publicæ præſtitiſſe.* Hæc Belfortius, hæc Gondius, aliique dictitabant, proniores que ad credenda cuncti erant, quod homini inviſo gratiam debere pudet, pigetque: eo Mazarinum perperam, quàm rectè feciſſe malebant, totamque rei benè geſtæ gloriam in Pralino-pleſſium, malè conſultæ invidiam in Mazarinum facilè conferebant.

At Rohana Mombaſona quæ Gondio favebat, neque tamen palàm Mazarino malè dicere, aut facere audebat, diffidens hunc ab Aulâ pelli poſſe Reginæ gratiâ fretum, hominem apud eam aſtutè labefactare

aggreditur. Igitur cum eâ familiariter ut ferè fit inter mulieres, colloquendo, *Mazarini fortunam miſerari, cui uni omnium res ſecundæ in perniciem vertant: tantam eſſe in hunc vim invidiæ, uti victoria ab eo parta quæ rei publicæ, ac ſingulis ſaluti ſit, huic modò cladem portendere videatur. Reginæ in eo tuendo conſtantiam ſibi quidem, atque omnibus qui hominis virtutem noverint, probari: cæterùm in his quæ ad rem publicam attineant, plurium ſententiæ obſequendum, ne fruſtrà obſtiteris. Horum eò evaſiſſe audaciam, uti Reginæ metuendum videatur, quorsùm evaſura demùm ſit, ni Mazarinum amoveat ab republicâ, atque in eo omni propè Aulæ, Senatui, Populoque morem gerat. Hunc omnium in eam rem conſenſum hujuſmodi eſſe, ut eo denique coacta id factura videatur ingratiis, quod maturè factum in gratiâ habeatur. Iſthæc ſe pro re publicâ, pro fide ſua, proque ſuo in Reginam ſtudio dicere, ut ne huic ſua bonitas, æquitaſque dùm alteri magis, quàm ſibi conſulit, fraudi ſit.* 1650.

Regina Rohanæ tametſi quæ dixerat, ea illi graviſſima fuiſſent, nihil tamen duriùs reſpondit, quàm ſe hanc Mazarino amiciorem credidiſſe, quàm ut hunc ab re publicâ amotum vellet: dein Mazarinum de illius erga hunc animo fecit per litteras certiorem. Sed & ad eum Rohana ſtatim ſcripſit, ſignificans *poſt victoriam omnium Ordinum in hunc invidiam immensùm creviſſe: ea Reginam permotam hæſiſſe, an is ſibi porrò tuendus eſſet, quod ubi ipſa pro familiaritate ſenſerit, Reginam in ſua adversùm hunc benevolentia, ac perpetuo hujus tuendi ſtudio confirmaſſe.* Hanc ubi epiſtolam perlegit Mazarinus, admiratus Rohanæ ſimulationem, indignatuſque ſeſe ab eâ ludibrio haberi, projectam in terram epiſtolam pede proculcat, pellitque in proximum focum, mala ingerens in mulierem multa, neque dicto ullo quod eâ dignum crederet, abſtinuit, neque tamen palàm ab hujus amicitiâ ſibi diſcedendum conſtituit, ut ne illa pejus diceret, faceretve.

Intereà Gondius apud amicos quos habebat in Senatu, atque apud alios ubicúmque poterat, Mazarinum porrò criminari, dictitare, *Hunc ad Urbem venire atrocem, atque ultionis avidum. Imminere pleriſque ex Senatu exilium, plebi vectigalia, atque tributa, eò rem rediiſſe, ut hæc patiunda indignè viris, aut abigendus Mazarinus ſit. Id adeò in promptu eſſe, ſi Gaſto, Patreſque unà tendant, quod cupientiſſima plebe facturi ſint, apud quam maxima Mazarinus invidia laboret. Magnam Aulæ partem Gaſtoni obſecuturam, in qua & ejus, & Condæi permulti clientes ſint. Contra tot hominum conſenſum Mazarino parùm in Regina præſidii fore. Quare hanc navarent rei publicæ operam, ut ab hac Gaſtonis, Condæi, Senatûs, Populique, atque omnium bonorum hoſtis amoveretur.*

Igitur de Brezææ, & Longavillæ virginis libellis, ac de Condæi litteris Senatus porrò conſultus eſt, rogatique ſententiam ſunt, quibus huic dicendæ ſpatium antehàc non fuerat: pauci reliqui erant, inter quos Gondius. *Is palàm eſſe,* ait, *ſeſe in hoc negotio nuſquam gratiam exercere, qui rei publicæ cauſa, cum Condæo inimicitias ſuſcipere non recuſarit: ſed eas ejuſdem rei publicæ cauſa lubentem deponere, quæ ſibi ſemper vita ipſa carior futura ſit: neque obſtare quidquam, quin regio ſanguini quod debeatur ab*

1650. *homine Gallo, id ipſi cum fide præſtet. Iſthuc plane poſthabitum, ubi viri Principes quorum ſalus ad rem publicam tantopere pertineat, Gratiæ-portum abducti ſint, quò ex propinquo mari, ut fere fit, ac ob recedentem æſtum limoſo ſolo, adeò grave cælum ſit, uti vix eò agitare diutiùs ſine vitæ periculo poſſe videantur: peſſimam in re tanta Mazarini fuiſſe rationem, quæ eadem in aliis prope omnibus magno cum rei publicæ damno ſit. Quæ in hanc mala ex eadem cauſa antehàc orta ſint, ea latere neminem, quibus uti præverteretur ſeſe pacem cum Burdigalenſibus ſuaſiſſe, ac præterea ab Hiſpanis ultrò oblatam accipiundam cenſuiſſe. Nihil certe quod magis in rem publicam domi, foriſque eſſet, fieri potuiſſe quis non videat? quod tamen ſibi vitio datum ſit. Eo vel maxime exiſtimandi copiam eſſe, quàm grave ſit Mazarino quemquam aut in Senatu, aut aliò, quid in rem publicam ſit providere, atque de eo ſententiam libere dicere: quo magis Senatui curæ eſſe debeat, ut ne quid ex tam prava hominis agendi ratione detrimenti capiat. Seſe igitur Regem, atque Reginam matrem edocendos cenſere, quid iſta virorum Principum ad Gratiæ-portum abductio rei publicæ interſit: præterea de tributis, & vectigalibus, quàm acerbe, & crudeliter exigantur: milites in patria ſicuti in hoſtico agitare, rapere impune civibus omnia, neque ſecùs atque hoſtes vaſtitatem Galliæ facere: poſtremò cuncta quæ perperàm fiant, accidantve ab peſſimis Mazarini conſiliis proficiſci. Una Dei benignitate eveniſſe, ut hoſtes ſine æſtivorum regni finibus pulſi ſint, quo commodiùs rem publicam curare liceat, ut hac domi recte conſtituta pax denique foris fiat, ab qua & initium ſententiæ de Republica dicendæ, & finem poſthàc Patres facere deceat.*

Addidit in ſententiam *Rogandum Gaſtonem, uti cum Senatu ſentiat, atque unà operam det, quo Regina & rei publicæ mala cognoſcere, & his quæ neceſſaria ſint, remedia adhibere velit. De Longavilla virgine Reginæ ſupplicandum, ut illi in Urbe tutò eſſe liceat, neque id afflictæ ſolatium, uti patri quæ filiam deceant officia præſtare poſſit, ademptum velit.* Quidam quod fieret Senatûs Decretum, id ad alias Curias perſcribendum, mittendumque cenſuerant, quod quidem Gondius tametſi optimum factu ſe arbitrari ait, tamen in Reginæ æquitate, Gaſtonis operâ, atque Senatûs prudentiâ eam ſpem ſibi ſitam, ut id non uſu venturum exiſtimaret.

Hæc hominis oratio ejus conſilia ſatis indicabat, qui Mazarino oſtentare modò ſuam in Senatu, atque apud Gaſtonem gratiam, potentiamque vellet, cujus metu adductus huic animum explere cogeretur: nequedum enim de viris Principibus cuſtodiâ educendis quidquam cenſuerat, neque de Senatûs Decreto ad cæteras Curias mittendo, ut ea res omnis in Gaſtonis ubi in Senatum veniret, atque adeò in ſuâ, quodammodò poteſtate eſſet, ita ut hanc urgere, aut prolatare pro lubidine poſſet. Senatûs tamen Decretum fit, uti Rex, atque Regina mater de viris Principibus cuſtodiâ emittendis admonerentur, atque edocerentur quid iſthuc rei publicæ intereſſe hic Ordo cenſeret, juſſique Cognitor, atque Actores regii ad Procancellarium adire, ut hujus operâ ſcirent, quâ die Rex, atque Regina qui ab Senatu mitterentur, eos ad ſe venire vellent: poſtridiè Procancellarius

ubi per Reginæ valetudinem liceret, poteſtatem adeundi factum iri reſpondit. 1650.

Inter hæc Mazarinus ad Urbem venit, cui ſic eſt obviam proceſſum, uti victori decebat, effuſâ in occurſum omni propè Aulâ: quod reliquum fuit hominem in Regiâ opperiebatur, magnaque erat contentio qui primi rhedâ exſcendentem adirent, ſalvum, & victorem venire ſeſe gaudere dicerent. Is inter gratulantium voces ad Reginæ ubi Rex filius erat, conclave pervenit, ab his perliberaliter acceptus, collaudatuſque ob res tàm præclarè geſtas: ac certè hic Mazarini ad Urbem, & Regiam adventus ſpeciem quamdam habuit Triumphi. In hoc modò offenſum amici aiebant, quod non victorem deportaſſet exercitum, uti factioſos qui huic perniciem moliebantur, oblato metu coërceret.

Cùm in Galliâ omnia porrò perturbata fore viderentur, tùm verò Innocentius X. Pontifex Regem injuriæ opportunum eſt arbitratus, huic videlicet infenſus, quia quam Barberinis ipſe inferre voluerat, eam his in fidem, & clientelam acceptis prohibuerat. Romæ Henricus Stampæus Valancæus Regis Legatus apud Pontificem erat, cui hic inſigne quidpiam facere decrevit, quod in Regem redundare neceſſe erat. Valancæus apud ædes Antonii Barberini Cardinalis quæ vicinæ Pontificiis apud Caballimontem ſunt, agitabat, quod Innocentio ægrè erat, ex ingenti in Barberinos, & Gallos odio, quo incenſus has ædes Rupellas appellabat, contumelioſo in Regem nomine, ſicuti & hunc, & hujus Legatum, & omnes Gallos cenſeret hæreticos eſſe, quorum urbs ſicuti primaria Rupellæ antehàc fuêre.

Sed hanc Ludovicus XIII. poſt diuturnam oppugnationem ad deditionem denique pridem redegerat, ac munitionibus nudaverat, ſummâ cum tantæ rei geſtæ gloriâ, ac luculento teſtimonio nihil ipſi magis cordi fuiſſe, quàm hæreſim in Galliâ abolere, cui rei conficiundæ nihil poſthàc omnium omiſerat, quod ad ſe attineret: ſed unius Dei eſt animos hominum vincere, & in viam reducere. Iniquum igitur fuit Valancæi Regis Legati ædes Rupellas ab Innocentio appellari: ſed has diruere huic conſilium fuiſſe aiunt, neque aliter id prohiberi potuiſſe, quàm has Valancæo Regis Legato permittendo, quin & has Antonium Regi venum dediſſe vulgatum eſt. Id & Pontifici ſuprà quàm dici poteſt grave fuit, ſcilicet indignanti etiam in Barberinorum res quæ ædes ſuas propè contingerent, Regis potentiam ſuâ majorem Romæ videri: ſed hunc æquum erat in prohibendâ, quàm Pontificem in faciundâ injuriâ plus poſſe.

Neapolitani exules plerique qui per tumultum nuper domi exortum Hiſpanis adverſi, Gallis æqui fuerant, poſtquàm illi potiores apud Neapolim fuêre, Romam profugerant, neque ſe Pontificis fidei ſcilicet qui Hiſpanis faveret, omninò permittere auſi, in Valancæi viciniâ agitabant, confiſi ſeſe more majorum ob Legati verecundiam intactos, inviolatoſque fore. Fortè accidit uti propè Pontificis qui ad Caballimontis ædes pertinent, hortos atrox fieret cædes, quam deditâ operâ

1650. Pontifex ab exulibus factam ſeſe credere ſimulavit, ſtatimque ad Valancæum miſit, qui poſtularet, ut hujus voluntate conquirere in ejus viciniâ Neapolitanos exules liceret, ab quibus perpetratam cædem arbitraretur. Valancæum puduit id Pontifici denegare, aut videri ſicariis præſidio eſſe, eo per ſeſe licere reſpondit, modò ut ne id palàm, neque interdiù fieret: addidit qui miſſus ad eum erat, famam eſſe & in ejus ædibus hujuſmodi ſicarios receptum habere, ſed ne eò quidem ſatis tutos fore Legatus reſpondit, quibus poſtremis verbis in fraudem, quam huic Pontifex ſtruere decreverat, incidit, atque eò hunc adducere conſilium fuerat, uti dici poſſet hujus voluntate conquiſitionem in ipſiuſmet ædibus fieri potuiſſe.

Quæ ſubſecuta eſt nox, eam exules alius aliò exegêre, moniti ab Legato, ut ne deprehenderentur, ſed nihil ad eos hæc omnis res attinebat. Poſtridiè multâ jam luce, contrà quàm convenerat, pedites, equiteſque Pontificii circùm Legati ædes adſunt, ſtationes haud procul portis locant, dein qui præerant duo apertis fortè foribus introëunt armati. Valancæus paulò antè è lecto conſurrexerat, pauci ex familiâ aderant, cùm adeſſe antè ædes armatos, duos deindè ingreſſos nuntiatum. Is novâ, atque inſolitâ re perculſus, qui ædes ingreſſi erant, eos poſitis armis ad ſe venire jubet, qui fide acceptâ nihil id ſibi fraudi futurum ad Legatum adeunt: eos graviter modò increpitos tametſi quæ feciſſent ea ſe hujus voluntate facere arbitratos dicerent, dimiſit: dein qui Legati in Urbe erant, eos quid in Regem, atque in ſe contrà jus gentium Pontifex admiſiſſet, certiores facit, rem tàm atrocem videri, uti ſibi rus abſcedendum judicet, donec quid Regi ſententiæ ſit reſciſcat, & poſt paulò rus altero ab Urbe lapide ſeceſſit.

Pontifex continuò expurgare ſe, nihil quod Regi, aut hujus Legato injurioſum eſſet, factum voluiſſe, tantummodò ut ab ſicariis quos in ejus viciniâ agitare fama erat, circà ædes ſuas cædes ne fierent, providere voluntate Legati, atque ex ejus ſententiâ, quam prius exquiſiverit. Ita nihil Regi admodùm cauſæ eſſe viſum, quamobrem Valancæus diutiùs abeſſet urbe, quò brevî rediit, atque pro more ad Pontificem de Regis rebus adiit, quo in negotio Venetorum Legati opera Regi, ac Valancæo pulchrè proceſſit, ut hæc qualiſcúmque controverſia cum bonâ utrimque gratiâ componeretur. Sed iſthîc fraudulentam Pontificis rationem omnes animadvertent, qui cùm apertè injuriam Regis Legato facere non auderet, hanc furtim, & clàm ita fecit, uti ſui expurgandi facultas aliqua eſſet, neque eo minùs odio ſe ſuo ſerviiſſe credidit.

Hoc anno mortem obiêre Henricus, & Claudius [a] Memmii fratres, hunc [b] Avauxium Comitem ex Rure quod habebat nobili, ſicuti in Galliâ mos eſt, appellavêre, multis Legationibus quas continenter obierat clariſſimus, nam in eo & fides, & virtus, & ſolertia, dicendi, ſcribendique peritia, atque ingens animus fuit, ſummam Regni Quæſturam quo pacto domi geſſerit, ac poſtremò abdicaverit, ſuprà diximus.

[a] Le Preſident de Meſme.
[b] Le Comte d'Avaux.

Henricus ſummus in Senatu vir fuit, dignuſque qui hujus ordinis princeps foret, cui honori adipiſcendo aut nimia virtus, aut nimius animus fortaſſe obfuit. Deceſſit & hoc anno *a* Carolus Valeſius, extremâ ætate, primùm Arverniæ Comes, dein Inculiſmæ Dux appellatus: is Carolo IX. Regi natus ex concubinâ fuerat: quæ virum Principem decuit, ea pace, belloque geſſit, ubi pax, pleraque tempora in venando, cæteriſque quibus corpus exercetur, ubi bellum erat in imperiis egit. Margarita *b* Gondia, matrona nobilitate, atque ſanctitate vitæ juxta inſignis naturæ conceſſit & hoc eodem anno: huic Megnelaïus Marchio ante annos ſexaginta vir fuerat, dein eo mortuo in viduitate reliquam exegit vitam, ſibi minimam ex ampliſſimis prædiorum, aliorumque bonorum fructibus annuis ſummam retinuit, reliqua miſeris, atque egentibus diſtribuit. Obiit & *c* Carola Margarita Mommorantia, quæ Henrici Condæi uxor fuerat, formâ ubi florebat ætas egregiâ, atque luculentâ, Ludovici Condæi mater, ac præterea Armandi Contii, & Annæ Borboniæ Condeæ Longavillæ uxoris.

1650.

a Charle de Valois, Duc d'Angouleſme.

b La Marquiſe de Meignelay.

c La Princeſſe de Condé.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER NONUS.
EPITOME.

1651. *EQUITUM Tribuni ab Rege creati. Molæus unà cum aliis ex Senatu ad Regem, ac Reginam matrem de viris Principibus cuſtodiâ eximendis adiit. Gondius de Cardinalatu negato plane Mazarino infenſus. Gaſtonis cum viris Principibus de his cuſtodiâ eximendis fœdus. Senatus odium Gondius in Mazarinum accendit. Ordinem Eccleſiaſticum, atque Nobilitatem uti cum Gaſtone de Principibus viris cuſtodiâ eximendis ſentirent, adducit. Gaſto ſe negat venturum in Regiam, nedùm in Conſilium regium, uſque dum Mazarinus abierit. Hic abit denique. Gratiæ-portum proficiſcitur, Condæum, Contium, & Longavillam ita emittit cuſtodiâ, ut hi eâ de re ipſi nullam gratiam debere ſe putent. Viri Principes ad Urbem properant. Mazarinus ad Regni fines iter maturat. Diplomate Regis edicitur viros Principes extrà noxam eſſe. Altero Diplomate Extranei etiam civitate donati arcentur ab omni re publicâ, atque Cardinales omnes. Id Gondio grave, atque Eccleſiaſtico omni Ordini. Eâ de re habita apud Regem, ac Reginam matrem vehemens ab Georgio Aubuſſono Eberodunenſium Archiepiſcopo oratio. Ubi Condæus ad Urbem, ibi & Condæa ſoror ab Satenaio venit. Hiſpani ſeſe de pace, aut induciis tùm agere velle ſimulavêre. Turena poſtquàm de liberandis viris Principibus fidem impleverat, ab Hiſpanis pacem detrectantibus rectè diſcedit. Regina per Servianum, & Lionnum cum Condæo de Mazarini in Aulam reditu agit. Ab Caſtronovano ſignum regium repoſci jubet, quod Molæo tradidit. Condæus de Caprosâ virgine ab Contio ducendâ ſententiam mutat. Robana Mombazona virginis mater, atque Gondius Gaſtonem in Molæum, & Chavignium Condæi*

clientes

clientes impellit. Regina uti Gaſtoni morem gereret, regium Signum ab Molæo repetit, quod eſt Seguiero Cancellario redditum. Robana Mombazona in Condæum odio incenſa de infectis filiæ cum Contio nuptiis, atque item Gondius, Buillonius, Turena, Molæus, Anna Gonzaga, alii aliâ de causâ ab Condæo deſcivêre. Nemoroſius, ac Rupifocaldus mansêre in amicitiâ. Belfortius, & Chavignius uti Gaſto porrò Condæo fautor eſſet, operam dabant. Spernonius Aquitaniam Condæo permittendam deponit, atque hic viciſſim Æduos qui Spernonio permittantur. Mazarinus per Zungum Ondedeum in Galliam miſſum Gondio de Cardinalatu, Robanæ Mombazonæ de Caſtronovano Regii Conſilii principe faciundo, Molæo de Signo regio reddendo, Annæ Gonzagæ de ſummâ Quæſturâ Vetusvillæ tradenda fidem dat, atque hos omnes ab Condæo abalienatos ſibi adjungit. Condæus vano metu territus fugit ab Urbe, ac Mauri-fanum ſecedit, neque priùs in Aulam redit, quàm abactis Serviano, Telliero, & Lionno Mazarini clientibus. Tilladetus Briſiaco diſcedit, quod manet in Carlevoſii Propræfecti poteſtate. Caroli Regis interfectores Britanni ab Philippo Hiſpaniæ Rege amici appellati. Barcino in Catalonia Hiſpanis dedita. Hiſpani finibus Subalpinorum ab Santandrea Mombruno pulſi. Almontius Villequierus Equitum Tribunus rem in Belgio egregiè ſuſtentavit. Gaſtonis, & Condæi de habendis Regni comitiis conſilium, in quo conſtitueretur ex quorum conſilio Rex rem publicam gereret. Rex Id. Septemb. venit in Senatum, uti capeſſendi per ſeſe Regni more majorum initium faceret. Caſtronovanus regii Conſilii princeps factus. Regium Signum Molæo redditum. Summa Quæſtura Vetuſvillæ mandata. Rex de Gondii Cardinalatu ad Pontificem ſcribit. Condæus ſecedit. Aulam ſpe pacis attinet. Regis, ac Reginæ matris ad Fontembellaqueum, dein ad Avaricum Biturigum profectio. Turris eò diruitur. Paluavius Muronem obſidet. Rex in Pictonas proficiſcitur. Harcurius Rupellarum turres recipit. Cuniaco Condæum pellit. Hunc in Aquitaniam perſequitur. Claſſis Hiſpanica ad Condæum in Garumnæ æſtuarium venit, cui Battevilla præfuit: huic Liburnum Condæus tradit Burdigala haud procul. Rex edicit Condæum, Contium, Condæam, Nemoroſium, ac Rupifocaldum, quique Sectam Condæi ſequerentur hoſtes eſſe. Hujus Edicti promulgatio tantiſper ab Gaſtone prohibita. Condæi ad Senatum litteræ in Mazarinum, Caſtronovanum, Molæum, Gondium. Rumor de Mazarini reditu. Senatûs ea de re ad Regem Legatio. 1651.

PRINCIPIO hujus anni *a* Antonio Almontio Villequiero, atque Carolo *b* Monchio Hocquincurio qui egregiam rei publicæ in nuperâ poſt Rethelium deditum pugnâ operam navaverant, digna ſuâ virtute præmia ab Rege tributa ſunt: item & Jacobo *c* Stampæo Fertimbaltio, *d* Henrico Sannectario Fertæo *e* Jacobo Ruſſello Grancæo viris fortibus, ac ſtrenuis, qui conſimilem in variis præliis, atque urbium expugnationibus operam Regi, ac rei publicæ dederant, hi enim omnes Tribuni Equitum creati ſunt. Fertimbaltius Gaſtoni cliens eſt, cæteri Regi, atque Reginæ matri, nec non Mazarino addicti. Fertæus Lotharingiam cum exercitu obtinet provinciam, in quâ Vicherium Caſtellum, ac Mirecurium oppidum cum arce haud infirmâ ab Lotharingis dùm ipſe nuper in Campaniâ eſſet, occupata loca brevî recepit.

a D'Aumont de Villequier.
b Monchy d'Hoquincour.
c D'Eſtempe de la Ferté-Imbault.
d Henry de Senneterre de la Ferté.
e Jacque Rouſſel de Grançey.

1651. Diximus antehàc Reginam morbo impeditam quos Senatus ad ſe mittere decreverat, eos uſquedum ſibi meliuſculè eſſet, diſtuliſſe: poſtremò tamen his ad illam adire X I. Calend. Februarias copia fuit. Eâ die Molæus in Reginæ cubiculum cum cæteris qui ipſi comites ex Senatu aderant, introductus hanc adhuc in lectulo ex morbo jacentem, Regemque filium ad pulvinum ſedentem invenit, quibus graviter ait more ſuo. *Paulò antè victricem Galliam, at propè victam, domi, foriſque bello oppreſſam per nupera æſtva fuiſſe. Neque id mirum, cùm jaceant in carcere, ac tenebris viri Principes, quibus orbata quodammodò res publica ſummum in diſcrimen adducta ſit. Ubi comprehenſi, & in vincula conjecti ſint, ibi verò peſſimam bujus gerendæ quæ ineatur rationem, univerſam Galliam cum ſuo magno malo ſenſiſſe, quod de Reginâ dictum Senatus nolit, ſed magis de eo, cujus conſilio id deſignatum, factumque ſit. Arcana Imperii quædam eſſe, nec ſine bis rectè adminiſtrari poſſe rem publicam, ſed vix eſſe hujuſmodi, uti perpetuò arcana eſſe debeant.*

De Principibus viris Senatum, & omnes bonos ſic exiſtimaſſe, multis, gravibuſque de cauſis in carcerem conjectos, quas tempus, & dies patefaceret. Nam quæ recenti re ad hunc Ordinem perſcriptæ ſint, eas leves, futileſque fuiſſe. Senatum in procuratione Regni Reginæ permiſsâ, quam Gaſto, atque Henricus Condæus conſilio, atque operâ juvarent, res publicæ ſalutem poſitam credidiſſe. In Condæi patris locum Ludovicum filium ſucceſſiſſe, neque inter haſce tres perſonas neceſſarium concordiæ vinculum frangi, aut diſſolvi uſquàm debuiſſe. Nam eo ſoluto omnia mala in rem publicam quaſi effractâ quæ probibebat mole irrupiſſe. Hæc uti deſinant, atque res publica ex priſtinâ fortunâ, atque gloriâ geratur, ejuſdem virtute opus eſſe, quâ fretus Rex domi, foriſque victor antehàc fuerit, quæ quamdiù clauſa, ac parietibus indigni carceris circumſcripta erit, tamdiù nec bellum fortiter geri, nec pacem denique boneſtam fieri poſſe, quorum alterum ab altero pendeat.

Viros è regiâ gente Principes munimenta Regni eſſe, quæ amoveri ſine hujus pernicie nequeant. Id jam annum ſenſiſſe ſuo damno Galliam, quod ut ne diutiùs ſentiat, providendum videri. Abductos ab oculis Senatûs viros Principes, ab animis abduci non poſſe, qui anxii, atque ſoliciti ſint, quamdiù vita eorum loco inſalubri, atque gravi cælo in dubio erit, quos magis res publicæ redditos oporteat. Regem, atque Reginam matrem his de rebus humillimè edocendos, commonefaciendoſque Senatum cenſuiſſe, quem ut ne quid detrimenti res publica capiat curare deceat. Tacuiſſe aliquamdiù Majeſtatis verecundiâ, poſt ubi neque tempore Principum virorum miſeriæ modum fieri, & diutiùs tacere rei publicæ damno, ac ſibi dedecori futurum ſenſit, poſtremò quod & re publica, & ſeſe dignum eſſet, proloqui, & Regi, atque Reginæ matri ſignificare voluiſſe.

Qui ſi in eo negotio tardiores fuerint, totius præterea Galliæ voces perſonaturas eorum auribus, uti metuendum videatur, ne id ipſiſmet denique fraudi ſit. Certè ſi ceſſent, Senatum haud ceſſaturum, ſed omni ope enſurum, ut ne ea cauſa res publica peſſum eat. Regi igitur, atque Reginæ ſupplicare, uti viros Principes carcere emiſſos velint, quò ſoluti vinculis, ac rei publicæ reſtituti, huic, atque Regi bonam, fidelemque porrò navent operam, atque intereà uti Longavillæ vir-

gini in urbe tuto eſſe, & patri quæ filiam deceat, præſtare pietatem Regis, ac Reginæ voluntate liceat. Ubi Molæus dicendi finem fecit, Regina ex Conſilii ſententiâ poſtquàm hanc exquiſiverit, ſe reſponſuram ait, ita qui ab Senatu ad Regem, Reginamque matrem venerant, dimiſſi, tempuſque procedebat, quod in hujuſcemodi negotiis quandóque magno adjumento eſt. 1651.

Senatum ſuprà diximus cenſuiſſe, ut ne poſthàc de virorum Principum negotio niſi Gaſtone coram ageretur, quoniam ad rem publicam magnoperè pertineret: Patribus præthereà uſui erat, ut hic in eâ gerendâ Reginæ datus adjutor Conſultis, atque Decretis ſuis intereſſet, quo majorem ex hujus præſentiâ vim haberent. Sed nondùm Gondius Gaſtonis flexerat animum, ut ab Reginâ ſicuti factum eſt poſteà, de Principibus viris diſſentire vellet. Igitur qui ab Senatu ad hunc rogatum ut in Curiam veniret, miſſi fuerant, iis ita reſpondit, ut qui de virorum Principum negotio quid ſibi ſentiundum, aut faciundum eſſet, nondum ſatis ſciret, neque adeò in Curiam iturus eſſet: Senatui tamen gratias egit, quod ſe tantæ rei conſultandæ adeſſe vellet, quod quidem ſe ſatis maturè poſthàc facturum ſperaret.

Sed ubi in hoc Ordine Gondius ex ſententiâ procedere Principum virorum negotium videt, neque huic conficiundo, pellendoque Mazarino deeſſe aliud, quàm Gaſtonis cum Senatu conſenſum, illum aggreditur, docetque; *Diutiùs viros Principes carcere attineri non poſſe, quo Senatus, populuſque hos emiſſos velit. Id ſatis perſpicere Mazarinum, atque adeò cum eorum amicis, & clientibus agere, quo ſibi aliquam ex eâ re gratiam paret: dictitare ſe quo Gaſtoni gratificaretur, adductum ut hos in carcerem conjectos voluerit, atque id modò obſtare, ut ne ſtatim dimittantur, nam ſibi cum bonâ ejus gratiâ id faciundum: ſi tamen ei rei pergat adverſari, poſthabitis ejus rationibus hanc confecturum, modò ut viri Principes fidem dent, ſeſe ipſi amicos, & adverſùm quoſvis, ne ipſo quidem Gaſtone excepto, præſidio futuros. Hanc eſſe perpetuam eorum qui apud Reges gratia polleant, diſciplinam, ut inter virorum Principum quas alant diſcordias, ſtatum dignitatis non modò teneant, ſed & immenſùm augeant. Eam rem planè ab Mazarino agi, qui Principes viros ſua magis, quàm Gaſtonis opera carcere emiſſos, atque huic adverſos eſſe velit. Probè meminiſſe Gaſtonem, quæ contra ipſum Richelius fecerit, eadem moliri Mazarinum. Paucos reſtare menſes, quibus in Procuratione Regni Regina porrò futura ſit: his elapſis Regem filium ea ætate futurum, uti more majorum regnum per ſeſe ſit adminiſtraturus, cujus autoritate nixum Mazarinum quæ quantaque deſignaturum, qui Reginæ modò gratia fretus tanta uſquè fecerit? Id ut ne accidat, magnopere cavendum, atque eo pellendum Aula hominem, adjungendos Gaſtoni Principes viros, cujus rei magna facultas ſit, ſi ipſe una cum Senatu operam det, uti carcere emittantur. Hos tanto beneficio devinctos in Gaſtonis poteſtate perpetuò futuros. Eamdem Senatui cautionem eſſe, ut ne Mazarino, aut alteri qui item gratia apud Regem valeat, ſicuti antehac Richelio obnoxius ſit. Eo Principibus viris cuſtodia emittendis ſtudere, Gaſtoniſque potentiam ſicuti par ſit, in Aula pellere velle, ita alteros, alteris præſidio futuros.*

1651. His, atque aliis hujuſcemodi facilis ſuâpte naturâ Gaſtonis animus adductus eſt denique, ut hanc omnem rem Gondio permitteret, qui Condæi clientibus, atque amicis quas videretur conditiones ferret, quibus ut ne hæc Principum virorum ab carcere eductio Gaſtoni fraudi, at magis præſidio, atque ornamento eſſet, caveretur. Is igitur cum Annâ Gonzagâ Palatini uxore, & Amedæo Sabaudico Nemoroſio Duce, qui pro Condæo paciſcebantur, de conditionibus fœderis convênit, cujus Tabulæ ab Antonio Croiſſio Fouqueto Senatore confectæ ſunt. Huic homini divitiæ pro fortunâ ſatis amplæ fuêre, quæ animos faciebant, ita ut munia Conſiliarii in Senatu vix ſe ſatis digna deputaret, niſi quia ad majora gradum facere poſſe videbantur, eâ tempeſtate videlicet, quâ non modò Senatui univerſo, ſed & magis quibuſdam ex hoc Ordine rem publicam attingere ſumma lubido erat. Id *a* Croiſſio ſingillatim conſilii fuit, atque item Ludovico *b* Franciſco Fabro Commartino, cujus avus Procancellarius fuerat, ambo Gondio amici, qui ſi gratiâ, & potentiâ valeret, ſeſe Quatuorviros futuros ſperabant. In hoc fœdere quæ viſa ad viros Principes cuſtodiâ eximendos conducere, ea cavebantur: ſed Gondius qui id non his, ſed ſibi potiſſimùm faciebat, de Mazarino Aulâ pellendo præterea caveri voluit, quem ut ne hi cuſtodiâ emitterentur maximè obſtare, & quem abigi in rem publicam eſſe dicebat. At Condæi amici qui ſatis ſcirent, quàm incerta in Aulâ ſint omnia, cum Gondio, Belfortio, atque aliis ex factione ita ſibi agendum cenſebant, ut ſi horum operâ viri Principes carcere emitterentur, cuncta quæ fœdere cavebantur, iis ſummâ fide præſtarent: ſin id minùs procederet, ſibi integrum volebant eſſe, cum Mazarino de re eâdem agere: quamobrem de hoc pellendo fœdere caveri haud æquum cenſebant, ſatiſque eſſe putabant, de gratiâ referendâ omnibus qui Principibus viris cuſtodiâ eximendis operam commodarent, paciſci, non autem de pernicie cujuſquam.

a Fouquet de Croiſſy.
b Le Févre de Commartin.

Eâ tempeſtate Rupifocaldus ſe ab Annâ Gonzagâ ad Urbem accerſitum memorat, ſcilicet incertâ, atque anxiâ, quorsùm denique tanta res evaderet, quæ magnam in Aulâ mutationem, atque perturbationem portendere videretur, ex variis eorum qui huic admixti erant conſiliis, atque ſtudiis, & quamvis cum Mazarino antehàc de viris Principibus emittendis cuſtodiâ fruſtrà egiſſet, tamen ſubjiciebat animus, experiundum denuò, utrùm eò adduci poſſet, nam hæc brevior, certiorque via eſſe videbatur. In eâdem Rupifocaldus ſententiâ fuit, atque cum Mazarino eâ de re agere cœpit, docuitque ſicut apud Burgum antehàc fecerat, Principes viros diutiùs in cuſtodiâ eſſe non poſſe, neque id paſſuros Gaſtonem, ac Senatum, ac denique factioſos in Aulâ, & in Urbe, qui omnes de his emittendis certò congruant, & ut id fiat ſubitò daturi ſint operam.

At Mazarinus hæc non ex vero, ſed ex Rupifocaldi adversùs Condæum ſtudio dici credidit, qui nihil ſingulare de Gaſtonis, Senatûs, & factioſorum in eam rem conſenſu adferebat. Ter eâ de re Rupifocal-

dus cum Mazarino collocutus eſt, atque huic liquidò dixit denique, niſi tùm ſibi de viris Principibus emittendis cuſtodiâ fidem dare vellet, & quibus conditionibus id fieret, convenire, hujus rei poſthàc nullam copiam fore, de quâ nihilo magis adductus eſt Mazarinus, ut huic auſcultaret. 1651.

Omni igitur de Mazarino abjectâ ſpe, Condæi amici ſibi denique cum Gondio tranſigendum eſſe intellexêre, cui adeò explendus animus fuit, & de pellendo Mazarino cavendum. Fœdus itaque cum factioſis, confectum eſt: ſed convênit ubi ab Croiſſio apud Annam Gonzagam hujus conditiones recitarentur, quæ de pellendo Mazarino perſcripta erat, ea uti prætermitteretur, ut ne Belfortius qui cum cæteris fœderi adſcribendis adfuturus erat, hanc reſciſceret, atque de more Avaucuriæ renuntiaret, cujus operâ ad Reginam, aut ad Mazarinum permanaret.

Belfortius igitur fœderi ſicuti cæteri nomen adſcripſit, nihil ampliùs in eo eſſe arbitratus, quàm quod fuerat recitatum: & quoniam id apud ſe deponi poſtulabat, ubi relatum in tabulas foret, aut alterum hujus exemplum, quod videlicet penes factioſos debebat eſſe, altero penes Gonzagam manente, convênit tamen ut unæ modò fœderis Tabulæ eſſent, atque hæ Blammenio Inquiſitionum Præſidi cuſtodiendæ traderentur, quas nuſquàm proferret, niſi ex conſenſu Gondii, atque Violæ item Inquiſitionum Præſidis.

Poſt paulò Fœdus aliud factum eſt inter Gaſtonem, & viros Principes, paciſcentibus horum nomine Annâ Gonzagâ, & Nemoroſio: eo de viris Principibus emittendis cuſtodiâ idem quod priori cavebatur, quod & ratum habebat Gaſto, dein de nuptiis Alanſonæ Virginis Gaſtonis filiæ cum Angiano Condæi filio, ac de nuptiis Caproſæ virginis cum Contio: præterea ab Condæo ubi in Aulâ eſſet, nihil de Adminiſtris aut pellendis, aut qui pulſi eſſent, revocandis factum iri, nec Magiſtri Equitum Munus hunc ſibi expetiturum. Poſtremò Condæi amici Gondio ſcripto cavêre, ubi Gaſto hunc Cardinalem creari vellet, Condæum pro virili daturum operam, ut id fieret. Hæc omnia Croiſſius, & Commartinus ſcribarum factionis perſonam agentes ad Gaſtonem tulêre, quibus nomen adſcriberet, quod quidem tam negligenter fecit, ut ne priùs ea legeret, aut recitari juberet, tantam eâ tempeſtate Gondio habebat fidem, ex cujus ſententiâ hæc perſcripta, atque confecta omnia ſcibat eſſe.

a Mademoiſelle d'Alençon. Mademoiſelle de Chevreuſe.

Poſteà loci Gondius omnem adhibuit operam, uti Senatus ab Reginâ ſuper virorum Principum negotio reſponſum flagitaret. Id hujuſmodi fuit. *Senatum ubi quid occurreret quod ad Regis autoritatem pertineret, hunc ea de re certiorem antehàc facere conſueviſſe, neque edocendum, aut admonendum, aut quidquam aliud ſtatim decernere. Id factum ſingillatim ubi litteræ ad hunc Ordinem ab viris Principibus ſcriptæ ſint: ab Ludovico Condæo patrum noſtrorum memoria, qui tùm ab Aula diſſentiebat: noſtra item memoria ab ipſo Gaſtone. Eo mirum videri, Brezææ Condæi uxoris, & Longa-*

villæ Virginis libellos, prætereà Condæi, Contii, & Longavillæ patris litteras
1651. *ab Senatu Rege inconſulto acceptas, ac de his relatum, decretumque uti de viris Principibus cuſtodia emittendis, Rex, atque Regina mater admonerentur, cùm de utroque libello, atque de litteris priùs faciundi certiores fuerint, opperiundumque quid vellent, juberentque. Quæ quamquàm neque rectè, neque ordine facta ſint, & omnis ea res ab Rege pendeat, de qua hujus injuſſu Senatui cognoſcere fas non fuerit, nihil tamen hæc obſtare, quò minùs Rex, atque Regina mater viros Principes, quod ſine rei publicæ damno, malove fiat, cuſtodia emiſſos velint. Sed priùs Condæam Longavillæ uxorem, Turenam, atque alios, qui ea gratia arma ceperint, ab his diſcedere æquum eſſe: quod uti ſine fraude facere poſſint, Regem Edictum ea de re perſcribi juſſurum, quod in Senatu promulgetur: ubi illi diſceſſerint ab armis, tum fore uti viri Principes ſtatim cuſtodia emittantur.*

Hæc ubi Senatui ab Molæo renuntiata ſunt, nihil antiquiùs Patres habuêre, quàm ut Edictum ſtatim ad ſe promulgandum mitteretur, juſſique ſubitò Cognitor, atque Actores regii ad Procancellarium adire, poſtulaturi ut eam rem maturare vellet, qui Edictum, brevî ad Senatum miſſum iri reſpondit. Continuò clamitavêre ſuo more ex Inquiſitionum Claſſibus Juniores, ei rei adferri ab Mazarino moram, uti Rege Inaugurationis ejus ſpecie urbe abducto ſicuti futurum fama ferat, Senatum ludificetur, ſtatim de eo negotio referendum, dicendaſque ſententias. Contrà Molæus proloqui multa, conturbare rem, atque altercatione tempus conſumere, donec hoc multùm dilapſo ſicuti Junioribus concedens ſententias rogaturus videbatur, cùm Gondius ſibi priùs Patres faciundos ait certiores Gaſtonis verbis, huic cum Reginâ convenire, falsóque in vulgus jactari inter eos ſimultates eſſe, neque eo minùs tamen ipſum Principes viros carcere emiſſos velle, quod uti fiat omni ope eniſurum. Quæ ab Gondio dicta, ea mirificè jucunda Senatui fuêre, nam dubitanti quid Gaſtoni animi, & conſilii eſſet, neque enim credibile erat, hunc facilè adduci poſſe, uti Condæum in Aulâ ſicuti antehàc florentem, gratiâ, famâ, potentiâ ſibi æqualem, ac magis quod dicendum hic ſit, potiorem videret. Tanta tamen homini facilitas fuit, uti quemadmodùm nuper adversùm Condæum ex Rohanæ Mombaſonæ, & Gondii voluntate, ita tunc pro eodem ſuâ quaſi pro gloriâ niteretur.

Dimiſſo Senatu Gondius ad Gaſtonem iit, uti quid in hoc Ordine actum fuerat, certiorem faceret, quàm gratum, atque jucundum Patribus reſciſcere hunc cuſtodiâ Principes viros emiſſos velle, quantaque laus de hoc conſilio hominem ſequatur, edocet: Gaſto lætari, ubi videt quæ ſibi Gondius autor fuerat, ea ex ſententiâ procedere, atque huic in dies majorem habere fidem. Poſt paulò Tellierus ab Reginâ ad Gaſtonem miſſus advênit, ſciſcitatum num ſuâ ſponte Gondius, an ipſius Gaſtonis juſſu hunc viros Principes cuſtodiâ emiſſos velle in Senatu dixiſſet? cui orationi commotior ſolito reſpondit, Gondium quæ dixerit, eâ voluntate ſuâ dixiſſe, neque dictum, factumve ejus ſibi non probatum iri. His magis, magiſque intellexit Mazarinus, ſibi Gaſto-

nem inſenſum, & cum ipſis Principibus viris de his cuſtodiâ emittendis agendum eſſe denique, ut ne cui alteri hujus rei gratiam deberent: ſperabat tamen quæ uſquè Reginæ apud Gaſtonem autoritas, atque fides fuerat, hanc facilè effecturam, ut ne ab ſuis conſiliis, ac rationibus diſcederet. 1651.

Sed ubi in Regiam habendo de republicâ Conſilio venit, hujuſmodi incidit res, quæ Gondio exagitandi, ac denique pellendi Mazarini maximam facultatem dedit. Nam ubi hic Gaſtonem docere vult de Gondii, ac Belfortii ambitioſis conſiliis, quæ uti ſibi feliciter eveniant, nihil penſi habeant perturbare omnia, & eò deducere, quò pridem ſummo cum rei publicæ periculo domi, foriſque fuerint, poſtremò & quoſdam ex Senatu eòdem intendere ait, neque multùm abeſſe ab Britannorum conſiliis, qui per Adminiſtri latus ipſum Carolum Regem petierint: ſe quidem illos tùm ab re publicâ amotum velle, cæterùm nec Gaſtoni fortè, nec Reginæ ipſi poſthàc æquiores fore. Inter hæc Fairfacis, & Cromvelii nominibus illos omnes appellaſſe quidam dictitavère, ſceleratiſſimorum videlicet hominum, quos regiæ cædis in Britanniâ per juris ſpeciem patratæ autores fuiſſe aiunt: eò denique evaſit Mazarinus, uti ſe quod noviſſet, nihil commeritum diceret, quo Gaſtonis gratiâ, atque benevolentiâ indignior quàm antehàc haberetur, qui ſi porrò æquus eſſe vellet, nihil ſe ab cæteris quibuſvis pertimeſcere, quò minùs porrò utilem Regi, Reginæ matri, atque rei publicæ navet operam.

Ubi Gaſto domum redierat, quæ in Conſilio Mazarinus dixerat, ea Gondio narravit ordine, qui oblatam occaſionem eorum quæ ille in Patres jactaverat, haud prætermittendam ratus, Gaſtoni perſuadet, ut hæc Senatui ab ſe patefacta velit, quem in Mazarinum jam ita accendere facile ſit, ut niſi eo non Aulâ modò, ſed & Regni finibus pulſo nuſquàm conquieſcat. Poſtquàm iſthuc Gaſtoni ſatis placuit, porrò ut ne huic integrum eſſet ab ſuâ de Mazarino pellendo ſententiâ diſcedere, Caſtronovanum Procancellarium, Neovillam Villaregium Equitum Tribunum, ac Regis pueritiæ Moderatorem, & Tellierum Quatuorvirum accerſendos ait, qui ubi adfuère, iis Gaſto mandavit uti verbis ſuis Reginæ nuntiarent, ſeſe nuſquàm in Regiam, nedùm in Conſilium iturum quamdiù eò adeſſet Mazarinus, in quem nonnulla atrocia dixit, dein converſus ad Villaregium ſeſe ſicuti Regi in omni Regno per hujus pueritiam Legatum jubere, ut hujus porrò curam gereret, atque hunc diligenter cuſtodiret, in quo ſi eſſet offenſum, id ſciret capitis ſui periculo factum iri. Id eo dicebatur, ut ne Rex abduceretur Urbe, nam multa ſimul, atque ingentia Gondius moliebatur. Caſtronovanus, atque alii mollire Gaſtonis animum, & ab hujuſcemodi conſiliis deterrere velle, quod cùm fruſtrà feciſſent, ad Reginam iêre, uti quæ Gaſto juſſerat, ea renuntiarent, ſed eadem hæc Caſtronovanus huic prædicere potuerat, qui videlicet de omni hac in Mazarinum fabricâ Gaſtoni, Rohanæ Mombaſonæ, atque Gondio conſcius eſſet.

1651. Intereà Mazarinus vix quidquam aut mitigando Gaſtonis ab Gondio in ſe concitato animo, aut quo adverſùm hunc ſatis munitus foret, reperiebat. Jam de emittendis cuſtodiâ viris Principibus conſilium ceperat, ſed uti ſatis ſpatii eſſet dubitabat, ad hanc rem, ita ut ſibi saluti foret, conficiundam, quam ſi invitus facere videretur, nullâ in gratiâ habituri eſſent: dein ægrè adducebatur, ut hos dimitti vellet, ac ne id quidem ſatis placebat Gondio, qui hos modò ad Urbem adductos, & in poteſtate Gaſtonis eſſe voluiſſet. Ita ſolertiâ, atque aſtutiâ ambo inter ſe decertabant, ſed diſparibus opibus Mazarinus, qui haud ſatis caverat, uti Gaſto in cujuſvis alterius, quàm in Gondii poteſtate eſſet, qui pretereà Senatu, Populoque quàm æquiſſimis utebatur.

Igitur omnibus modis Mazarinus prolatare, ac producere Principum virorum negotium conſtituit: ſeſe uſquè percupidum eſſe dixerat horum cuſtodiâ emittendorum, ſed obſtare Gaſtonem, cujus injuſſu rem tantam facere nequiret: nam id Gramontio nuper reſponderat poſtulanti ut ne diutiùs Condæum in cuſtodiâ eſſe vellet, qui ſubitò ad Gaſtonem ierat, dixeratque in hujus manu eſſe, uti viri Principes emitterentur cuſtodiâ, quandò ab Reginâ nihil moræ eſſet, id ſibi dixiſſe Mazarinum, qui hujus animum pernoſceret. Ibi verò Gaſto in ſe item quidquam moræ eſſe negaverat, juſſeratque Gramontium ad Reginam adire, atque id ipſi ſuis verbis dicere, quod poſt paulò Gaſto in Conſilio confirmaverat, objurgaveratque eâ de re Mazarinum, ſicuti diuturnioris virorum Principum cuſtodiæ invidiam in ſe rejicere vellet. Tùm hic Reginæ autor fuerat, uti Gramontium ad Gratiæ-portum mitteret, ac ſimul Lionnum, cum quibus unà Goulaſius Gaſtonis Scriba proficiſceretur, dein is ipſe huic rei moram attulerat, opperiens quid res, aut tempus adferret: poſtremò ubi id procelloſum ex Gaſtonis iracundiâ eſſe ſenſit, tum demùm Gramontium ad Principes viros ire jubet, tantaque ejus in eo negotio aut properantia, aut aſtutia fuit, uti quas iis ferret conditiones, nullas dederit, pollicitus eas ſe continuò miſſurum: nam nonnulla huic ſpes reliqua erat per Reginæ cum Gaſtone colloquium hujus animum flectendi, & ab Gondii conſiliis avertendi.

Igitur Reginam impulit, uti Caſtronovanum, Villaregium, & Tellierum iterùm ad Gaſtonem ire juberet, oratum ut in Regiam venire ne gravaretur, daretque id rei publicæ, uti de hac ſecum neceſſario maximè tempore Regina conſultare poſſet. Sed Gondius talem Gaſtonis cum Reginâ collocutionem metuens ante providerat, ut ne ad hanc adduci ſe ſineret. Itaque Caſtronovanus Reginæ perindè eſſe ait, ſi Gaſto veniret in Regiam, aut hic eam ad ſe venire vellet, quæ nihil rei publicæ, aut concordiæ cauſâ abnuat: ſed ne id quidem tùm Gaſtoni ſatis placuit. Venêre ad hunc eâdem de cauſâ Cæſar Vindocinus, & Carolus Ellebovius, qui nihil magis ab eo impetravêre. Cùm tamen Gaſto ſi Regina ultrò veniret ad ſe, vix colloquium effugere poſſe probè intelligeret, Belfortium, & Gondium accerſit, ex quorum planè vo

luntate

luntate cum illâ ageret. Sed hæc conſilium mutaverat, quod ob optimatum, & nobilium in Regiâ contrà quàm Mazarinus ſperaverat, frequentiam factum aiebant. In Reginæ vultu, atque oratione magna firmitas, ſecuritaſque erat, nequedùm ad Senatum mittere viſum Diploma, quod de viris Principibus emittendis cuſtodiâ perſcriptum fuerat, miſſæ modò litteræ ſunt, quibus ei rei mora adferebatur. 1651.

Intereà Gondius qui in pellendo Aulâ Mazarino omnem ſpem poſitam habebat, idque ſibi maximè faciundum decreverat, in Senatum III. Non. Februarias venit, atque ubi Patres docuit Gaſtonem in ſuâ de viris Principibus ſententiâ perſeverare, quæ Mazarinus cum Gaſtone colloquendo Reginâ coràm dixerat, ea Patribus narravit. *Hos Regis potentiam imminutam velle, neque ab Britannorum conſiliis longè abeſſe, ſibi quidem primùm infenſos, ſed nec Gaſtoni, neque Reginæ ipſi æquiores futuros. Iſthæc Gaſtonem falſa eſſe reſpondiſſe, neque in Senatu, aut Urbe quemquam eſſe alienum ab eâ quam Regi debeat fide, ac ſuam ea de re lubentem interpoſiturum: qui Mazarinum oderint, eos non Regem odiſſe, adversùm quem omnium ſumma caritas cum ſumma veneratione conjuncta ſit: parceret igitur quod ad ſe unum pertineret, id cum Rege communicare velle, & tenerum hujus animum injuſtiſſimo in ſuos odio imbuere, quod hoſpite, atque advena in Galliæ perniciem nato dignum eſſet:* dein quæ Gaſto ab Caſtronovano, Villaregio, ac Telliero Reginæ nuntiari juſſerat, Senatum edocet.

Ad hæc immane quantùm cuncti exarſerint, uti jam nemo omnium eſſet, quin pellendum Aulâ, regnoque Mazarinum dubitaret: duriùs ſensêre quidam, conjiciundum in carcerem, alii trahendum in Senatum, uti de omni re publicâ ab ſe geſtâ rationem redderet, poſtremò Senatus cenſuit, uti de hoc amovendo Reginæ mox ſupplicaretur, ſicuti poſteà videbimus. Poſt paulò Gaſto in Senatum venit, quem ubi eſt ingreſſus, ſubitò nuntiatur adeſſe Rhodium in veſtibulo Curiæ, qui uti ſibi ab Rege litteras Senatûi reddere copia ſit, poſtulet. Continuò exclamavêre plerique, neque accipiundas, neque recitandas litteras, neque Rhodio poteſtatem faciundam: nuper decretum fuiſſe, ut ne hujuſmodi litteræ ubi quid conſultari cœptum eſſet, acciperentur, quæ conturbandis modò rebus ſcribantur, neque has aliâ causâ ab Mazarino miſſas. Contrà Molæus, paucique alii nitebantur, tantuſque fuit altercantium rumor, uti res propiùs tumultum eſſet.

Gaſtonis modò præſentia Molæum attinuit, ut ne conſurgeret, abſcederetque, tanta Juniorum de perſequendo negotio, ſententiis dicendis, rejiciundiſque litteris pertinacia erat, remque poſtremò tenuiſſent, ni Gaſto moderandos Juvenum animos, atque ad ſe quidpiam attinere ratus, ut ne omnis Majeſtatis verecundia eorum mentibus excideret, & accipiundas, & recitandas litteras, & Senatum Rhodio dandum cenſuiſſet. Dein ubi hæ recitatæ, cenſuit item morem gerendum Regi, atque ſicuti præcipiebat, mittendos qui audirent ea quæ vellet, juberetque: ſed intereà autor fuit, ut ne Senatus Curiâ egrederetur, opperiens tametſi otioſus quid huic Rex nuntiari vellet, eo pacto & Re-

1651. gi, & officio ſatisfacturos: hæc ſententia plena ſingularis prudentiæ viſa, atque in eam omnes diſceſsêre. Miſſi extemplò Molæus, atque alii Præſides, & Conſiliarii ex Claſſibus, qui poſt meridiem modò rediêre.

Tùm Molæus ſibi, atque aliis ab Caſtrònovano Procancellario Regis, ac Reginæ verbis dictum ait, *Hanc reſciviſſe quædam ab Gondio de Mazarino perperàm, & falsò Senatui renuntiata, quo in hunc Patrum animos commoveret: cæterùm Mazarinum nihil aliud in Conſilio nuper dixiſſe, quàm quoſdam ex eo Ordine non ſibi modò, ſed & regiæ potentiæ infenſos, cui ſæpiùs modum facere velint, & qui poſtquàm ſe ab republica amoverint, ne Gaſtoni quidem, atque Reginæ ipſi ſatis æqui futuri ſint: ſi quid prætereà Senatui renuntiatum ſit, mera ad conflandam Mazarino invidiam Gondii commenta fuiſſe: dein Gaſtonem Reginæ ſignificaſſe poſthàc ſe regio Conſilio non adfuturum, neque omnino in Regiam venturum, quamdiù Mazarinus in ea foret. Id eo gravius Reginæ eſſe, quod ipſa ſibi conſcia ſit, cum Gaſtone quàm amiciſſimè, & ſumma cum fide egiſſe, neque hunc quidquam de omni republica celaſſe. Quod cùm ita ſit, nihil arbitrari cauſæ eſſe, quamobrem Gaſto diſſidium inter ſe, atque illam eſſe Senatui, populoque oſtentare velit, quod ab Gondio machinatum Regina non dubitet, cui Gaſto nimium fidei habeat. De viris Principibus emittendis cuſtodia ſe cum eo ſentire: ſed id ut ex rei publicæ commodo fiat, atque alia omnia gerantur, neceſſe eſſe Gaſtonem in Conſilium regium redire, neque ab ſe diſſidere, quod omnibus precibus ab eo poſtulet.* Poſtremò Molæus ait Caſtronovanum eadem ſibi perſcripta tradidiſſe, ſi quid fortè memoriæ vitio in dicendo prætermiſiſſet, dein hæc paucis Reginam ipſam confirmaſſe, atque dixiſſe ſibi non eſſe conſilium Regem filium Urbe abducere, ſed contrà ſi abeſſet, hunc ſe eâ tempeſtate reducturam.

Secundùm hæc Lomenius Brienna unus ex Quatuorviris ait Gaſtoni, Reginam impenſiùs orare, ut ad ſe venire velit, hujuſmodi res tunc cum maximè agi, dequibus hoc conſulto opus ſit. Gaſto priuſquàm reſpondeat recitandum id eſſe ait, quod Caſtronovanus Molæo ſcripto tradiderit, qui nihil aliud eſſe quàm quod ipſe jam dixerat ſatis ſciens, Gaſtonem orare, atque obteſtari inſtitit, ut ad Reginam ire vellet, donec fatigatus, ac propè victus Molæi oratione, & precibus, poſtremò quod Senatus ſibi autor eſſet, id ſe facturum recepit, neque recuſare ſe, quin ad Reginam adeat, & reverentiâ, & obſequio, & ſtudio, atque officio adductum, ſed impediri metu, cujus haud levis cauſa ſit: pergentem nihilo ſegniùs de eâ re Molæum, Belfortius interpellat, rogans an id ſatis tutò Gaſto facere poſſet? ille affirmat poſſe, adjecitque Senatum fidem daturum: ad hanc vocem fit ab Junioribus clamor, ut qui ab Molæo diſſentirent, neque eo deterritus eſt ab orando, obſecrandoque Gaſtone, ut in Regiam ire vellet, homo ſummâ gravitate, atque conſtantiâ, qui in Reginæ, atque Gaſtonis colloquio, ac concordiâ rei publicæ ſalutem poſitam præclarè intelligeret.

Sed qui id omni ope prohibere volebat Gondius, is Gaſtonem om-

nem eam rem Senatui permiſiſſe ait, ex cujus ſententiâ quid ſibi faciundum foret, conſtitueret: hanc non unius, aut alterius, ſed univerſi Ordinis eſſe, eo exquirendas ſingulorum ſententias videri. Iterùm fit ab Junioribus clamor cum Gondio ſentientibus, quo Molæus ubi ſe videt cogi denique, uti ſententias rogaret, priùs tamen quod Caſtronovanus ſibi ſcripto tradiderat, id recitandum curat, quod antehàc abnuerat: ſed tum nihil occurrit aliud, quo tempus tereret, moramque rogandis ſententiis adferret. At Gaſto ſcripto recitato Briennæ ita locutus eſt, uti cui in Regiam ire conſilium non eſſet. Dein Patribus ait: *Initium ſimultatis ſecum exercendæ Mazarinum feciſſe, ex eo quod ante annum Aquitanici tumultûs ſedandi cauſa Aquitaniam Spernonio abrogandam cenſuerat: auctam ſimultatem ex eadem ſua ubi Rex profectionem in Aquitaniam adornabat ſententia, quoniam eò copias abduci, nudarique Regni fines rei publicæ damno futurum providebat: dein quod ubi bellum in Aquitania geri cœptum fuerat, id conditionibus componi, quàm Burdigalenſium excidio confici maluerat, uti copiæ in fines Belgium versùs ſubitò redirent: prætereà quod viros Principes Gratiæ-portum abduci invitus ſiverat: poſtremò quod & Senatum, & Gondium, & Belfortium, Mazarino permittere noluerat, prædicanti extrà ſe unum omnes cæteros qui ſibi inimici forent, facile peſſùm daturum: ſed ſe unum ab Italici hominis fraude fore immunem quis dare fidem audeat? cui adeò ſeſe haud rectè commiſſurum ſentiat.* 1651.

Hanc Gaſtonis orationem Juniorum clamor eſt conſecutus, ſententias rogari jubentium. Molæus igitur Cognitorem, atque Actores regios ſi quid in rem præſentem Senatui dicendum habeant, proloqui jubet: ibi Talonus Actor regius neminem ait ambigere poſſe quin Mazarinus faceſſere debeat: de colloquio verò, atque Gaſtonis cum Reginâ concordiâ multis diſſeruit, docuitque in eâ rei publicæ ſalutem poſitam, atque adeò Gaſtonem obſecravit, atque obteſtatus eſt, uti de eâ re omnium bonorum, atque ipſius quæ ejus fidem imploret rei publicæ precibus exorari ſe ſineret, parceretque hanc onerare miſeriis, quas ex Reginæ, atque hujus diſcordiâ eventuras cuncti provideant. Hæc magna vi, atque eloquentiâ dicta commovêre Gaſtonis animum ſuâpte naturâ ad bonum, quàm ad malum flecti faciliorem. Sed hunc obfirmaverat Gondius, prætereà Margarita uxor, atque ex priori uxore Anna Maria Ludovica filia, quas in Curiâ adfuiſſe in his quas lucernas vocant locis fama fuit.

Ambæ Mazarino infenſæ erant, quod alteri Regem unam ex filiabus ſuis, alteri hanc ipſam uxorem ducturum ſeorſim promiſerat, quo fiebat, ut alterutram fallere neceſſe eſſet: hæ igitur in curiâ adfuêre, uti Gaſtoni pudor eſſet, quæ domi receperat, ea in Senatu mutare. Tamen ubi hominis animum Taloni oratione commotum Molæus ſenſit, non omiſit orare, atque obſecrare, uti cum Reginâ colloqui vellet. Sed non eſt auſus Gaſto ab ſententiâ diſcedere, cùm uxor, & filia, Gondius, Belfortius, atque alii teſtes adeſſent, quibus cautio fuerat, ut ne homo hûc, illûc impelli facilis ad tale colloquium cum Reginâ

1651. habendum adduci ſe ſineret, ſcilicet qui probè meminiſſent quo pacto nuper de viris Principibus Gratiæ-portum abducendis Reginæ conceſſiſſet.

Itaque Molæus omni ſpe de colloquio abjectâ rogare ſententias cœpit: hæ acerbæ propè omnes in Mazarinum fuêre, biduum dicendis conſumptum, ac denique in Gaſtonis ſententiam factum Senatus conſultum eſt, ut ab Reginâ litteræ poſtularentur, quibus Rex juberet Principes viros carcere emitti, prætereà Diploma, quo hos extrà noxam eſſe ediceret, poſtremò uti Mazarinum amoveret. Ad Reginam iêre eâ gratiâ Cognitor, atque Actores regii, quibus illa reſpondit, *De Principibus viris carcere emittendis ſe cum Senatu ſentire, at cavendum videri, ut id ſine rei publicæ detrimento fiat, cæterum in hac adminiſtranda cujus conſilio, atque opera utatur, ſuum judicium eſſe, quæ Regis filii per ejus pueritiam vices gerat, neque eam rem ad Senatum quidquam attinere: quamdiù igitur Mazarini opera bona, fideliſque Regi, atque rei publicæ foret, haud rectè ſe hunc amovere poſſe.*

Hæc ubi Senatui poſtridiè renuntiata, magnus eſt coortus rumor, indignantium rem tantam Cognitori modò, & Actoribus regiis mandatam, quam ab ipſo Molæo, atque aliis ex Senatu factam oportuerit: corruptum fuiſſe quod Senatus decreviſſet, Molæumque graviùs objurgabant, ſicuti ex Aulæ, & Mazarini voluntate moram iis negotiis adferret: viros Principes Senatûs decreto abſolvendos, quærendum in Mazarinum, ab quo tanta in rem publicam orta damna, & in Senatum injuriæ ſint, neque priùs eſt ſedatus rumor, quàm advertêre animum plerique, Gaſtonem quidpiam dicere conari, quod facto denique ſilentio fuit hujuſmodi.

Jam ſe Majeſtatis reum in Regiâ haberi, quod Mazarinum amoveri, & Principes viros emitti carcere unà cum Senatu æquum cenſeat. Qui equitibus, & peditibus præſint, eos ad ſe venire, ac ſibi dicto audientes eſſe prohibitos, ad quem quidquid domi, foriſque belli gerendum, aut ſuſtinendum ſit, ex Ludovici XIII. fratris Edicto, & Senatûs Decreto pertineat. Idem Mercatorum Præfecto vetitum. Mazarinum Reginæ gratiâ fretum regnare, huic ab omnibus, ab Senatu, atque ab ſe ipſo ſerviundum, aut ab Reginâ diſcordandum. Apud Paliiavium Mazarini clientem convenire complures cùm nobiles, tùm militares viros, qui huic Regis ſub nomine ſacramento dicant, ſcriptoque operam polliceantur. a *Iſlaboni, & Ruvignii qui Mazarino ſtudeant, cohortes in Urbe eſſe: hunc ad ſuas partes unum quemque pertrahere, quem aut manu promptum, aut aliqua apud milites fide eſſe noverit: prætereà è prima nobilitate, permultos, qui huic antehàc adverſi fuerint, præmiis, doniſque, cujus rei ex ærario maxima ipſi copia ſit, corruptos, item pactionibus provinciarum, aut oppidorum, & arcium, quibus præficiantur, aut Sacerdotiorum, aut aliarum rerum: quæ omnia uni Reges antehàc benè de re publica meritis dono dare conſueverant, Mazarinus autem ab hujus principatûs initio venum dederit, at tunc operam adverſùm ſe Regis Patruum, atque adverſùm Senatum pollicentibus longe pejori mercede, quàm pecunia, tamen ſicuti dono det, omnium rerum in Regia, atque in re publica arbiter.*

a Le Comte de l'Iſlebonne, fils du Duc d'Elbœuf. De Ruvigny.

Continuò clamitare juniores, ac Mercatorum Præfectum vocari jubere: obſtabat Molæus, aut tergiverſabatur: ſed tantâ contentione eſt ab iis actum, uti poſtremò Senatûs verbis hunc accerſi oportuerit. Intereà ſententiæ rogari cœptæ, quæ ſicuti duriores de abſolvendis viris Principibus abſque regio Diplomate, atque atrociores quàm antehàc in Mazarinum ab univerſis per tumultum jactatæ fuerant, ita ab ſingulis haud minùs acerbæ tùm dictæ ſunt. Sed cuncti Gaſtonis autoritatem denique ſecuti, qui priori decreto ſtandum cenſuit, in hujus ſententiam diſceſsêre: additum modò, ut huic, quod & rei publicæ, & Senatui juxtà conſultum vellet, gratiæ agerentur, Molæus, atque alii de more ad Regem, atque Reginam matrem adirent, certiores facturi quid Senatus ſentiret. Id tunc cum maximè fieri placebat, ſed Molæus uti diei tempus erat, vereri ſe ait, ut ne ad meditandam orationem ſatis hujus ſupereſſet: ita res in craſtinum dilata, ac ſic denique palàm fuit, hunc quid poſtridiè futurum eſſet, Reginæ conſcium fuiſſe. 1651.

Ante biduum plerique nobiles qui ad Urbem erant Mazarino infenſi, quod quæ ſibi ſinguli expetiverant, ea ex ſententiâ non erant adepti, apud Carolum *a* Vetuſvillam Marchionem frequentes convenerant: hunc quem ſummam Quæſturam expetiſſe ſuprà memoravimus, ex repulsâ dolor accendebat, uti res novas cuperet, atque alium alia impellebat cauſa, more hominum, ac maximè noſtratium, queis ſuæ res nunquam ſatis placuêre. Fuêre qui ita exiſtimarent Gondium iis autorem fuiſſe, uti convenirent, atque unà quid optimum factu eſſet, conſultarent. *Mazarinum ipſis æquè, ac Senatui hoſtem eſſe: ſi de hoc pellendo cum Gaſtone, & Senatu, prætereà de viris Principibus emittendis cuſtodiâ conſentirent, rem publicam incolumem, atque florentem tot virorum Principum virtute fultam, ſingulis ſua præmia fore.* Igitur hi Gaſtonis partes ſequi decrevêre, quod ubi Regina reſcivit, atque alia multa Gondium agitare, metuens uti Regem filium Gaſto habere vellet in poteſtate, aut Mazarinum comprehendere in ipsâ Regiâ, centurias ſex, præter eas quæ ad Regiæ fores in ſtatione eſſe ſolent, accerſi juſſit.

a Le Marquis de la Vieuville.

Sed Gaſto miſerat ad Spernonium, & Schombergium quorum alter omnibus Gallis, alter omnibus Helvetiis peditibus præeſt, qui ſuis verbis juberet, eos ſibi dicto audientes eſſe, cui videlicet toto in regno per Regis pueritiam res omnis militaris eſſet permiſſa: ſed hi ſe Gaſtoni quæ æquum eſſet, ea obſecuturos, cæterùm Regi, atque Reginæ matri ſicuti debeant, fideles fore reſpondêre. Eo Gaſto apud Senatum expoſtulaverat multos abnuere imperia ſua, atque parere Mazarino, graviterque ſe ferre oſtenderat, quod Regina Mercatorum Præfectum ad eum adire injuſſu ſuo vetuerat: ſed Patres uti Gaſtoni morem gererent, decrevêre uti cuncti quibus aliqua rei militaris cura eſſet, quin & ipſe Mercatorum Præfectus, cui & hæc cura in Urbe ſit, Tribuni, centurioneſque urbanæ militiæ Gaſtoni dicto audientes eſſent, neque quod ad bellum attineret quidquam, niſi hujus voluntate fieret. Secundùm hæc gratiæ ab Molæo Senatûs verbis actæ Gaſtoni,

1651. quod tam egregiè rem publicam capeſſeret, viris Principibus emittendis cuſtodiâ ſtuderet, atque huic Ordini ſeſe amiciſſimum oſtenderet. Quod quidem apud Gaſtonis ædes factum iri Senatus decreverat, ſed is ut eâ causâ ad ſe mitterent, nihil opus eſſe dixerat, cui nota eſſet optima ergà ſe Senatûs voluntas. Ita Molæus in ipsâ Curiâ hoc officio extemplò functus eſt: cui Gaſto benignè, atque comiter reſpondit, perpetuam huic Ordini amicitiam, fidem, & gratiam pollicitus.

Eâ ipsâ die quâ hæc in Senatu agebantur, qui apud Vetuſvillam convenerant ante biduum Nobiles, ii apud Nemoroſium iterùm convenêre, atque eumdem hunc Vetuſvillam, & Carolum *a* Eſcoblellum Surdium Marchionem, qui ſibi ſicut in Regni Comitiis fieri ſolet, præeſſent (Præſides appellant) delegêre. Fuerat & Surdio per Richelii tempora habendæ ſummæ Quæſturæ ſtudium ingens, quamobrem huic ſeſe haud ſatis dignam in re ipſius familiari procurandâ operam dederat. Sed Nobiles negotium dedêre Comiti *b* Fliſco, è Fliſcorum apud Genuenſes gente, Fieſcum apud nos hunc appellant, ut ad Epiſcopos, alioſque ex Ordine Eccleſiaſtico, qui multi ad Urbem erant, atque voluntate Regis Ordinis ſui Comitiâ habebant, adiret, atque his quid Nobilibus eſſet conſilii, aperiret, poſtularetque ut utrumque Ordinem de viris Principibus emittendis cuſtodiâ conjunctum vellent, atque in eo Gaſtonis autoritatem ſequerentur.

a Le Marquis de Sourdis, d'Eſcoubleau.

b Le Comte de Fieſque.

Poſtquam Gaſto exierat Curiâ, Caſtronovanus ad eum venit, conatuſque porrò eſt huic perſuadere, uti ſe ad colloquium quod Regina tantoperè flagitabat, adduci denique ſineret. *Quod id ſe ſatis tutò facere poſſe neget, nihil eſſe, neque quemquam omnium fallere, id ab eo adſimulari: ſi æqua in colloquio Regina poſtulet, an hunc vereri, ut iis aſſentiundum ſit? certè quæ non fuerint ejuſmodi, ea abnuere in ejus poteſtate futurum.* Sed is ſibi diffidens porrò colloquium effugit, atque Caſtronovanum dimiſit, qui abiens rogare ait Reginam, uti poſtridiè ne maturaret in Curiam ire, intereà loci quidpiam fortè eventurum, quo ipſi Reginam morem gerere, ac ſatisfacere velle cognoſcat.

Caſtronovanum, atque Rohanam Mombaſonam, inter quos mirificè convenire ſuprà diximus, Mazarino autores fuiſſe ferunt, uti tempori cederet, atque ab Aulâ tantiſper abſcederet. *Id ubi factum foret, Gaſtonem ultrò ad Reginam venturum, brevique inter eos, quæ homini facilitas ſit, omnia conventura: quod ſi uti ſperarent, eveniret, melius dubio procul futurum, uti Mazarinus cum bonâ Gaſtonis gratiâ in Aulam mox redeat, quàm tunc cum malâ, ſummoque & ſuo, & rei publicæ periculo manere conetur: nam & Gaſtonem, & Senatum nihil omnium prætermiſſuros, quo illum abire cogant, ac Senatûs Decretis ſpem omnem reditûs præcidant, quin & fortaſſe triſtiora decreturos: at ſi ſponte ipſe diſcedat quieturos: ſin Regina de ejus reditu ab Gaſtone impetrare nequeat, illius in manu fore, Regem filium Urbe abducere, & quò ipſa voluerit commorari, atque eò ipſum accerſere, qui in Aulâ tum tutò verſetur, intereà dùm hæ turbæ ad Urbem ſileſcant.*

Probatum id conſilium Mazarino, quando rectius nihil occurrebat,

ac tametſi intelligeret fraudem, tamen id æqui, bonique ſe conſulere 1651.
ſimulavit, nam ita ipſi tempus erat, uti cum nemine inimicitias exercere vellet: ſed hæc ab Caſtronovano, atque Rohanâ Mombaſonâ dicta parvi pendebat, Reginæ animus ergà ſe ut eſſet, ſatis certus, quod ipſi multo maximùm erat. Igitur cum hâc diù, multúmque collocutus, & conſtitutâ in proximam noctem profectione diſcedit: dein ubi hujus tempus advenit, rurſùs ad Reginam adiit, paucisque verbis, *Quando* inquit, *horum exemplo, quorum opera Regibus fortis, fidelisque fuit, multorum invidiâ, atque odio premor, atque hi Gaſtonem Regis patruum impulêre, uti ſe conſiliis quæ de re publicâ habentur, adfuturum neget, ſi his me Regina porrò adeſſe velit, pacis, & concordiæ causâ quæ in regiâ familiâ perpetua eſſe debet, diſcedo lubens: ſed quoquò terrarum agitare contigerit, neque operæ, neque fortunis, neque vitæ ipſi parcere certum eſt, quo erga te Regina, Regemque filium, & Galliam memorem me, & gratum præſtem.* Ad hæc Regina benignè, ac breviter reſpondit, quæ ejus in Regem filium, atque in ſe, Galliamque merita ſint, ea nullam oblivionem ex animo ſuo deleturam, dein valere juſſit: hæc palàm, ac publicè inter ambos commutata verba, nam antehàc ſecretò convenerat, quid utrimque agendum eſſet, & quo pacto alter alterius de ſingulis rebus ſententiam mox pernoſceret. De ſecundâ vigiliâ per Regiæ poſticum Mazarinus tribus omninò comitantibus egreſſus ad Urbis quæ proxima eſt, portam pervenit, dein Germani-fanum contendit: qui abeuntem proſequerentur amici haud procul opperiebantur, eo numero, qui rarò iis adeſſe ſolet, quibus ſpes omnis gratiæ, atque potentiæ adempta eſt.

Poſtridiè manè Lomenius Brienna ad Gaſtonem venit, nuntiatum abſceſſiſſe Mazarinum, id illi Reginam obſecutam, ut ne obſtaret ampliùs quidquam, quo minùs ad eam veniret de re publicâ ſicuti neceſſe videatur, conſultatum: dein Gaſto iit in Curiam, narravitque id Patribus, addiditque quid ſuper eo diſceſſu porrò faciundum eſſet, conſultandum videri: nam Mazarinum haud longiùs Germani-fano abeſſe, complures è primâ nobilitate abeuntem proſecutos, atque etiam tùm cum eo eſſe, quæ omnia dolum, ac fraudem oſtentent. Juniores continuò exclamant, pellendum finibus hominem, hoſtem judicandum, ut ne uſquàm redeat, providendum, poſtremò dicendas ſententias eſſe. Molæus ſicuti antehàc Gaſtonem hortari, ut ad Reginam adire velit, *Pulſo Mazarino quod Regina honoris ejus cauſa fecerit, cætera hujus autoritati prona eſſe, ab hoc congreſſu pendere domi, foriſque pacem, quam quovis pretio comparaſſe neminem uſquàm pœnituit.* Sed obſtrepebant huic juniores, Senatúſque decretum faciundum clamitabant hujus exemplo, quod anno CIƆ. IƆC. XVII. factum fuerat. Cogneuxius Præſes eadem fermè quæ Molæus aiebat, *Rem magnam ab Regina factam, gratias magis agendas videri, quam decernendum quidquam: ex hujus cum Gaſtone colloquio cætera ſperanda.*

Tanta erat inter eos qui de colloquio, aut ſecùs ſentirent, altercatio, aut contentio, uti res propiùs tumultum eſſet, poſtremò ſententias ro-

1651. gare coactus eſt Molæus, quæ nuſquàm acerbiùs dictæ in Mazarinum ſunt. More hominum, qui quos in proclivi eſſe ſenſêre, eos lubentes uti præcipitent, impellunt. Quidam omnes extraneos regno pellendos, quidam ab re omni publicâ, alii ab Conſilio regio modò arcendos cenſebant, idem alii de Cardinalibus, aut omninò de Eccleſiaſticis, alii ut ne Regibus ſeſe, atque adeò rem publicam uni permittere fas eſſet. Sed tantos impetus inhibuit Gaſto, cenſuitque de Mazarino pulſo gratias Reginæ agendas: ut illum Regni finibus abſcedere, viros Principes carcere emitti jubeat, huic ſupplicandum, eâ gratiâ quæ ſcribi, aut fieri opus ſit, ea uti ſtatim fiant, Diploma ad Senatum mittat, quo extraneos omnes, tametſi civitate donatos, & qui alteri quàm Regi jurejurando fidem obligaverint, in Conſilium regium admitti non poſſe Rex edicat: in hanc ſententiam Senatûs decretum ſit, Molæus, aliique ad Reginam hæc adferentes adeunt.

Ubi quæ ab Senatu juſſi fuerant, expoſuêre, Regina ait ſe Caſtronovanum Procancellarium opperiri, quem ad Gaſtonem miſerit oratum denuò, ut ad ſe venire vellet, aut ſe ad eum venire pateretur. Sed is utrumque abnuerat, donec Regina cognitis iis quæ Senatus de Mazarino, & viris Principibus cenſuerat, huic morem gerere vellet, ac de his emittendis cuſtodiâ Gratiæ-portum litteræ regiæ miſſæ forent. Quo nuntiato Regina Molæo, atque aliis qui ex Senatu aderant, *Quando* inquit, *in re tanta Gaſto juvare me conſilio gravatur, alios me conſulere æquum eſt, ſcilicet Proceres Regni qui ad Urbem ſunt, hi ubi quid ſentiant, reſcivero, tum Senatui quid Rex velit, jubeatque edicam.*

Continuò vocati in Regiam Proceres ſunt, viri videlicet Principes, Duces, Franciæ Pares, Equitum Tribuni, quos Franciæ Mareſcallos appellant: hi Reginæ cum his quos in conſilium de re publicâ adhibere ſolet, præſto fuêre, qui omnes Gaſtonem orandum, ut in Regiam veniret cum Reginâ conſultatum, atque exorandum ſi quâ fieri poſſet, cenſuêre. Iêre eâ gratiâ ad eum Vindocinus, Ellebovius, Spernonius, atque alii, qui tametſi multa, eaque gravia adferrent, quamobrem Reginæ id obſequi deberet, neque ipſe planè alienus ab hâc ſententiâ videretur, qui videlicet quod optimum factu eſſet ſatis intelligeret, tamen uxoris, & filiæ, præthereà Gondii qui obſtabant, neque ab ejus latere uſquàm diſcedebant, verecundiâ, in primâ ſententiâ perſtitit. Animi nutantis, atque incerti indicium fuit, quod Ellebovio urgenti acriùs, ut exorari ſe ſineret, rationeſque in eam rem graviſſimas adducenti, more hominum qui ſe omnibus rebus circumcluſos ſentiunt, nec quâ evadant ſatis ſciunt, ſuccenſuit vehementer, hominem objurgans, quod tametſi ſua in hunc merita magna eſſent, præthereà affinitas intercederet, tamen ab Mazarini ſtaret partibus, has non ex bono, honeſtoque, ſed ex commodo mutare ſolitus, levem, inconſtantem, transfugam, Mazarini ſatellitem appellando.

Dum hæc in Aulâ geruntur, Molæus quæ ſibi Regina reſpondiſſet, ea Senatui renuntiat: ſed quoniam Regina cunctari videbatur, accerſitaſque

taſque copias fama erat, ab Mazarino ad Aulam nuntios curſitare, nec quidquam etiamtùm niſi ex hujus fieri ſententiâ, poſtquàm Juniores more ſuo multa per tumultum dixerant, exquiſitis ſingulorum ſententiis, decretum uti Cognitor, atque Actores regii maturarent ad Reginam ire, emittendiſque ſicuti Senatus cenſuerat, cuſtodiâ Principibus viris litteras regias ad Barem poſtularent, prætereà Diploma regium, quo Rex eos extrà noxam eſſe ediceret, alterum quo Mazarinus, item propinqui ejus omnes, ac propinquæ Galliæ finibus decedere juberentur, ac tertium denique de extraneis etiam civitate donatis, & qui alteri quàm Regi jurejurando fidem obligaſſent, regio Conſilio arcendis. 1651.

Cognitor, atque Actores regii maturè Senatûs juſſa exequuntur, Regina partim ipſa per ſeſe, cæterùm per Procancellarium reſpondet, *Sibi certum eſſe viros Principes emittere cuſtodiâ, cupere tamen priùs cum Gaſtone colloqui, ut id ex utriuſque ſententiâ, atque ex re publicâ fiat: ſin colloquium abnuere pertendat, ſe Procancellarium ad hunc miſſuram, ac ſtatim poſteà daturam ad Barem litteras. De Mazarino hunc haud quaquàm rediturum abiiſſe* ait, *prætereà Mancinum ſororis filium, ac ſororum filias poſtridiè abituras.* Hæc Senatui renuntiata Junioribus haud ſatis placuêre porrò ſuſpicantibus Reginam, & Mazarini, & virorum Principum negotio quas poſſet, adferre moras: & quanquàm Molæus diem hanc modò opperiundum ſuaderet, donec Regina per Procancellarium cum Gaſtone egiſſet, tamen Juniorum ſtrepitu factum, uti ſententias rogare cogeretur: poſtremò decretum fit. Quoniam Regina Cognitori, atque Actoribus regiis dixerit Mazarinum abſque ullâ reditûs ſpe abiiſſe, placere ut id ratum, firmumque ſit, prætereà ut hic, atque omnes propinqui, & clientes qui cives non ſint, in diebus proximis quindecim regno, atque omnibus quæ in Regis ditione ſint, regionibus abſcedant, qui ſecùs faxint, aut quacúmque de causâ redierint, in eos jure agatur, atque intereà multitudini per urbes, atque agros, ut eos invadat, copiam fore.

De viris Principibus actum inter Gaſtonem, & Procancellarium, datæque ab Rege, & Gaſtone ad Barem litteræ, ut hos dimitteret, atque eâ causâ ad Gratiæ-portum profecti Phelipæus Vriliera unus ex Quatuorviris, prætereà Rupifocaldus, Arnaldus, & Viola Condæi clientes: Vriliera conditiones de quibus cum Gaſtone, & Condæi clientibus convenerat, laturus erat, quas Condæus, Contius, & Longavilla acciperent. At Mazarinus uti ſuam adhuc & gratiam, & potentiam oſtentaret, cum trecentorum equitum præſidio, magnoque nobilium comitatu iter per Normanniam habebat, quo Vrilieram, atque alios anteiret, viros Principes cuſtodiâ emiſſurus: quod quanquàm ipſi, atque alii omnes hunc invitum facere ſatis ſcirent, tamen in poſterum id ſibi non nihil profuturum exiſtimabat: certè in præſentiâ argumentô erat, huic cum Reginâ convenire, neque diutiùs quàm opus ad ſedandos animorum motus foret, abfuturum. Gondium ferunt ut hanc illi ſpem præcideret, Gaſtonem impellere voluiſſe, uti Regem in ædes

1651. ſuas abduceret, quo hic cum ipſo Gaſtone in ſuâ poteſtate eſſet, atque adeò rem publicam vice Mazarini adminiſtraret: eo rumorem ſparſiſſe, Reginam abducturam ab Urbe Regem filium, quo illi invidiam conflaret, Senatuique, ac Populo perſuaderet rectiùs hunc apud Gaſtonem futurum. Ut huic conſilio Regina occurreret, optimum factu judicavit Mercatorum Præfectum accerſere, cui dejeravit perſanctè nihil ab ſe initum conſilii de abducendo ab Urbe Rege filio, atque ut id certius eſſet omnibus, ſibi probari ait, ut ad portas Urbis cuſtodiæ agerentur, non ab multitudine imperitâ, quam id temporis armatam eſſe periculoſum foret, ſed ab bonis civibus, ac maximè patribus familias, quibus res publica curæ ſit: quidam id Rohanam Mombaſonam, & Caſtronovanum Reginæ autores fuiſſe aiebant, ut ne poſthàc Regem filium ex voluntate Mazarini abducere poſſet.

Sed hic intereà multum itineris ad Gratiæ-portum anteceperat: quò ubi advenit, arcem ingreſſus Reginæ verbis Condæo, Contio, & Longavillæ rem lætiſſimam nuntiat, ſcilicet hanc eos emiſſos cuſtodiâ velle, dein cibum capiunt unà, paucisque commutatis inter ſe verbis Condæus, atque alii conſcendunt rhedam, atque ita ab Mazarino diſcedunt, uti qui ſe magnam huic de liberatione ſuâ gratiam debere minimè crederent, tametſi primus ipſis objicere tantum gaudium ſtuduiſſet. Poſt paulò in Vrilieram, ac cæteros qui unà veniebant, incidêre, qui admirati ſe quod facere juſſi erant, alterius diligentiâ præventos, tamen re ipsâ quoquo modo facta eſſet, læti Condæo, atque aliis gratulantur. Fuêre qui Mazarinum feſtinaſſe nimiùm, atque in eo offendiſſe dictitarent: nam Vrilieram Condæo ferre debuiſſe de re publicâ conditiones, quas liberationis ſuæ ſtudio cupidiſſimè accepturus fuerat. Sed eventus docuit, id vix ſatis utile futurum fuiſſe, neque quemquam quæ data ſit in vinculis fides, eâ ſe teneri credere. Regina planè invita Vrilieram miſerat ad Principes viros eximendos cuſtodiâ, cum quo Rupifocaldus, atque alii ierant: ſed clàm ſcripſerat ad Mazarinum, ſi Principes viros ab Gratiæ-portu vellet aliò abducere, idque ad rem publicam pertinere judicaret, per Regem, ac per ſe licere, quin & Rupifocaldum comprehendere ſi opus foret, ac denique alia omnia pro re publicâ, ac pro fide ſuâ agere: at maluit Principes viros dimittere, atque ipſe abire, cùm eò Gondii operâ, Rohanæ Mombaſonæ, atque Caſtronovani fraude res inclinata eſſet.

Sed Condæus, atque Contius frater, & Longavilla Lutetiam Pariſiorum advenêre denique. Obviam prodiit ipſe Gaſto, qui pridiè modò in Regiam redierat, & cum Reginâ collocutus fuerat. Ad hanc primùm, Regemque filium viri Principes adiêre, dein cum Gaſtone cœnavêre. Aderant & hujus, & Condæi plerique clientes, atque amici, lætique convivium celebrabant, inter quos Belfortius, & Gondius fuêre. Ubi pluſculum ebibitum eſt vini, ibi verò Regi primùm benè precati Mazarino multis modis maledixêre, parem ſicuti aiebant, gratiam referentes, qui Rege coràm in ſimili convivio prolixè antehàc

Funditoribus maledixiſſet. Qui res novas in Urbe moliebantur, faciebantve, eos in Aulâ Funditores appellabant, quoniam è plebe pueri ad alveum Sequanæ ubi per æſtatem areſcere cœpit, magnaque in eo ut ferè fit, minutorum ſaxorum copia eſt, fundis inter ſe decertare ſolent, ad exemplum eorum virtutem adverſariorum per jocum, & contemptum æſtimantes. Sed Gaſto, atque Condæus poſthàc ſeſe Funditoribus duces præbuêre, atque inde multa mala in rem publicam orta, quam Gondius pulſo Mazarino ſe poſthàc per Gaſtonis, & Condæi gratiam geſturum eſt arbitratus. At Senatui longè alia mens erat, huic enim cavendum videbatur, ut ne cujuſquam in Aulâ potentia creſceret, tædebatque hujus quam Richelius pridem, Mazarinus nuper habuerant, quoniam qui gratiâ apud Reges valent, hos ſicuti par eſt, quàm potentiſſimos volunt, atque id plerumque causâ ſuâ, quo & ipſi regiâ utantur, aut abutantur potentiâ, prætereà Senatum Regis injuſſu rei publicæ quidquam attingere poſſe negant, aut alias hujus Ordinis partes eſſe, quàm uti de vitâ, fortuniſque civium quod certè maximum eſt, causâ cognitâ judicium ferant. 1651.

Igitur ubi in Curiam Regis Diploma quo omnes extranei etiam civitate donati ab regio Conſilio arcebantur, allatum eſt, placuit Cardinales ſingillatim nominari, tametſi cives forent, quoniam Pontifici jusjurandum pollicentur. Sed id planè vanum fuiſſe videtur, nam Cardinales id Regis voluntate faciunt, neque horum jusjurandum in Regem eſt, aut in rem publicam: prætereà decreto Regem prohibere, ut ne huic, aut illi fidem habeat, neu hujus operâ, aut conſilio in re publicâ gerendâ utatur, Senatum quis poſſe credat? aut quod cæteris hominibus liberum ſit, id uni Regi liberum non eſſe? Sed hæc iniquitate temporum, & partium vitio contracta ſicuti pleraque alia, haud poſteà rata fuêre. Gondio ægrè erat arceri ab omnis rei publicæ adminiſtratione Cardinales, ſcilicet qui hunc ſibi honorem expetebat, atque ſe eo fretum ingentia, ac multo majora Richelio, atque Mazarino facturum ſperabat: hi enim omnis rei publicæ adminiſtrationem ſicuti quemdam Magiſtratum qui unis poſthàc Cardinalibus proprius foret, habuiſſe videbantur. Inter hæc Rex Condæum, Contium, & Longavillam edicit extrà noxam eſſe, de qua re Diploma lætiſſimis Patrum animis promulgatum in Curiâ, atque in acta Senatûs relatum eſt.

In Urbe ſicuti ſuprà memoravimus, & Eccleſiaſtici, & Nobiles, quin & ex Ordine plebeio conveniebant certis locis complures, in Comitiorum Regni ſpeciem. Eam rem Gaſtonis voluntate fieri, atque hujus autorem fuiſſe Gondium aiebant, qui id uſui futurum judicaverat, quo Mazarinus viros Principes cuſtodiâ emittere cogeretur. Sed cùm jam emiſſi eſſent, neque Senatui uſquàm antehàc Regni Comitia haberi ſatis placuiſſet, nec denique fas eſſe cenſebat, hujuſcemodi conventicula Eccleſiaſticorum, Nobilium, ac plebeiorum haberi, hæc planè vetuit, ſed magis Regina diremit, factâ brevî Eccleſiaſticis, atque Nobilibus Comitiorum voluntate Regis habendorum ſpe, quod tamen fruſtrà fuit:

1651. quoniam ex hujuſcemodi Comitiis majores in re publicâ turbæ futuræ videbantur. Fuêre tamen in Senatu quibus Nobilium conventus probarentur, Bruſſello ſcilicet omnium quæ peſſima eâ tempeſtate in re publicâ fierent, aut autori, aut fautori acerrimo, atque his qui cum eo ſentiebant.

Patres magnoperè ſoliciti erant de eo Diplomate, quo Cardinales Conſilio regio arcebantur, quoniam nondum ad Senatum mittebatur, nam huic interceſſerat Eccleſiaſticus Ordo, ac ſuper eâ re gravem ad Regem Georgius *a* Aubuſſonus Foliadæus Eberodunenſis Archiepiſcopus habuerat orationem, docueratque: *Eccleſiaſticum Ordinem in Galliâ ex tribus quibus Reſpublica conſtet, primum eſſe. Huic injuriam fieri, ſi qui in eo ſint, iis ea neceſſitudo imponatur, uti Cardinalatum abnuant, aut ab omni re publicâ domi gerendâ procul ſint: æquè domi, imò magis quàm foris ſuam rei publicæ debere operam, neque eſſe quidquam, quo hanc præſtare ubi Cardinales fuerint, prohibeantur. Quod jusjurandum Cardinales Pontifici polliceantur, id nihil obſtare fidei, qua Regi, ac patriæ priùs obligati ſint. De hoſpitibus, advenisque quod in rem publicam videretur, Rex ediceret, ac Senatus decerneret, cives autem domi ab omni re publica arceri ubi Cardinales creati forent, atque perindè ac peregrinos haberi durum, inſolitum, neque ſatis æquum videri. Quæ objectentur Richelio, ac Mazarino, & quæ in re publica dicantur offendiſſe, ea nihil ad Cardinalatum quem geſſerint pertinuiſſe, atque eadem fuiſſe quæ in alios qui gratia apud Reges valuerint, jactata fuiſſent, tametſi Cardinales non eſſent.* Cæterùm Gaſto autore Gondio ad quem ea res pertinebat maximè, Senatui dixit Aubuſſoni orationem Regem, atque Reginam, dein ſe, atque alios omnes qui Regi aderant in Conſilio, permoviſſe, ut ne de Cardinalibus Gallis, ſicuti de peregrinis idem ediceret, ac Eccleſiaſticum Ordinem abalienaret.

a D'Aubuſſon de la Feüillade, Archeveſque d'Embrun.

Contrà Molæus qui ambitioſis Gondii conſiliis adverſus erat, *Aubuſſonum* ait, *pluſquàm Eccleſiaſticus Ordo in Gallia velle debeat, poſtulaſſe: nam hunc Archiepiſcopis, Epiſcopiſque, & his qui alia in Gallia ſacerdotia obtineant, conſtare, qui ſi Cardinales fiant, tum ad Eccleſiaſticum Romæ Ordinem pertineant, atque adeò neceſſarium videri, ut eò ſe conferant: non uſui eſſe rem Romanam, Gallicamque ab iiſdem adminiſtrari, cùm diverſæ, & quandòque adverſæ inter ſe utriuſque rationes ſint.* Poſteà vicit ea ſententia, quæ Cardinales etiam cives ab regio Conſilio amovebat, priſtino in Richelium, ac recenti in Mazarinum odio, quo permoti Patres in hanc ſententiam Diploma ab Rege flagitavêre: prætereà Gondium eadem moliri ſentiebant, ac majora, & intolerabiliora, ſi Cardinalis foret, remque publicam tractaret, deſignaturum providebant: poſtremò Gondio aucto nihil opus eſſe plerique omnes cenſebant, ac fruſtrà Mazarinum ſi is in hujus locum ſuffectus foret, pulſum arbitrabantur.

Poſtquàm Mazarinus viros Principes emiſerat cuſtodiâ, tantiſper apud Gratiæ-portum commoratus eſt, incertus quònam extrà Regni fines abſcederet, neque omni abjectâ ſpe reſtitandi quopiam, ſicuti apud Sedanum, quod in Regni finibus eſſe negant, ſejunctum videlicet ab his

oppidum. Sed ubi Reginam eâ de re per litteras conſuluit, hæc planè omnibus qui in Regis ditione eſſent, finibus diſcedendum reſcripſit, metuens videlicet ſi quopiam reſtitaret, ut eâ causâ factioſi ſibi magis adverſarentur, perſuaderentque Senatui, ac Populo Regem ad Gaſtonem patruum abduci debere, quo in hunc omnis rei publicæ cura recideret. Igitur Mazarinus ab Gratiæ-portu profectus ad Regni fines iter intendit, ubique præterquàm apud Abbatiſ-villam benignè, atque honorificè acceptus, hæc una excluſit hominem, coëgitque Phrudim amnem aliò ſcaphis tranſire, uti Durlanum peteret, cui Bar Præfectus eſt. 1651.

Hic, atque prætereà *a* Hocquincurius Equitum Tribunus qui Peronæ, Navaillius qui Bapalmæ, Broglius qui Baſſæ, Schulembergus Montejocus qui Fano-Spiritûs Ruæ, *b* Faber qui Sedano, Montacutus qui Rupi Regiæ, Ralla qui Rhetelio Præfecti ſunt, omnem operam exhibuêre Mazarino, quo hunc in Aulam reducerent, parati eâ causâ copiarum partem deducere præſidiis, atque alias conſcribere, uſquè ad decem armatorum millia. Hiſpani ipſi omnem huic bonorum quæ in Galliâ haberet, jacturam ſe ſarcituros, atque annua centum librarum millia daturos pollicebantur, ſi ad ſuas tranſire partes vellet. Sed hæc omnia abnuiſſe fertur, qui videlicet in Reginæ benevolentiâ, cui tam egregiam in re publicâ dederat operam, & in rerum quæ frequens apud nos eſt, viciſſitudine ſpem reditûs poſitam habebat. Ubi Sedanum advenit, ibi tantiſper commoratus eſt, periculum faciens utrùm id diutiùs per inimicos liceret: ſed uti longiùs abiret voluêre, moſque his gerendus fuit.

a Le Marêchal d'Hocquincour. De Navaille. Broglio. Schulemberg, de Mont-de-jeu. *b* De Faber. Montaigu. Le Ralle.

Igitur factâ ab Leopoldo poteſtate, per Hiſpanorum in Belgio fines Coloniam Agrippinam proficiſcitur, atque haud procul urbe apud Brullum Rus Colonienſis Septemviri nobile agitavit. Quacúmque iter habuit nihil honoris in tantum virum prætermiſſum eſt, quo palàm eſſet, quanti hunc Hiſpani facerent. Comitabatur Antonius Pimentellus miſſus ab Leopoldo, qui tametſi Belgium obtinet, nihil tamen in omni provinciâ niſi conſilio, judicioque Fuenſaldanii Comitis facit, hic verò de omni re publicâ maximam habet Pimentello fidem. Eo Mazarinus adductus eſt, ut huic de Pace inter ambos Reges ſanciundâ mentionem injiceret, ſi fortè tum de hâc ſecùm agere Hiſpanis conſilium foret: quâ de re ab Pimentello certior factus Fuenſaldanius haud exiguam hujus conficiundæ ſpem dedit, cujus & ab Hiſpaniæ Rege facta poteſtas eſt, & utrimque per fidos interpretes latæ conditiones ſunt.

Sed tum primùm Hiſpanos ſpes cepit, fore uti Condæum ad ſuas adducerent partes, atque ex hujus virtute credidêre ingentia ſibi, ſicuti antehàc nobis, eventura. Cum his Condæam, atque Turenam antehàc de Principibus viris cuſtodiâ educendis fœdus iniiſſe diximus, quod ubi factum ex ſententiâ eſſet, hi viciſſim per fœderis conditiones daturi operam erant, uti pax inter ambos Reges quàm æquiſſimis legibus ſanciretur. Condæa ubi Condæus, & Contius fratres, atque Longavilla vir ad Urbem redierant, eódem & ipſa Regis, atque Reginæ

1651. matris voluntate rediit, cui diſcedenti Hiſpani redegêre ad memoriam quid ab viris Principibus ex nupero fœdere ſibi ſperandum exiſtimarent, quod uti præſtarent, Condæam non dubitabant effecturam. Sed ad rem pertinebat Hiſpanos pacis ſtudium ſimulare, quod ipſa ad Regem, atque Reginam veniens perferret. Id verò tametſi Regina illos planè fingere ſatis ſcibat, uti tamen Condææ, Turenæ, atque ipſorum virorum Principum fidem liberaret, ac prætereà ſponte ſuâ ſatis ad pacem propenſa Croiſſium, cui confidebant maximè, Satenaïum mittit, qui de tempore, loco, ac cæteris omnibus, de quibus convenire neceſſe erat, priuſquàm de conditionibus pacis ageretur, cum Hiſpanis colloqueretur.

Sed hi ſicut antehàc, dixêre Croiſſio Leopoldum cum Gaſtone abſque Pacificatorum operâ agere velle, quod & per Gabrielem Toletanum viciſſim Lutetiam Pariſiorum miſſum Reginam Leopoldus edocuit, atque de loco agendæ rei convênit, Peronam inter, & Cameracum, quò Gaſto, & cum eo Longavilla, Molæus, ac Servianus ituri erant. Sed Hiſpani denique ubi ſe omnibus rebus circumcludi vident, eamdem quidem Leopoldo, quàm antehàc de pace cum Gaſtone agendi facultatem eſſe dixêre, ſed multa poſteà eveniſſe, de quibus ſibi conſulto Philippo Rege ſuo opus ſit, quamobrem poſtulare, ut ad hunc mittere quempiam per Galliæ fines liceat. Hæc tergiverſatio palàm fecit, nihil Hiſpanis de pace ſanciundâ conſilii eſſe, ſed magnam magis in alendis, ac fovendis apud nos turbis ſpem ipſis ſitam: cujus rei gratiâ in Hiſpaniam mittere vellent.

Quamvis enim Condæa ab his edocta pacis ſtudium oſtentaret, quæ adeò domi, foriſque futura videbatur, tamen & ipſa, & Hiſpani longè alia volvebant animo, ac pro pace bellum tunc cum maximè moliebantur, quod nobis civile ſimul, & externum foret. Nihilò minùs Regina ſibi pacem cordi eſſe, neque per ſe ſtare, quin ſubitò ſanciretur, palàm omnes eſſe voluit: ita enim rem eò deducebat, uti viris Principibus fidem ſuam liberare copia eſſet, quam Hiſpanis per Condæam, & Turenam de his ad habendam pacem adjutandis dederant, quando illis de hac cum Rege, ac Reginâ agendi copiam feciſſent, neque hac uti voluiſſent. Id Turena præclarè intellexit, ubi poſthàc ſibi ab Hiſpanis diſcedere, dein Regi operam vel adversùm ipſos dare jus, faſque eſſe credidit.

Poſt paulò quàm Condæus ad Urbem redierat, Regina quæ invitiſſima dimiſerat Mazarinum, omnem inire decrevit rationem, quâ hic in Aulam quantocyùs redire poſſet. Eò Condæum ſibi adjungendum ſatis ſcibat, cum quo per Annam *a* Gonzagam agere cœpit, atque omnia quæ huic animum explere poſſent, ſeſe facturam pollicebatur. Ad hæc ille nihil ſatis certi primùm reſpondit, nequedùm enim tanti quod ab Gaſtone, Rohanâ Mombaſonâ, Caſtronovano, Gondio, Belfortio, atque omni factioſorum grege acceperat, beneficii memoria ita exciderat mente, ut ab his tam citò diſcedere ſe poſſe abſque fidei, ac fa-

a La Princeſſe Palatine.

mæ jacturâ crederet. Urgebat porrò Regina Gonzagam, ut ab Condæo reſciſceret, quid ſibi, quid propinquis, & amicis expeteret, velle ſe hujus causâ omnia, neque quidquam quod re publicâ ſalvâ fieri poſſit, denegaturam: exiſtimabat enim aut Condæum ſe ſibi devincturam, aut ſuſpectum Gaſtoni, atque Funditoribus reddituram, ſi ſecum hunc agere deprehenderent. 1651.

Poſtremò Condæus ab Gonzagâ ſæpiùs eâ de re fatigatus ſpem faciente Reginam quidquid ipſe vellet, id cupidiſſime facturam, uti cum Serviano, ac Lionno apud Gonzagam ipſam colloqueretur, adductus eſt. Id factum ex Contii fratris, atque Condææ ſororis ſententiâ, adhibituſque eſt in id colloquium Rupifocaldus. De Aquitaniâ, ac Provinciâ, quarum altera Condæo, altera Contiò traderetur, Gonzaga jam fecerat mentionem, & ut in Aquitania Condæo ex amicis quiſpiam Legatus eſſet, præthereà ſingulis amicis præmia pro cujuſque captu datum iri: Condæo liberum fore reconciliatâ inter hunc, ac Mazarinum gratiâ manere ad Aulam, aut priuſquàm Mazarinus rediret, abire in Aquitaniam, dein ubi bonum foret, atque commodum, in Aulam reverti. Intereà ſi in Aquitania partem copiarum quas Rex huic attribuerit, habere velit, id ipſi per Regem licere. Hæ in colloquio Condæi, & Rupifocaldi, cum Serviano, & Lionno conditiones non modò confirmatæ, ſed & auctæ ſunt: poſtulanti enim prætereà Condæo, uti Rupifocaldus qui in Aquitania ſibi Legatus foret, Blaïæ Præfectus eſſet, ita reſpondere, ut qui id haud difficile factu exiſtimarent, ſpatium modò petentes, ut ad id Reginam adducere, & cum Inculiſmo Duce de Provinciâ deponendâ agere poſſet. Id verò ſpatium quæſitum fuiſſe videtur, uti Mazarinum quid ageretur facerent certiorem, atque hujus ſententiam exquirerent. Cæterùm quid Regina de futuris Caproſæ virginis cum Contio nuptiis ſentiret, commemoravêre, ſed eâ de re agi Condæus paſſus non eſt, de quâ fœdere cum Rohana Mombaſona cautum eſſet.

Igitur inter Reginam, & Condæum brevî conventurum videbatur: ſed ut id elàm omnes eſſet, magis ad hunc quàm ad illam pertinebat: vix tamen quidquam diù ſecretum eſt, atque adeò quæ inter Reginam, & Condæum agebantur, de iis brevî fama ad hujus amicos, & ad factioſos permanavit. Illis clàm ſe iſthæc incœpiſſe Condæum ægrè fuit, quo adducti ſunt quidam, uti ſe ſolutos ab fide huic antehàc datâ crederent, ac licere ſibi quod videretur conſilium capere: hæc fuit Buillonii, hæc Turenæ fratris ſententia, qui jam fœdere cum Hiſpanis ictô ſeſe nihil ampliùs teneri cenſebat.

Multæ tùm erant in Aulâ factiones, quarum tametſi diverſa ſtudia, atque conſilia eſſent, tamen omnes Mazarinum perpetuò regni finibus pulſum volebant. Id palàm Funditores, atque apertè prædicabant: ſed Caſtronovanus qui iſthuc multo magis, quàm Funditorum quiſquam cupiebat, ſeſe Reginæ reditûs ejus ſtudioſum eſſe ſimulabat, neque eo minùs operam dabat, ut ne huic redire copia eſſet. Haud Reginam fal-

1651. lebat, quid ipſe ſentiret, faceretque, ac tametſi in pleriſque negotiis hujus conſilio uteretur, nihil tamen quod ad rem publicam pertineret, inconſulto Mazarino faciebat: ſed longum erat hujus expectare ſententiam, quod in ſubitis fieri non poterat, atque adeò hæc Caſtronovani judicio faciunda erant, quod cùm Reginæ ægrè eſſet, hunc amotum volebat ab re publicâ, ac multum de priſtinâ ſuâ in Rohanam Mombaſonam benevolentiâ remiſerat: probè enim meminerat ambos Mazarino autores fuiſſe, ut ab Aulâ diſcederet, ſimul operam dediſſe, ut ne ipſa poſt paulò ſicuti decreverat, ab Urbe diſcedere, atque Regem filium abducere poſſet, atque alia multa adversùm illum perpetuò deſignaſſe.

Id ſenſit Condæus, neque adeò ſibi properandum in Caproſæ virginis cum Contio nuptiis ſtatuit. Igitur ubi factioſi de his ab Condæo uti fidem exolveret, poſtulavêre, hic non abnuere quidem, ſed nihil feſtinare, atque gaudere factioſis in mentem veniſſe, Condæam, atque Rupifocaldum qui uſquè Contio ex voluntate uſi fuerant, ægrè adduci ut hunc poſthàc in Rohanæ Mombaſonæ poteſtate eſſe vellent, atque adeò hujus filiæ cum illo nuptiis obſtare, ipſe inter has moras opperiri, quid Caſtronovano fieret, & quæ in ſuo cum Serviano, ac Lionno colloquio dicta fuerant, ea quorſum evaderent.

Poſt paulò ab Caſtronovano repetitum regium Signum eſt, atque hic Aulâ faceſſere juſſus. Regina Signum regium Molæo tradidit, & poſthàc hujus, atque Chavignii conſiliis in adminiſtrandâ re publicâ uſa eſt. Ambo Condæo amici erant, quem adeò eorum operâ in ſuam de Mazarini reditu ſententiam ſe adducturam ſperabat. Sed Chavignio ſicuti pleriſque omnibus ita perſuaſum erat, rei publicæ ſalutem in Mazarino procul habendo poſitam eſſe, uti de hujus reditu nuſquàm Reginæ morem gerere potuerit. Primùm tamen ita ſe geſſit, ut hujus omnis ratio Reginæ probaretur, uſquè adeò uti Rupifocaldus hunc tùm Condæi oblitum fuiſſe dixerit at poſt paulò ubi Reginam porrò benevolam eſſe Mazarino ſenſerit, ibi modò ad Condæum rediiſſe, atque ex hujus amicitiâ ingentia ſperaſſe.

Sed Chavignium magis Reginam inter, & Condæum tantam amicitiam conflatam voluiſſe probabilius eſt, ut hujus honoris causâ Mazarinum porrò abeſſe æquo animo pateretur, ac præterea hanc re ipſâ cognoſcere rempublicam nihilo minùs ut ipſe abeſſet, rectè adminiſtrari, ac geri poſſe. Sed id ubi Reginæ perſuaderi non poſſe animadvertit, pro virili dedit operam, uti Condæus quò res publica monebat, eò rationes ſuas quantùm eâ tempeſtate fieri poterat, dirigere vellet. Quæ inter hunc adhibito Rupifocaldo & Servianum, atque Lionnum acta fuerant, ea ad Mazarini reditum pertinebant, atque adeò iſthæc ſibi diſturbanda eſſe Chavignius decrevit, quod quidem rectiùs fieri non poterat, quàm de hac omni re Gaſtonem faciundo certiorem, ex cujus ſententiâ Condæus hanc omiſſurus videbatur, quoniam huic obſtabat fœdus ictum inter ambos, quod valere, & hos conjunctiſſimos eſſe Chavignius

nius ſtudebat: nihil enim adverſùm Mazarini reditum hâc conjunctione validius exiſtimavit. Cæterùm ubi rempublicam Molæo, atque Chavignio Condæi amicis Regina permiſerat, huic ſingillatim cautio fuerat, ut ne hanc Gondius Gaſtone fretus invaderet, homo hujus gerendæ jamdiù avidiſſimus. 1651.

Sed ubi nihil ſe Mazarini diſceſſu proficere Gondius videt, ac rei publicæ ſummam Condæi clientibus permiſſam, Gaſtonem commovere cœpit, ut ne id toleraret indignum Regis patruo, atque huic in omni Galliâ Legato, cujus adeò propè æqua cum Reginâ in re publicâ potentia eſſe deberet. His impulſus Gaſto intempeſtâ nocte Condæum, Belfortium, Rohanam Mombaſonam, Avaucuriam, Gondium, atque alios ex ſuâ factione convocat. Ibi graviter queritur Reginam ſe inconſulto rem omnem publicam Molæo, ac Chavignio permiſiſſe, quod uti corrigatur dandam operam videri: idem Belfortius, Rohana, atque Avaucuria cenſuêre, jam jamque ab plebe arma, capiunda. His ſuprà quàm dici poteſt ægrè erat Caſtronovanum amotum ab re publicâ, atque huic iterùm ablatum regium Signum. Montheſaurius nihil cunctandum, plebem armatam deducendam ad Molæi ædes, hunc cogendum uti Signum regium ſibi traditum reddat, dein eundum in Regiam, & quid optimum factu tùm videbitur, planè faciundum dixit.

Hæc ſententia Gondio maximè probabatur, ſcilicet qui Regem in poteſtate Gaſtonis eſſe ſummoperè cupiebat, ſibique in eo ſita omnia probè intelligebat. Sed Condæo non fuit conſilium alienis ſervire commodis: is itaque *Se negavit ſatis ſcire bellum in vicis Urbis, atque inter tumultuantem multitudinem gerere, cujus conſilia, dicta, factaque dubia, incerta, atque ex re leviſſima mutabilia ſint, atque adeò provinciam hanc aliis, quàm ſibi datam malle. Si Gaſto jubeat, jam jam ſe profecturum in Æduos, eò delectum habiturum, atque exercitum paraturum, quo ille atque opera ſua ex voluntate utatur.* Stampæus Fertimbaltius ubi videt Condæum ab Funditoribus diſſentire, atque in re tam grandi nimiam ab his adhiberi properantiam, hanc in craſtinum differendam cenſuit, atque ita diremptum Conſilium nocturnum eſt, fruſtráque fuêre complures, quos Belfortius, atque Gondius advocaverant multitudinum duces, prætereà nobiles pleroſque, qui rei peſſimæ inchoandæ ſignum expectabant.

Gondium ferunt eâ ſpe dejectum ab Gaſtone flagitaſſe, uti cum bonâ hujus veniâ ab omni re publicâ abſtineret, quo rebus ſacris quibus in Urbe præerat, operam omnem impenderet, atque in hâc ſententiâ ſe tantiſper manere ſimulavit, uti commoveret hominem, ac cogeret de Molæo, & Chavignio Reginæ planè negare ſe paſſurum ambos tractare rempublicam, quæ ipſis ſe inconſulto permiſſa eſſet. Id certè Gaſto tam ſe tolerare violenter Reginæ oſtendit, uti periculum eſſe videretur, ne ab Aulâ ſecederet, atque eódem Condæum traheret: cui rei prævertendum Regina rata de Molæo Gaſtoni morem gerere denique decrevit. Igitur cum illo agit, uti regium Signum tantiſper dimittere velit, quod Cancellario reddat, atque ita Gaſtoni animum explere, &

Hhhh

1651. hujus, ac maximè factioſorum de re publicâ perturbandâ conſiliis occurrere poſſit: eo Regina Molæo Tholoſatum Archiepiſcopatum, cum annuâ ex ærario ſummâ ampliſſimâ, prætereà Cardinalatum ipſum ſe daturam pollicebatur, Præſidis in Senatu Magiſtratum hujus filio Camplatruſio, aut de habendo patris ubi mortem obiret, Magiſtratu Diploma regium.

Sed hæc omnia vir gravis contempſit, ac regium Signum reddidit, nihil ſe cum Rege, atque Reginâ paciſci dictitans, atque his ſine ullâ mercede omnia obſequi paratus: nonnihil tamen eſt offenſus hominis animus ex hac Reginæ inconſtantiâ, quæ poſtquàm propè abnuenti, atque incerta Aulæ contemnenti regium Signum obtruſerat, id continuò repetiſſet: prætereà ægrè fuit in Condæo, cui cuſtodiâ emittendo tantam operam in Senatu, atque apud Regem, & Reginam matrem dederat, nihil uti penes ſe regium Signum maneret, præſidii fuiſſe: ſed qui in Senatu primarius Præſes eſt, is profectò cætera omnia quæ ad amplitudinem, & dignitatem pertinent, facilè contempſerit, niſi ſi communi hominum vitio laboret, queis & futura præſentibus, & aliena ſuis potiora videntur. Ubi Gaſto de Molæo ab Reginâ impetraverat, haud ita de Chavignio laboravit, quem ſui ſtudioſum eſſe ſatis ſcibat, ſcilicet qui antehàc hujus Cancellarius fuerat, atque huic egregiam, ac fidelem navaverat operam.

a La Ducheſſe de Chevreuſe.

Sed Caſtronovano Aulâ pulſo, Rohana a Mombaſona de filiæ cum Contio nuptiis dubitare cœperat, utrùm has Condæus jam fieri vellet, ex quibus nihil in præſentiâ, aut in poſterum fructûs ſperare poſſet: accepti beneficii memoriam levem, neque gratiæ referendæ magnum apud homines ſtudium eſſe. Rhodii uxor cum Rupifocaldo convenerat, quæ pro Condæo, atque amicis factum iri Rohana Mombaſona, & Caſtronovanus receperant, ea cum nuptiis unâ conficiunda fore, quæ jam præſtare Rohana Caſtronovano deſtituta non poterat. Pergebat tamen Contius apud hanc multus, frequenſque eſſe, atque ingentem Caproſæ virgini amorem oſtentare, diù multúmque cum Nigromonaſterio, & cum Leca colloqui, & quid cum his ageret, amicis, quin & Condææ ſorori quæ ipſi cariſſima uſquè fuerat, occultum habere, uti periculum eſſe videretur denique, adoleſcentem circumveniri, ac nuptias injuſſu Condæi fieri: ſed ut has Condæa, atque Rupifocaldus diſturbarent, operam dedêre ſedulò, uti Contio ea nuntiarentur, quibus facilè perſuaderi poſſet, ſibi nequaquàm conficiundas eſſe. Venit igitur ad Condæum ocyùs, & quod reſciverat, id huic narravit ordine, cui denique viſum quàm honeſtiſſimè fieri poſſet, ab hoc ſe negotio expedire, quando Contio fratri cordi eſſe deſierat. Ita alia ſuper aliam Rohanæ Mombaſonæ de filiâ facta ab Condæo, atque Condæâ injuria primùm in Richelio Duce, ac tùm in Contio mulieris animum in utrumque ſuprà quàm dici poteſt exacerbavit.

Gondius qui huic amiciſſimus erat, facilè ad eamdem odii in Condæum acerbitatem ab Rohana Mombaſona adductus eſt, ſcilicet qui

1651.

jam ſuâ ſponte eò propenderet: ſatis enim perſpexerat, quæ de ſuis ornamentis Condæus erat pollicitus, ea hunc poſthabere, qui paſſus eſſet Cardinales ab omni re publicâ Senatûs Decreto excludi. Molæus eâ quam diximus de causâ ab Condæo tum diſſidebat, præterea quod in Tellieri Quatuorviri locum quem Aulâ pellere Condæo conſilium fuit, Violam, quàm Camplatruſium Molæi filium ſuffici malebat. *a* Anna Gonzaga quæ tantam, tam ſolertem, tamque ipſo eventu utilem Condæo cuſtodiâ eximendo operam dederat, tantamque eâ de re machinam fabricaverat, & ipſa parùm gratum hujus animum erga ſe credebat eſſe, quod nondùm Reginam coëgerat Maiſonium ſummâ Quæſturâ, ſicuti pollicitus fuerat, pellere, ut hæc Vetuſvillæ mandaretur. Buillonius, & Turena neque conjuncti Condæo, nec ab eo ſejuncti fuère, quorum conſilia ab ſpe recuperandi Sedani planè pendebant, quæ ubi ab Condæo eluceret, hanc ſecuturi videbantur, intereà ſimulaturi reconciliandæ Reginam inter, & Condæum gratiæ ſtudium.

a La Princeſſe Palatine.

Sed erant Condæo cauſæ graves, quamobrem his omnibus animum explere nondùm poſſet, nam ad Sedanum Regi extorquendum, & multo ſpatio, & magnâ opus erat opportunitate. De Signo regio ſibi ablato haud æquum erat Molæum Condæo ſuccenſere, qui id huic conſervare invito Gaſtone non potuerat, quod tamen penes Molæum mox fore Condæus ſatis ſcibat, atque Camplatruſium hujus filium Præſidem in Senatu factum iri, quibus ornamentis ambos contentos fore non dubitabat, atque adeò Quatuorviratum Violæ mandari citrà horum offenſionem poſſe cenſebat. De Vetuſvillâ importunum erat, atque ab rationibus ſuis alienum Maiſonio in Senatu Præſidi ſummam detrahere Quæſturam, atque hac tantâ injuriâ & hunc, & Petrum *b* Longolium fratrem, cujus gratia, atque fides apud factioſos in Senatu maxima erat, abalienare: quod tamen tum fieri nequibat, ſuo tempore, ſuo loco id uti fieret, ſeſe daturum operam aiebat. Sed nemo quod magnoperè expetit, in eo ſibi moram adferri æquum cenſet.

b L'Abbé de Longueuil, Conſeiller au Parlement.

Longavilla rerum novarum quæ ingentes adferunt molientibus ſumptus, pertæſus quieſcere poſthàc velle viſus, neque huic cum uxore Condæâ magnoperè conveniebat: *c* Inculiſmus Dux Condæo propinquus qui Provinciam obtinebat, in hâc porrò nihil moturus videbatur. Ita pauci quibus Condæus ex voluntate uteretur, reliqui erant, Nemoroſius videlicet, ac Rupifocaldus, ambo mulieribus quæ Condæi Sectam ſequebantur, obnoxii, nam in his turbis haud minus earum forma, atque artes, quàm virorum virtus, atque imperia valuêre.

c Le Duc d'Angouleſme, cy-devant Comte d'Alets.

Sed Condæo Gaſtonis amicitia magno uſui fuit, cujus conſervandæ Chavignio primùm, dein Belfortio, atque *d* Avaucuriæ ſingularis cura apud Gaſtonem fuit, nihil obſtante Rohanâ Mombaſonâ, neque Gondio, qui quo major ex Gaſtone, atque Condæo Reginæ metus foret, eo ſuam huic operam pluris venditaturos ſperabant: favebant denique Condæo plerique ex Senatu factioſi, qui in eo ſibi præſidium fore credebant adversùm Reginam, & Mazarinum. Illa Condæo Cla-

d La Ducheſſe de Mombazon.

1651.

a Le Comte de Meille.
b Le Comte de Marſin.
c Le Comte de Bouteville.
d Arnaud de Corbeville.
e Le Marquis de Perſan.
f Le Comte de Tavane.

romontium reddiderat, cui *a* Meillæum Comitem præfecit, *b* Marſinum Satenaïo, cujus arcem obtinebat, manente penes Hiſpanos oppido, *c* Buttevillam Comitem Seuræ, *d* Arnaldum Corbevillam Caſtello apud Divionem, quæ loca & ipſi reddita fuerant, *e* Perſanum Marchionem Muroni, *f* Tavanium cohortibus, ac turmis, quas Rex ipſi, Angiano filio, atque Contio fratri attribuerat, & quæ in Æduis, & in Campaniâ, quas obtinebant provincias, eâ tempeſtate agitabant: his amicis, atque opibus fretus Condæus cuncta quæ poſteà ſunt conſecuta, deſignavit.

Tametſi Condæus quod de Aquitaniâ ſibi, atque Provinciâ Contio fratri habendâ cum Serviano, atque Lionno egerat, id voluntate Gaſtonis omiſiſſet, alterum tamen poſteà, verum alio modo factum voluit. Regem ubi pax data Burdigalenſibus fuerat, edixiſſe memoravimus, uti Spernonius Aquitaniam deponeret, quod fieri nequibat, niſi huic curatâ in æſtimationem aut ab Rege, aut ab alio cui hanc provinciam rectè permitti poſſe crederet, pecuniâ, aut denique niſi ſi quis aliam obtinens provinciam hanc Spernonio cedere Aquitaniâ in æſtimationem acceptâ vellet, quod huic potius videbatur, quàm manere ſine imperio, & poteſtate. Eâ de re Candalius Spernonii filius cum Condæo egit, cui Aquitaniam oſtentatam ab Reginâ fuiſſe ſciebat, rogavitque utrùm huic habendæ Æduos deponere vellet, quos Spernonius Aquitaniæ loco obtineret.

In eo negotio Candalius Gourvillâ interprete uſus eſt, Rupifocaldi cliente, qui per conditiones ab Serviano, & Lionno latas Condæo, Legatus huic in Aquitaniâ futurus fuerat. Id ei primùm haud ſatis placere viſum, provinciam ſuam opimiorem Aquitaniâ eſſe contendenti. Sed Mazarinus per litteras eâ de re conſultus ab Reginâ omninò Condæo permittendam negaverat Aquitaniam, Hiſpaniæ videlicet finitimam, ab quâ terrâ, marique auxilia huic bellum civile molienti mitti facilè poſſent, *Bellicoſos eſſe Aquitanos, leves, mobiles, rerum novarum ſtudioſos: vicinos eſſe haud diſpari ingenio Lemovices: Pictonas item vicinos obtinere Rupifocaldum Condæi clientem: Daugnionum Broagium haud procul, Ream, atque Oleronam Inſulas: omnia denique ultrà Ligerim amnem in Condæi fore poteſtate, ſi Aquitaniam obtineat.*

Hæc quantò veriora erant, tantò magis Condæi animum accendebant, ut Aquitaniam habere vellet, ac tum potior hujus cauſa erat, quàm ubi de eâdem provinciâ Servianus, & Lionnus cum eo egerant: nam ſi tunc Regina hanc ultrò datura erat, jam hujus cum Æduorum provinciâ ſicuti permutationem fieri vetare non poterat, quin gravem de Condæi conſiliis ſuſpicionem oſtentaret, quæ res hominem ad bellum ſubitò gerendum adegiſſet: eo factum eſt uti tametſi id nequaquàm in rem publicam eſſe plerique omnes cenſerent, Servianus tamen contrà tetenderit, obtinueritque, nullâ aliâ ratione fretus, quàm quâ navigantes procelloſo mari navim projectis quæ ſine certâ pernicie retinere nequeunt, allevare coguntur: prætereà jam Condæi Aquita-

niam eſſe aiebat, in quâ omnium in hunc animi propenſiſſimi eſſent, atque adeò magis ſibi Æduos quos Condæus depoſiturus erat, adjungere Reginam, quàm Aquitanos amittere. 1651.

Sed ne ipſos quidem Æduos planè deponebat Condæus, cum in hac provinciâ Divionis Caſtellum, ac Joannis ad Alniam-fanum quod eſt oppidum ad Ararim poſitum, retineret, Seuram præterea, ſeu Bellogardam retinebat, jure id quidem, quam videlicet Henricus pater ab Joanne Sanlario Bellogardio coëmerat, præterea iſthuc eo Condæus faciebat, quòd opimiores Æduorum provinciæ quam deponebat, fructus eſſent, quàm quos ex Aquitaniâ capturus erat. Poſt adeptam invitâ propè Reginâ Aquitaniam, Condæus nihil hanc ſibi denegare auſuram ratus poſtulavit præterea uti Contio Campaniam deponere copia eſſet, atque hujus loco Provinciam obtinere: ſed obſtitit naviter Mazarinus, qui hanc ſibi Italiæ finitimam, atque adeò ſuis quæ fortaſſe eâ parte ingentia habet, conſiliis opportunam deſtinaverat. Qui Condæo amici erant, hunc adversùm Mazarini, atque adeò Reginæ odia præſidium, qui verò Mazarino, illum majores ad malefaciundum opes quærere dictitabant.

Id ubi Regina videt, nec ulla ſpes erat hujus in viam reducendi, qui neque cum hâc congruere de re publicâ, neque Mazarinum in Aulam redire vellet, ibi verò qui illi offenſi erant, eos ſibi adjungere decrevit, Rohanam Mombaſonam videlicet, Gondium, & Funditores: eo fieri poſſe putabat, ut iterùm omnium voluntate Condæus comprehendi, atque in cuſtodiam conjici poſſet. Id verò ſe facturos quidam recepêre, modò ut Regina caveret haud quaquàm his fraudi fore, ſi in eo comprehendendo ferro decertandum eſſet, ac fortè Condæus inter dimicandum necaretur, quod quidem Regina eſt averſata, neque hunc comprehendendum, præterquàm citrà dimicationem, exiſtimavit, atque intereà cum Longavillâ egit, ut hic, atque amici in Normanniâ quieſcerent. Qui exercitus in Belgio erat, is Regi ſacramento dixit, cujus religione Regina ducum, atque militum animos ab omni factione averſos voluit: quæ autem Condæo, atque Contio attributæ fuerant copiæ, eas ad eadem vocare caſtra conſilium fuit, ſed Condæus id effugit Gaſtonis operâ, qui Regi in omni Regno, atque adeò in exercitibus Legatus pro imperio has in Æduorum, Campaniæ, atque Picardiæ Campaniam versùs finibus porrò agitare juſſit.

At Regina Rohanæ Mombaſonæ, atque Gondio ſibi adjungendis operam dabat, cúmque illi nihil eſſet optatius, quàm uti Caſtronovanus in Aulam rediret, Gondio verò ſumma Cardinalatûs cupido eſſet, his iſthæc polliceri neceſſe fuit: Annam Gonzagam præterea ab Condæi partibus ad ſuas deduxit, huic ſingillatim pollicendo, ſe ſummam Regni Quæſturam Vetuſvillæ cui hanc dudùm petebat, mandaturam. De his omnibus rebus Bertetus miſſus eſt ad Mazarinum, qui viciſſim *a* Ondedeum Lutetiam Pariſiorum miſit, qui Rohanæ Mombaſonæ de Caſtronovano Conſilii regii principe creando, Gonzagæ de ſummâ *a* L'Abbé Ondedei.

1651. Quæſturâ Vetuſvillæ tradendâ, Gondio de Cardinalatu, ac denique Molæo de reddendo huic regio Signo fidem daret: ſed Ondedeus ubi per fines Hiſpanorum maturat iter pergere, captus ab iis eſt, & in cuſtodiam tantiſper conjectus.

Intereà Condæus reſcivit de ſe comprehendendo Gondium, Monthesaurium, ac Lionnum apud ipſum Montheſaurium collocutos, quod eâ tempeſtate Rupifocaldus Lionnum renuntiaſſe Gramontio vulgavit, hunc autem Chavignio, ac denique Chavignium Condæo. Sed is primùm iſthuc ſimulare Reginam eſt arbitratus, quo hunc objecto metu abigeret, quamobrem manendum ad Urbem ſtatuit, quod ſatis tutò ſe facere poſſe credidit, apud quem magna frequentia nobilium, atque familiarium, & amicorum eſſet, qui & per Urbem euntem comitabantur. Sed hunc complures ex amicis monuêre, uti ſibi caveret diligenter, ac poſtremò nuntiatum eſt Prætorianos ducentos ad Germani Suburbium venire armatos: continuò incidit ſuſpicio id ad ſe pertinere, atque hos domum ſuam circumſeſſuros, cumque homini nihil carcere terribilius eſſet, hujus memoria ita perculit animum, uti ſubitò cum paucis equitibus intempeſtâ nocte aufugeret.

Incedebat viâ militari, haud procul Gaſtonis ædibus, cum alter eſt objectus terror, equitum videlicet ad ſe venientium, & hi verè equites fuêre, ſed clitellariis jumentis inſidentes, vehenteſque per noctem ad mercatum incluſa caveis volatilia, ut eò ſummo mane advenirent: his deluſus Condæus in devios divertit agros, ac tranſverſis itineribus Mauri-fanum ſuum haud procul ab Urbe ad Matronam poſitum petit: eòdem Contium fratrem, ac Condæam ſororem evocat, iêre prætereà Nemoroſius, Buillonius, Rupifocaldus, Richelius, ac denique Mottæus. Continuò Condæus Rupifocaldum ad Gaſtonem mittit, qui doceret quamobrem ab Urbe diſceſſiſſet, quod quidem eſt admiratus Gaſto, probè ſciens nihil ut id faceret cauſæ fuiſſe, quo faciliùs ſeſe iſthuc quidquid eſſet ſuſpicionis ab Reginæ, Condæique animis ſublaturum confidebat, atque adeò Rupifocaldum cum eâ ſpe dimiſit. Regina verò Comingium miſit ad Gaſtonem, ut huic omne id negotium permitteret, reciperetque omnia, quæ fidei causâ Condæo polliceretur, ſeſe facturam.

Intereà Contius ab Mauri-fano venit in Senatum, atque eò Gaſtone coràm quamobrem Condæus frater ab Urbe diſceſſiſſet, Patribus enarravit, quod rectè hunc feciſſe aiebat. *Nihil in Aulâ niſi Mazarini voluntate fieri, qui in hâc per Servianum, Tellierum, & Lionnum planè regnet: qui quamdiù illic fuerint, Condæo fratri eòdem tutò eſſe non licere: ubi pulſi ſicuti res publica poſtulet, fuerint, continuò rediturum, atque Regi, & rei publicæ more, inſtitutoque ſuo operam navaturum. Quàm nefaria Mazarini in rem publicam conſilia ſint, vel ex eo conſtare, quod Sedanum ſimul, & Briſiacum, munitiſſima oppida alterum ad Rhenum, alterum ad Moſam poſita ſibi habere ſtudeat, quo licentiùs adversùm Senatum, atque omnes bonos graſſetur. Illum apud Sedanum diù commoratum, quod apud Briſiacum acciderit, id illius juſſu factum omnes*

exiſtimare. Poſtremò quamdiù Mazarinus rem publicam tractabit, eam pertur- 1651.
batam, qui ſi ab ea, atque ejus item clientes amoveantur, tranquillam fore. Iſ-
hæc eadem, atque alia Condæum ad Senatum ſcribere, adeſſe in veſtibulo Curiæ
qui ab eo litteras adferat.

Ad hæc Molæus graviter ſuo more, *Rectius Condæum facturum fuiſſe* reſpondit, *ſi in Senatum ſicuti Contius veniſſet, eadem quæ ipſe dixerit coràm expoſtulatum, quod illi æquè licuerit, ſatiùſque fuerit, quàm ſecedendo belli inteſtini metu civium, ejuſdem vero ſpe hoſtium animos implere:* dein qui litteras ab Condæo adferebat, eum introduci jubet, quibus redditis, quoniam nihil dicendum habebat, exceſſit templo, atque hæ recitatæ ſunt. Earum ſententia conſimilis erat Contii orationi, *Adversùm Regem, aut rem publicam nihil uſquam ſibi conſilii futurum, contra Mazarini, clientiumque odia, atque incæpta cautionem modò eſſe: ſibi, aut amicis nihil expetere, tantummodò ut omni ſpe reditûs erepta Mazarino, atque ejus clientibus Aula pulſis, in hac ſibi tutò eſſe liceat, tum fore uti continuò Regi, atque Reginæ matri præſto ſit, eamdem quàm antehàc operam iis, atque rei publicæ daturus.* Conſimiles litteras ad cæteras in Galliâ Curias Condæus dedit, quæ res bellum civile portendere videbatur.

Molæus ubi Condæi litteræ recitatæ, præmonitum ſe ab Reginâ dixit, has allatum iri ad Senatum, quo voluntate ejus acceptas, recitataſque Patres intelligerent: præthereà de his referri haud placere Reginæ, neque quidquam injuſſu ſuo ad Condæum reſcribi, aut omninò decerni, neque aliter jus, faſque eſſe. Gaſto addidit, Reginam negare quidquam de comprehendendo Condæo ſibi in mentem veniſſe, cui iſthuc affirmanti fides habenda ſit: milites in B. Germani ſuburbio viſos, qui vina inſoluto portorio introduci prohiberent: quod apud Briſiacum acciderit, Reginam præter ſpem accepiſſe, atque id ex Præfecti modò, ac Propræfecti diſcordia eveniſſe arbitrari. Secundùm hæc Senatui viſum, ut item poſtridiè frequens conveniret, intereà Condæi litteræ ad Reginam deferrentur: Molæus verò Gaſtonem hortatus eſt, ut omnem operam dare vellet, quo omni abjecto metu, ſi quem Condæus habeat, ad Urbem redeat, uti ſi bellum foris, ſaltem pax domi ſit, neque externo civile ſuperaddatur, quibus oppreſſa res publica peſſùm eat, id huic curæ eſſe decere, ſicuti futurum omnes boni confidant.

Dein Gramontius ab Rege ex Reginæ matris, & Gaſtonis ſententiâ ad Condæum de hujus reditu miſſus iit, quîcum ſine arbitris colloqui copia non fuit: igitur coràm omnibus cauſam hujus ſeceſsûs quærenti, atque fidem danti Condæo in Aulâ tuto eſſe licere, ipſe reſpondit. *Quamvis Mazarinus abeſſet, tamen per hujus clientes, atque amicos, cuncta ex hujus diſciplina, atque præceptis fieri: ſeſe expertum antehàc probitatem haud ſatis per ſeſe in Aula tutam eſſe, cujus rei triſtiſſimum tamdiù carcere incluſus documentum dederit, quod ut ne iterùm accidat, ſeceſſione ſibi conſulendum exiſtimaſſe, in qua idem ſibi ergà Regem, & rem publicam, quàm antehàc ſtudium fore, quod tot, tantiſque rebus geſtis illuſtraverit.* Gramontius qui probè ſciebat, quid apud Montheſaurium de comprehendendo Condæo dictum fuerat,

1651. rectè quidem hunc ſibi cavere credidit, ſed pro amicitiâ, quæ ſibi cum eo vetus intercedebat, ac pro pluribus officiis huic antehàc præſtitis, dignum ſe deputabat, quîcum privatim colloqueretur, quod ſi factum fuiſſet, fortaſsè aliquam componendarum rerum rationem iniri potuiſſe: quamobrem ſe haud ſatis liberaliter habitum ab eo exiſtimavit.

Intereà Condæus hærebat inter conſilia pacis, aut belli, quod ſi ſumeret, Longavillam Condææ ſororis virum in Normanniâ hujus partem aliquam geſturum ſperabat, Buillonium item ſuam Sectam ſecuturum, atque ipſum cujus virtuti plurimùm tribuebat, Turenam: ſed hic Regi operam dedit denique, aduersùm ipſum Condæum, ubi videlicet nullam ſpem recuperandi Sedani vidit: Buillonius planè hujus belli expers fuit, totuſque in reconciliandâ Reginam inter, & Condæum gratiâ viſus. Nemoroſius verò, ac Rupifocaldus in datâ Condæo fide manſêre: Rupifocaldus pacem quàm bellum malebat, modò ut illa Condæo, ſimul & amicis, & clientibus æquis conditionibus fieret, expertus videlicet in Aquitaniâ nuper, quâ fretus maximè Condæus bellum ſuſtentare poſſe videbatur, qui illud gerant, iis infirma in popularibus qui vix diù ab Rege diffideant, præſidia, infirmiora verò in peregrinis, Hiſpanis videlicet auxilia eſſe.

Sed contrà Condæa, atque Nemoroſius Condæo ſuadebant bellum: illa ut ab viro ſegregata cum fratre, atque hujus uxore Brezæâ diverſiſſimâ parte agitaret, hic uti Condæus ab urbe, atque ab muliere quam uterque deperibat, longè abeſſet. Hæc fuit *a* Angelica Mommorantia Buttevilla ipſi Condæo ob matrem Carolam Margaritam Mommorantiam propinqua, apud quam tali dignitate fœminam multa, ac frequens erat, atque adeò Condæus cum hàc multùm, ac familiariter agebat, ad hoc *b* Colinii Caſtilloni nuper demortui uxor fuerat, qui & ipſi Condæo affinis fuerat, amicus, ac cliens: cæterùm Buttevilla mulier erat adoleſcens, elegantiſſimâ formâ, quo factum eſt, ut ad alias neceſſitudines quæ Condæo cum ipsâ intercedebant, facilè amor accederet. Sed ita ſe erga Condæum, & Nemoroſium Buttevilla geſſit, uti nullæ inter hos ex amore lites, ac ne æmulatio quidem, ſaltem quæ aperta eſſet, intercederent, at contrà Nemoroſius Condæi Sectam ſequeretur, ac præter hunc amorem cuncta huic feliciter evenire ex animo cuperet, atque id operam daret.

a La Ducheſſe de Chaſtillon.

b Le Duc de Chaſtillon.

Sed Nemoroſium Rupifocaldus opportunè docuit, *Si Condæus belli gerendi cauſa ab Urbe diſcederet, illi item fore diſcedendum, atque eòdem proficiſcendum, quò huic æque, ac Condæo mulieris adſpectu, & conſuetudine carendum foret: nihil igitur ea cauſa properandum videri, ſed opperiundum utrùm Reginam inter, & Condæum convenire poſſit, ita ut ipſi, atque amicis animus expleatur: quod ſi ex ſententia procedet, nihil opus bello fore. Id quidem ſumi facile, ſed deſinere modò ubi victor velit, quem ſe futurum nemo certo ſciat.* Hæc oratio nimia Nemoroſii ad bellum ſtudia, atque impetum inhibuit: Condæo autem viſum Brezæam uxorem, cum Angiano filio, ac ſororem Condæam Muronem dimittere, uti ſi poſteà diſcedendum eſſet, atque

que id properanter faciundum, ne mulieres impedimento forent, interreà harum profectio de ſuo diſceſſu, ac futuro bello metum Reginæ injiceret, quo ad æquiores ſecum conditiones deſcenderet. 1651.

. Certè Regina uti ſibi curæ eſſe oſtentaret, omnem Condæo metum abſtergere, quem de Mazarini, aut ejus clientium qui in Aula verſabantur, conſiliis ſe cepiſſe Senatui ſignificaverat, Servianum, Tellierum, & Lionnum properè faceſſere juſſerat, poſt quorum diſceſſum ipſe ad Urbem, atque etiam in Senatum ſibi veniundum eſſe conſtituit, uti fidem faceret, ſe haud falsò credidiſſe hos de ſe comprehendendo iniſſe conſilia, atque haud vano metu adductum tantiſper ſeceſſiſſe, donec abirent, & ſe tutò in Urbe futurum putaverit. Igitur Curiam ingreſſus gratulatus eſt Patribus, quod ab Reginâ de Edicto in Mazarinum impetraſſent, quo omnis huic ſpes reditûs adimebatur, præterea de tribus ejus clientibus, ut Aulâ faceſſerent, neque tamen ullas egit Patribus gratias de eâ re, quæ tantoperè ad eum pertinebat, quod quidem caſu, ſeu conſultò omiſſum nonnulli graviter advertêre, ſed Condæo viciſſim gratulatus eſt Molæus, quod Regina honoris ejus causâ Mazarini clientes abegiſſet. In eo tamen ſe quidquam ſatis firmi videre Condæus negavit, ni & Regis Edicto clientibus, ſicuti patrono ſpes reditûs eripiatur, tùm denique fore, ut in Aulâ tutò eſſe poſſit, atque unà cum Gaſtone operam dare ſublevandæ plebi, conſtituendæ omni rei publicæ, ac denique paci faciundæ.

Molæus contrà. *Novas Reginæ conditiones ferre importunum, atque moleſtum videri, quæ jam in eo quod factum ſit, multùm ab regio jure diſceſſerit: cæterùm quæ Regina de Mazarini clientibus pollicita ſit, ea haud incerta, aut infirma eſſe, de quibus acta Senatûs abundè fidem factura ſint.* Dein Condæum obſecrat, atque obteſtatur, uti Regem, atque Reginam matrem continuò viſat, ſi eâ re infectâ Mauri-fanum redeat, locum daturum ſermonibus domi, foriſque, ſpemque hoſtibus, ac peſſimis civibus, quam de ejus cum Aulâ diſcordiâ ceperint, auctum iturum. Alia præterea inter ambos commutata verba ſunt, poſtremò Condæus ſe ad Gaſtonem ire dixit, & quod is dederit eâ de re conſilium, id ſecuturum.

Hic rus octiduum commoratus eſt, atque intereà Condæus iterùm in Senatum venit, poſtulavitque ab Molæo uti convocaret Claſſes, frequenſque Senatus haberetur: ſed is ſe facturum negavit, quoniam Condæus Regem nondùm viſiſſet, id priùs faciundum, quàm huic Senatus detur. Dein ab Reginâ accerſiti Patres, duo ex ſingulis Claſſibus cum Molæo in Regiam iêre, quibus Cancellarius Regis, & Reginæ verbis dixit. *Nihil utrique de comprehendendo Condæo conſilii fuiſſe, aut eſſe, Servianum, Tellierum, ac Lionnum ita abire juſſos, uti redituri non ſint: de eo, ſimul quod Condæus in Urbe, Aulâ, ac Regiâ eſſe tutò poſſit, Senatui fidem coràm dare voluiſſe, ut is ſciat inviolatam fore: quando Patribus videbitur mittant ad ſe, qui de Edicto quod ad Mazarinum attineat ſecum colloquantur, uti quam primùm & perſcribi, & ad Senatum mitti poſſit:* quæ eadem Regina ipſa Patribus confirmavit.

1651. Ubi Gaſto redierat rure, ſubitò in Senatum venit, atque unà Condæus, & alii. Tum Molæus quæ ſibi Regina, atque Cancellarius dixerant, ea Senatum edocuit, *Regiam interpoſitam fidem, datam ampliſſimo Ordini, Condæum tutò in Urbe, in Aulâ, in Regiâ futurum: quid eſſe reliquum niſi ut ipſe omni ſuſpicione depoſitâ ad Regem, & Reginam redeat?* dein ad Condæum converſus rogat utrùm Regem inviſerit? is nihilò tutiùs quàm antehàc id ſe facere poſſe reſpondet. *Peſſima de ſe rursùm inita conſilia, eo noctu conveniſſe quoſdam, ſe id quidem Reginæ injuſſu fieri credere, quo magis lubeat & de perſonis, & de loco indicare, ubi res poſtulabit: cæterùm ab Aulâ ad Mazarinum complures curſitare, contrà quàm ab Senatu decretum ſit: Coloniâ Agrippinâ quo denique conceſſerit, Ondedeum hujus clientem Italicum nuper profectum in Hiſpanos hoſtes incidiſſe, quem aut quia Mazarinus cum his congruat, aut quia perturbandæ Galliæ ad Urbem properare ſint arbitrati ſine pretio dimiſerint: hæc, atque alia hujuſcemodi quæ Regem, atque Reginam matrem in Mazarini poteſtate tametſi abſentis eſſe ſatis oſtendant, ſuadere ut ne ſe alienæ fidei temerè committat, quâ in re antehàc ſuo damno graviter offenderit.*

Rursùm Molæus, qui Regem nondùm viſerit, eum tali loco virum ægrè ſe in Senatu videre ſedentem, & qui tamdiù ceſſet civis officium erga Regem fungi, eum videri ſuprà quàm civem fas ſit, moliri. Hæc verba in ſe jactata Condæus graviùs tulit, nihil tamen reſpondit acriùs, quàm, *Seſe ſatis ſcire, quæ ſuæ partes aut operæ, aut officii erga Regem ſint, id modò quærere, ut hæc ſibi præſtare tutò liceat. Nihil ſuprà civem, ac ne ſuprà hominem quidem facere, qui ſibi de vitâ caveri poſtulet, aut huic conſulat, cùm id vel animantes ipſos natura doceat: cæterùm diem, & tempus oſtenſura quis in eo negotio rationibus ſuis plus ſtudeat.* Molæus enimverò ſe negavit aut in eo, aut in alio ullo quod ad rem publicam pertinuerit, aut pertineat negotio rationibus ſuis uſquàm ſtuduiſſe, aut ſtudere, cujus tamen rei Regi ſe modò, atque Senatui rationem reddere debere, *Intolerabile Condæum in Urbe, atque in Senatu eſſe, qui Regem nondùm viſerit, intolerabilius nuper rhedâ circùm Urbem vectum in hunc incidiſſe, quem nondùm vidiſſet: certè id ſicuti oſtentandæ audaciæ factum videri*: at is caſu id eveniſſe reſpondit, non enim veniſſe in mentem, uti diei tempus erat, eò Regem futurum, qui ab balneis vergente in noctem die rediret.

Ita res inter ambos ad contentionem veniebat, quâ tempus conſumptum foret, fortè voluntate Molæi, qui ſcilicet metueret, ut ne quid eâ die contrà quàm Aula ſentiret, ab Senatu decerneretur, ni Gaſto dicere orſus Senatui fidem feciſſet, *Haud vana eſſe quæ Condæus de Mazarino diceret, multos ad eum ab Aulâ commeare, neque quidquam hujus injuſſu in ea fieri. Certum eſſe Mercurium Mazarini ſororis filiam Mancinam uxorem duxiſſe, factam illi nuper ad hunc eundi Diplomate regio poteſtatem, quæ ſatis ſuperque oſtendant abſentis nihilo minorem in Aula quàm præſentis antehàc gratiam, atque potentiam eſſe: eo Condæo cavendum videri, Senatumque conſulendum.* Poſtremò Decretum fit, uti quæ Regina Patribus de Condæo receperat, ea in acta Senatûs referrentur: hi Condæum hortarentur, uti Regem, atque Reginam matrem continuò viſeret: quæreretur in

eos, qui de Condæo comprehendendo clàm conſilia iniſſent: Mercurius in Senatum veniret, qui de ſuâ ad Mazarinum profectione, item utrùm Mancinam uxorem duxiſſet, Patres doceret: quod Senatus de Mazarini clientibus extraneis decreverat, id ratum, firmumque eſſet, atque adeò ſi qui in Urbe, aut finibus eſſent, eos, atque ipſum ſingillatim Ondedeum comprehendendos. Poſt paulò Condæus unà cum Gaſtone ad Regem, & Reginam iit, ab quâ ſeſe minùs comiter, & benignè acceptum poſteà prædicavit, ſeu ita ſe res habebat, ſeu ad ſeceſſionem, & turbas, ac poſtremò ad bellum, quæ brevî conſecuta ſunt, cauſam quærebat. 1651.

Suprà vidimus Contium dicentem in Senatu, Mazarino conſilium fuiſſe, & Sedanum, & Briſiacum ſibi habere, oppida ad Moſam, & ad Rhenum munitiſſima. *a* Faber Sedano, Tilladetus Briſiaco præfectus erat. Sed inter hunc, & Carlevoſium Propræfectum ortæ ſunt lites, quarum hæc fuit cauſa. Carlevoſius jamdiù in hujus loci præſidio cohortem habebat militum Gallorum, pauci prætereà Germani milites fuêre, quos ſibi Tilladetus adjunxerat. Sed his modò fretus in poteſtate Carlevoſii ſeſe, atque oppidum eſſe ſentiebat, qui tamen nec imperia detrectabat, aut quidquam contra Præfecti voluntatem faciebat, aut denique ulli officio adverſùm hunc deerat. Decrevit tamen Tilladetus ex Carlevoſii cohorte centuriones ad ſuas partes adducere: quod ubi hic ſenſit, continuò duos qui cum Tilladeto concordare cœperant, Briſiaco pellit, ac deindè nihil eſt Tilladeto obſecutus, ita ut quod uſquè in occulto fuerat, propter Præfecti, atque Propræfecti concordiam, ſcilicet hunc in oppido validiorem eſſe, tùm propter eorum diſcordiam palàm fuerit: quod cùm ægrè Tilladeto eſſet, atque ſibi injurioſum exiſtimaret, cum bonâ Regis veniâ Briſiaco diſceſſit. Fuêre qui ita exiſtimarent, Tilladetum qui Telliero Mazarini clienti affinis eſt, hujus voluntate operam dediſſe, uti potior apud Briſiacum foret, ut eò ſe Mazarinus in tutum recipere poſſet, & cùm id fruſtrà fuiſſet, Coloniæ Agrippinæ, aut apud Brullum in propinquo reſtitiſſe.

a De Faber. Tilladet. De Charlevoy.

Id ubi *b* Renata Dubeca reſcivit, cujus operâ uſum Mazarinum antehàc diximus, uti Carlevoſium poſt Erlaci Briſiaco Præfecti obitum in officio contineret, perſuaderetque homini, ut æquo animo Tilladetum vice Erlaci Briſiaco Præfectum eſſe pateretur, iterùm conſimilem ſe daturam operam Mazarino recepit, ut ne videlicet Carlevoſius tùm ab officio diſcederet, aut quid adverſùm Regem, ac rem publicam moliretur. Sed hæc mulier animo ſuprà ſexum valido eſt, cui videlicet nec prima, nec magna uſquè fuit ſicuti vulgo mulierum ſolet, rei familiaris cura: primas, quia imparem animo ſicuti rebatur virum nacta erat, nuptias dedignata eſt, atque infirmas eſſe contendit, maluitque ſe I. *c* Budæ Guebriani virtutis, quàm alterius amplioris rei, cujus rationem, ut ferè fit, filiam collocando parentes habuerant, ſociam eſſe. Ex illâ ſecum, atque ex gloriâ viri poſtillâ multis rebus præclarè geſtis celeberrimi communicatâ ita crevêre mulieri animi, uti magna, atque inſolita moliretur.

b La Mareſchale de Guebrian.

c Bude, Comte de Guebrian.

1651. Jam Legati in Mariæ Gonzagæ Mantuanæ cum Uladiſlao Poloniæ Rege nuptiis, ſicuti memoravimus antehàc, perſonam ſuſtinuerat, quod tametſi amplum ipſi, magnificumque viſum, tamen magis ſuprà fœminam eſſe videbatur, quidpiam quod ad militiam pertineret, attingere, cujus ſibi facultatem dari in Carlevoſii negotio eſt arbitrata. Igitur hujus conſilii plena ſcribit ad Mazarinum, ſpem huic facit, ſi Briſiacum mittatur, omnia illic fore in tuto, ac fortè effecturam ſe, uti Carlevoſius acceptâ aliquâ mercede Briſiaco diſcedat. Mazarinus acceptis Dubecæ litteris ſcribit ad Reginam, ſibi optimum factu videri, ut illa Briſiacum eat, quod eſt ſubitò factum. Igitur Dubeca cum ampliſſimo comitatu eò proficiſcitur, cui advenienti ſic eſt obviam ab Carlevoſio proceſſum, uti nihil honorificentiùs fieri potuerit.

Apud Briſiacum tantiſper agitavit, mirâ arte tractans hominem, uti quò volebat, eò denique adduceret: perſuadere Carlevoſio nitebatur, ut ex voluntate Regis, atque Reginæ matris, ac prætereà Mazarini, ſed maximè honoris ſui causâ Briſiaco diſcederet, atque eâ gratiâ librarum millia centum accipere vellet, id ſe in ſummâ habituram gratiâ dictitans, quam ſibi hunc ita referre pro ingentibus Guebriani viri in ipſum meritis deceret: nam ab Reginâ, & Mazarino ſe impetraturam denique ſperabat, uti ſibi Briſiacum permitterent, cui Præfecta eſſet, modò ut Carlevoſius ſecum congruere vellet, præ ſe ferendo nulli præter quàm ipſi oppidum traditurum: cæterùm *nihil eſſe* dicebat, *quo ipſe ullam in bello civili poneret ſpem: nam id aut non geſtum iri, aut brevi conditionibus deſiturum, quo confecto procul dubio Regem cum omnibus Regni copiis adventurum, qui Briſiacum oppugnet, atque in Carlevoſium gravius conſulat, cui rei prævertendum eſſe, quod & cum gratia, & cum mercede, & cum grati in Guebriani memoriam animi teſtimonio tunc facere poſſit.*

Eâ tempeſtate vulgatum Dubecam non modò Briſiacum expetere ſibi, cui Præfecta eſſet, ſed & prædia quæ Rex in Alſatiâ poſſidet omnia, quibus huic permiſſis ære ſe alieno liberaret, quo ſatis grandi Dubecæ obſtrictus erat: ita mulier nihil niſi ingens animo volvere ſolita, ſibi ſpeciem Principatûs aliquam in hâc ab Aulâ remotâ regione fingebat. Præter librarum millia centum curanda Carlevoſio, centurionibus ex hujus cohorte ſingula millia nummûm, ac militibus unius menſis ſtipendium pollicebatur. Carlevoſius neque accipiebat conditionem, neque abnuebat, ſed producere Dubecam, & quid tempus, ac dies adferret, opperiri ſtudebat, cùm quod id ſibi conducere arbitrabatur, tùm amore captus pulchellulæ virginis, quæ in Dubecæ Gynecæo fuit: nam in omnibus propè quæ cum mulieribus aguntur negotiis, id mali reperias.

Poſtremò cùm nihil ſatis apud Carlevoſium Dubeca proficeret, in Galliam redit, cúmque Aula longiùs ab Urbe eſſet, Moretum fratris filii rus nobile concedit. Eò Sironem quem Mazarinus ad Urbem, atque ad Aulam miſſitabat, accerſit, edocetque, *Carlevoſium honoris ſui cauſa facturum videri omnia, ſed nonnihil hærere, ob bellum civile, quod bre-*

vt geſtum iri credat: ſi Mazarino videatur hanc iterùm Briſiacum proficiſci, rem cum bona ſe Carlevoſii gratia, ſin minùs cum mala confecturam: illud tamen ſe in ſpe habere, quoniam quas conditiones ipſi tulerit, eæ huic ſatis placere videantur. In eamdem ſententiam ſcribit ad Mazarinum, qui hujus negotii, quin & Briſiaci Dubecæ planè permittendi Reginæ autor fuit: viſum tamen huic adhibere *a* Sironem, atque Furnellum unius equitum alæ Tribunum, qui conſilio, ac ſtrenuâ ſi opus foret operâ mulierem juvarent. 1651. *a* Siron. Fourneaux.

Siron maximo Dubecam oravit opere, uti viduam quamdam mulierem formâ bonâ, atque ætate integrâ in Gynecæum ſuum accipere vellet, quod quidem ipſa lubens eſt ipſi obſecuta, nihil ſicut arbitrari Iubet, cogitans hanc poſthàc magno uſui in eo quod agebatur negotio futuram, ſicuti poſteà videbimus.

Hoc anno Amelia Elizabetha Hannauvia mortem obiit, quæ mortuo pridem Guillelmo viro Haſſiæ Caſſellanæ Comite, (Lantgravium Germani appellant) paternam Guillelmi filii per hujus pueritiam tam egregiè adminiſtravit hæreditatem, ut hanc illi ubi adoleverat, multò tradiderit ampliorem: bello videlicet unà cum Galliarum Rege, ac Sueciæ Reginâ in Germaniâ adversùm Ferdinandum II. ac Ferdinandum III. Imperatores impigrè geſto, quo non mediocriter filii rem auxit, atque in perpetuæ ob confectam pacem, ac recuperatam Imperii Ordinibus priſtinam libertatem gloriæ ſocietatem cum his potentiſſimis Regibus venit. Germanicè, & Gallicè juxtà, atque aptiſſimè ſcribebat, quod quidem ſicuti pleraque alia per ſe faciebat, alienæ operæ magis parcens, quàm ſuæ. Poſt hujus mortem Guillelmus filius ad Regem miſit, qui ſe haud ſecùs quàm matrem, ac patrem antehàc Galliæ ſtudioſum fore, ac Regiam Majeſtatem culturum, atque obſervaturum diceret, quæ legatio Regi gratiſſima, atque acceptiſſima fuit.

Britannos quos Anglos tum appellamus, ob Regis ſui cædem publici judicii ſpecie perpetratam omnibus tum inviſos eſſe debuiſſe quis non exiſtimaverit? neque ſupplicii quidquam amplius iis irrogandum fuiſſe cenſeo, quoniam bella non ſine ingenti ſumptu, & incertis eventibus geruntur, adeò ut in bonâ causâ peſſimam quandoque fortunam habeas. Sed unicuique non amicum alteri eſſe fermè licet: quo mihi fœdiùs egiſſe Philippus Hiſpaniæ Rex videtur, qui hoc anno Alfonſum Cardenam Londinum legavit, uti Britannos ſicuti Regis ſui nece quidpiam ſibi juris quæſiiſſent, qui id immaniſſimè violaverant, amicos, & ſocios appellaret, periculoſiſſimo certè in ſemet, ac cæteros Reges exemplo, quorum Cardenas principem Philippum eſſe per vaniloquentiam prædicavit, atque adeò hunc primum omnium id honoris Anglis habere voluiſſe: ſed de hoc principatu nemo omnium ignorat planè falſum eſſe, primas Galliarum Rege inter alios omnes dudùm obtinente: cæterùm Hiſpanis diſciplina eſt, per fas, nefaſque imperium augere, dominandi lubidini religionem obtentui habere, atque hanc ubi uſui non eſt, parvi

1651. pendere, quod quidem tunc Philippus faciebat, gentis ab fide noſtrâ Catholicâ alieniſſimæ amicitiam quæritans, ac præthereà ob recentem Regis ſui cædem omnibus inviſæ.

Eâ tempeſtate in Cataloniâ peſtilentia gravis, ac maximè apud Barcinonem fuit: quo fiebat ut oppidanorum infrequentiâ urbs ab his modò cuſtodiri ſolita in diſcrimen veniret. Provinciam hanc Jacobus *a* Stuartus Sammegrinus pro Prætore obtinebat, qui cum bonâ Barcinonenſium gratiâ eò Gallorum militum præſidium introduxit, datâ fide non in portis, aut mœnibus, ſed haud procul in plateis, aut vicis ſtationes habituros, uti ſicubi opus foret, oppidanis cuſtodias ad portas de more agentibus præſto forent, ſed eâ causâ Galli milites provinciæ finibus acciti hos nudavêre. Igitur Prada haud procul Ibero flumine ſine Gallorum ſolito præſidio relicta, ac popularibus permiſſa eſt. In hâc pauci è Catalanâ cohorte milites fuêre: quod ubi reſcivit Hieronymus Flixio ab Hiſpanis nuper recepto præfectus, hic duo armatorum millia ab vicinis præſidiis cogit, & apud Dertoſam, quam & nuper hoſtes receperant, traductis Iberum copiis Pradam versùs venit, Catalanum militem ſuis haud parem fore confiſus, quod longè aliter, ac ratus erat, cecidit: admotis enim ad murum oppidi ſcalis, atque hoſte ſtrenuè gerente rem, haud minor propugnantium virtus fuit, neque ſolus vim hoſtium ſuſtinebat miles, oppidani & ipſi viri, mulierèſque pro aris, & focis arma ceperant: poſtremò procul ab mœnibus pulſi hoſtes in præſidia ſua diſceſsêre. Adveniebat Barcinone cum copiis Sammegrinus ſubſidio Catalanis, qui Marſillium Caſtrorum Præfectum præmiſerat: is pulſis jam hoſtibus commeatum in oppidum introducit, prætereà ſexcentos pedites Gallos, qui majori præſidio forent.

a Stuart Marquis de ſaint Mégrin.

Fine anni proximi mortem obierat Guillelmus Naſſauvius Arauſiorum in Galliâ Princeps, qui ubi Henricus pater antehàc deceſſerat, huic in poteſtatibus, & imperiis, quæ apud Socias Belgarum Civitates obtinebat, ſuffectus fuerat. Sed Guillelmo filius deerat, qui ſicut ipſe Henrico patri, ita illi ſufficeretur: uxor vidua prægnans erat, cujus expectare partum, & an mas, aut fœmina foret, opperiri magis regium videbatur, quàm ut in liberis Civitatibus uſurparetur. Sed in eas tanta merita Naſſauviorum ſunt, quorum operà, atque incredibili virtute & conſtituta ab principio Res harum publica, & jamdiù cum magnâ potentiæ famâ ſtat, uti pleræque omnes Civitates expectandum viduæ partum cenſerent, ac ſi marem ederet, hunc patri ſufficiundum. *Dei benignitate, atque Arauſiorum virtute pacem partam nuper, quo adoleſcendi ſpatium puero futurum ſit, atque intereà ex eâdem gente tutorem adeſſe, cujus item virtus in proximis bellis perſpecta ſit.*

Sed hæc diſturbavit Antonius Brunus Philippi Hiſpaniæ Regis apud Socias Civitates Legatus, ſcilicet reputans in ejus rem fore, Sociis Civitatibus adimere tantam Arauſiorum virtutem, & in hanc gentem ulciſci Sociarum Civitatum ab Regibus Hiſpaniæ defectionem, cujus autores primùm, dein fautores fuêre. Cum Bruno Batavi, quæ potior

inter Socias Civitas eſt, congruebant, nobiles cum Arauſiis inimicitias exercere ſoliti, qui ſi ab Republicâ amoti forent, hujus ſe facilè principes futuros credebant, atque adeò ut ferè fit, ægrè erat in eâ quidquam ſuprà ſe videre. Igitur Brunus poſtquàm Bruſſellas ierat, atque eò cum Hiſpanis Adminiſtris conſilia contulerat, hujuſcemodi verbis Sociarum Civitatum apud Hagam Comitis Senatum eſt affatus. 1651.

Quid intereſt inter regium quod pati nequiviſtis ab Hiſpanis imperium, & id quod adhuc in vos Arauſii tenuere, niſi quod illud hæreditate Hiſpaniæ Reges ab majoribus habuerant, hoc voſmetipſi ultrò Arauſiis detuliſtis? Sed ab patribus ad filios, ab fratribus ad fratres eâ ætate, ac virtute, qui rempublicam gerere queant, imperium tranſire tolerabile id quidem, atque virtuti perindè, ac generi datum videtur. At ſi non pueris modò, ſed & futuro mulieris partui ſerviundum eſt, fruſtrà vos tam diuturno bello jus, atque libertatem quæſiſtis, fruſtrà Hiſpaniæ Regum tantorum Principum imperium exuiſtis, uti tantulis viris, quin & earum quas uxores duxerint utero pareatis. Vobis Dei immortalis beneficio pax eſt, atque adeò ea incidère tempora, quibus unum modò quod integræ libertati obſtitiſſe videtur, ſcilicet perpetuum in una familia imperii nomen ſua ſponte deſinat. Itaque vos ipſa res monet, quid uſui ſit. Neque exiſtimetis vos parvum quid facturos, ſi tantam Arauſiorum potentiam interruperitis, oſtenderitiſque hanc non hæreditariam, ſicut uſquè viſa eſt, ſed in veſtro arbitrio eſſe. Intereà ſi puer naſcetur, ſimiliſque patrum ſuorum evadet, huic de integro eamdem rei publicæ partem mandandi, quam patri, atque majoribus tribuiſtis, copia erit. Haud abſimilem qui in Senatu ex Civitate Batavorum adeſſe ſolet, orationem habuit, atque idem Batavi omnes dictitabant.

Sed adversùm hæc Reginæ viſum Arauſiis favere, cùm ob gentis nobilitatem, atque perpetuum in Galliam ſtudium, tùm quod ubi viri Principis autoritas in re publicâ valet, ibi rectiùs, atque æquiùs omnia geruntur. Ad hoc Guillelmi Naſſauvii uxor tum vidua, de cujus partu ſi filius foret, agebatur, Henricæ Britanniæ Reginæ filia, atque adeò Ludovico Regi conſobrina eſt. Poſtremò quid Brunus apud Socias Civitates eâ tempeſtate novandis rebus idoneâ moliri vellet, obſervandum Regina cenſebat: nam tametſi ab fœdere de bello, ac pace unà faciundis diſceſſerant, atque nihil in præſens ab his ſperandum eſſet, quod nobis uſui foret, tamen erat magnoperè cavendum, ut ne ab Hiſpanis circumvenirentur, atque Galliæ planè hoſtes fierent.

His de cauſis Rex Pomponium Bellevræum in Senatu Præſidem ad Socias Civitates extrà ordinem legat, hominem Henricæ amitæ pridem cognitum, atque probatum, nam apud Carolum virum Britanniæ Regem antehàc trium, atque ampliùs annorum Legationem obierat, dein iterùm eòdem extrà ordinem per difficilia Caroli Regis tempora legatus fuerat. Is maturè ſicuti res monebat profectus Hagam Comitis advênit, perbenignè juxtà, atque honorificentiſſimè ab Fœderatis Ordinibus acceptus: ſed ex eâ legatione nullum Gallia fructum, neque item Henrica, aut Arauſii cepêre. Fuêre qui Bellevræum properantiùs in Galliam rediiſſe crediderint, ſpem nactum aut Procan-

1651. cellariatûs habendi, aut Primarii Præſidis Magiſtratum in Senatu adipiſcendi, nam Signum regium Molæo redditum iri fama erat, atque hunc primarii in Senatu Præſidiis Magiſtratum abdicaturum.

Poſt paulò Britannorum Legati Hagam Comitis apud Batavos venêre, fœdus, atque amicitiam oratum: qui quoniam ob Regis ſui cædem inviſi omnibus præterquàm Hiſpanis erant, ab plebe infeſtis clamoribus accepti ſunt, dein ab maledictis itum ad ſaxa, quæ in prætereuntes ingeſta ſunt, ita ut his cuſtodes adhibere neceſſe fuerit, qui prohiberent injuriam: cæterùm poſtulantibus Britannis uti Sociæ Civitates fœdus cum ipſis inirent, eoſdem amicos, eoſdem hoſtes haberent, non ex ſententiâ reſponſum: neque enim tum Sociæ Civitates æquum cenſuêre ullâ cum Britannis ſocietate conjungi.

Hoc anno Hiſpani dum apud nos tantæ turbæ fiunt, de Barcinone quæ Urbs Cataloniæ caput eſt, recipiundâ cogitabant: nam ſi eâ potirentur, omnis item provincia futura erat in poteſtate, in quâ ſcilicet cætera oppida, caſtellaque infirma ſunt. Sed ut illa ad mare poſita oppugnaretur, magnâ belli mole opus erat, neque exercitu ab terrâ modò, ſed & ab mari Claſſe, quæ commeatûs, atque auxilia prohiberet. Hæc apud Neapolim, cæteroſque Italiæ, Siciliæ, atque Hiſpaniæ portûs apparabatur, copiæ ab Germaniâ, atque ab Italiâ accerſebantur. Claſſi præfuit Joannes Auſtrius de quo antehàc memoravimus: qui ubi Barcinoni appropinquavit, terrâ, marique Imperator factus omne circùm urbem bellum adminiſtravit.

Iſthuc Hiſpanorum conſilium ex copiâ rerum haud ignotum Regi, atque Adminiſtris fuit, neque omittebant Catalani per Legatos tres quos habebant in Aulâ, Joſephum Dardennam Illæ Comitem, Joſephum Fontanellam, & Joſephum Pinolam inſtare, urgere, ut huic occurreretur, atque eâ gratiâ mitteretur in provinciam, qui hanc more majorum Prorex obtineret, nam ab diſceſſu Mercurii Imperio vacua fuerat, nihilò ſegniùs tamen Sammegrino Proprætore illic rempublicam gerente. Hocquincurium Equitum Tribunum menſe Aprili eò mittere conſilium fuerat, qui adeò ab Peronâ cui Præfectus eſt, fuerat accerſitus. Sed ubi quæ ipſi per proxima æſtiva ad bellum gerendum, defendendumve neceſſaria erant, de iis agi cœptum, hæc vix Adminiſtros ſuſpeditare poſſe ſatis intellexit, ob ærarii inopiam: quo factum eſt, uti provinciam hanc cuivis quàm ſibi datam mallet. Eo Condæus cum Catalanorum Legatis egit, ut hanc Marſino peterent. Id quidem lubentes fecêre, quia Marſinus egregiam antehàc in Cataloniâ Regi operam navaverat, quem adeò eodem pro Prætore mittendum facilè decrevit: & quia de Hiſpanis increbreſcebat rumor, hos terrâ, marique apparare bellum, Marſinum quamprimùm in Cataloniam proficiſci viſum. Sed Condæus hunc ſibi magis ac magis adjungere ſtudens operam dedit, uti priùs Claromontiam Entraguæam virginem nobiliſſimam, quîcum affinitas nonnulla ipſi intercedit, uxorem duceret, in quo negotio menſis eſt unus conſumptus. Mirum profectò fuit Regem,

Regem, atque Adminiſtros homini quem Condæo deditum ſatis ſciebant, qui hujus causâ ante annum in cuſtodiam conjectus, dein hâc emiſſus fuerat, & qui huic affinem virginem ducebat uxorem, provinciam Hiſpanis quibuſcum Condæo fœdus intercedebat, finitimam, & quæ ab ipſis defecerat, permiſiſſe. 1651.

In Italiâ id modò Gallis, Hiſpaniſque hoc anno curæ fuit, uti rem utrimque ſuſtentarent, alteris in bellum civile quod impendebat, alteris in Catalonicum intentis. Exiguæ igitur copiæ noſtræ in Italiâ, item & exiguæ his Sabaudiæ Ducis copiæ conjunctæ fuêre: cunctis Villa Marchio præerat, qui primùm Alexandriam, dein Linguas versùs (id nomen anguſtis vallibus inditum, quibus ab Montisferrati, & Subalpinorum regionibus, in Ligures deſcenditur) prædas egerat, caſtella ceperat, atque alia hoſtilia fecerat, ceſſantibus tum hoſtibus, cùm pars nondùm ex hybernis deducta eſſet, alii petentibus Finalem Germanis iiſſent præſidio, pauci apud Alexandriam, circúmque ea loca agitarent. Aſt ubi cuncti in unum conducti, Caracena numero fretus Subalpinorum viciſſim ingreditur fines, magna commeatûs, atque omnis inſtrumenti bellici copia ſequebatur agmen, omniſque apparatus urbium oppugnandarum.

Is quoniam Moncallierum petebat, oppidum decem modò paſſuum millibus ab Auguſtâ Taurinorum poſitum, ſuſpicio incidit, hunc eò, aut ad Pinarolum, quod in Regis ditione eſt, movere velle. Quod ubi eſt Sabaudiæ Duci apud Auguſtam Taurinorum agitare ſolito nuntiatum, optimum factu viſum in tam propinquo rei publicæ diſcrimine, Thomam Patruum dare operam ut ne quid detrimenti caperet: nam is apud Auguſtam Taurinorum erat, per hæc æſtiva ceſſaturus, quoniam cum exiguo Gallorum, atque Subalpinorum exercitu nihil ſatis dignum hujus viri Principis, & virtute, & famâ fieri poſſe videbatur. Sed ubi periculum advênit, nihil puduit paucis copiis Imperatorem eſſe, modo ut his rem publicam Regi, atque Sabaudiæ Duci fratris filio ſalvam præſtaret.

Igitur exercitum qui apud Chierum erat, cis Padum reduci jubet, atque ad ripam fluminis caſtra ponit, ut hujus tranſitu hoſtem arceret. Eò dùm quæ opus facto ſunt agit, aut præcipit ſtudioſiùs, fortè cui inſidebat equus, is perterrefactus, ac in poſteriores erectus pedes, hominem dejicit, atque affligit ſolo, qui ex eo caſu caput graviter offenſus huic curando ad Urbem rediit. Sed opportunè tum advênit a Santandreas Mombrunus cum aliquanto equitatu, quem ex Galliâ adducebat, miſſus ab Rege, qui per abſentiam Thomæ bellum in Italiâ Legatus adminiſtraret. Is ad Piobes loco ad prohibendum cùm Pinarolo, tùm Auguſtâ Taurinorum hoſtem opportuno ſtativa habuit, dum hoſtis ad Moncallierum & ipſe habebat ſtativa. Eò amnem ratibus junxerat, neque tamen aliud ultrà Padum quàm prædas agebat, haud magnas has quidem, tam vicinis Gallorum qui effusè prædari prohibebant ſtativis.

a Le Marquis de S. André-Mombrun.

1651. At ceſſante Caracenâ Santandreas ex ingenio gentis noſtræ avidus belli gerendi amnem vado tranſit, atque ad Moncallierum ducit: cujus rei nuntius ad Caracenam allatus ſuſpicionem injecit majores quàm fama ferebat, copias Santandream ſecum adduxiſſe, quibus fretus ad ſe verſùm veniret, ita quod in metu fieri ſolet, ampliora vero omnia ſibi fingens noctu contra militiæ decus, collectis ſilentio vaſis Chierum abſcedit, quò biduum moratus ſecundis caſtris Butilieram petit. Santandreas ad Villam-novam habuit caſtra, nec omiſit uſquàm exploratum mittere, quid ubique hoſtis ageret, ſi fortè rei benegerendæ caſus daretur. Turma una eâ gratiâ Pauli-fanum haud procul caſtris ierat, quæ in hoſtium alas quatuor incidit: has Caracena eò miſerat, ut ne copia noſtris eſſet explorandi quónam iter intenderet. Continuò inter turmam noſtram, atque hoſtium equites prælium fit, quod iniquum erat noſtris, ni properè ab caſtris ſubſidio veniſſet Canillaci equitum ala, quæ hoſtes Butilieram uſquè pepulit, ipſiſque Caracenæ caſtris intulit metum, ac terrorem, pulsâ peditum quæ pro caſtris erat, ſtatione: quo factum eſt, uti ſtatim moveret, metuens ne perturbatis ſuis univerſus noſter exercitus interveniret.

In Montisferrati relictis Subalpinorum finibus conceſſit agrum, propiùs Mediolanenſis fines, neque poſthàc quidquam operæpretii utrimque factum, donec copiæ in hyberna, aut aliò quò res monebat, deductæ: nam Hiſpani tunc cum maximè Barcinonis oppugnationi intenti, Galli de bello civili quod apud ſe flagrabat, ſoliciti erant. Illi tamen non omisêre cum Chriſtinâ Sabaudiæ Ducis matre agere, atque hanc hortari, uti corruptis Galliæ rebus ipſa ſibi, atque filio conſilium caperet: ſi id ſatis placeret, Philippum pacis conditiones quàm honeſtiſſimas huic laturum. Sed hæc manſit in fide, quam pridem Regi Ludovico fratri, dein Regi Ludovico fratris filio dederat, mulier ingens animi, neque turbis quæ in Galliâ erant, territa, quas brevî deſituras non dubitabat: nam ubi Rex capeſſeret rem publicam, quod propediem erat facturus, ibi verò finem factionibus fore, atque omnes in viam rediturοs. Apud nos verò, quæ per hyemem in Italia copiæ nulli propè uſui erant, eas primùm in Aquitaniam, deinde in Cataloniam mittere viſum.

a Le Maréchal d'Aumont. Æſtivorum initio *a* Almontius Villequierus Equitum Tribunus Belgium acriter erat ingreſſus. Primùm Legiam traducere copias conſilium fuit, tametſi Sfondratus Marchio prohibebat, cuſtodiis ad vada, *b* Le Duc de Chaulne. ponteſque diſpoſitis: ſed hæ ab *b* Chalnio, & Beliero-pleſſio Legatis qui præmiſſi ad amnem ab Almontio fuerant, pulſæ tormentis, ſclopetiſque nihil obſtitêre quo minùs refectis pontibus, quos hoſtes abeuntes corruperant, omnis exercitus traduceretur: Sfondratus Armentariam, dein eò relictis peditibus Ypras cum equitatu profûgit, complures in fugâ capti, ab cæde quoniam ultrò dedebant ſe, temperatum. Id incommodum hoſtibus illatum Leopoldi adventum ad Inſulam Urbem maturavit, quò omnes coëgit copias, noſtrorum conatus inhibiturus.

Sed nullum pugnandi conſilium fuit, opperienti videlicet, quónam 1651.
illæ turbæ, quæ apud nos in Aulâ erant, evaderent denique, & quæ Condæus receperat, ea uti præſtaret, tum demùm averſis in bellum civile Regni copiis, pugnandi ſibi magnam opportunitatem fore. Ubi videt Almontius Leopoldum munitiſſimis ſeſe ſtativis tenere, atque objecto Deullo amne, qui ab Inſulâ Urbe ad Legiam fluit, tutò pabulari, & commeatuum habere copiam, ad Avendini-pontem movet, ſi fortè hoſtes inſequendi ſtudio æquis ſeſe committerent locis, quod eſt fruſtrà ſperatum, nam magno circuitu hoſtes Duacum venêre. Intereà noſtri prædas agere ex omnibus vicis, villiſque, hoſtes verò pabulatores noſtros ex inſidiis deprehendere conati fruſtrà fuêre, quoniam his Almontius præſidium adhibuerat, ab quo hoſtes malè mulctati ſunt.

Sed Almontius pugnandi avidus, ut inſigni aliquâ clade affectis hoſtibus, otium ab his in reliquum æſtivorum Galliæ faceret, quo Rex vacuus ab eâ curâ bellum civile faciliùs adminiſtraret, propiùs Duacum accedit, atque ad Arleuxium caſtra ponit. In tantâ hoſtium vicinitate vix fieri poſſe videbatur, ut ne qua res Leopoldum tametſi vitabundum ad pugnam cogeret. Duacum ad Scarpam eſt, prætereà turres certis ſecundùm hunc amnem intervallis collocatæ, in quibus tum præſidia fuêre arcendis noſtris fluminis tranſitu: quo fiebat, ut hoſtes cis Scarpam tutò frumentarentur, pabularenturque: contrà verò alterutrum facientibus noſtris plerúmque interveniebant, cùm tranſitus fluminis eſſet in poteſtate, ob turres, & præſidia.

Id Almontio utique grave, ſed nihil gravius erat, quàm quod hoſtes abnuerent pugnam, ad quam ut hos adigeret, Chalnium Legatum cum idoneo militum numero, ac tormentis duobus turres oppugnare jubet: qui ubi his appropinquabat, atque res in conſpectu Duaci gerebatur, hoſtes magno equitum, nam decem alæ fuêre, atque aliquanto peditum numero ſubſidio turribus venêre: ſclopetis eminùs res geritur, inter quorum ſtrepitum [a] Eſpagnius cohortis unius Tribunus cum trecentis ſclopetariis vadato amne, atque ex alterâ parte [b] Chalnius Legati frater è Melitenſi militiâ, cum majori militum numero hoſtes circuire, & reditu ad urbem prohibere conantur: at illi animadverſo noſtrorum conſilio, omiſsâ pugnâ ad urbem profugêre.

[a] Eſpagny.
[b] Le Chevalier de Chaulne.

Apud Arleuxium Almontius menſem integrum ſtativa habuit, atque intereà quæ maturuerant frumenta, ea longè, latéque meſſuit, & in caſtra convexit, aut quæ ſuperavêre planè corrupit, nihil prohibente hoſte, ut ne pugnandi neceſſitas eſſet: poſtremò disjectis quas propiùs Duacum ceperat turribus quinque movit caſtra. Hoſtes ad Valentianas iêre, urbem magnam, ac validam, atque eò caſtra ſub urbis mœnibus poſuêre: noſtri ad Ynchium primùm, dein ad Aïnam ultrà Scaldim habuêre caſtra, is locus Cameracum inter, & Caſtelletum medius eſt, quod oppidum nuper in Galliæ finibus ab Hiſpanis captum Almontius recipere ſe velle ſimulabat, ut eò eliceret hoſtes, quò patent ad

Kkkk ij

1651. pugnam campi, neque hanc abnuere copia foret. Sed hi ad ripam ſiniſtram Scaldis, ab Valentianis, ad Buchaïnum ſtationes, cuſtodiaſque diſpoſuerant, quæ noſtros tranſitu fluminis prohiberent: prætereà ultrà Scaldim aliquantùm equitum habuêre, qui inter amnes, rivoſque, locis ab naturâ munitis agitabant, uti noſtros eâ parte caſtra habentes ab effuſâ populatione deterrerent.

Sed majus quidpiam Almontius volvebat animo, quo pacto videlicet ad ſiniſtram Scaldis evaderet ripam, atque hoſtes porrò abnuentes pugnam ad hanc denique capeſſendam cogeret. Eâ gratiâ *a* Bugium, atque Beljocum Caſtrorum Præfectos paulò diverſos cum quatuor equitum turmis Haſpram verſùs, quem locum deſtinaverat caſtris, præmittit, ipſe aliquanto intervallo cum cætero exercitu, atque omni graviori agmine ſequitur. Fortè Fuenſaldanius unus ex Hiſpanis Ducibus cis Scaldim fuit, atque incertum quo conſilio, cum tribus equitum millibus Cameracum verſùs veniebat: præibant equites trecenti, atque itinere paulò diverſo octo equitum turmæ. Id Bugio, atque Beljoco ſpeculantibus videlicet haud occultum fuit, qui ſubitò Almontium eâ de re faciunt certiorem, is ambos prælium incipere jubet, atque alios equites ſubſidio mittit, militeſque addere gradum imperat.

a Le Marquis de Bougy. Le Marquis de Beaujeu.

Caſtrorum Præfecti continuò adoriuntur hoſtes, ſed hi vix noſtrorum conſpectum, nedùm impetum ſuſtinuêre: pars fugâ ſibi conſulere, alii projectis armis dedere ſe, vitam orare, ita pauci cæſi, capti quadringenti, Fuenſaldanius ſuorum quos præmiſerat fugâ, prætereà ſignificatione, tormentorum ſtrepitu ab Cameraco, & Buchaïno factâ monitus hoſtem adeſſe, properè ad loca inter amnes quæ ſuprà diximus munita reducit agmen, Almontius ad Haſpram caſtra habuit. Poſtridiè cùm luceſceret, noſtri ſicuti præceptum fuerat, parati, inſtructique ad Scaldim iêre, pulſiſque ab Neovillâ hoſtibus, pedites ponte quem haud ſatis hoſtes interruptum reliquerant, equites vado amnem traducti ſunt, præeuntibus Legatis, Caſtrorum Præfectis, Tribuniſque: dein Almontius cum magnâ equitatus parte ad caſtra hoſtium vadit ſub Valentianarum mœnibus poſita, qui ſe his tenuêre, neque adduci uſquàm potuêre, uti pugnandi poteſtatem facerent.

Ubi Almontius videt Hiſpanos detrectare pugnam, cis Scaldim copias reducit, & ad Queſnoïum movet: primum agmen Chalnius ducebat, qui in ducentos hoſtium equites incidit, Croatæ erant, quibus fuſis, fugatiſque noſtri ad Capellam habuêre caſtra. Ab eo loco ad Caſtellum in Cameracenſi agro poſtridiè movebant, cùm eſt Chalnio nuntiatum ſeptingentos hoſtium equites, ducentos pedites latere in inſidiis, apud eum ſaltum, qui ab Guiſii arbore nomen habet: hi ab Avennarum, & Landrecii præſidiis eò deducti fuerant, qui commeatus ad caſtra noſtra ab Quintini-fano venientes interciperent. Continuò Chalnius cum equitibus octingentis eò profectus, præmiſſo cum ducentis *b* Crequio è Militenſi Militiâ, qui prælium inciperet, hoſtes poſt acre certamen fudit, centum & viginti cæſi, capti centum & quinquaginta, è noſtris deſiderati modò decem.

b Le Chevalier de Crequy.

Diximus antehàc viros Principes non modò oppidis, atque arcibus Præfectos eſſe velle, quas Propræfectis clientibus ſuis permittant, ſed & duces turmis, atque Tribunos alis equitum, præterea cohortibus, quas item vicariis clientibus ſuis delegent, miſerum profectò, atque indignum Regis ſumptibus ali copias, quæ ex alieno arbitrio, atque lubidine plerúmque pendeant, ſicut eâ tempeſtate factum. Nam quibus hujuſcemodi copiis Condæus, Angianus filius, & Contius frater præerant, eas ab exercitu regio ſegregatas habuêre, quæ apud Marlas tum habebant caſtra, ac diſſidium, & partes oſtentabant. Haud ita procul fuit in Lucemburgenſi agro Stephanus Gamarra Hiſpanus, cum copiis, quibus illæ facilè conjungi poterant. Ubi cuſtodiâ Condæus fuerat emiſſus, hanc ipſi Regina ſe tuliſſe conditionem aiebat, facilem juxtà, & æquam, ſcilicet ut Hiſpanos Satenaïo oppido ad Moſam aut abigeret, aut adduceret, uti ſponte diſcedere vellent. Arx penes Condæum erat, atque in eam liber ingreſſus omnibus, quæ apud Marlas agitabant copiis, quarum operâ Hiſpanos oppido pellere haud difficilè videbatur. 1651.

Sed id eâ tempeſtate Condæum Hiſpanis ademptum nolle dictitabant, miſiſſe tamen ſimulandi gratiâ Brulardum Sillerium Bruſſellas, ſicuti acturum eâ de re cum Hiſpanis, cæterùm longè alia mandata quæ ad bellum civile pertinerent, huic dediſſe. Hæc ſeu vera, ſeu ficta ab Mazarini clientibus, quando ea Condæo potentia, eæ clientelæ, ea apud Gaſtonem, Senatum, populumque gratia erat, uti neque jus, neque leges adversùm tantas opes valere poſſe viderentur, Reginam impulêre, uti ſibi omnes edocendos ſtatueret, quid illi conſilii eſſet, ſi fortè rei atrocitate, & belli civilis metu ſeſe adduci ſinerent, ut erumpentem in rei publicæ perniciem hominis audaciam coërceri æquo animo paterentur. Eo Senatum acceſſit, aderat Gaſto, Contius, Belfortius, Nemoroſius, atque alii vocati omnes præter Condæum. Ubi Rex, atque Regina mater aſſedêre, hæc quid Rex ſuper omni Condæi ratione ſentiat, eos certiores facere voluiſſe ait, dein Seguierus Cancellarius Scriptum quod præ manibus habebat Lomenio Briennæ uni ex Quatuorviris recitandum tradidit, quod poſteà Molæo primario Præſidi traditum eſt.

Hujus ſententia hæc erat, *Quæ Rex de Mazarino, atque hujus propinquis, & clientibus edixerat, ea firma, & rata fore, atque adeò nihil eſſe, quod hæc rei publicæ perturbandæ quiſquam obtentui haberet:* poſteà quanta in Henricum Condæi patrem Ludovicus XIII. Rex, quanta ipſe Rex Ludovicus filius in Condæum beneficia contuliſſet, commemorabatur: *hæc poſtquàm è cuſtodiâ miſſus eſſet, conſervata, atque aucta, reſtituta oppida, atque arces, reſtitutas peditum, equitumque copias, quæ utraque tot, ac tanta ſint, ut qui ea ſibi expetiverit, is civis modum excedere voluiſſe videatur. Datam huic nuper Aquitaniam provinciam, atque in Æduis quam dimiſerit arcium trium retinendarum factam poteſtatem: exhauſtum in explendo hoc uno homine ærarium, antiqua ſibi debita, copiis, atque præſidiis ſtipendia, atque alia emun-*

1651. *gendæ pecuniæ poſtulante, intereà dùm hæc in domus regiæ, atque exercituum ſumptus, aut nulla, aut perexigua ſit. Condæi pertinaciâ Regem coactum è Conſilio ſuo pellere, quos ille voluerit: tres nuper Aulâ ut ipſi mos gereretur, pulſos, quorum operâ cùm Regi, tum Reginæ matri bona, fideliſque, in re publicâ fuerat. Nihil hæc ad flectendum ferocem animum profuiſſe: hunc ad Curias, & urbes primarias regni multa quæ bellum civile portendant, ſcripſiſſe, clientes, amicoſque ejus copias in provinciis ſcribere, uxorem, ac ſororem Muronem dimiſiſſe, quo ſicuti loco tutiſſimo, atque arce munitiſſimâ majus publico ærarium habeat. Cum Leopoldo apud Bruſſellas, cum Fuenſaldanio apud hoſtium exercitum multa egiſſe, atque conſtituiſſe: nuntios ad hunc miſſitare, cum præſidio equitum, qui apud Marlas ſint. Hæc, atque alia hujuſcemodi quid Condæo conſilii ſit, ſatis, ſuperque indicare, cui niſi prævertatur, rem publicam in maximum diſcrimen venturam. Id quidem facere Reginæ certum eſſe, in quo ſibi Senatum quæ hujus erga Reges perpetua fides ſit, adjutorem fore confidat.*

Hæc ubi in Senatu ſicuti priùs in Regiâ recitata, Condæus qui aderat, ſcripto & ipſe reſpondit, *Vana iſthæc, & conficta ab obtrectatoribus ſuis, quo ſibi invidiam apud Senatum, populumque conflarent. Quæ beneficia ab Rege Ludovico XIII. in Henricum patrem, quæ in ſe ab Rege filio collata ſint, ea utrumque, atque ampliora promeruiſſe. Haud decere ſe Patribus commemorare quæ, quantaque, & quàm difficilibus temporibus rei publicæ præſtiterit: ſe Regis voluntate Æduos quam obtinebat provinciam, in Aquitaniæ qua ſibi Spernonius ceſſerit, æſtimationem dediſſe, qui hanc lubentiſſimus acceperit, neque Divionis Caſtellum, Joannis ad Alniam fanum, ac Seuram ad Ararim oppida in Æduis poſita ſibi prætereà tradi poſtulaverit, quæ adeò penes ſe porrò manſerint: jure id quidem, neque in eo quidquam præter morem factum fuiſſe.*

Mazarinum advenam, atque hoſpitem plures habere arces, atque oppida, quæ cuncta clientibus, atque amicis permittenda ab Rege curet, quàm ſe e regiâ gente Principem virum, aut quemquam alium. Sibi ab Rege attributas equitum, peditumque copias, at longè plures Mazarino. Suas Regi, atque rei publicæ uſque præclaram operam dediſſe, quid Mazarini copiæ facturæ ſint, in incerto eſſe. Seſe illas Almontio, aut Fertæo-Sannectario Mazarini ſatellitibus conjunctas noluiſſe, ſed Gaſtoni planè dicto audientes, ad quem ſumma rei militaris per Regis pueritiam attineat. Quæ mutatio in Regis Conſilio facta ſit, eam ſe negare voluntate ſuâ factam: obſtitiſſe quidem ſe Gondio, ac Monthеſaurio Burdelio, qui ſuper hac mutatione, Gaſtoni autores fuerint, uti per Urbem diſcurreret, armaret plebem, in ædes Molæi irrumperet, ac Signum regium huic tum ab Regina datum vi eriperet, dein pergeret in Regiam, atque alia ſeſe indigna pro amborum lubidine faceret.

Seſe Servianum, Tellierum, & Lionnum Aula pulſos voluiſſe, uti ſibi, boniſque omnibus conſuleret, quibus Mazarinus per hos clientes ſuos, tametſi abſens inſidiabatur. Id Senatui probatum, ſed ne eo quidem ſe ſatis ſibi cautum exiſtimaſſe, atque Regia ſe abſtinuiſſe, in qua ſcilicet Mazarinum porrò gratia valere plus æquo ſatis perſpiceret, qui tunc cum maximè rei publicæ ſpecie, ſicuti hanc ipſe invadere velit, neque ei rei præverti niſi per ſuam perniciem poſſit, hanc ſibi palàm minitetur. Quod ad Senatum, & ad cæteras Curias ſcripſerit, id rectè,

atque ordine feciſſe, uti ſe expurgaret adverſùm obtrectationes malevolorum, qui bellum civile ab ſe parari vulgaverint. 1651.

Hiſpanos Satenaïo diſceſſuros fuiſſe, ſi Reginæ placuiſſet inter id oppidum, & Lucemburgenſem agrum in annum inducias eſſe, aut ſibi duo millia peditum permittere, quibus fretus hos oppido faceſſere coëgiſſet, utrumque Reginam abnuiſſe: poſtremò ſe ſatis intelligere, atque ſentire eo reum haberi, quod Mazarini reditui rei publicæ cauſa adverſetur. Si cum Hiſpanis hoſtibus conſilia contulerit, aut quidpiam conſtituerit, jure contra ſe in hoc ordine agendum, ſin id vanum, & falſum ſit, quærendum videri in eos, quibus autoribus id Regina ſcripto traditum Senatui voluerit, atque adeò huic ſupplicandum, ut ne hos Patribus occultos habeat. Simul Gaſtonis Scriptum Senatui Condæus tradidit, quo pleraque in commentario regio perſcripta elevabantur.

His omnibus recitatis Condæus ait non alios ſe ſuſpicari Regii commentarii autores eſſe, quàm Montheſaurium, & Gondium: apud alterum convenire omnes, qui ſibi infenſi ſint, ac peſſima de ſe inire conſilia, alterum violenta, atque atrocia perpetuò agitare animo, ac ſuadere Gaſtoni, ſicuti nuper de Molæo fecerit. Gondius ſibi quidem reſpondit tum haud probatum Gaſtonis injuſſu Molæo ab Reginâ regium Signum datum, cæterùm nihil illi hujuſcemodi ſuadere voluiſſe. Condæus contrà adeſſe in Senatu Belfortium, & Rupifocaldum, qui ſciant utrùm id verè, an falsò prædicet, hos unà ſecum iſthæc Gondium Gaſtoni ſuadentem audiſſe: poſtremò hunc ipſum Gondium, neque quemquam alium, regium commentarium qui recitatus ſit, confeciſſe: exclamavêre plerique qui id feciſſet, eum videri alieniſſimum ab pace, & concordiâ animum habere. Dein Cognitor, atque Actores regii juſſi dicere, ſi quid de eo quod agebatur Senatum edocendum haberent, Gaſtonis, atque Condæi Scripta ad Reginam deferenda cenſuêre, eadem fuit Seniorum ſententia, præterea rogandum Gaſtonem, ut ejus operâ Condæus cum Reginâ rediret in gratiam, quæ recitata fuiſſent ultrò citróque Scripta, eorum poſthàc nullam fieri mentionem.

At ex Inquiſitionum Claſſibus Juniores Reginæ ſupplicandum cenſuêre, uti Senatum haud celatum vellet, qui ſibi comperta eſſent ea quæ Scripto regio continebantur, ad ſalutem rei publicæ magnoperè pertinere ſi vera hæc audierit, ut ne Condæo, qui ſecùm jure agi poſtulet, ſin falſa, ut ne criminatoribus ejus impunè ſint. Cùm res dilata in craſtinum eſſet, eâ die in veſtibulo Curiæ adfuêre Condæi, & Gondii clientes, atque amici cum telis, quod eſt ab illo Senatui indicatum, addiditque Condæus ſeſe ubi reſciverit Gondium cum armatis in Curiam venturum, ſicuti res monebat, ſibi conſuluiſſe, cæterùm priuſquàm perrogentur ſententiæ, dandam operam videri, ut omnes utrimque faceſſant. Gondius haud negavit ſibi adduxiſſe præſidio amicos, metuentem videlicet ut ne quid Condæus adverſùm ſe iratus moliretur, quem pridiè regium Commentarium fabricaſſe dixerit.

Continuò Senatus quatuor è Patribus egredi, atque abigere omnes qui in veſtibulo cum telis eſſent, jubet: ſimul Gondius qui ſuos,

1651. Rupiſocaldus qui Condæi clientes dimitteret, egrediuntur. Sed hi viſo Gondio ſuſtulêre clamorem Mazariniſtam appellando. Diſcedunt in ſuas quiſque partes, diſtrictiſque gladiis apparant pugnam: at hunc tumultum ſedavêre qui aderant ex Senatu, quibus, ac præterea Gondio, atque Rupiſocaldo ſuorum impetum inhibentibus, atque hortantibus uti diſcederent, poſtremò his utrique dicto audientes fuêre, atque abiêre. Sed intereà tempus quo Senatus haberi ſolet exierat, atque adeò poſtquàm in Curiam rediêre qui abigendorum Condæi, atque Gondii ſatellitum causâ egreſſi fuerant, Senatus eſt dimiſſus. Gondium ferunt ubi ab veſtibulo in Templum regrediebatur caput primùm, ut fere fit, foribus ſemiapertis intuliſſe, quas Rupiſocaldus qui priùs ingreſſus fuerat in eo temporis occluſerit veſtigio, ita ut Gondii caput intrò, cæterum corpus foris eſſet. Diutiùs homini ita deprehenſo illuſiſſet, ni Camplatruſius Molæi filius interveniſſet, qui apertis foribus huic contumeliæ magis, quàm periculo Gondium exemit, ex quo gratia inter hunc, & Molæum conciliata, qui uſquè ex diſpari natura, atque ingenio diſcordes fuerant.

Poſtridiè Prætor Urbanus, & rerum capitalium Quæſitor, aliique minores Magiſtratus cum armatis circùm Curiam præſidii causâ fuêre, atque ubi Senatus aſſedit, ac Condæus de cujus ſcilicet negotio agebatur, in proximum conclave ſeceſſerat, Molæus perrogatis denique ſententiis graviter ſuo more ſuam eſt orſus dicere. *Sibi Condæi rationem nuſquàm probari, quem nuper Regem, atque Reginam matrem in Regiâ viſentem cum his bona fide, atque ex animo redire in gratiam decuerit, neque id ſimulare verbis, ac poſteà cultu, habitu, comitatu prope regio per Urbem incedere, uti plebi audaciam, atque potentiam regiæ parem oſtentaret: hunc verò quod de pellendis Satenaio Hiſpanis receperat, id præſtare debuiſſe. Sed ita rei publicæ tempus eſſe, ut omnes controverſias minuere præſtet, quàm altercando, & quæ aliqui cenſuerint, ea ab Regina poſtulando alere, aut augere: ſe ſtatim conciliandam inter hanc, & Condæum gratiam cenſere, rogandumque Gaſtonem, cujus autoritas apud utrumque valeat plurimùm, ut hanc rei publicæ navare velit operam.* In Molæi ſententiam plerique omnes diſceſsêre, Senatûs conſultum fit, uti Regis, Gaſtonis, atque Condæi Scripta ad Regem, atque Reginam matrem deferantur, adjiciaturque quid ex his pertimeſcendum Senatus exiſtimet: cæterùm utrique ſupplicandum, ut hanc controverſiam ſublatam, ac magis gratiam inter ſe, & Condæum conciliatam velint, ei rei ſummoperè ab Senatu rogari Gaſtonem, uti quam poſſit operam det.

Caſtronovanum, Molæum, atque Vetuſvillam Mazarini voluntate, de quâ Ondedeus Reginam fecerat certiorem, deſignatos fuiſſe diximus, qui ubi Rex propediem rem publicam, ætatem ad id legitimam adeptus capeſſeret, huic in Conſilio adeſſent, ac prætereà ſuum quiſque obirent munus: jamque Regina de rebus in quibus maturè conſulto opus erat, his magnam habebat fidem, nam quibus conſultandis ſpatium erat, de iis Mazarini exquirebatur, expectabaturque ſententia. Sed quoniam nondùm palam illos tres Regina de re publicâ conſultabat,

Chavignium

Chavignium ad Urbem retinere velle viſa eſt. Nam ubi primùm Servianum, Tellierum, ac Lionnum abigi Condæus poſtulaverat, Regina ut huic contrà ægrè faceret, atque ab hoc conſilio dimoveret, idem ſe Chavignio facturam dixerat, qui tum nihil id opus eſſe Reginæ ſignificaverat, cùm ultrò diſceſſurus eſſet, ni matris morbo impediretur, quam ſatis piè deſerere non poſſet, ubi huic meliuſculè foret, continuò profecturum. 1651.

Poſt paulò tamen Regina per Villaregium nuntiari Chavignio jubet, per ſe licere, ut ad Urbem maneat, quo multi exiſtimavêre hujus conſilio Regem porrò, atque Reginam in re publicâ uti voluiſſe, ſed ille obſtinato ad diſceſſum animo, atque propoſiti quod honeſtum cenſeret, tenaciſſimus, perſtitit in ſententiâ, ſeque abiturum Villaregio confirmavit. Id illum eo feciſſe arbitror, quod conciliandæ Reginam inter, & Condæum gratiæ nulla ſpes erat, providebatque ex eorum diſcordiâ rei publicæ multa ſecùs eventura, inter quæ verſari, cùm prohibere nequiret, importunum videbatur, ſatiúſque erat rus concedere, quàm Reginæ, aut Condæo dare operam, Reginæ quod ab hac Condæus cui ſe Chavignius in adverſis dederat in clientelam, & fidem, diffidebat, Condæo quod bellum civile apparabat.

Sed de Caſtronovano Condæus negabat ſe uſquàm toleraturum, ut iterùm in Regis Conſilio eſſet, dictitando hunc deteriorem eſſe Mazarino: quamobrem Gaſtonis implorabat de eo pellendo fidem, atque *Ad fœdus pertinere* aiebat, *ut ne hominem ſibi inimicum eadem quæ antehàc Mazarinus, ac pejora facere ſineret: de hujus conſilio fabricatum quem in ſe Regina ad Senatum miſerit commentarium, poſtremò peſſimè ſecum, & cum omnibus bonis actum videri, ſi pulſo Mazarino nequior ipſo Caſtronovanus rem publicam adminiſtret, ſibi ſatius eſſe decedere finibus, ac ſe Hiſpanis hoſtibus permittere: ſibi virtutem ubique eamdem, ac fortaſsè fortunam fore.*

Iſthæc commovêre Gaſtonem, periculumque erat, ut ne cùm Condæo de pellendo Caſtronovano congrueret, ni Rohana Mombaſona, atque Gondius hominem attinuiſſent: poſtremò in hanc Gaſto, Condæus, atque alii diſceſsêre ſententiam, uti Comitiorum Regni, quæ hoc anno habitum iri Regina receperat, operâ, Conſilium Regi inſtitueretur, quale non uni Reginæ, ſed & Gaſtoni, & Condæo videretur, qui in eo Guiſiorum per Henrici III. Regis tempora exemplum ſequi nihil penſi habuêre. Iſthuc de Conſilio Regi inſtituendo Gondio ſatis placebat, ſperanti ſe denique Gaſtone fretum eò introduci poſſe. Sed ut animo cupienti nihil ſatis feſtinatur, Gondius autor Gaſtoni fuit, uti rus abiret, ſi fortè ſeceſſionis ſimulatione Reginam ad hujuſcemodi Conſilium inſtituendum etiam antè Comitia poſſet adducere, quod quidem fruſtrà fuit.

Regina de Comitiis habendis ſpem fecerat, quæ omninò certa videbatur, non in Urbe quidem, ſed aliò, quò probè intelligebat factionis opes haud æquè, ac in Urbe ad perturbandam rem publicam valere poſſe. Gaſto ubi videt Reginam in hac hærere ſententiâ, & ipſe apud

1651. Limurſium ſuum porrò commorabatur. Sed hoc ita ab Senatu, Condæóque ſejuncto factionis vis minuebatur: quamobrem Condæus ad hunc profectus eſt, miſitque præterea Senatus, qui rogarent ut ad Urbem, atque in Curiam redire vellet. Miſit & Regina ſæpiùs, ſcilicet quæ hominem tametſi multò quàm par eſſet æquiorem Condæo ab Regis tamen Conſilio diutiùs abeſſe nolebat: ad hoc ſibi, atque rei publicæ præſidium in eo putabat, quod Gondius in cujus poteſtate erat Gaſto, Condæum malè oderat, ac vix uſquàm conventurum inter eos videbatur. Eo Regina adversùm Gondium benevolentiam ſimulabat, ſinebatque hominem ab ſe, & ab Rege filio Cardinalatum, atque alia ingentia ſperare. Certè enim nemo eâ tempeſtate magis idoneus fuit, quem Condæo opponeret, audacem, neque antehàc illius dignitate, aut genere deterritum, quo minùs cum eo tanto Imperatore in Curiæ veſtibulo, grege utrimque facto, ſi uſus veniret, ferro decertaret: cæterùm hunc multi ſibi licere arbitratum exiſtimo, uti potentiam regiæ proximam, qualem eâ tempeſtate Mazarinus, atque antehàc Richelius habuerat, adipiſceretur: ſed ſi eò perveniſſet, hac rectè uſurum fuiſſe, exemplo Octaviani Cæſaris, cujus ratio in adipiſcendo Imperio haud ſatis recta, cæterùm hoc adepto æqua planè, ac ſancta fuit.

Nondùm Gaſto redierat rure, atque intereà Senatus haud ceſſabat Reginam de Condæi negotio urgere: ſed hæc primùm ſe Gaſtonis reditum opperiri dixerat, de cujus conſilio velle ſe facere, quæ ad hanc rem attinerent: verùm cum is opinione ampliùs moraretur, Senatum accerſit, cui Cancellarius Reginæ verbis ait. *Quæ ipſi de conſiliis ab Condæo cum hoſte collatis antehàc nuntiata fuerint, ea ſe falſa audiſſe lubentem credere, quoniam ea de re nulla porrò indicia ſint ſubſecuta: cæterùm æquum videri Condæum dare operam, uti præſidium hoſtium quod apud Satenaium ſit, propere faceſſat: uti copiæ quibus præſit, exercitui regio conjungantur: Muronem munire ampliùs deſinat: majora ſolito præſidia in oppidis, arcibuſque ſibi ab Rege permiſſis ne habeat: Regem protinus viſat, atque huic in Conſiliis quæ de re publica habeantur, præſto ſit.*

Sed poſtquàm Gaſto ad Urbem redierat, Senatuſque de Condæi negotio habitus eſt, ex Gaſtonis ſententiâ viſum ampliùs Condæo cavendum eſſe. Id factum regio Diplomate, quo hunc extrà noxam eſſe Rex edixit. Hoc Diploma, ſimul alterum de Mazarino, atque hujus propinquis quod tantoperè Senatus flagitaverat, ad eum menſis Septembris in Senatum allatum eſt, atque hoc confeſtim de Mazarino, propinquis, ac familiaribus extraneis omni Galliâ, atque aliis quæ in Regis ditione ſint regionibus, interdicendis, promulgatum, & in acta Senatûs relatum: illud de Condæo dilatum in eam diem, quâ Rex capeſſendæ rei publicæ in Senatum venturus erat. At Condæus nuſquàm ſibi cum Reginâ conventurum ſatis ſcibat, niſi ſi Mazarinum in Aulam reductum vellet, neque aliud quidquam ſibi apud illam noxæ eſſe, quàm quod id huic obſequi nollet, & quamdiù in hâc perſtaret ſententiâ, tamdiù ſeſe haud ſatis tutò in Aulâ verſari poſſe, neque adeò quod Regina perſcribi Edic-

tum, ac promulgari juſſerit, in eo ſatis ſibi præſidii futurum, quamobrem ſecedendum eſſe denique arbitrabatur. 1651.

Igitur biduo antequàm Rex in Senatum veniret, ad Triam Rus Longavillæ hujus viſendi ſpecie proficiſcitur, atque inde litteras Contio mittit, quas Regi redderet. His purgabat ſe, quod ipſi more majorum rempublicam capeſſere aggredienti non adeſſet, *Factum id inimicorum fraude, atque ſævitia, quibus ſubducere ſe coactus ſit, uti poſthàc quam domi, militiæque Regi debeat operam, eam ipſi navare poſſit, cæterùm ſuam erga hunc fidem inviolatam fore.* Apud Triam cum Longavillâ uti ſecum ſentiret, ac Sectam ſuam ſequeretur convênit: dein Cantilium ſuum divertit, quò Nemoroſius, & Rupifocaldus iêre, uti quid ab ſe facto opus eſſet, reſciſcerent.

At Rex Id. Septemb. inſigni equo vectus, quem ſtragulum ſuperimpoſitum ephippio, atque hinc, inde pertinens ad ſolum opere phrygio ornabat, per urbem inceſſit. Comitabantur viri Principes, atque alii ex Aulâ, ipſi, atque ſingulorum equi perinde ac ſeſſores ornati: ab Regiâ ad Curiam ſtabant in armis longo ordine Galli, atque Helvetii milites è regiâ cuſtodiâ. Ubi Rex Senatum eſt ingreſſus, atque ſolio inſedit, paucis Patres eſt allocutus. *Se eò veniſſe uti more majorum ad quos per pueritiam Regnum pervenerit, id ætatem legitimam adeptus capeſſere incipiat in Senatu:* dein excepit orationem de more Cancellarius, atque ampliùs eſt prolocutus quæ ad eam rem attinerent, finemque dicendi faciens Patribus ait, Regem ſingulis quem gerebant Magiſtratum, eum confirmare, vitæ, neciſque civium, prætereà bonorum judices conſtituere. Poſteà Regina in Regem filium verſa paulùm flexo venerantis in modum corpore. *Novennium eſſe ait, ex quo Ludovici viri voluntate hunc filium ſuum porrò educere, & in Procuratione Regni eſſe cœperit. Deo volente omnia ſalva, atque ſecunda uſque fuiſſe: tunc lege Regni quod hujus ſit, ad rem publicam per ſe gerendam, regendamque vocari, quod uti recte faciat, adjuturum Deum, atque eo virtutem, & prudentiam in dies additurum.*

Rex matri quod & ſui, & Regni tam præclaram uſquè curam geſſerit, egit gratias, oravitque, uti ſe porrò conſilio juvaret, atque eâ causâ velle, uti ſecundùm ſe in conſilio ſicuti matrem deceat, primas haberet partes: dein Reginam ad ſolium venientem, atque inclinantem ſe, uti fidem, & obedientiam Regi filio polliceretur, complexus allevavit, deoſculatuſque eſt. Andius frater, Gaſto Patruus, Contius conſanguineus, & qui aderant Franciæ Pares altero genu flexo, alius poſt alium ad ſolium progreſſi fidem, & obedientiam Regi polliciti ſunt. Molæus primarius Præſes luculentam eâ de re quæ agebatur habuit orationem, dein apertis Curiæ foribus recitata ſunt Edicta regia tria, primum de his qui Duello decertarent, ſecundum de his qui Deo, aut Divis maledicerent, tertium de Condæo ſicuti perſcriptum fuiſſe antehàc diximus, nam tametſi deceſſerat Urbe, & quid haberet conſilii palàm eſſet, tamen de promulgando ſicuti Regina receperat, Edicto nihil eſt mutatum.

1651. Caſtronovanus ad Mazarinum de hujus in Aulam reditu per Bertetum de quo ſupra memoravimus, ſcripſerat, cui rei ſe daturum unà cum amicis omnem operam pollicitus fuerat. Quamobrem Mazarinus per Ondedeum Reginæ perſuaſerat, ut illius conſilio, judicioque iterùm in republicâ adminiſtrandâ uti, atque eâ causâ hunc regio Conſilio præeſſe, ſeu primum in eo locum habere vellet, nam huic Signum regium redditum nolebat. Sed Caſtronovanum ferunt iſthuc Seguieri Cancellarii voluntate factum optaſſe, atque omni ope eniſum ut hunc eò adduceret, atque ut id ipſi rectè fieri poſſe perſuaderet, per interpretes fidiſſimos, ac ſolertiſſimos cum eo egiſſe: hi Seguierum edocuère Caſtronovano conſilium eſſe omnem dare operam ut ille & in Aulâ, & in Conſilio regio maneret, ac Signum regium porrò haberet. At hic tametſi id eſſet in poteſtate Caſtronovani, hanc tamen ſe negavit conditionem acceptu-rum, neque commiſſurum, ut in ſe, atque in primum Regni quem gereret Magiſtratum, hujuſcemodi dedecus admitteret: ſeſe Richelio quidem antehàc primas in Conſilio regio conceſſiſſe, quod & in Mazarino utroque Cardinali fecerit, ſed idem cujuſquam alterius causâ nunquàm facturum. At ubi Rex rem publicam capeſſere cœpit, hanc litem continuò diremit: nam regium Signum per Guenegaldum Quatuorvirum ab Seguiero repetitum Molæo reddidit, qui primas in regio Conſilio Caſtronovano conceſſit. Præterea Rex Vetuſvillam Marchionem Maiſonio ſummo Regni Quæſtori ſubrogavit, huic abrogato Magiſtratu, aut quod eâ tempeſtate fieri ſolebat, Maiſonio hunc ſicut id ſponte ſuâ faceret, abdicare juſſo, qui ex Mazarini ſententiâ Vetuſvillæ homini haud ingrato mandaretur.

Sed Reginam ægrè adductam aiebant, ut iterùm Caſtronovani operâ in re publicâ uteretur, quoniam haud ſincerâ fide cum Mazarino nuper egerat, eo hanc Molæi conſilio magis, atque judicio uſam, Mazarinum verò conſultò tres delegiſſe, qui rem publicam adminiſtrarent, propè confectâ ætate, & qui inter ſe diſcordarent, quo ſibi minor ab his metus foret, aut ſi quis fortè habendus eſſet, brevî deſineret, poſtremò illis cautionem fore non dubitabat, ut ne Gondius ipſis præpolleret.

Intereà dùm Ondedeus ad Urbem morabatur, quem de habendo Cardinalatu Mazarini verbis Gondio fidem dediſſe antehàc diximus, hic ad illum miſit qui viciſſim ſuam de maturando hujus in Aulam reditu priùs datam firmaret, atque id rectè fieri poſſe doceret, ubi Rex inaugurationis ſuæ causâ Durocortorum Rhemorum peteret, quò Mazarinus veniret, atque Gaſtonis voluntate priſtinam in Aulâ gratiam, atque in re publicâ potentiam obtineret, atque id ſe apud Gaſtonem operam daturum pollicebatur: cæterùm Mazarinum orabat, uti quam primùm de Cardinalatu ſuo Regis ad Pontificem, atque ad Valencæum Romæ Legatum litteras perſcriptas vellet, quæ penes Mazarinum ipſum forent, donec de ejus reditu confectum eſſet. Præter Cardinalatum quem expetebat ſibi, Nigromonaſterio amico Ducis, & Pa-

riſFranciæ dignitatem tribui poſtulabat, de quâ & Reſcriptum Regis fieret, ac penes Mazarinum item maneret. 1651.

Iſthæc reditus ſui in Aulam causâ ſatis placuêre Mazarino, atque adeò perſcriptæ Regis ad Pontificem, & ad Valancæum de Gondii Cardinalatu litteræ ſunt, ac traditæ Ondedeo, qui has ad Mazarinum perferret: ſed poſt paulò pervicit Gondius, ut has Mazarinus ad Reginam remitteret Gaſtoni tradendas, quo iſthuc, & hujus honoris causâ Regina ſe facere oſtenderet: mox & miſſæ ad Valancæum ſunt, qui has Pontifici opportunè redderet, atque ad eam rem aptam orationem adderet. Quod ubi factum eſt, ibi verò Gondius nihil Romæ ſumptui pepercit, quo Cardinales quantocyùs crearentur, ut ne Mazarino conturbandæ rei ſpatium eſſet.

Scio exiſtimare nonnullos, Gondium poſtillà invito Mazarino, atque adeò Rege Cardinalem creatum: ſed omninò incredibile eſt Pontificem quantovis in Mazarinum odio permotum tantam Regi contumeliam feciſſe: probabilius autem Mazarinum Gondio Cardinalatum ab Rege peti ſeriò voluiſſe, uti ſibi de reditu in Aulam apud Gaſtonem faveret, neque illi mutare cum Gondio fidem uſquam conſilium fuiſſe: ſed hic nihilo magis Mazarini in Aulam reditum cupiebat, tametſi huic ſe operam navaturum fidem dediſſet, ac firmaviſſet, nam ingentem, ac vaſtum animum nuſquàm Cardinalatus explebat, quem eâ causâ modò petebat, uti viris è regiâ Gente Principibus æquaretur, atque hâc dignitate fretus ad eumdem denique gratiæ, atque potentiæ gradum quo Richelius, dein Mazarinus adſcenderant, perveniret.

Fuêre eâ tempeſtate qui crederent comparatum inter Gaſtonem, & Condæum, ut ille domi, hic foris rem publicam curaret: ille non omninò ab Regina diſſentiret, ſed concordiæ ſpecie, ſi quid in Aulâ, aut in Senatu graviùs in Condæum conſuleretur, id Gaſto diſturbaret, ſatiuſque eſſe diceret æquas huic ferre conditiones, atque eo pacto bello civili quod imminebat occurrere, quàm id ex hoſtium ſententiâ accendere: intereà Condæus augeret copias, exercitumque ex amicis, & clientibus, & qui ſibi, atque his obnoxii eſſent, conflaret. Bellum in Aquitaniâ incœpturus videbatur, quod uti Rex ſuſtineret, ab Regni finibus propè omnes copiæ evocandæ erant, atque in diverſiſſimas ducendæ partes, quod ægrè facturus erat, ut ne intereà hoſtis haud procul ab Urbe fines invaderet, ac potiùs æquas conditiones Condæo laturus. Eâ ſpe fretus cùm ab Urbe profectus eſſet, ad Angervillam Rus Peralti clientis nobile reſtiterat, opperiens quid Gaſto ſibi nuntiatum mitteret.

Sed hic quid Rex, atque Regina vellent certior factus Limurſium ſuum profectus eſt, haud ita procul ab Angervillâ poſitum, ac locum inter utrumque delegit, quò cum Condæo colloqueretur, quem miſſo ad hunc è ſuâ familiâ Nobili quodam accerſivit. At nobilis non ad Peralti, ſed ad aliam Aureliâ Urbe haud procul Angervillam iit, quo factum eſt ut ad Condæum non pervenerit: ipſe autem de ſuâ ſeceſſio-

1651. ne Aulam parùm ſolicitam ratus continuò abeundum longiùs, & operam dandam eſſe decrevit, quo ſentiret quàm graviter in ſe ſpernendo offenderet. Sed Gaſto quando Condæus abierat longiùs, neque ampliùs colloquendi copia erat, Croiſſium ad eum mittit, cum mandatis hujuſmodi. Regi, atque Reginæ matri ſatis placere, ut in his quas obtineat provinciis tutus, ac quietus maneat, uſque dùm Regni comitia habeantut: ibi verò copias quibus præſit, in ſtativis commodis fore, haud procul comitiorum loco. Gaſto, & Caſtronovanus ſpem injiciebant apud Dionyſii-fanum comitia habitum iri, quò ſe magis in tuto Condæus ob Urbis vicinitatem fore crederet.

Hæc apud Avaricum Biturigum Croiſſius Condæo expoſuit: is verò has conditiones ſibi haud rejiciundas exiſtimabat, quia veteranorum copias, quibus ipſe, Angianus filius, atque Contius frater præerant, per hyemem ſupplementis augendi, ac novas conſcribendi, atque exercitandi ſpatium dabant: nam cum paucis veteranis, & cum tyronibus quos tumultuatim ſcriberet, bellum ſumere, ac gerere difficile erat. *Intereà ſi Mazarinus rediret ad Urbem omnes Regni Curias, omnes provincias quæ hunc malè oderint, ſuam Sectam ſecuturas: ſin extrà fines Regni porrò agitet, id ab ſe omnes ingentis beneficii loco habituros, qui hujus reditui uſquè obſtiterit, ita ex alterutro ſibi gratiam apud cunctos Regni Ordines acceſſuram: dein ubi comitia altero ab Urbe lapide haberentur, in hac, atque in Aulâ ipſâ ſe potentiſſimum fore, fretum ſecunda omnium voluntate, & copiis ſuis, quæ tum pleniſſimæ, atque haud procul urbe futuræ eſſent, ſi forte bellum gerere denique neceſſe foret.*

Sed de his ubi cum Contio fratre, Nemoroſio, & Rupiſocaldo conſultavit, *Quæ Croiſſius attuliſſet ab Aula, ea nihil eſſe* dixêre, *præter fraudem, ac dolum, quibus uti Condæus faciliùs capiatur, Gaſtonem ad hæc ſuadenda adhibitum: cæterùm eo latas conditiones, ut alacres illius ad bellum impetus infringantur objecta mora. Hanc faciundæ quidem paci peridoneam, bello autem recte incipiundo plane damnoſam videri: ubi Gaſto æquus, atque omnis factio ad Urbem item æqua ſit, & ingentia ab Condæo ſubito ſperet, haud ceſſandum eſſe, ut ne ardor animis dilabatur. Burdigalenſes promptos ad bellum, queis ingenia fervida ſint, neque moræ patientia. Hiſpanos qui omnia polliceantur, ſi ſe produci ſentient, aliò animum adjecturos: poſtremò qui Condæo amici, atque tum fidiſſimi ſint, ubi quæ ſperaverint, ea dubia, incerta, & ab variis caſibus pendere videbunt, ſibi quod res ipſa monebit, conſilium capturos.*

Iſthæc incertiorem quàm anteà reddidêre Condæum, neque quidquam ſibi in re tantâ priùs decernendum eſt arbitratus, quàm cum Condæâ ſorore collocutus eſſet: hæc apud Muronem cum Brezæâ uxore erat, quò ſe Croiſſium ſequi juſſit. Eò cùm veniſſet ſæpiùs cum Condæâ, atque amicis conſultaſſe fertur, animumque ab pace haud alienum oſtendiſſe, ſed huic obſtabant illi ſedulò: poſtremò inambulantem aiunt, diù, multúmque ſecum agitaviſſe, quid optimum factu eſſet, incertum, atque animo varium, ac tandem hæc prolocutum amicis, ſe non ſponte ſuâ, ſed ut ipſis morem gerat, ſuſcipere bellum, cujus eos rei memi-

niſſe velit, & quemadmodum poſtremus ad id deſcenderet, ita & poſtremum ab armis diſceſſurum. 1651.

Iſthæc quid de amicis ſentiret, ſatis indicabant, pleroſque omnes videlicet belli tædio priùs ſuas deſerturum partes, quàm ipſe pacem in ſuas leges facere poſſet. Dein Croiſſium appellat, ac renuntiare Gaſtoni jubet, quando ipſi curæ fuerit de reconciliandâ inter ſe, atque Aulam pace, ut id porrò facere ne gravetur, cæterùm ſummoperè orare, ut ne credat majorem ſuâ in eum cujuſquam obſervantiam eſſe Hæc quidquid ipſe poſthàc deſignaret, Gaſtoni dicta oportere credi dit, ut ſunt humana, ſi quid interveniret, quo ad pacem rursùm animum adjicere cogeretur. Sed tanta fuit propinquis, atque amicis belli lubido, uti Contius, Condæa, Nemoroſius, Rupifocaldus, & Viola clàm Condæum fœdus inirent, quo ſe conjunctos fore cavebatur, etiam adversùm ipſum ſi cum Aulâ injuſſu ſuo pacem faceret, Condæum, ſine his videlicet, quæ ſinguli ſibi expeterent, præmiis.

At Condæus relictâ apud Muronem Brezæâ uxore, cum filio Angiano, juſſiſque Avaricum Biturigum petere Contio, atque Condæâ ſorore, pſe cum Nemoroſio Vertulium iit Rus nobile Rupifocaldi, quo ſcribendis militibus pecuniam his qui ſe id facturos recepère, curare cœpit: dein maturat in Aquitaniam iter pergere, ac denique Burdigalam advênit, quò lætiſſimis omnium animis accipitur. Ubi primùm bellum facere decreverat, Laiſnæum de quo jam memoravimus, Mantuam Carpetanorum miſerat, ad Philippum Hiſpaniæ Regem fœdus, atque amicitiam oratum, cum quo ita convenit. Quod apud Satenaïum cum Condæâ, & Turenâ tranſactum fuerat, id ut ratum porrò, firmumque eſſet. Pax ut ne Philippi injuſſu fieret ab Condæo, neque viciſſim hanc Philippus ſanciret, quin huic Condæus adſcriberetur, iis quæ huic animum explerent conditionibus. Quingenta nummûm millia Philippus Condæo conſcribendis copiis curaret. Claſſem Garumnæ æſtuarium versùs haberet, eo navium numero, qui ad arcendos indè hoſtes ſatis eſſet, ac præctereà ut ab omni maris ad Oceanum uſque Cantabricum orâ commeatus tuto Burdigalam advehi poſſent. Condæus Hiſpanicis copiis ubicumque adeſſet, Imperator foret. Quæ oppida Condæus in Galliâ bello caperet, ea penes hunc eſſent, oppidum tamen maritimum unum cum portu Philippo permitteretur, quo claſſis eſſe in tuto poſſet, ac nonnulli uſui eſſet, ubi de reſtituendis utrimque bello occupatis oppidis ad ſanciundam pacem ageretur. Septem, aut octo millia armatorum Philippus Condæi in Campania copiis conjungeret, qui ipſi, aut quem eò haberet Legato dicto audientes forent. Sexcenta nummûm millia Philippus in Condæi copiarum ſtipendium annuatim ipſi curaret. Si Longavilla animum induceret bellum in Normannia ſumere, eò ipſi idonea auxilia terrâ, marique Philippus mitteret, atque alia ex hujus voluntate faceret.

De Longavillâ certum eſt Condæum illius fidem ſibi obligatam de bello unà ſumendo exiſtimaſſe, quam tamen minimè præſtitit, Regi-

1651. næ, ac Mazarini promiſſis oneratus, ac denique deluſus. De Turenâ quidpiam cauſæ fuit, quamobrem Condæus ſperaret fore, uti copiis ſuis in Campaniæ finibus denuò Imperator eſſet, quod certò ſibi perſuaſerat, atque ipſi ut id fieret Hiſpani operam dabant ſedulò, experti videlicet hominis virtutem, quâ Regem privare, atque hâc ſe frui operæpretium eſſe ducebant: Condæus huic Satenaïum oppidum, atque arcem ſe dono daturum aiebat, Hiſpani verò ſe oppido præſidium deducturos recipiebant, ut id planè in hujus eſſet poteſtate, quæ res & ad Buillonium fratrem magnoperè pertinebat, quoniam Sedanum cujus recuperandi conſilium vix dimiſſurus videbatur, in propinquo eſt: ſed Turena poſtquàm in viam redierat, ab hac ſibi diſcedendum eſſe non eſt arbitratus.

Poſtquàm Condæum in Aquitaniam diſceſſiſſe nuntiatum eſt, Rex, atque Regina mater hujus conſiliis occurrendum exiſtimavêre, neque moram ullam hoſtilia molienti dandam, Ludovicum patrem celeritate multa hujuſcemodi confeciſſe. Reginæ ſtudium ingens erat, ab Urbe diſcedendi, ubi enim aliò Aula agitaret, eò ſibi copiam fore ſperabat accerſendi Mazarini, quod in Urbe fieri non poterat, propter Gaſtonis, Senatûs, populique in illum odia, quæ factioſi diligenter alebant. Ad hoc Reginæ importunum erat eò manere, dum bellum civile gereretur, ex cujus variis eventibus plebes item variè permota Regem quæ ipſa vellet magis, quàm quæ res publica poſtularet, facere cogeret, ac ſingillatim prohiberet Urbe egredi, ubi id maximè opus foret.

Contrà Molæus, Vetuſvilla, ac Pralino-pleſſius Equitum Tribunus rem ipſam modò putantes, utrum videlicet Condæum bello perſequi in rem publicam eſſet, neque de Mazarini reditu quidquam, aut de prohibendo ab plebe Rege quò minùs ab Urbe diſcederet ſoliciti, negabant huic tum ab Urbe diſcedendum, aut bellum Condæo movendum. *Hunc metu adductum abiiſſe, quem ſi vanum Rege ceſſante eſſe ſentiet, quieturum videri, maximè ſi Gaſtonis opera ſibi conditiones pacis ferri videat: ſi verò his poſthabitis bellum parabit, tum Regis, qui hunc in viam reducere conatus fuerit, æquitatem, omnibus probatum iri, illius autem iniquitatem, ac pertinaciam fore inviſam, atque adeo ipſo Deo, hominibuſque approbantibus Condæo bellum juſtum, piumque illaturum.*

At Caſtronovanus quid Reginæ conſilii eſſet, gnarus ab Urbe diſcedendum eſſe probè intelligebat: ſed danda opera erat, ut Aula quàm longiſſimè ab Moſâ, & Rheno abiret, quò Mazarinus exulabat, ut ne auderet tanto ſe itineri committere, quantum per Regni fines faciundum foret, ut ad Aulam perveniret, quod difficile, ac periculoſiſſimum fore videbatur homini, qui omnibus odio eſſet, ab Senatu hoſtis judicatus, & quem impunè necare liceret: nam tametſi Caſtronovanus Mazarino per Bertetum ſummum ejus reditûs ſtudium oſtentaverat, nihil tamen minùs optabat. Rex igitur III. Calend. Octobres ab Urbe diſceſſit, ac Fontembellaqueum advenit. Jam ſibi operæpretium feciſſe

ciſſe Regina videbatur, cùm filius nihil ampliùs Senatui, Populove, 1651.
aut factioſis ex utroque ordine obnoxius eſſet: reliquum erat de Mazarini reditu cogitare, de quo tamen mentionem tam ſubitò faciundam non exiſtimabat: cæterùm in Adminiſtris, qui Regi filio aderant, haud ſatis auxilii ad rem publicam gerendam eſſe arbitrabatur, qui diſcordes inter ſe, dubii, & quid optimum factu eſſet incerti plerúmque erant, atque adeò hanc uni Mazarino rectè credi poſſe cenſebat.

Sed id ut ne fieret, ac ne ipſe in Aulam rediret, Caſtronovano cautio erat, quam adeò ultrà Ligerim ſtudebat abducere: nam hic præter Moſam, Matronam, Sequanam, & Igonnam interpoſitus amnis difficiliorem Mazarino ad Aulam aditum erat redditurus. Bituriges haud ita procul ab Fontebellaqueo ſunt, quam obtinebat Condæus provinciam, atque in hac Avaricum oppidum magnum, atque valens, cum Turri ampliſſimâ, ac validiſſimâ, è quadrato lapide, quæ oppido vice arcis eſt, idoneo militum tenebat præſidio, ſperabatque eâ fretus oppidanos adducere, uti ſecùm ſentirent: eò Contium fratrem, & Condæam reliquerat virilis animi fœminam, cúmque Regi exiguæ tum copiæ eſſent, aut hunc nihil moliturum credebat, aut facilè ſi ad Avaricum accederet, oppidum defendi poſſe.

At Caſtronovano ſatis placebat ægrè Condæo facere, qui tot, tantaque in ſe jactaverat, ubi Regina iterùm hujus conſilio, atque judicio in re publicâ gerendâ per Mazarini abſentiam Regem uſurum decreverat: eo Regem, atque Aulam cum exercitu in Bituriges ire ſtudebat, atque hanc Condæo adimere provinciam, in quâ ipſe Caſtronovanus aliqua prædia nobilia, atque opima habebat. Ad hoc ſi Aula longiùs ab Urbe diſcederet, Molæum, cui tum Regina confidebat plurimùm, ac Vetuſvillam reſtituros ad Urbem ſcibat, atque ſe propè unum Regi, atque Reginæ matri adfuturum, ita uſu venturum ſperabat, uti ſibi perindè, atque antehàc Mazarino denique aſſueſcerent. Sed Molæus longiùs abſcedendum negabat, ſeu juvabat eò manere Aulam, quò & ipſe manere poſſet, ſeu verè cenſebat ſicut ad Urbem dixerat, nihil movendum adversùm Condæum, ut ne huic metus augeretur, quo ſolo adductum ſeceſſiſſe primùm, dein procul abiiſſe rebatur: dein haud quaquàm pares Avarici incœpto Regem copias habere cauſabatur, quod ſi fruſtrà foret, magnam famæ quæ plurimùm rerum gerendarum principio valeat, jacturam fieri. Sed brevî Caſtronovanus per clientes, & amicos apud Avaricum effecit, ut oppidani ad Regem clàm mitterent, qui ſibi rem ſuam publicam in manu eſſe nuntiarent, veniret benè juvante Deo, atque Urbem benevolus iniret, in quâ omnia obedientia forent.

Eâ legatione Rex permotus profectionem ad Avaricum inſtituit, Gaſtonem ad Urbem cum Imperio futurum decernit, huic adfuturos Molæum, Vetuſvillam, Hoſpitalium Equitum Tribunum, ac Præfectum Urbi, qui conſilio, atque operâ hunc adjuvent. Longavilla ſe in Normanniâ quieturum fidem nuper firmaverat: tametſi autem Gaſto

1651. Condæo æquior eſſe videbatur, modum tamen illius in hunc ſtudio Gondium facturum nemo dubitabat, quia omnia Condæo ex ſententiâ evenire nolebat, ſed magis hunc, perindè ac Mazarinum labefactatum, atque Aulâ procul abeſſe: idem Rohana Mombaſona ſentiebat, dabantque unà operam, uti quò vellent, eò Gaſtonis animum flecterent. Contrà Chavignius, & Gualcurius Condæi cliens pro eo nitebantur, & quæ inter ipſum, & Gaſtonem convenerant, ab iis ut ne diſcederet magnoperè contendebant: his Belfortius, atque cæteri Funditores adjutores fuêre, rati videlicet factionem Condæi virtute fultam adversùm Mazarini conatûs validiorem fore, neque Gondii diverſis pro varietate conſiliorum ſtudiis obnoxiam.

Regem ad Avaricum proficiſcentem ſequebantur equitum, peditumque quatuor millia, Galli, atque Helvetii ex eorum numero quos plures cuſtodiæ causâ habere ſolet, alii aliò quaquâ versùm fuerant dimiſſi, qui virtutis, ac diſciplinæ exemplo cæteras copias confirmarent. Illis Franciſcus Hannibal Eſtræus Equitum Tribunus Imperator fuit, vir ubi vigebat ætas ingens animi, qui utrùm cum corpore ſenuerit, exiſtimare non licuit, in tam brevî Imperio, ac ceſſante hoſte: nam ubi Regem appropinquare nuntiatum eſt, Contius, atque Condæa ſoror Avarico, dein Murone in Aquitaniam diſceſsêre. Cum his unà profectus eſt Nemoroſius, qui uſquè apud Muronem cum uxore Elizabetha Vindocinâ fuerat: hæc verò Vindocinum prædium patris nobiliſſimum conceſſit.

Rex apud Avaricum lætiſſimis oppidanorum animis accipitur, huic continuò dedita Turris eſt, quam cùm hi dirutam cuperent, id ipſis facilè eſt obſecutus, uti ſi poſthàc pax cum Condæo fieret, ac per hujus conditiones huic iterùm Bituriges provincia permitteretur cum Avarico, tanto infirmior dirutâ Turri ad rebellandum foret. Muronem haud procul Avarico penes Regem eſſe magnoperè ad rem publicam pertinebat: ſed *a* Perſanus cum veteranorum, atque aliquo equitum numero, huic Præfectus erat, vir fortis, & Condæo fidiſſimus, in regiis exercitibus Caſtrorum Præfectus, atque adeò hanc arcem cæterà munitiſſimam ab naturâ, atque arte oppugnare difficile erat: quamobrem obſidere modò viſum, atque id negotii *b* Paliiavio Clerembaltio, qui Eſtræo legatus erat, datum, cum tribus equitum, ac peditum millibus. Muronem Henricus Condæus Ludovici Condæi de quo tum agimus pater ad incerta fortunæ paraverat, ac probè muniverat.

a Le Marquis de Perſan.

b Le Marquis de Paluau, de Clerembault.

Copias quibus Condæus, Angianus filius, ac Contius frater, aut horum vice amici, ac clientes præerant, ſeorſim ab exercitu regio in Galliæ Belgium versùs finibus ſtativa habuiſſe diximus: ſed ubi Condæus in Aquitaniam profectus fuerat, atque hunc bellum civile moliri palàm fuit, omnes hæ copiæ clàm profectæ Satenaïum contendêre, neque tamen eò pervenêre intactæ: nam *c* Magnipratæus Joüſius qui antehàc ab Rege, ad Condæum dum in cuſtodiâ eſſet, defecerat, tum rodierat in viam, ac circùm Muſonium oppidum cum copiis agitabat. Is

c Le Comte de Grand-pré de Joyeuſe.

ab Manicampo certior factus de Condæi copiarum itinere, has Villafrancâ haud procul acriter eſt aggreſſus: cæſi quinquaginta, cæteri propinquitate Satenaii quod impendebat periculum effugêre. 1651.

Muſonium ad Moſam amnem, quod nuper Hiſpani ceperant, valido præſidio tenebant, atque id Magnipratæo ægrè erat, cùm ob Magnipratum nobiliſſimum quod habet in propinquo prædium, tum quod antehàc Muſonio Præfectus fuerat. Ab hoc oppido ad Axonam uſquè hoſtes excurrebant, ac populabantur omnia, præter ea loca quorum incolæ collationibus populationem redimebant: hanc Magnipratæus quantùm cum paucis, atque egregiis poterat equitibus, peditibuſque prohibebat, neque hoſti circùm Muſonium quidquam quietum, aut tutum relinquebat. Cis Axonam Bezanſonus erat Caſtrorum Præfectus cum quadringentis modò equitibus, peditibuſque: is autor Magnipratæo fuit uti Belmontium haud procul Muſonio, ac flumine Moſâ oppidum occuparet, quod eſt factum ex ſententiâ, pulſo indè hoſtium præſidio, ſed id ægrè fuit Stephano Gamarræ qui ultrà Moſam in Lucemburgenſi agro hoſtium præerat copiis: metuebat enim uti fines ſuos ab Belmontio poſthàc vadato Moſâ Magnipratæus incurſionibus viciſſim infeſtaret.

Igitur quàm maximum poteſt militum numerum ex vicinis præſidiis cogit, tria peditum millia, equites quingenti fuêre, quibus fretus ad Belmontium contendit. Sed ubi appropinquavit oppido, Magnipratæus eruptione factâ haud paucos ex hoſtibus cecîdit: quæ ſubſecuta eſt nox, ea hoſti haud minùs infeſta crebris noſtrorum ab oppido eruptionibus fuit. Poſtridiè tribus majoribus tormentis ingens in muro edita ruina, ſemel, atque iterùm hoſtes irrumpunt, toties ab noſtris pulſi: ſed eò res redierat, ut ni maturè ſubveniretur, faciunda deditio, aut fœdè pereundum eſſet: neque illam honeſtis conditionibus facere copia erat, quas ab Magnipratæo latas hoſtis abnuerat. Igitur mittit ad Bezanſonum, qui hunc de ſuis, ſuorumque apud Belmontium fortunis doceret, ſimul hortaretur, ut ne quod de hoc oppido occupando conſilium dederat, id ſibi fraudi eſſe pateretur.

Continuò Bezanſonus nobilitatem circà omnem evocat, hortaturque uti ſi rem ſuam juxtà, ac publicam ſalvam velint, ne morentur: nam capto Belmontio, ac Magnipratæo cum ſuis deleto fortunas eorum omnes in hoſtium arbitrio fore: ſecum ex vicis ſuis fortiſſimum quemque adducant, uti non modò equite, ſed & pedite res publica ſuſtentetur: ab præſidiis item vicinis milites ad ſe venire jubet. Sed quoniam hæc omnia opperiri neceſſitas Magnipratæo maturè ſubveniundi prohibebat, Bezanſonus his ubi conveniſſent ſubſequi juſſis, ſtatim movet, paucitatem ſuam clàm hoſtem eſſe maximè ſtudens. Itaque inclinante ad veſperam die millia paſſuum quatuor ab Gamarræ caſtris conſedit, ac paulùm eò reficiendo militi commoratus ad Setonnam pergit, vicum in colle ſitum, quo hoſtes centum & viginti equitum ſtationem habebant: hos qui Bezanſoni præibant agmen ferociter aggrediuntur, eo

1651. graviores, quod improviſi acceſſerant. Igitur illi facilè fuſi, fugatique, qui in caſtra Gamarræ fugientium more omnia ampliora vero de hoſte nuntiavêre: huic conſilium eſſe Belmontium inter, & Muſonium ponere caſtra, prohibendo Hiſpanis receptui, quod ſe facturum Bezanſonus conſultò inter ſuos prædicaverat. His nuntiis territus Gamarra nullum ſibi ad eâ exploranda, & cognoſcenda ſpatium ſumit, ſed continuò vaſa colligi jubet, ac diſcedit. Ita Gamarræ de Belmontio recipiundo conſilium fruſtrà fuit, unicâ Bezanſoni ſolertiâ.

Per id tempus Fertæus Sannectarius Equitum Tribunus Caſtellum ad Moſellam amnem nuper ab Lotharingis, ſicut & alia loca, per ejus abſentiam captum, poſt quinquaginta dierum oppugnationem recepit. oppidum eſt cum arce firmiſſimâ, haud procul Nancio, quæ Urbs Lotharingiæ caput eſt, poſitum: defenſabant Centuriones, Procenturiones, Vexillariique fuſis, aut dimiſſis quibus præerant centuriis gregarii milites facti, quod genus firmiſſimum ob virtutem, atque rei militaris ſcientiam eſt: ii denique poſt diuturnam propugnationem quamhoneſtiſſimis conditionibus deditionem fecêre, *a* Belfortius Baro oppido Præfectus fuit.

a Le Baron de Beaufort.

Marſino ſupra diximus permiſſam Cataloniam Provinciam, qui eò profectus fuerat denique. *b* Mortara Marchio qui dudum in his regionibus Philippo Hiſpaniæ Regi egregiam navabat operam, bellumque adminiſtrabat, peditum millia ſex, equitum duo millia, atque ampliùs circùm Ilerdam quò omnia ad Catalonicum bellum idonea jamdiù apparari ſolita erant, coëgerat: huic aderant *c* Sebacus Baro Germanus, Caſtrorum Præfectus generalis, Aro Comes Caſtiliæ Conteſtabilis filius de quo ſuprà in bello Italico memoravimus, Præfectus equitum, Palavicinus Marchio Genuenſis rei tormentariæ item Præfectus, *d* Butierus Baro Sequanus, atque alii. Hi VI. Idus Quintiles ad Cerveram movêre, Balaguieram oppugnare ſe velle ſimulantes: ſed eò & præſidium, & commeatus ampliora fuêre, quàm ut facilè ſe hoc oppido potiri poſſe Mortara ſperaret, atque adeò ultrà pergit iter facere, atque ad Valliezem habuit caſtra.

b Le Marquis de Mortare.

c Le Baron de Sebac.

d Le Baron de Boutiere.

At Marſinus ubi Barcinonem advenerat, collocutus cum Margarito, cum delectis ab tribus provinciæ Ordinibus, quos Deputationem appellant, & cum Conſulibus Barcinonenſibus de rebus quæ ad bellum pertinebant, eò proficiſcitur, quò noſtræ agitabant copiæ, & caſtra apud Pieram habuit: dein ubi nuntiatum eſt hoſtes ab Vallieze moviſſe, ipſe ad Andreæ-fanum retroceſſit, vicum ad Lobregam amnem poſitum. Hiſpani ad Lodonerum collem venêre, aucti cohortibus Italicorum tribus, & quatuor Hibernorum infrequentiſſimis. Apud Barcinonem pauci tum fuêre oppidani, dilapſis in ſua rura pleriſque omnibus, effugiendæ peſtilentiæ, quæ ingens erat in urbe, nihil prætereà commeatûs erat: ſed Jozephi Margariti operâ, & revocati cives, & annona tanta advecta, uti poſt obſidionis menſes modò quindecim eâ cæptum ſit laborari. In exercitu noſtro millia peditum ſex fuêre, ac mille ſeptin-

1651.

genti equites, Galli erant, atque Helvetii qui Catalonico inveteraverant bello, atque adeò Marſino non opes, ſed rei benè gerendæ ſtudium defuit: huic Legati fuêre Jozephus Margaritus, *a* Marſilius, ac Jozephus Dardenna Illæ Comes, qui ab Galliâ nuper redierat, aderat & *b* Monpuillianus Caſtrorum Præfectus, atque alii viri fortes, ac ſtrenui: ſed rem publicam corrumpente Marſino, ea vix commodè, aut rectè geri ab cæteris poterat.

a De Marſilly.
b Le Marquis de Mompoüillan.

Ab Andreæ-fano traductis Lobregam copiis itum ad Hoſpitaletum eſt, nihil tentato adversùm hoſtem, qui ab Lodoncero colle in planitiem deſcendens per viarum anguſtias noſtris opportunus fuerat. Dardenna modò cum ſuâ Catalanorum equitum alâ in hoſtem procurſavit, comitantibus quibuſdam pugnandi, ut ab noſtris fere fit, ſtudio Gallis. Ab Hoſpitaleto, quod tribus modò ab Urbe millibus abeſt, ad Valdonzellam Cœnobium Marſinus duxit, atque ſub ipſis Urbis mœnibus habuit caſtra. Hoſtes & ipſi traductis Lobregam copiis nihil obſtante Marſino ſecundùm amnem habuêre caſtra, atque turri quæ ad oſtium eſt, potiti ſunt, quò tormenta ab Tarracone navibus advenêre, cum omni tormentario inſtrumento, & Germanorum duobus millibus, ac quingentis: poſtridiè circumductis Urbem copiis ab occidente, ad orientem ſolem omnia huic circumvallandæ loca hoſtes occupavêre: ab meridie quâ mari inſidet, naves ſex quæ tormenta, atque Germanos advexerant, ac tres prætereà aliæ cum actuariis quinque ſtationem habuêre, uti navibus ſi quæ advenirent noſtris aditum ad Urbem prohiberent: dein foſſas, vallumque moliri ſunt aggreſſi, nihil porrò prohibente Marſino: procurſatum modò eſt in pabulatores ab *c* Rupæo Sanchamarantio qui equitatui Præfectus erat, ſed majore adveniente hoſtium numero nihil operæpretii factum.

c La Roche Saint Chamarant.

Senſit Jozephus Margaritus prodi ab Marſino rem publicam, atque de hoc comprehendendo cum Marſillio collocutus eſt: ſed id ſeu rei difficultate deterriti propter alam equitum quam habebat in exercitu, ac prætereà amicos, ſeu Regis injuſſu fas non eſſe arbitrati omiſêre denique. Marſinus verò poſtquàm cum hoſtibus de diſceſſu ſuo per Mompuillianum convenerat, qui ſecùm ituri erant, eos inſtructos ad profectionem eſſe jubet, dein cujuſdam Tarraconem versùs gerendæ rei ſpecie ab caſtris de tertiâ vigiliâ diſceſſit: ſecuti ſunt Mompuillianus, *d* Luſſanus, *e* Eſpenſæus qui hujus equitum præerat alæ, ac prætereà ex alis Mottæi, & Baltazaris equites quadringenti, ac poſtremò *f* Marcuſſius. Cerveram versùs primùm iter intendit, dein flexit iter ad Condæum in Aquitaniam.

d De Luſſan.
e D'Eſpenſe.
f La Marcouſſe.

Marſino datam Cataloniam provinciam diximus quam pro Prætore obtineret, ſed mox ubi Condæus in Aquitaniam ſeceſſerat, retinendo in fide homini miſſus eſt ad eum qui regium de Proregis Titulo Diploma ferret, ac prætereà litteras quibus Rex huic Tribunatûs Equitum ſpem faciebat, ſi per hæc æſtiva rem publicam eò ſuſtentaret: ſed ubi Diploma, atque litteræ advenêre, jam Marſinus defecerat, atque in

1651. Aquitaniam profectus fuerat. Ubi per Septimaniam pergit cum ſuis iter facere, Tholoſatum Senatus hunc hoſtem judicat, ac multitudini per oppida, & agros hujus copias invadendi poteſtatem facit: quæ res impigrè ab Cadurcis facta Marſinum coëgit eorum faceſſere finibus, omiſſis quas imperaverat collationibus, partim alendis ſuis, partim compendio ſuo.

Cùm Catalonia provincia Imperio vacua eſſet, rei publicæ cura in Margaritum recidebat more majorum, ex Magiſtratu, quem jam ante deditam Ludovico XIII. Regi Cataloniam gerebat, præterea Marſino in exercitu Legatus fuerat. Is primùm omnium Regem de Marſini proditione, ac diſceſſu certiorem facit, uti quantocyùs Proregem, atque intereà idonea ad rem quæ in dies pejore loco apud Barcinonem fore videbatur, ſuſtentandam mittere vellet. Contrà augeſcebat Hiſpanorum exercitus, advenientibus non modò ab vicinis Hiſpaniæ provinciis, ſed & ab Italiâ copiis, nam Octobri menſe Joannes Auſtrius cum actuariis navibus novem, atque onerariâ unâ, ac ſimul ſeptingentis peditibus advênit, atque adeò militum, ac navium Hiſpanis crevit numerus, ita ut quatuordecim actuariæ, & onerariæ naves octo inſtructæ militariter ante portum Barcinonis ſtarent. *a* Albukercus Dux alias poſteà, dein *b* Vaſconſellus Tarraconi Præfectus alias cum duobus millibus, ac quingentis equitibus, & peditibus, ac præterea duobus tormentis adduxit, ita res Hiſpanis pulchrè procedere videbatur.

a Le Duc d'Albukerque.
b Vaſconſellos.

Apud Barcinonem duo millia, atque amplius Gallorum militum fuêre, è Legionibus, cohortibuſve Reginæ, Andium Ducis, Aquitaniæ, Chiuppi, Geſvræi, ac Lemovicenſi, Helvetii mille ducenti cum Tribunis Locmanno Tigurino, & Reynoldo Friburgenſi, Catalanorum cohortes quatuor, queis Tribuni erant Franciſcus Villa, Hieronymus Noveilus, Petrus Sabater, Franciſcus Granollus, mille ducenti pedites fuêre: Equitum alæ decem Sanſimoni, Merinvillæ, Rupelaurii, Mottæi, Aletzii, Caſtelbriani, Marſini, Catalanorum Margariti, Ardennæ, atque Ulaci: erant præterea in Urbe oppidanorum armatorum tria millia, qui ſtationes, & excubias agebant, ac cætera militaria faciebant.

In Cataloniâ præter Barcinonem Rhoda erat penes Regem, oppidum cum arce munitiſſimâ ad mare Balearicum: ultrà Sicorim Balaguiera, quæ & ſatis munita erat, alteri Lafarius Marchio, alteri Baro frater præfecti fuêre: Arbeca, Cervera, Camaras, Urgel, Trempa, Caſtellum Valentiæ, Sanroca, Aloz, & Palamos exiguis præſidiis tenebantur ab Præfectis regiis Gallis, qui omnes compendio ſuo ſtuduêre, ampliorem vero numerum militum deferentes, uti quæſtui locus eſſet: ea res nobis in finitimis Regni oppidis, atque in bello captis plerùmque fraudi fuit, atque huic maximè tribuendum cenſeo brevem eorum quæ uſquè bello paravimus poſſeſſionem, neque id mali fermè ſanari poteſt: unus modò Catalanus Jacobus Dearil idoneum ducentorum militum præſidium apud Trempam habuit, oppidum procul in hoſtico ad Nogueram amnem poſitum.

Tarraco ad mare, Ilerda ad Sicorim, Fraga, ac Ponſon ultrà hunc amnem dudùm penes Philippum fuêre, præterea Flix, ac Miravez ultrà Iberum, atque Dertoſa citrà hunc amnem nuper recepta. Hiſpani caſtella, ac munitiones circùm Barcinonem inſtituebant, ſed fœdis tempeſtatibus viæ interruptæ, atque procelloſum mare tantiſper commeatûs prohibuêre, ita ut in caſtris annona gravis eſſet, neque multùm abfuit, quin incœptum omitterent: ſed ea Gens ſuprà quàm dici poteſt inediæ patiens eſt. 1651.

In Galliâ haud quaquàm neglectui erant Cataloniæ res, tametſi bello civili perturbata eſſet. Igitur eò miſſus iterum eſt Mottæus Hodencurius Equitum Tribunus, qui provinciam Prorex ſicut antehàc obtineret: fuerat & hic de grege factioſorum, propter acceptam ab Adminiſtris, ubi ab provinciâ redierat, injuriam, nam & in carcerem conjectus, & capitis arceſſitus fuerat: ſed tum bonâ fide cum Reginâ redierat in gratiam, quo factum eſt, ut huic rectiùs quàm Marſino hoſpiti, atque advenæ, & qui iſthìc mercede militatum venerat, Catalonia crederetur. Ille maturè profectus ad Santandream Mombrunum ſcribit, uti ſubitò cum copiis quas ab Italiâ in Allobroges duxerat, ad ſe veniret, celeritate uti Barcinoni ſubveniretur opus eſſe. Sed hic quoniam Rhodanus immensûm creverat, neque pontis ad Spiritûs-fanum adeundi copia erat, cis pontem reſtagnante aquâ, apud Avenionem Cavarum, quò & pontis copia eſt, traduxit agmen, cum bonâ Vicelegati Corſi veniâ, qui Urbem hanc, atque aliquantùm circùm agri, Comitatum Vaineſſinum appellant, pro Pontifice obtinet: huic Rex quam id gratum ſibi fuiſſet, per litteras ſignificavit, ac maximè, quod id ultrò, neque expectatis ab ſe litteris feciſſet.

At in Campaniæ finibus ad Moſam amnem, qui Condæi partes ſecuti Satenaïum ſeſe receperant, ii cum Stephano Gammarrâ, atque Hiſpanis ſeſe conjunxêre, ut horum operâ in Æduos tranſirent. Præerat illis *a* Tavanius de quo antehàc memoravimus: Fertæus Sannectarius Equitum Tribunus cum exiguo exercitu in Campaniâ erat, qui Hiſpanos, & Gallos hoſtes obſervabat. Utrique duce Gammarrâ ad Moſellam amnem versùs movere ſe fingunt, ſicuti per Sequanorum fines in Æduos contendere conſilium eſſet, rati Fertæum continuò quibus locis agitabat, iis deceſſurum, ut ad Moſellam properaret, atque adeò ſeſe, aut certè Gallos per ea quæ Fertæus deſeruiſſet loca, evaſuros in Æduos. Sed hic cui videlicet ſpeculanti omnia hoſtium nota erant, ſuis ſe tenuit locis, ac Angiani Condæi filii, & Contii fratris turmas clàm tranſire conantes per Linvillam, & Maipaſium deprehendit, cecíditque.

a Le Comte de Tavanes.

Intereà certior factus ab exploratoribus Tavanium in eo eſſe, uti relictis apud Claromontium impedimentis, quæ arx Condæi haud procul Moſâ eſt, expedito agmine in Æduos proficiſceretur, ipſe cum mille ducentis equitibus, & ſclopetariis ſexcentis ad Claromontium properat. Sed hominis adventum Tavanius ſenſerat, atque opportunè

1651. ad Gamarram diſceſſerat : ita Fertæus re infectâ ad Moſam redit. Hoſtes Muſonium inter, & Montem-medium ad Chieram amniculum habebant caſtra, unde tormenta, & quod gravius in exercitu erat, Montem-medium miſêre : quæ res indicabat eos de profectione cogitare, atque expeditam velle. Hæc ex perfugis juxtà, & ex ſpeculatoribus cognita, (nam crebra ab Gallorum qui Condæi partes ſequebantur copiis fiebant transfugia) Fertæum impulêre, ut hoſtes perſequi conſtitueret, ſi qua benè gerendæ rei, ut ferè fit, his recedentibus copia foret.

Igitur properè copias omnes in unum conducit, Magnipratæum jubet quàm plurimos è colonis ſuis, aliiſque armare, qui in finibus Regni haud rudes militiæ ſunt : mille & ducenti fuêre, quos cum unâ equitum alâ, & ſclopetariis trecentis Magnipratæus habuit. Is apud Remillium Sedano haud procul vadato Moſâ agmen præire juſſus ad hoſtem contendit : ſubſequitur Fertæus, & qui nuper advenerat Manicampus in eo exercitu Legatus. At hoſtes multum itineris levi, atque expedito agmine anteceperant, Givacum versùs, quod eſt ad Moſam oppidum diverſiſſimâ ab Æduis, quò primùm intenderant, parte, nam ad eos eundi conſilium planè omiſerant, atque in Belgium properabant. Per Arduennam ſylvam habebant iter, quò equites paſſim in anguſtiis viarum reliquerant, uti noſtros morarentur, haud difficili ubi premerentur, per notos calles receptu. Quidam ab Magnipratæo ex his cæſi, captique, noſtri propè ad Givacum uſque hoſtes perſecuti ſunt, præda ingens in hoſtico facta, mille, ac ducenti equi capti, centum & viginti è Contii Alâ equites ad Fertæum transfugêre, nuntiantes Gamarram apud Givacum omnes copias Moſam traducere : quæ Condæi eſſent, eas ad trecentorum equitum, nec majorem peditum numerum rediiſſe.

Pulſis eâ parte hoſtibus Fertæus in Lotharingiam cum exercitu cui præerat, abiit : Magnipratæus autem more, inſtitutoque ſuo bellum copiis ſuis adminiſtravit, ac nihil quietum, aut tutum Hiſpanis longè, lateque circùm Muſonium, ac Satenaïum, cis, tranſque Moſam paſſus Villa-francam, Dunum, atque omnia ab Satenaïo ad Virodunum loca recepit. Infrà Muſonium omnia erant in poteſtate, quo fiebat, ut id oppidum, & Satenaïum quæ propinqua inter ſe ad Moſam loca hoſtes præſidiis tenebant, nonnullarum rerum inopiam paterentur : Præfecti fidei militum haud ſatis credebant, quorum animos Magnipratæus & litteris, & promiſſis ſolicitabat, adeò ut ipſi Tribuni, ac Centuriones, multi, frequenteſque ſtationibus, atque excubiis adeſſe, & gregariorum militum quandoque officia fungi cogerentur, tantus ipſis de Magnipratæo metus domi, foriſque fuit.

a Ulric de Vitemberg. Vervinum in Tieracenſi agro oppidum *a* Ulricus Vitembergus vir in Germaniâ Princeps, ac Germanis equitibus qui Hiſpaniæ Regi in Belgio mercede militabant, Præfectus oppugnare decreverat, ratus quæ loci infirmitas eſt, oppidanos nullas deditionis conditiones abnuituros,

turos, nam ſuæ fidei relicti ſi ab hoſte premerentur, ſibi, fortuniſque ſuis conſulere poterant. Lignevilla quem Lotharingis equitibus præeſſe diximus, Vitembergo ſeſe conjunxerat, & uterque locum hybernis opportunum circumſpiciebant, quæ in hoſtico, quàm in Hiſpanorum ſolo habere malebant, ſpemque nacti erant ſi Vervinum foret in poteſtate, ex omni qui inter Moſam, Axonam, & Eſiam amnes jacet agro, ingentes redimendæ prædæ collationes ſe corraſuros. Sed longè aliter ac rati erant, res cecidit, nam Verviniani nec minis, nec oppugnatione acerrimâ, quæ ab tribus peditum, & quatuor equitum millibus fiebat, adigi potuêre, uti deditionem facerent, quin & ruinâ in muro editâ ſubitariam hoſtibus objecêre munitionem, atque etiam eruptiones fecêre, quâ tantâ virtute hoſtes ab incœpto deterriti abiêre denique. Profecto glorioſiſſimum Vervinianis fuit, nullo fretos militum præſidio loco infirmo adversùm juſtum exercitum oppugnandarum urbium apparatu inſtructum ita propugnaſſe, ut hoſtem re infectâ diſcedere coëgerint. 1651.

At majora hoſtes Oceanum versùs moliebantur, receptâque Bergâ Fani-Vinoci idem de Dunkercâ, & Gravelingâ conſilium habuêre. Sed priùs Burburgum oppidum, Lincum, atque Mardicum caſtella recipiunda videbantur, quæ loca & præſidiis, & regiarum, quibus præerat Quincæus, copiarum propinquitate, ſatis pro tempore munita erant. Apud Dunkercam quæ longiùs in hoſtico ſita, & quæ Bergâ Fani-Vinoci receptâ opportunior hoſtibus erat, duo peditum millia introducta. Eò tamen tùm primùm langueſcere res noſtræ, dein labefactari cœpere, Rege coacto curas aliò, cogitationeſque convertere, & copiarum quæ in finibus Belgii fuêre, partem in Aquitaniam evocare.

Sed Avarico, atque Turri ab Rege receptis bellum adversùm ſe inchoatum Condæus ſentiebat, atque adeò ad id ſuſtinendum, defendendumque, ac ſi fieri poſſet gerendum, & inferendum magis quàm ad pacem faciundam ſibi adjiciundum animum ſtatuit. Eo maturat copias ſcribere, ac propiora ad Duranium amnem oppida tenere præſidiis, Fidei-fanum, Liburnum, atque Veſunam Petrocoriorum ad Garumnam, præterea oppida omnia uſquè ad Aginnum. Cum Ludovico *a* Fucaltio Daugniono Comite de quo memoravimus antehàc, ut hunc ad ſuas partes adduceret, aliquamdiù egit, homine & rei, & gloriæ avido, quas per fas, & nefas augere nihil penſi habet.

a De Foucault, Comte du Daugnion.

Hic ſe in Brezææ Condæi uxoris clientelâ eſſe profitebatur, poſt Ducis Brezæi fratris ejus obitum rei navali in Galliâ ubi vivebat Præfecti, cui ſicut antehàc diximus, Legatus, ſeu rei Navali Propræfectus fuerat, atque item Broagio quod Brezæus obtinebat, Propræfectus, dein eo ubi in Italiæ maribus fugientem hoſtium claſſem perſequitur, cæſo Præfectus, oppido per ſcelus, & audaciam ſibi retento, ac prætereà Rheorum, atque Oleronâ Inſulis, dein Rupellis occupatis. In hac igitur omni regione Rege, atque Reginâ matre quæ Rupellas, atque has Inſulas obtinebat, poſthabitis regnabat, ac prætereà navibus haud paucis fretus perindè mari, ac terrâ ſeſe terribilem procul, juxtàque

Nnnn

1651. ſitis præbebat: quo factum eſt uti Condæus tantas hominis opes ſibi adjungere ſtuduerit, atque uſui fore rectè crediderit. Igitur miſit ad Daugnionum, qui Brezææ uxoris verbis cum eo ageret, atque hominem ad ſuas partes adduceret, quod factum eſt denique, eâ lege, uti Daugnionus Condæi operâ Dux, & Par Franciæ, ac præterea Equitum Tribunus crearetur.

Id ubi in Aulâ reſcitum, continuò in Pictonas proficiſci viſum, ut ne Condæus, atque Daugnionus in hac quæ Broagio vicina eſt provinciâ, atque in finitimis Santonibus quid rei publicæ damni adferrent. Eò *a* Caſtelnavius Malviciera quatuor cùm equitum, tùm peditum millia ab finibus Belgii adducere juſſus eſt, & quæ aliæ ex novis delectibus conſcriptæ copiæ fuerant, eòdem contendere. Pictones Aquitaniæ finitimi ſunt, in quâ Condæum ingentem animi vix reſtiturum credibile erat, aut ſibi temperaturum, quin Regis copias ubi vicinæ forent, laceſſitum veniret, ac denique acie decertaret. Eo neceſſe videbatur ſummum Imperatorem deligi ab Rege quem tantæ Condæi virtuti opponeret. Is fuit ex Mazarini tametſi abſentis ſententiâ Henricus Lotharingus Harcurius Comes vir Princeps magnâ rerum terrâ, marique geſtarum gloriâ, ac famâ.

a Le Marquis de Caſtelle-nau-Mauviciere.

Sed priuſquàm Rex ab Avarico Biturigum diſcederet, ad Gaſtonem miſit, qui ſignificaret nihilo ſe minùs pacis cum Condæo ſanciundæ, quàm antehàc ſtudioſum eſſe: hanc ſe vel certæ, atque exploratæ victoriæ præferre velle, cùm in bello civili quæ jactura fiat, ea ad Principem tametſi victorem pertineat. Quamobrem Condæum ſi videbitur, ad colloquium invitet, quod apud Richelium oppidum, & Gaſtonis, & Condæi commodo fieri poſſit. Ille ſubitò ad Condæum mittit, qui hunc de Pace Regis ſententiam doceret, de quâ inter ambos apud Richelium oppidum agi poſſet. Condæus poſt triduum ſe Gaſtonem quid ſibi ſententiæ foret, certiorem facturum reſpondit.

Poſt paulò quàm Condæus Burdigalam advenerat, eòdem Gourvilla Mazarini voluntate contenderat, laturus illi conditiones, quæ ſatis placituræ videbantur: Blaïam videlicet de quâ Servianus, & Lionnus huic anteà ſpem fecerant, ipſi datum iri, cui Præfectus foret, atque clientibus omnia quæ Rege haud indigna viderentur, & his explere animum poſſent: Rupifocaldo nimirum centum millia nummûm, quibus ſibi quam obtinere vellet provinciam, eam compararet, ac præterea Regii Reſcripti quod antehàc impetraverat, confirmationem, quo Reſcripto ipſe, filii, atque nepotes Rohanis, ac Buillonüs æquabantur: Violæ item centum millia nummûm, atque facultatem Quatuorviratûs, aut Præſidis in Senatu Magiſtratûs coëmendorum: Nemoroſio Arvernos provinciam, ac Marſino Tribunatum Equitum: de Daugniono quia nondum Condæi ſectam ſequebatur, mentio nulla facta, ſed ad cæterorum normam hunc habitum iri facilè exiſtimari poterat.

His ferendis Condæo conditionibus Mazarinus Buillonii operâ uſus eſt, quas hic per Gourvillam ad Condæum miſit: ſed Buillonius omne

ſtudium, officiumque Condæo in hac pacificatione pollicebatur, ſi hunc ſatis dignum deputaret, qui ſibi in re tantâ interpres eſſet. Condæus eâ tempeſtate miſerat ad ipſum Buillonium, & Turenam fratrem, qui cum his ageret, nihil propè dubitans, quin Sedani ſuâ operâ recuperandi ſpe fœdus in hanc legem ſecum facere vellent, atque Turena ſingillatim exercitum ex Condæi, Angiani, ac Contii veteranis copiis, ac prætereà novis delectibus, & Hiſpanorum quæ illis conjungi debebant copiis conflatum in Campaniæ finibus ductare, rem opportuniſſimam recuperando, ſi quâ id fieri poſſet, Sedano, cujus rei ſpem ambos nunquam abjecturos credebat. 1651.

Eo Condæus Gourvillæ reſpondit, *Buillonio quæ ad ſe pertinerent, ea lubentiſſimum permiſſurum: ſed ſi ambobus conſultum velit, priùs utriuſque rationes conjungendas videri, ita ut Turena in Picardiæ, & in Campaniæ finibus, ſicuti nuper, rem publicam gerere velit, tùm fore, ut ex communi ſententiâ conditiones pacis æquiſſimas ab Aulâ impetrent.* Ubi hæc reſpondebat Condæus, certior tum primùm factus eſt, Daugnionum ad ſuas partes acceſſiſſe, ac præstereà Caumontios Forcæos omnes, præter Ducem, qui tùm in Normanniâ erat: hujus filiam Turena duxerat uxorem, quo fiebat, uti cum hoc, atque Buillonio magis, quàm cum fratribus ſentiret.

Igitur Condæus Gourvillam ad Buillonium cum hujuſmodi mandatis dimittit, & cum litteris ad Gualcurium, quibus jubebat hunc unà cum Gourvillâ certiorem facere Gaſtonem, quid ille ſecum egiſſet, quidve huic reſpondiſſet: cæterùm doceret colloquium apud Richelium oppidum ſi fieret, ſibi damnoſum futurum, quando multam pecuniam conſcribendis copiis dederit, quâ in re qui hanc accepêre, eos non modò ſegniores futuros, ſi de pace agi ſentient, ſed & ſpem capturos nullis conſcriptis militibus pecuniam nihilominùs penes ſe manſuram: poſtremò cuncta quæ cum Hiſpanis de auxiliis tranſegerit, hujuſcemodi colloquio diſturbatum iri: ad hoc Gualcurium quidpiam Gaſtoni dicere juſſit de peſſimâ Gondii in ſe voluntate, cui uti de rebus ſuis nullam haberet fidem illum impenſiùs rogabat. Fuêre qui ita exiſtimarent Condæum ab multis impulſum, uti Gondium de medio tolleret, ſed illum ab hominis maximè Eccleſiaſtici cæde alienum, in id modò conſenſiſſe, uti dolo caperetur, atque Danvillarium abduceretur, æquum cenſens huic parem ſaltem referre gratiam, atque ei rei Gourvillam operam dediſſe, quæ denique fruſtrà fuerit.

Intereà Hiſpani nihil antiquius habuêre, quàm uti diſcordias, & civile bellum apud nos alerent, ita ut huic modò ſuſtentando auxilia Condæo ſubminiſtrarent, non autem uti plus æquo proficeret, ac ſuis legibus Regem ſecum pacem facere cogeret. Condæi, Angiani, atque Contii veteres copias in Belgium diſceſſiſſe ſuprà memoravimus, quæ ut ne dilaberentur ſtipendii inopiâ, in id Tavanio, atque in ſupplementum earum, quod ſatis eſſet pecuniæ, Hiſpani curavêre: in Aquitaniam autem ex fœdere nuper operâ Leſnæi facto misêre claſſem navium tre-

1651. decim, cum incendiariis ſeptem, cui præerat *a* Battevilla Sequanus, de quo ſuprà memoravimus. Milites mille quingentos claſſis vehebat, atque alia bello idonea, cum aliquantâ pecuniâ. Ubi ad Santonum oram advenit, huic honoris causâ proceſſit obviam Luſignanus Marchio ab Condæo miſſus, atque adventum eſt gratulatus, dein VI. Calendas Novembres ſpeculatoria ab claſſe Hiſpanicâ navis Burdigalæ portum tenuit.

a L: Baron de Batteville.

Quos advexerat, ii præter mandata ad Condæum, alia ad Burdigalenſes habuêre, quos Philippi verbis de hujus benevolentiâ fecêre certiores, atque hortati ſunt, uti Condæo conjuncti porrò forent, quod quidem ii eo lubentius audiêre, quod Hiſpani pecuniæ quidpiam potentioribus diſtribuerant. Primùm apud Tallemontem exſcendêre pauci Hiſpani, dein apud Burgum mille ducenti: ille ad Garumnæ æſtuarium, hic ad Duranium locus eſt, in dextrâ amnis ripâ, qui eò ad ſiniſtram Garumnæ committitur. Burgum alicujus rei oppidum eſt, quod Philippo Condæus tradidit ex fœdere, ut eò appelli naves, atque omnia quæ huic mitterentur auxilia advehi, exponi, tutò aſſervari, ac denique tradi ex utriuſque commodo poſſent: ipſe Battevilla oppidum tenuit, cui Præfectus eſſet, Jozephus verò Ozorius Hiſpanus Proprææfectus, qui id ampliùs munire aggreſſus eſt. Hæc ab Hiſpanis probè inſtituta Regem, atque Reginam matrem ſolicitos habuêre, quæ ut ne altiores radices agerent, atque uti Daugnioni primùm, dein Condæi conatibus occurrerent, Auguſtoritum Pictonum cum exercitu contendêre. Sed cum bello domi, foriſque gerendo haud ſatis copiarum haberent, ſcripſêre ad Mazarinum, uti quàm plurimas poſſet in Germaniâ quò tunc exulabat, conſcriberet, & in Pictonas adduceret, quò hujus conſiliis, atque operâ egerent: prætereà Hocquincurium idem facere juſſêre, & cum Mazarino unà venire.

Ubi Rex Auguſtoritum Pictonum advênit, ſubitò ad Gaſtonem, atque ad omnes ubique Curias, ac denique ad eos qui provincias obtinebant, dat litteras, de novis Condæi delectibus, de præſidiis in varia Aquitaniæ oppida diſtributis, de accerſitis Hiſpanis, de horum præſidiis Tallemontem, & Burgum introductis, quæ loca his tradita ſint: hæc civem, hæc conſanguineum pluſquam hoſtilia facere, patriam hoſti teterrimo prodere, contrà jus, faſque, contrà fidem datam nuper nihil ſe cum hoſtibus conſilii habiturum. Sed hic Aginnum ſibi nuper adjunxerat, oppidum ſatis validum, quod ad Garumnam poſitum eſt, ac conſtitutis apud Burdigalam, circúmque rebus, eò Contium fratrem, atque unà Marſinum pro Prætore reliquit, cum copiis quæ ad prohibendos Sanlucii conatus ſufficere viſæ. Is in Aquitaniâ pro Prætore eſt, Regi fidus, qui Montalbanum ad Tarum amnem oppidum, per Sectariorum bella celebratum, atque illâ tempeſtate validiſſimum, tunc his quas antiquis mœnibus obduxerant munitionibus nudatum præſidio tenere juſſus fuerat, ac præterea *b* Deonam apud Cadurcos ad Lotum amnem, qui hanc propè omnem circumfluit, ac denique rem publicam in his regionibus pro opibus, ac fide ſuâ gerere.

b Cahors.

1651.

Condæus quàm longiſſimè poſſet ab Burdigalâ Regis copias attinere decreverat, ut ne ſi forent in propinquo, obſidionis, atque oppugnationis nuperæ memoriâ Burdigalenſium animi ad pacem inclinarent. Igitur cum *a* Tremolio Tarenti Principe, atque Rupifocaldo in Santonas movet, Burdigalenſi agro, Garumnæ æſtuario, Inculiſmenſibus, atque Pictonibus finitimos, ac per Tarenti Principem, Richelium, & Daugnionum Mediolanum caput Santonum obſtante fruſtrà *b* Ludovico Baſſomperæo Epiſcopo in deditionem redegit. Id oppidum ad Carentonum amnem poſitum eſt, in agro fertili, atque amœno, ita ut nullus parandis commeatibus, advehendiſque totâ hâc regione locus aptior Condæo eſſet: quo factum eſt, ut eò & horrea, & armamentarium conſtitueret. Tailleburgum huic præterea deditum eſt, caſtellum item ad Carentonum: dein adverſo flumine de Inculiſmâ ipsâ tentandâ venit in mentem: ſed tanto incœpto haud quaquàm pares copias, aut belli habebat apparatum: ad hoc eò Carolus *c* Santimaurus Montalſerius Marchio advenerat, qui Inculiſmenſes, ac Santonas provinciam obtinet, vir fortis, ac Regi fidus, multâ non rei militaris modò, ſed & aliarum ſcientiâ clarus: quamobrem Condæus ad Cuniacum inferiùs ad Carentonum oppidum animum adjecit.

a De la Trimoüille, Prince de Tarante.

b De Baſſompierre. Evêſque de Xaintes.

c De ſainte Maure, Marquis de Montauzier.

Sed eò maturè Leo *d* Santimaurus Jonzacus Comes Cuniaco Præfectus validum introduxerat præſidium, quo uno tueri oppidum poterat, cujus videlicet mœnia haud ſatis firma fuêre. Iſthæc Condæus moliebatur, ut ab Duranio amne, & Garumnâ, ad Carentonum fertiliſſimi ſoli regionem alendo quamdiù luberet bello haberet in poteſtate, ſed & ultrà Carentonum, Oceanum versùs, ad Rupellas, ad vicinas Inſulas, atque ad Broagium ſpes, opeſque ſuas extendere properabat, ac maximè de Rupellis in priſtinum ſtatum reſtituendis, atque eò ſede belli conſtituendâ ſeriò cogitabat. Nam apud Rupellas nihil ſicuti apud Burdigalam Senatui, Populoque obnoxius, ac ne ipſis quidem Hiſpanis, ſed planè ſui juris fuiſſet, neque eo ſeciùs horum, atque Britannorum ſi opus foret, auxilia, perindè, atque apud Burdigalam habere potuiſſet. Hujus ſpei plenus magnoperè laborabat, uti cum bonâ Daugnioni veniâ id ſibi facere liceret. Sed Daugnionus qui dudùm iſthæc eadem volvebat animo, atque eâ gratiâ ſeſe Condæo adjunxerat, contrà eniſus eſt, uti ſe hanc omnem rem ſuſcipere ſineret, ex quâ illi fama dignum viro Principe præmium, ſibi verò res amplior, ac potentia accederet, quibus fretus magis, ac magis hujus commodis ſervire, atque validiorem navare poſſet operam, uſquedùm ab Rege quæ ſeſe digna eſſent, exprimeret: ad hæc Condæus neutrum Rupellas habiturum prædixit, cùm ſatis ſciret Daugniono opes ad hujuſcemodi incœptum impares eſſe, tametſi Regi exiguæ tum copiæ ad prohibendum eſſent.

d De ſainte Maure, Comte de Jonzac.

Apud Auguſtoritum Pictonum Rex tunc cùm maximè conſultabat quid facto opus eſſet, neque aliud majus, atque utilius veniebat in mentem, quàm prohibere, ut ne perduelles Rupellis potirentur. Id oppidum

1651. antehàc armis, viriſque opulentum, operibus, & loci naturâ munitum; Sectariorum arx per multos annos, ac ſedes Imperii, quod ſibi per ſummum arrogabant ſcelus, fuit: nunc verò disjectâ munitionum immensâ mole jacet ad Oceanum Aquitanicum ingentis vici inſtar, undique pervium, niſi quà ab mari aditur: eò Turres, & mœnia relicta defendendo portui, quas Daugnionus præſidio tenebat. Sed hic Condæi novâ nixus clientelâ, ſpem nactus erat, oppidi potiundi, atque reficiundarum munitionum: quod ſi fieret, haud minora, quàm antehàc Sectarii, agitabat animo, cui videlicet neque pudor, neque modeſtia, neque ullum æqui, bonique ſtudium, omnia in lubidine poſita ſunt, & quoniam fraus, atque audacia habendo Broagio antehàc ex ſententiâ ceſſerat, idem de Rupellis eventurum credebat.

Harcurius tum apud Niortium fuit, quò & cogebat copias, & alia rei publicæ gerendæ idonea parabat ſedulò: hunc Rex juſſit omnem dare operam, ut ne Rupellæ in hoſtium poteſtate forent. Rupellani ad Regem miſerant, qui fidem ejus implorarent, adversùm Daugnioni conatûs: urgebant & Harcurium, uti ſibi ſubveniret, ac properaret accedere, paulùm ſi ceſſet, fruſtrà poſthàc venturum ſerum rebus perditis auxilium. Harcurio tum Legatus fuit *a* Eſtiſſacus Rupifocaldi Ducis Patruus, Regi fidiſſimus, qui in Prætorianâ Legione primùm Centurio, dein Tribunus uni cohorti, atque in aliis poteſtatibus ſuo genere, atque virtute digniſſimis inveteraverat, Legatus item erat Harcurio Artus *b* Guffierus Roüaneſius Dux, qui Pictonas obtinet provinciam, ac denique Beliero-pleſſius.

a Le Baron d'Eſtiſſac de la Rochefoucault.

b Le Duc de Roüanez de Gouffier.

Sed Harcurius Rupellanorum oratione permotus ad Surgeram movit caſtra, quæ decem paſſuum millibus ab Rupellis poſita eſt. Eò nuntiatum Daugnionum ſexcentos equites, & pedites mille ducentos apud Tonaïum ad Carentonum amnem miſiſſe, qui ad Rupellas contenderent; ſimul & allatum Rupifocaldum, ac Tarenti Principem Cuniacum oppugnatum veniſſe. Ita ancipiti curâ diſtractus Harcurius, utri primùm rei occurreret, incertus hærebat. Eſtiſſacum tamen ad Rupellas mittit, cum quatuor Prætorianorum Centuriis, queis *c* Raræus Centurio præfuit: iit & cum Eſtiſſaco pleraque Pictonum Nobilitas, qui omnes Rupellas ingreſſi his qui ad portum, & Turres vergebant vicis tranſverſas munitiones obduxêre, intereà dùm oppugnandis Turribus tormenta, atque plures copiæ advenirent. De his factus certior Harcurius ad Cuniacum flectit iter, atque ad Engeriaci-fanum movet. Ultrà Carentonum poſitum eſt Cuniacum, in ſiniſtrâ amnis ripâ: ab oppido pons ad dextram pertinet, in quâ ſuburbium eſt, quod hoſtes occupaverant, muniverantque: hæc ipſis minora caſtra, majora ultrà Carentonum fuêre, quem ratibus junxerant.

c Le Baron de Raré.

Harcurius copiarum numero impar hoſtibus erat, ita ut ſi cum cunctis dimicandum eſſet, multis partibus inferior foret: quamobrem ad Engeriaci-fanum hærebat, quid ſibi faciundum eſſet incertus. Hoſtes intereà Cuniacum ſummâ vi oppugnabant, quæ res Harcurium propiùs

accedere coëgit, qui paſſuum octo millibus ab oppido conſedit. Eò Dux Roüaneſius de quo jam memoravimus, cum multâ Nobilitate advênit, præterea *a* Barradæ è Melitenſi Militiâ turma, ac trecenti in ſupplementum Harcurianæ cohortis ſcripti milites, quâ virium acceſſione fretus Harcurius, tametſi nequedùm cum hac par erat hoſti, fortunam tamen quâ ſæpè proſperâ uſus eſt, ſibi tentandam eſſe conſtituit. Follevillam igitur caſtrorum Præfectum cum Jarnaci equitum alâ, & Barradæ turmâ præmittit ad pontem, qui altero ab Cuniaco lapide eſt, occupandum: hunc hoſtes diſjicere conabantur, cùm Follevilla opportunè advênit, atque incœptum coëgit omittere. Poſtridiè ad Harcurium miſit, qui nuntiaret rates quibus hoſtes junxerant amnem, proximâ nocte aquarum vi quæ immenſûm creverant, abreptas, neque adeò ab majoribus hoſtium caſtris ſubveniri poſſe iis qui cis amnem in ſuburbio eſſent: octingenti pedites fuêre, equitatum pridiè ab Condæo in majora caſtra revocatum, id quod acciderat providente. 1651.

a Le Chevalier de Baradas.

Continuò Harcurius movet, atque ubi ſuburbium fuit in conſpectu, aciem inſtruit. Prætorianorum in medio centuriæ quinque fuêre, quò Beliero-pleſſius Legatus curare juſſus, ipſe Harcurius cum regiâ gravioris armaturæ equitum turmâ in ſubſidiis fuit. In dextro cornu curabat Follevilla caſtrorum Præfectus, quò Helvetiorum è regiâ Cuſtodiâ centuriæ duæ, par militum Prætorianis numerus. In ſubſidiis Reginæ gravioris, & levioris armaturæ equitum turmæ duæ. In ſiniſtro cornu Subletus Hudicurius caſtrorum Præfectus fuit, cum his militibus, quos in ſupplementum Harcurianæ cohortis conſcriptos diximus, levioris armaturæ regii equites in ſubſidiis fuêre, cum Roüaneſii ſclopetariis equitibus: Pictonum Nobilium turmæ tres, quas Roüaneſius, *b* Noüis, ac Santimaurus ductabant, & Santonum Nobilium una Crequio Haïmontio caſtrorum Præfecto attributæ, cum reliquo equitatu, atque id ultimum ad incerta rerum ſubſidium fuit, hi adeò quieſcere juſſi, donec Harcurius procurrendi ſi fortè opus foret, ſignum daret. Priuſquàm ſuburbium oppugnaretur, miſſus eſt qui hoſtibus deditionem ſuaderet: quam ubi abnuêre, undique regii procurrunt, ac præ ſtudio ſimul cuncti in munitiones impetum faciunt, nihil expectato Ducum imperio, qui ſicut erat imperatum, ſeriem oppugnationis ſervatam voluerant. Ita quà cuique proximum fuit, ſcandere, tranſcendere vallum, aut perrumpere, clauſtra perfringere, hoſtibus imminere. *c* Belſonſius ab oppido per pontem noſtrorum clamore excitus cum eâ quæ in oppido erat Nobilitate erumpit: hoſtes in medio deprehenſi cæduntur, capiunturque, Condæus ab alterâ amnis ripâ hujus cladis adeſt ſpectator, qui cùm antehàc res apud Cuniacum in anguſto eſſent, ab ſuis accitus fuerat, ut iis qui in oppido erant, deditionis ferret conditiones, atque hoc propè in Aulæ conſpectu potiretur.

b La Noüe.

c Le Marquis de Belleſons.

Sed ubi commutatam fortunam videt, continuò movet caſtra, cúmque in ſolo pingui quale in eâ regione eſt, atque itineribus noviſſimo imbre corruptis tormenta ægrè ſe avecturum judicaret, detracta car-

1651. ris quibus plurimum inſtrumenti tormentarii vehebatur, jumenta ipſis tormentis adhiberi jubet, ut ne his noſtri potirentur, ſicuti inſtrumento tormentario ab hoſte relicto mox potiti ſunt. Duplici agmine Condæus abſcedebat, & quidpiam inter utrumque intervalli fuit: alterum ad amnem qui ſuperandus erat pervenerat, eique rei dabat operam, cùm agmen alterum advênit, metumque hoſtilem fecit, ac tanta trepidatio inceſſit, uti plerique plus æquo feſtinantes in alteram ripam evadere fluminis vadis deerraverint, atque altiori aquâ hauſti perierint.

Inter hæc Condæum Rex, Contium fratrem, Condæam ſororem, Nemoroſium, & Rupifocaldum, atque alios qui arma ceperant, edicit hoſtes eſſe, dies tamen dicta ante quam ſine fraude ab his liceret diſcedere, miſitque eâ de re Diploma ad Senatum, ut in hujus acta referretur. Sed id diſturbatum ſæpiùs, cùm ab Gaſtone ſimulante ſeſe ſperare Condæum ſi ſpatium daretur, neque exagitaretur animus ferox, in viam rediturum, tum ab aliis qui in Senatu amici huic erant: poſtremò tamen annitente Molæo ex Regis ſententiâ factum eſt. Scripſerat Condæus ad Regem litteras, ad quarum exemplum alias miſit ad Senatum, acres, atque atroces in Mazarinum, Caſtronovanum, Molæum, Vetuſvillam, & Gondium, quibus ambitionem, & avaritiam objectabat, Mazarinum omnium malorum quæ in republicâ eſſent, fontem appellando, quam miſerè ſpoliaviſſet, Caſtronovanum ab hac Ludovici XIII. teſtamento prohibitum, Vetuſvillam ſummam ab Mazarino Quæſturam tametſi abſente commercatum, ut hujus ſimul, & ſuæ avaritiæ ſerviat, Molæum Procancellarium factum, uti rem publicam in Senatu corrumpat, Gondium nihil niſi atrox, violentum, crudele, atque immane volvere animo, in omnes quos conſiliis ſuis obſtare putet.

Penes hujuſcemodi homines rem publicam eſſe iniquum, atque omnibus bonis intolerandum, quod ubi cum Gaſtone, & Senatu probibere conatus ſit, ſibi ad id locorum tali viro ab peſſimis, & ſceleratiſſimis hominibus inſtructas inſidias, neque in Regiâ, neque in Urbe, neque domi tutò eſſe licuiſſe: poſtremò longiùs abſcedere coactum, & quod miſerrimum omnium ſit, armis tueri ſalutem ſuam, ita ut ſibi pereundum fuerit, aut ſubeundam rebellionis famam. Nullius ſe noxæ ſibi conſcium eſſe, niſi quod rem publicam ab Mazarino planè perditam noluerit. Pœnitere profectò quod ceſſaverit tamdiù, ac penè ſerò ſuccurrat. Nihil in Gaſtone, nihil in Senatu, nihil in ſe auxilii fuiſſe, quamdiù lenibus remediis tanta rei publicæ vulnera curare conati ſunt: ad extrema denique ſe deſcendiſſe invitum, & ferro utendum cenſuiſſe. Nam quem finem malorum fore ſi peſtis illa rei publicæ Mazarinus redeat, quem Rex Edictis ſuis, Senatus ſuis Decretis exulare juſſerint: quis hæc ſancta, atque inviolata uſque adhuc, hujus hominis, & conſimilium Adminiſtrorum fraude, ac ſcelere vana, inania, irrita eſſe patiatur? Nam certum eſſe hos de reducendo Mazarino agitare. Equitum Tribunos quos ipſe creaverit, eâ gratiâ copias parare, hunc ipſum milites in finibus Regni ſcribere, non cives, ſed extraneos, qui omnia mercede faciant. Hæc

ſatis

ſatis, ſuperque oſtendere Regem nondum per ſeſe gerere rem publicam, ſed hanc Mazarini clientibus plane permiſſam, qui nihil penſi habeant fidem regiam toties de hoc nunquam reducendo datam, Edictis, & Senatûs Decretis firmatam, violare. Quod ſi fiat, quid poſthàc in republicâ firmum, aut ſanctum, aut quid erit reliquum niſi ut ex Mazarini lubidine vivamus, aut potiùs pereamus? Quae quoniam & Rege, & republicâ indigna videbantur, arma in quibus modò praeſidium eſt, cepi. Una mihi cum Gaſtone, vobiſcum, & cum omnibus bonis cauſa eſt, ut abacto Mazarino, cunctiſque peſſimi, atque ſceleſtiſſimi hominis clientibus Aulâ pulſis Conſilium Regi ex optimis quibuſque conſtituatur. Eo fiet uti pax, & quies Regno, omnibus ſua ſalus conſtet. Haec vos P. C. haud celatos volui, queis omnia mea probari velim. Vos quantum conſilio, atque autoritate valetis, rei publicae conſulite, ego hanc quantum virtute potero fortiter geram. 1651.

Sed hae Condaei litterae in Senatu non ſunt recitatae, ſcilicet quem Rex edixerat, Senatuſque decreverat hoſtem eſſe, qui adeò has ad Regem continuò miſit, uti cognoſceret magis, magiſque hujus Ordinis erga ſe fidem integram eſſe. Poſteà loci complures è fece plebis allegati ab factioſis ad Gaſtonis aedes iêre, pacem procaciter more ſuo poſtulantes, ac Mazarino malè precantes, quem in Galliam redire aiebant. His Gaſto ſeſe pacis cupidiſſimum eſſe reſpondit, caeterùm hanc facere non eſſe in ſuâ poteſtate, de Mazarino, hunc nunquàm in Galliam ſuâ voluntate rediturum. Dein multitudo ad Molaei aedes vadit infeſta, hominem criminando, ſicuti Mazarini reditui faveret. Occluſae erant aedium fores, in quas ingerere ſaxa multitudo coepit, ſed nihil commotus, aut perturbatus Molaeus has aperiri, & ſi quid dicendum plebes haberet, accedere, & promere jubet: quâ firmitudine animi compreſſa ſeditio, cunctique dilapſi. At Senatus poſtridiè de eâ re quaeſtionem habendam, & qui id facerent Quaeſitores duos decernit. Fuère eâ tempeſtate qui ita exiſtimarent Gaſtonis voluntate id Gondium eſſe machinatum, cui Molaeum ad Urbem manſiſſe grave fuit, cuncta quae ille facere vellet, obſervantem, atque prudentiâ ſuâ ubi opus eſſet, diſturbantem.

Intereà rumor increbreſcebat Mazarinum in Galliam reditum apparare, ſcribere copias, Fertaeum, atque Hocquincurium Equitum Tribunos huic favere, & ex omnibus Picardiae, Campaniae, Lotharingiae praeſidiis milites cogere, uti cum exercitu hominem reducerent: nuper hunc ad Ellebovium qui Picardiam obtinet provinciam, litteras dediſſe, quibus ſignificabat ſe copias ſuis ſumptibus ſcripſiſſe, quae Regi mereant, ac bellum civile defendant, has per Picardiam ſibi ducere, aut mittere ut ejus voluntate liceret poſtulantem, ſimul uti faceret ſe certiorem, utrum ipſi magis placeret. Ellebovius ſeſe reſcripſiſſe aiebat uti mitteret potiùs, quàm ipſe duceret, neque ſe arbitrari hunc id rectè, aut ſatis tutò facturum, qui Regis Edicto, & Senatûs Decretis exulare juſſus eſſet. Jam Sedanum Mazarini ſororum filias, hunc verò Buillonium in propinquo adveniſſe nuntiabatur, quae res Senatum perpulit,

Oooo

1651. uti decerneret mittendos è ſuo Ordine ad Regem, qui huic ſupplicarent, uti de non reducendo Mazarino fidem firmare vellet.

Rex de hoc Senatûs Decreto certior factus ſcribit ad Patres, & quam poſtulabant fidem eam dat ultrò, hortaturque ut ne quos tali rei publicæ tempore è ſuo Ordine ad ſe mittere vellent. Sed invaleſcente in dies de Mazarini reditu rumore, Senatûs Decretum fit, quo ſtatim proficiſci juſſi ſunt, qui ad Regem antehàc ituri fuerant, huic agerent gratias, quod quam Senatus optaverat, ultro dediſſet fidem, flagitarentque uti permanere in ſententiâ, & quæ ipſe de Mazarino edixerat, Senatuſque decreverat, ea firma, & rata eſſe vellet. Sed cùm Mazarinus Sedanum veniſſet, Senatus decrevit id hunc videri contra Regis Edicta, & ſua Decreta feciſſe, quem adeò hoſtem judicavit, producendam, ac venumdandam hujus Bibliothecam, quæ ad Urbem erat, atque ex eâ, & ex fructibus Sacerdotiorum ejus conficiunda nummûm millia quinquaginta, mercedem huic qui hominem ſeu vivum, ſeu mortuum Senatui ſiſteret. Tantum erat omnium eâ tempeſtate in Mazarinum odium, ut iſthæc adverſum hunc decernere nihil penſi haberent: certe nullâ habitâ quæſtione, neque cauſâ cognitâ, ex rumoribus vulgi hominem damnare, ac veluti proſcribere, procul ab hujus Ordinis diſciplinâ videbatur.

Harcurium ſuprà memoravimus apud Cuniacum bonam, fidelemque Regi, atque rei publicæ operam navaſſe, atque Condæum ut inde re infectâ abſcederet, coëgiſſe: ſed ille cùm haud ſibi ſatis ad hoſtem perſequendum copiarum eſſet, ad Surgeram Rupellas verſùs rediit, uti Daugnionum ab hujus Urbis potiundæ ſpe planè dejiceret. Jam oppidani ſuâ ſponte, dein Eſtiſſaci juſſu, ductuque multa, eaque egregia adverſùm Daugnionianos fecerant, qui ab duabus ad portum turribus dejectis in unam reliquam, vicinamque Munitionem denique compulſi fuerant: hæc portum ſubeuntibus ad dextram erat, unumque habebat propugnaculum, quod ab limo recedentis inde æſtûs nomen habet: centum, ac ſexaginta milites Turrim Munitionemque defenſabant, cum nobilibus aliquot: præerat omnibus Beſſus quidam Daugniono fidus: hic omnes ſcaphas, aliaque vectoria navigia quæ in Carantono amne, atque in omni vicinâ maris orâ fuerant, conquiſiverat, quibus ad ſubvehendos commeatus utebatur: præterea hæc paraverat, ut Hiſpanicæ claſſi quæ brevi ventura erat, uſui eſſent, cujus operâ Daugnionus ſeſe Rupellis potiturum ſperabat: poſtremò Condæum ab eo acceſitum, atque eò venturum fama erat.

Quibus rebus uti præverteret Harcurius, Rupellas venit, contemplatuſque Turrim, & Munitionem quam hoſtes tenebant, ac diſpoſitis circùm ſtationibus, primâ nocte locum ad Munitionis foſſam capi, munirique jubet: ſed diuturna oppugnatio futura videbatur, ſi foſſa ponte tranſeunda, atque hoc pacto ad Munitionem perveniundum foret: ſatius viſum id facere levi navigio conſtrato in modum carinæ inverſæ, atque laminis æneis contecto, ut ne igni obnoxium eſſet, quod navigium

ſecundo æſtu ad Munitionem ſubiit, atque ex eo cunicularii aggerem perfodere aggreſſi tantum hoſtibus terrorem fecêre, uti continuò Beſſum coëgerint quempiam ad Harcurium de deditione mittere: ſed hujus faciundæ copia rebellibus tum negata, qui videlicet hanc antehàc abnuerant: pertendentibus tamen, atque Harcurio qui in conſpectu erat, ſupplicantibus, uti ſibi qui cives eſſent, conſultum vellet, poſtremò vitam ſe dare militibus, Præfecto verò neutiquam reſpondit. Is continuò ſibi pulveris tormentarii ſatis ſupereſſe ait, quo ſe, ſuoſque, ac Turrim ipſam eximat hoſti, atque ejus ruinâ ipſis, ſibique tumulum exſtruat, ſimul eò properat, quò pulveris tormentarii reliquum erat aliquantum: ſed prohibuêre milites, hominem acriùs diſtrictis gladiis inſecuti: qui ubi certam ab his, aut ab hoſte ſi huic dederetur, necem metuit, ſeſe ab propugnaculo præcipitem dedit in ſubjectum limum, atque eò noſtrorum telis eſt obrutus, milites qui in turri, & munitione fuêre, in deditionem accepti. Ita diſturbata Daugnioni immoderata conſilia, ac Rupellani metu liberati, Eſtiſſacus eò cum præſidio qui Præfectus eſſet oppido, ac vicinum Alnitenſem obtineret Agrum, relictus eſt. 1651.

Harcurius pacatâ Urbe certior factus [a] Crequium è Melitenſi Militiâ advenisſe cum copiis, quas Rex ab finibus Regni quà Belgium attingunt, evocaverat, ſubitò ad illum contendit, atque his auctus copiis rem prælio committere ſi per Condæum liceat, conſtituit. Condæus apud Tonaïum ad Carantonum amnem habebat caſtra, quò belli fortunam tentaturus videbatur, quæ ſi adverſa foret, pontem qui illic eſt, exercitum traducere conſilium fuit, atque hoc interrupto ab perſequendo Harcurium prohibere. Hic igitur ad hoſtem versùs movet: Tonaïum ad Buttonam amnem huic ad lævam erat, quò ſclopetarios aliquot Condæus præſidio reliquerat, ab dextrâ Maranium haud procul palude, quæ Alnitenſem claudit agrum: eò & quatuor equitum turmas loco edito Condæus collocaverat, neque cognoſcendi copia erat, utrùm ponè hunc collem inſtructa reliqua Condæi acies eſſet. Harcurius quot ſatis viſum eſt militum è Maſencurii cohorte adversùm Tonaïum ad Buttonam collocat, qui locum expugnarent, aut ne quid ſibi ab tergo periculi eſſet, prohiberent: dein ſuos, ac Pralinopleſſii ſclopetarios equites procedere jubet, cum turmâ Nobilium ex Pictonibus, atque aliquot equitibus ex Andium Ducis alâ, id primum agmen fuit, in quo Belſonſius caſtrorum Præfectus curabat: aliquo intervallo ſequebatur Belieropleſſius Legatus cum reliquâ Andium Ducis equitum alâ, quod ſecundum fuit agmen, in quo & Follevilla, & [b] Brevallius Harlæus ambo caſtrorum Præfecti, præterea Bugius Legato aderant: poſtremò Harcurius ipſe cum reliquis copiis.

[a] Le Chevalier de Crequy.

[b] Le Marquis de Breval, de Harlay.

Qui è noſtris in primo erant agmine, in hoſtes editiorem inſidentes locum procurrunt acriter, hi haud timidi reſiſtunt, & tantiſper ſuſtinent pugnam, dein regiorum virtuti haud quaquàm pares conturbatis ordinibus pedem referre cœpêre: urgent regii donec ad viarum anguſ-

1651. tias perventum, quò aliquanta cædes hoſtium facta, nam accelerare fugam loci natura prohibebat. Ultrà anguſtias Condæus erat cum alis equitum duodecim, paratus, intentuſque regios ſi anguſtias prætergrederentur, excipere. Iniqua his fuiſſet conditio tenui agmine ob anguſtias advenientibus, quâ de cauſâ reſtitére. Ubi primùm hoſtes pelli cœperant, alii ab vico qui ab dextrâ regiis erat, hoſtium equites venêre ſubſidio ſuis, quos Belieropleſſius conſpicatus in hos cum Andium Ducis alâ impetum facit: hi partim cæſi, alii in proximas paludes pulſi, aut in ædes quæ erant in propinquo ſatis firmæ, confugére, ac poſteà dedidêre ſe, & victoribus permisêre: eò equorum, atque impedimentorum præda facta.

Harcurius ad dextram iter quærebat, quò ad hoſtem ire ſatis tutò poſſet: ſed id fruſtrà, nam impedita erant omnia aut denſo ſaltu, aut paludibus, uti tranſire volenti diſſolvere ordines omninò neceſſe eſſet: hæc molientem nox oppreſſit, cujus ſilentio Condæus Carantonum amnem apud Tonaïum traduxit copias, quæ res victum hominem ſatis indicabat, & cum cauſâ mutatam eſſe fortunam. Reliquum anni Harcurius apud Tonaïum, Condæus apud Bergeriam edito loco, ſtativa habuêre. Harcurius ultrà Carantonum, ad caput pontis Munitionem exſtruxit, Condæus ſtativa vallo, foſsâque munivit. Sed Harcurii exercitus ſub tectis, Condæi ſub dio agitabat, ineunte hyeme crebris imbribus fœdâ, quo fiebat, uti complures in dies dilaberentur.

In Borbonenſi agro Heriſſonum oppidum caſtellumque hoſtes occupaverant, quæ *a* Sangeranus recepit, is Borbonenſem obtinet provinciam. Heriſſonum haud procul Murone Condæi Arce poſitum eſt. In Æduis Spernonius caſtellum apud Divionem recepit. Sed in hujus provinciæ finibus Eſpagnium eſt caſtellum Margaritæ Chabotæ, quæ Ellebovii, atque Harcurii mater eſt, in eo magna vis fuit frumenti, cujus habendi cupido qui apud Seuram fuêre, eos impulit, uti caſtellum oppugnarent, atque expugnarent denique, quâ re ex ſententiâ confectâ, quidpiam jam frumenti avexerant, cùm advênit Uxellus Marchio, Spernonio in Æduis Legatus: is primùm miſſis qui avectum frumentum reciperent, caſtellum oppugnat, ac brevi in deditionem redegit: qui ab Seurâ nobiles eò reperti ſunt, ii ſine impedimentis dimiſſi, fide datâ ſe adversùm Regem poſthàc haud militaturos, Galli milites ſacramentum Regi dicere juſſi, cæteri capti, abductique ad Spernonium ſunt.

a Le Marquis de Saint Geran.

Hoc anno mortem obiit Leonorius Stampæus Valancæus Rhemorum Archiepiſcopus, Dux, ac Franciæ Par, genere, atque magnâ rerum quæ ad Clerum Gallicanum pertinent, peritiâ clarus. Mortuus eſt & Jacobus Cogneuxius in Senatu Præſes, de quo paſſim memoravimus: prætereà Renatus *b* Voyerus Argenſonus Regis ad Venetos Legatus, genere & ipſe, ac ſingulari in Deum pietate clarus, qui ubi uxor obierat mortem, cœlibem vitam coluit, quin & ſacerdos factus denique eſt, diù multúmque in regio Conſilio verſatus, ac ſæpiùs in Regni

b Le Voyer d'Argenſon.

provincias, atque ad exercicus Quæſtor miſſus, ubiqué cum magnâ 1651.
probitatis, atque integritatis famâ: funus huic publico ſumptu Venetorum Senatus faciundum decrevit, atque id univerſus eſt proſecutus: obiit poſtremò Nicolaus Cauſſinus Jeſuita, Gallicis, Latinis, Græciſque litteris juxtà, ac doctiſſimè eruditus, quem ego per adoleſcentiam latinè ſcribendi magiſtrum habui: hic poſteà Ludovici XIII. Regis Confeſſarius fuit, qui quoniam ei ſcrupulum injecerat, de Mariâ Reginâ matre haud ſatis piè habitâ, atque Aulâ, & regni finibus abſcedere coactâ, Aulâ & ipſe Richelii operâ, cui cum Mariâ lites interceſsêre, faceſſere pridem juſſus fuerat.

JOAN. LABARDÆI
MATROLARUM
AD SEQUANAM MARCHIONIS
DE REBUS GALLICIS HISTORIARUM
LIBER DECIMUS.
EPITOME.

1652. *DE Mazarini reditu decretum in Aulâ. Redit cum copiis. De hujus reditu Condæi ad Senatum litteræ. Bellevræi ad Regem cum aliis ab Senatu miſſi oratio. Molæi Procancellarii Regis nominè Reſponſum. Rhedonenſis Curiæ ad Senatum litteræ de Mazarino, ac Melleraio. Stampæi Fertimbaltii E. T. ſententia de fœdere cum Gaſtone ab Senatu, atque Urbe faciundo. Rohanus Chabotus Juliomago in Andibus Præfectus Gaſtonis, ac Condæi partes ſequitur: eòdem oppidanos adducit. Gaſto in Urbe delectum habet. Nemoroſium in Belgium Condæus adducendis copiis mittit. Mazarini in Aulam adventus. Aulæ ad Salmuriam profectio. Caſtronovanus ab Aulâ diſcedit. Apud Burdigalam Regem eò venturum creditur, quo ad bellum defendendum apparantur omnia. Rohanus Juliomagum, arcemque Regi dedit. Pons Cæſaris item deditus. Gondius Romæ Cardinalis creatus. Nemoroſius apud Meduntam copias quas ab Belgio adduxerat Sequanam traducit. Rex ab Salmuriâ ad Bleſiam, dein Gianum advenit. Apud Gergolium Belfortius pontem oppugnat, regii egregiè propugnant. Turena alteri exercitui præeſt, alterum Hocquincurius ductabat. Buillonius Turenæ frater quæ prædia in æſtimationem Sedani dabantur, accipit, de eâ re Regis Edictum in Senatu promulgatum. Anna Ludovica Aurelia Virgo Aureliam ab Patre miſſa. Condæus in Aquitaniâ. Eòdem Harcurius cum exercitu regio properavit. Sanlucius in Aquitaniâ Legatus cum copiis ab Condæo malè habitus. Condæus ab Harcurio improvisò adveniente Aginnum compulſus. Condæus permiſsâ Contio fratri, atque Marſino Legato Aquitaniâ ad Urbem versùs proficiſcitur. Apud Suillium rus Bethunii nobile ad*

Ligerim Rex tantiſper agitavit. Eò miſſi ab Senatu Neſmondus Præſes, atque alii de pellendo Mazarino. Regi de eâ re Scriptum Senatûs tradidit. Condæus Lorim haud procul Aureliâ Urbe quò ſuæ, Gaſtoniſque copiæ ſtativa habebant, venit. Montargirium ducit, quod ipſi deditum eſt. Rex apud Gianum erat. Hocquincurius cum regiis ad Blenellum fuſus ab Condæo. Turena poſtridiè Condæo nonnullam intulit cladem. Condæus ad Urbem venit, dein venit in Senatum unà cum Gaſtone. Uterque ſanctè profeſſus eſt ſtatim atque Mazarinus abiiſſet finibus, ſe ab armis diſceſſuros. Decretum uti Neſmondus, & alii ad Regem iterùm adirent iſthæc nuntiatum, ſimul poſtulatum uti Senatûs Scriptum Rege coràm recitaretur. Rex ab Giano Autiſſiodorum ad Igonnam amnem contendit, ut eo ad Urbem verſùs proficiſceretur. Exercitus virorum Principum ab Montargirio commeatûs, & pabuli inopiâ Stampas movit, atque eò ſtativa habuit. Robana Mombaſona, & Gondius Regem ad Urbem accerſebant, aliter Condæi conſiliis occurri non poſſe. Carolus Britanniæ Rex apud Corbolium de pace mentionem injicit. Rex Germaniſanum petit. Eò ab viris Principibus miſſi Robanus Chabotus, Chavignius, & Goulaſius Gaſtonis Scriba venêre, uti de pace agerent, ſed id fruſtrà fuit. Condæus Dionyſii-fanum cum copiis petit, ac pugnando capit. Turena occaſione Aureliæ Virginis ab Stampis ad Urbem proficiſcentis ſe quidpiam operæpretii facturum ratus ad Stampas ducit. Ipſe, atque Hocquincurius Suburbium capiunt, dein Autricum Carnutum petunt, atque ad Palatiolum redeunt. Conditiones pacis ab Condæo latæ Mazarino per Gourvillam. Radeſianus Cardinalis, & Chavignius uti pax Gaſtonis non Condæi operâ fieret ſtudebant, atque eâ causâ hunc Germani-fanum iturum Mazarino ſpem faciebant. Condæus Buttevillam quæ Colinii Caſtilloni uxor fuerat, Germani-fanum de pace mittit. Turena Stampas obſidet, eo Rex Melodunum proficiſcitur, uti propior caſtra eſſet. Carolus quondam Lotharingiæ Dux Gaſtoni, ac Condæo auxilio venit. Uti Stamparum ſolveretur obſidio cum Caſtronovano paciſcitur, ipſe faceſſit Regni finibus. Ab Senatu miſſi ad Regem qui tum apud Melodunum erat, de abigendo Mazarino. Rex inter quoſdam è Conſilio regio, & ex Senatu de pace, & concordia agendum reſpondet. Chriſtina Sueciæ Regina ad Senatum de pace ſcribit, atque huic conciliandæ operam ſuam exhibet. Bruſſelli Senatoris de abigendo quod unum paci faciundæ neceſſe ſit, Mazarino ſententia omnibus probata. Viri Principes fidem dant, profitentur, ac in acta Senatûs referri poſtulant ſe ab armis ubi id factum fuerit, diſceſſuros. Ea de re Senatus ad Regem mittit iterùm. Belli tædium pleroſque omnes capit. B. Genovefæ reliquiæ per Urbem geſtantur magna, ac pia pompa, paci ab Deo impetrandæ. Regis de Mazarino reſponſum, quo negabat hujus abitu pacem confectum iri. Actum in Senatu de conficiunda qua Mazarinus proſcriptus erat ſumma. Egredientibus Curia Patribus minæ intentatæ ab allegata multitudine, ac maximè Bailleulio Præſidi, qui tum per Molæi abſentiam Senatui præerat. Particellus in una ex Inquiſitionum Claſſibus Præſes ab plebe malè habitus. Belfortius plebi ſuadet ut ab Senatu libello poſtulet, qui ex hoc Ordine Mazarino ſtudeant, eos indicari. Longolio Maiſonio Præſidi ab plebe periculum. Patres ubi Curia egrediebantur, iterùm ab allegata multitudine pulſati, neque ſatis dignè habiti. Virorum Principum exercitus ab Stampis ad Clodoaldi-fanum movet, atque eò habet ſtativa. Condæus ab pace haud abhorrere viſus. Hiſpani, Condæa

1652.

1652. *ſoror, atque hujus amici hunc procul ab Urbe eſſe cupiebant, ut ne de pace ageret, ad quam ex Buttevillæ ſententia animus inclinabat, poſtremò tamen bellum maluit, nihil fidei habendum Mazarino ratus. Harcurius in Aquitania rem publicam benè, feliciterque geſſit. Apud Burdigalam turbæ. Eò Brezæa Condæi uxor, Contius frater, & Condæa ſoror Burdigalenſium adversùm Condæum ſtudia fovebant. Rex apud Dionyſii-fanum habet caſtra. Eò miſſi tertio Neſmondus, ac Longolius Maiſonius Præſides, cum aliis ex Senatu, qui Regem docerent de virorum Principum profeſſione in Senatu ſe ab armis ſtatim diſceſſuros, ubi Mazarinus pulſus Regni finibus foret. Regii Sequanam haud procul Dionyſii-fano tranſire tentant. Obſtitère ex adverſa ripa virorum Principum copiæ. Condæus Clodoaldi-fanum venit. Inde caſtra movet, & ad B. Antonii Suburbium ducit. Eò cum regiis pugnat. Condæus cum copiis Pariſinorum voluntate in Urbem recipit ſe, & ad Victoris Suburbium habet caſtra. Palea factionis teſſera geſtatur in Urbe. Conſilium in Urbis Ædibus habetur. Allegata multitudo in foro propinquo, & virorum Principum admixti milites territando Conſilio tumultuantur, uti Senatum, Populumque fœdus cum viris Principibus facere cogerent. Ignem Ædium foribus admovent. Aurelia virgo denique advênit, quæ tumultum ſedat, & qui in Ædibus erant, eos periculo eximit. Ab ea die multi ab factione virorum Principum paulatim diſcedere, ac pacem magis cupere. Condæus apud Hiſpanos ſibi conſulit. Rex habendæ paci ſe Mazarinum amandaturum edicit. Ut ad ſe viri Principes de ſuis rebus mittant, poſtulat: hi abnuunt, ſeque arma poſituros ubi Mazarinus abierit, confirmant. Neſmondus, & Longolius Præſides ad Urbem redeunt. Decretum in Senatu Gaſtonem Regi in Gallia Legatum porrò eſſe, ſicuti antehàc per hujus pueritiam, uſque dùm abierit Mazarinus, qui item haud ſecùs ac per Regis pueritiam rem publicam ſibi regere copiam eſſe putet. Gaſto ſibi Conſilium ex cujus ſententia rem publicam gerat, inſtitui poſtulat. Ea de re Bignoni Actoris regii oratio. Belfortii, ac Nemoroſii certamen, hic ab illo necatur. Franciſci Rieuxii Comitis, & Tremolii Tarenti Principis uter alterum anteiret, controverſia. Continuò Condæus de pace cum Mazarino agebat, uterque ſeriò, an per ſimulationem incertum. Fridericus Mauricius Turrius Buillonius Dux apud Eſiæ-pontem quò Rex habebat caſtra diem ſuum obiit. Harcurius fruſtrà Villamnovam Aginnenſium oppugnat. Renatæ Dubecæ quæ Budæ Guebriani E. T. uxor fuerat, omnis de habendo Briſiaco fabrica. Inde pellitur. Carlevoſius hujus opera Philippiburgum abductus Briſiacum Harcurio tradit. Eò primùm Cambultia uxor, denique ipſe Harcurius exercitu regio in Aquitania Iſlabono fratris filio permiſſo venit. Gravelinga ab Leopoldo recepta, dein Dunkerca. Blacus Britannicæ claſſi Præfectus naves Gallicas quæ Dunkercam auxilia, & commeatum vehere debebant, Cromvelli juſſu capit, & quæ his vehebantur omnia, homines verò dimittit, id captarum antehàc ab Gallis Britannicarum navium, ac mercium ſpecie factum, quo parem nobis gratiam Britanni referrent. Rex Senatum Eſiæ-pontem ab ſe venire jubet, ut eò haberetur. Id Senatus abnuit. Præſides duo modò, & Conſiliarii quatuordecim eò venêre, his adhibiti Magiſtri aliquot libellorum, quibus omnibus præfuit Molæus Procancellarius. Hi abigi Mazarinum poſtulant, quod denique Rex factum voluit. Hic abit, poſt paulò redire certus. Seguierus Cancellarius in Aulam revocatus. Perſanus Clerembaltio Paliiavio*

Muronem

Muronem dedit. Pacem viri Principes amandato Mazarino haud abnuunt, ſed de variis rebus ut ad Regem ſibi mittere liceat qui de his agant, poſtulant: id Rex abnuit, quoniam & ipſi antehàc abnuerant. Edictum de pace apud Eſiæ-pontem promulgatum. Aquilonia, Caſtronovanus, & Goulaſius Gaſtonis ſcriba hunc ab Condæo ſejungere quo pacem haberet, conati ſunt, dictitantes hunc illam planè abnuere. Condæus ab Belgio copias Germanorum, Lotharingorum, atque Eburonum accerſiverat, quæ ad Sequanam ſuprà Urbem haberent caſtra, haud procul Georgii-Villa-novâ. Sed eò Turena prior, atque in collibus vicinis poſuit caſtra: in planitie ſubjectâ Matronam amnem versùs hoſtes erant. Hi commeatus Urbi difficiles reddebant, rura civium amœniſſima vaſtabant, diripiebant, quo ſtudium pacis haud mediocriter creſcebat in Urbe. Radeſianus Cardinalis cum pleriſque ex Ordine Eccleſiaſtico Compendium de pace, ac Regis ad Urbem reditu acturus venit. De cupiditate rei publicæ loco Mazarini gerendæ apud Reginam purgat ſe, quæ id ab Rege filio pendere reſpondet, neque hujus Radeſiano permittendæ huic quod noſſet, quidquam in mentem uſque veniſſe. Candalius in Aquitaniam paternam antehàc provinciam miſſus cum imperio. Provincia vicina Inculiſmo Duci abrogata, ac data Mercurio. Initium revocandi in Urbem Regis factum à Carolo Prevoſto Senatore, & ab Franciſcanis duobus Fauro, & Bertaldo. Guiſius ab Hiſpanis dimiſſus Mantuâ Carpetanorum ad Urbem redit. Radeſiano, & Caſtronovano placebat Gaſtonem cum Reginâ redire in gratiam, ſpem nactis ſeſe hujus autoritate fretos haud rei publicæ expertes fore. In Edicto pacis quædam corrigi Gaſto, ac Senatus poſtulabant, quod eſt factum ex ſententiâ. Turena ad Matronam Meldas inter, & Lagnium habuit caſtra. Virorum Principum exercitus Vincennas propiùs. Pariſini Regi ut ad Urbem veniret crebris miſſitationibus ſupplicabant. Condæus eo ſibi maturè conſulendum eſt arbitratus, & quæ cum Hiſpanis per Sillerium conſtituerat, ea tum eſſe faciunda, ſcilicet ut his conjungeret ſe. Id Chavignio minimè probabatur, qui eo objurgatus ab Condæo in morbum gravem incidit, atque diem ſuum obiit. Condæus ab Urbe in Rhemos abiit cum exercitu. Ad Urbem redière Hoſpitalius E. T. Urbi Præfectus, & Faber Præfectus mercatorum, ac denique Rex ipſe, & Regina mater cum omni Aulâ. Ad Senatum ſcripſerat uti poſtridiè in Regiam conveniret, quò & qui ab Eſiæ-ponte advenerant, adfuêre. Gaſto Regi non venit obviam, quamobrem Limurſium ſuum abire juſſus. Radeſiani, & Belfortii ſuper eâ re conſilia. In Regiâ Senatus habitus. Edicta de Senatu, & de Pace recitata, ac denique de his quos Rex Urbe faceſſere jubebat. Gaſto Bleſiam denique conceſſit. Ex Senatu quidam Regis juſſu & rus conceſsêre. Bruſſellus ad Urbem reſtitit, nullâ Adminiſtrorum de hoc pellendo curâ, quando neque huic rus ullum quò abſcederet, neque quidquam reliquum erat quo nocere poſſet. Reliquiæ belli in Campaniæ finibus, quò Condæus, & in Aquitaniâ quò Contius, & Condæa ſoror fuêre: hos, & qui horum ſequebantur Sectam Rex edicit hoſtes eſſe. Barcino, atque omnis Catalonia ab Hiſpanis recepta, fruſtrà obnitente Mottæo E. T. qui Barcinonem denique dedere, atque abire coactus eſt. Caſalium Hiſpanis oppugnantibus Carolo Mantuæ, ac Montis-ferrati Duci deditum ab Santangelo Propræfecto. Mazarinus cum Condæo de reconciliandâ inter ambos gratiâ agit, ſed fruſtrà, cùm jam Hiſpanis ſeſe arctiùs conjunxiſſet, quàm ut facilè ab his ſejungi poſſet. Condæus Vervinum in 1652.

Pppp

1652. *Tieracenſi agro, Rhetelium, Portiani-Caſtellum, ac denique Meculphi-fanum in Campania occupat, haud ita firma, ſed ſtabiliundis eò hybernis opportuna oppida, dein Barem Ducis, Lignium, & Vordium. Portiani-Caſtellum ab Ellebovio, & Almontio E. T. receptum. Caſtronovanus Urbe pellitur. Radeſianus Cardinalis in Vincennarum arcem conjicitur.*

FINE anni proximi Rex, atque Regina mater Auguſtoritum Pictonum Molæum, atque Vetuſvillam ab Urbe venire juſſerant, uti de revocando in Aulam Mazarino frequens Conſilium haberetur: atque intereà ad hunc, atque ad Hocquincurium ſcripſerant, uti copias in finibus Regni conſcriberent, quibus tunc cùm maximè bello civili ſuſtinendo opus habebant. Nemo erat qui dubitaret Mazarini reditum Reginæ cordi eſſe, cujus operâ ubi procurationem habuerat Regni, fideli, atque egregiâ uſa fuerat, atque adeò eamdem Regi filio utiliſſimam porrò fore arbitrabatur: ſed non idem plerique ſentiebant, variis de cauſis Mazarino adverſi, infenſique. Huic contrà impenſiùs favebant Thomas vir Princeps, qui ab Italiâ nuper advenerat, Pralino-pleſſius Equitum Tribunus, ac Michaël Tellierus Quatuorvir, cui hunc Magiſtratum Mazarini commendatione ab Ludovico XIII. Rege mandatum antehàc diximus: cæterùm huic homini tanta prudentia, atque modeſtia eſt, ut omnium propè in Mazarinum odium quod & ad propinquos, & ad clientes pertinet, facilè vincat: ita ut ubi Condæus nuper hunc cum Serviano, atque Lionno abigi poſtularet, id uno ore cuncti faciundum negarent, ipſe unus paratum ſe diceret rei publicæ, atque concordiæ causâ non modò ab Aulâ, ſed & ab ipsâ ſi opus eſſet, vitâ diſcedere: hic nuper in Aulam redierat annitente Villaregio ut id Caſtronovani voluntate fieret.

Sed ipſi Caſtronovano qui per Mazarini abſentiam omnem tractabat rem publicam, ſuprà quàm dici poteſt ægrè futurum erat, ſi huic eòdem redeundi copia foret, qui primas in eâ gerendâ partes obtineret, quibus antehàc ille vix Richelio ipſi ceſſerat: diſſimulabat tamen ſedulò, cùm Reginæ animus erga Mazarinum ut eſſet, probè ſciret. Igitur non hunc in Aulam eſſe revocandum negabat. *Sed ſi tum rediret, eo Condæi cauſam quæ propter Mazarini abſentiam propè nullis probetur, viſum iri juſtiſſimam* aiebat, *atque adeò pleroſque aut palàm ad Condæi partes tranſituros, aut clàm huic fautores futuros, non factioſos modò in Urbe, ſed & univerſum Senatum, populumque, quorum exemplum cæteræ in provinciis Curiæ, atque Ordines omnes ſecuturi ſint: ſatiùs adeò videri cum Condæo bellum conficere, ac deinde ſine ullo rei publicæ, quæ in tuto collocata foret, periculo Mazarinum revocare.*

Hæc certè verè, tametſi haud rectè ab Caſtronovano dicebantur, qui ſuæ in eo magis, quàm publicæ rei ſtudebat: quæ verò contrà Mazarini fautores dictitabant, ea haud ſatis valida fuêre, hunc videlicet unum rei publicæ gerendæ idoneum, atque adeò neceſſarium adminiſtrum eſſe: nam id verum non fuit, neque enim hanc minùs rectè eâ tempeſtate

Caſtronovanus adminiſtrabat, homo in quo ſi ab eo tempore, quo Procancellarius creatus fuerat, in re publicâ perpetuò verſatus fuiſſet, nihil reprehenderes: ſed exactâ ætate hujus tractandæ, atque eâ gratiâ tantum in Aulam redeundi ſtudium habuiſſe, intempeſtivum, atque immoderatum videtur. Quantùm ad eas copias quas Mazarinus ſecum adducturus erat ſuis conſcriptas ſumptibus, ridiculum fuit iſthuc tanti facere, ut eâ causâ hunc qui odio eſſet ſeu jure, ſeu injuriâ pleriſque omnibus Rex in Aulam reductum vellet, uti videlicet tantò maturiùs Condæum armis coërceret, atque in viam redire cogeret, cùm illius reditus propè omnes in Galliâ homines Condæo eſſet adjuncturus. 1652

Sed rectiùs Regina dicebat, *Regis filii maximè intereſſe, ut ne quis hoc invito, atque ex aliena lubidine pulſus Aula Regnique finibus ſit: quod quidem regiam infringat potentiam, & quidpiam ſuprà hanc eſſe oſtentet, quod quanti in Regno momenti ſit, ambigere neminem. Eo ſe Mazarinum in Aulam redire velle: datam ab ſe, atque ab Rege filio de non reducendo fidem, & ab Senatu petitam æquè pudendum eſſe, cujus rei memoriam deleri, atque exemplum tolli in rem publicam ſit.* His Molæus aſſentiebatur odio Caſtronovani, qui illo invito regii Conſilii obtinebat principatum, rem inſolitam, atque antehàc inauditam, præterquàm in viris è regiâ Gente Principibus, aut Cardinalibus, qui ſoli in Regis Conſilio Cancellarium, aut per hujus abſentiam Procancellarium præiêre, eo Mazarinum hunc occupare locum malebat.

Sed ubi Caſtronovanus de reducendo Mazarino ſententiam vincere ſentit, hujus rei prohibendæ nullam iniri poſſe credidit rationem, quàm ſi Gaſto in Aulam veniret. Eo ad Fremontium hujus ſcribam veterem clientem ſuum dat literas, ſed minor erat Fremontio apud Gaſtonem fides, quàm ut quidquam illius autoritate permotus faceret: Gondius verò Gaſtonis in Aulam profectionem diſturbavit, fortè ut ne ſi Gaſtò Mazarini reditui obſtaret, viciſſim hic Gondii negotium de Cardinalatu Romæ infectum vellet, atque operam daret, quo Rex alium, qui Cardinalis hoc poſthabito crearetur, Pontifici commendaret. Sed ſi Caſtronovanus de Gaſtonis in Aulam profectione ad Chavignium, aut ad Goulaſium alterum Gaſtònis ſcribam ſcripſiſſet, hunc Chavignio nixum forti, ac magnæ pridem apud Gaſtonem autoritatis viro, rem ex ſententiâ confecturum fuiſſe veriſimile eſt. Sed Caſtronovano dudùm interceſsêre cum Chavignio ſimultates, ſicuti fermè inter homines qui in eâdem aut ſpe, aut fortunâ ſunt.

Regem aiunt primùm quotidianis omnium in Mazarinum ſermonibus, atque omnis propè Aulæ, Senatûs, populique in eum odio permotum, dein fidei ab ſe, atque ab Reginâ matre de non reducendo datæ religione illam inviolatam voluiſſe: nam adoleſcentis animus inſolens malarum artium fidem tametſi ab invito datam prodere flagitium exiſtimabat: poſtremò tamen matris quam plus ſcire, atque providere credidit, atque eorum quos in conſilium adhibuerat autoritate victum de Mazarini reditu illi morem geſſiſſe.

1652. Intereà Hocquincurius Regis juſſu ab Campaniæ, & Picardiæ finibus evocatis copiis, circùm Laodunum cum Navaillio, Broglio, Quincæo, Montejoco, Coſſæo, Bare, atque aliis eódem profectus eſt, quò armatorum duo millia fuêre equites, peditesque: dein ad Axonam amnem movit, atque hoc apud Arcium quò pontis copia eſt, tranſmiſſo, atque item traductis Matronam copiis Mazarinum apud Troiſſium exſpectavit. Is Spernaïum IV. Non. Januarias advênit, cum quinque millibus armatorum, atque eò cunctis conjunctis copiis Hocquincurius cum equitibus mille ad Sequanam, & Igonnam amnes properavit, ut advenienti cum reliquis copiis Mazarino nihil in his traducendis impedimenti eſſet: quantùm ad Sequanam, id apud Merim oppidum infrà Tricaſſum facilè fuit.

Sed ubi eſt Igonnæ appropinquatum, eò ad Pontem qui infrà *a* Agendicum Senonum oppidum, poſitus eſt, Gaſtonem quatuor è Septemanicâ Legione Centurias miſiſſe nuntiatum, ſimul & Senatum duos ex ſuo Ordine, qui omnem darent operam, ut ne illâc Mazarinus, nec hujus copiæ tranſirent, pontem eâ gratiâ interrumperent, naves deprimerent, aut abducerent, plebem armarent, atque alia quæ uſui forent, ſedulò facerent. At Hocquincurius adveniens ubi vidit equites ultrà amnem hâc, illâc curſitantes, quidpiam ſolicitè molientium ſpecie, quot ex ſuis viſum, vado ad aliam contendere ripam jubet: hi in Franciſcum *b* Bitaltium, atque Jacobum Genierum Codraïum ambos Senatores incidêre, qui cum his congreſſi planè ignari quinam eſſent, Bitaltium confoſſo equo prolapſum capiunt, Codraïus fugâ ſibi conſulit. Intereà Hocquincurius venit ad pontem, quem oppidani, nam eò oppidum eſt, interrumpere conabantur: hos quid Regi de Mazarini reditu ſententiæ eſſet, ſimul & qui quatuor ſeptimanicis præerat centuriis eum edocet: ſed hoc reſtitante, equites aliquot omiſſis equis pontem oppugnatum ire jubet, quorum alacritate, atque impetu perterrefactus Morandiera, (id nomen homini fuit,) uti ſine fraude ſibi, ſuiſque abire liceret pactus continuò diſceſſit. Eò Mazarinus traduxit Igonnam copias, dein Ligerim apud Giani pontem, quò & Carolus *c* Eſcoblellus Marchio Aureliæ Urbi Præfectus decreverat hunc arcere tranſitu: ſed id per ſeſe facere oppidani ipſi conſilium ceperant, ni ab Hocquincurio de Regis voluntate facti fuiſſent certiores, quâ cognitâ inceptum omisêre.

a Sens.

b Bitault. Geniers du Coudray.

c D'Eſcoubleau, Marquis de Sourdis.

Intereà Genierum cæſum, ac Bitaltium captum fama ad Urbem tulerat, quæ res Patres conſilii incertos reddidit: dein decrevêre uti de cæde alterius quæreretur, alterum Gaſto ab Hocquincurio per Tubicinem repeteret: ſed hunc ſe negavit Hocquincurius Regis injuſſu dimiſſurum. Itaque quid actum eſſet in eo negotio, Bellevræum, & alios quos Senatus ad Regem legaverat, edocere viſum, mandandumque uti graviter expoſtularent, in eo Senatûs autoritatem ab ſatellitibus Mazarini fœdè violatam. Sed hæc, atque alia hujuſcemodi ab Senatu fruſtrà fiebant, Mazarino per mediam Galliam properante ad Aulam, cui ar-

mato Senatûs decreta ludibrio fuêre. Rectiùs Gaſto adversùs armatum 1652. vi, atque armis agendum cenſebat, quas habebat copias ad id infirmas eſſe, eas augendas videri, atque eâ causâ regiam pecuniam quæ ad Urbem erat, corradendam. Sed eò progrediendum plerique ex Senatu negavêre, quo Rex Senatum bona ſua publicaſſe, & ſibi bellum indixiſſe crederet: procul id ab ampliſſimo Ordine eſſe debere, cui nulla arma præter leges, atque jus publicum ſint, ſibi modò quid iſthuc, & illæ poſtulent Regem edocere fas eſſe, at cogere quis ſibi licere perſuadeat?

Dum hæc in Curiâ Patres conſultant, nuntiatum eſt adeſſe ad fores quempiam cum Condæi litteris, quas uti reddere Senatui, & quæ in mandatis habeat, ea proponere liceat, poſtulantem. Bailleulius qui per Molæi abſentiam Senatum habebat, hunc dandum ei qui ab hoſte miſſus eſſet, negabat, Condæum enim hoſtem ab Senatu judicatum. Factum eſt tamen Mazarini odio, ac præſenti de Bitaltio capto, ac Geniero violato irâ, ut & Senatus Condæi Legato daretur, & hujus litteræ, atque libellus quem ad Senatum mittebat, recitarentur. Hæc fermè erant hujuſmodi.

Tandem Patres videre, atque ſentire non ſe de nihilo, ac temerè ad bellum deſcendiſſe, neque adeò his de cauſis quas Mazarinus Edicto regio cujus ipſe potiſſimus autor ſit, falsò jactaverit, ſed quia huic in Galliam, atque in Aulam redire conſilium eſſe certo ſciebat, ut id omni ope prohiberet. Quod hujus reditui primùm obſtitiſſet, eo ſe inſidiis propè circumventum, ac comprehenſum ut in cuſtodiam iterùm conjiceretur, eo in Aquitaniam diſcedere coactum, ut ne his porrò opportunus foret, eo ſe Edicto regio perculſum, atque hoſtem judicatum, eo ſe denique bello petitum, quod adversùm ſe è regiâ gente Principem virum, iiſdem quibus Rex majoribus ortum Mazarinus hoſpes, atque advena primùm abſens moverit, dein poſtquàm in Aulam rediit, armatus, atque copiis quas ex omnium gentium colluvie collegit, inſtructus jam præſens gerat. Sed hunc non modò Regis Edictis, & Senatûs decretis, verùm etiam omnium propè conſenſu exulare juſſum quis ferat in Aulâ egregium, atque omnium rerum arbitrum rursùm agitare, Regis Edictis, Senatûs decretis, regiâ fide toties datâ, atque ſanctiſſimè firmatâ poſthabitis, ac violatis? Certè quod contra ſe Mazarinus bellum gerat, id non magnoperè pertimeſcere: ſed moleſtum ſibi, ac grave eſſe judicium Senatûs, qui Regis adversùm ſe ſeu veriùs Mazarini Edictum in acta ſua relatum voluerit: ſatis ſcire ſe id Patres haud lubentes, ſed rerum quæ agebantur, & quæ belli civilis ultrò ab ſe ſuſcepti faciem oſtentabant, ſpecie permotos decreviſſe, quoniam Mazarinum reditum ſuum in Aulam moliri, atque armatum venire conſtituiſſe nondùm in aperto erat. Jam verò cùm id fecerit, atque regiis opibus fretus omnes bonos peſſum daturus videatur, poſtulare uti quæ de ſe ſicuti hoſtis eſſet, Rex nuper edixerit, Senatuſque decreverit, ea pro non edictis, atque decretis habeantur, quamdiù contrà Regis Edicta, ac Senatûs decreta Mazarinus in Galliâ, atque in Aulâ ipsâ verſabitur: neque enim Patres æquum exiſtimaturos, ubi hæc irrita adversùm Mazarinum ſint, ſibi uni fraudi eſſe. Intereà omnem operam Senatui uti res publica ſalva ſit, dein uti domi, foriſque pax conſtituatur, polliceri.

De Condæo, & Mazarino ſicut ille poſtulaverat, Senatûs Decretum

1652. ſit: præterea uti litteræ, libellus, & mandata Condæi ad Bellevræum, & alios quos Senatus ad Regem legaverat, mitterentur: hunc ii edocerent quanta mala ex Mazarini reditu rei publicæ impenderent, jamque adeſſent. Id ab Bellevræo in hanc ſententiam factum memorant. *Non per venerationem modò, atque omnium rerum obſequelam qui parere Regibus debeant, eos officio fungi, ſed & contrà quàm ipſi Reges ſentiant, tendendo ubi res publica moneat. Nam ſicuti Soli defectiones ſuas, ita & Regi quandoque eſſe, quæ ſæpiùs alieno quàm hujus ipſius vitio accidant. Quod quidem ubi evenit, ibi Regni legibus Senatui tributum, ut id Regem liberè, tametſi quâ par ſit reverentiâ doceat: quæ res Regibus omni veneratione, atque obſequio gratior, acceptiorque eſſe debeat. Profectò de re tantâ quæ agatur, Senatum tacere propiùs flagitium, quàm obſequium eſſe. Regis Edicta, fidem toties ab eo, atque ab Reginâ matre datam, firmatamque, Senatus decreta, quæ denique apud homines ſanctiora ſint, ea in Mazarini reditu violari. Eam eſſe regiam potentiam, ſuprà quam nihil præter Deum immortalem ſit, atque adeò nullos niſi quos ipſe, aut ipſa ſibi conſtituerit, fines habeat: ſed hos niſi ſibi diſſimilis, atque adverſa ſit, quod dicere, aut arbitrari pudet, egredi non poſſe. Nam ne Jovi quidem, quo nihil majus, atque potentius ſibi finxit antiquitas, fatorum quæ ipſe conſtituerat, ſeriem interpellare licuiſſe.*

Ardere Galliam civili bello, quod ex metu quem de Mazarini reditu homines ceperint, exortum ſit, & quem haud vanum fuiſſe res ipſa comprobet: unde quid ex ipſo reditu mali, damnive rei publicæ ſit eventurum, magna exiſtimandi copia ſit. Attinuiſſe multorum animos quod bellum civile incertâ de causâ moveri videbatur: ſed cùm univerſus omnium de Mazarino procul habendo conſenſus ſit, atque ea de re Regis Edictum, Senatus, & omnium Regni Curiarum decreta extent, quid denique futurum credibile eſt, ſi & his, & quod ſanctiſſimum uſquè fuit, aut eſſe debuit, Regis, atque Reginæ matris fide poſthabitis in Gallia, in Aula, in Regis Conſilio ſuprà caput omnium, ultionis in viros Principes, in Senatum, in omnes bonos, qui hunc jure amandatum voluerint, avidus verſabitur?

An quam Rex dedit inter auſpicia capeſſendi Regni Edicto, ac lege Senatui fidem, quam ipſe nuper perſanctè firmavit, eam ex hominis unius hoſpitis, atque advenæ aut commodo, aut lubidine deſerturum, uti cuncti quam ſancta, aut contrà per omne Regni tempus futura ſit, inde omen accipiant, atque omnium rerum incerti, cujuſvis magis quàm Principis ſui ſequantur fidem? Quæ in Gallia ſit omnium rerum perturbatio, eam ſatis ſuperque oſtendere peſſima Mazarini conſilia, peſſimam omnem ejus rationem in re publica gerenda fuiſſe. Viros Principes malè, atque indignè habitos, Senatum peſſum datum, plebem tributis, ac vectigalibus exhauſtam, externo bello civile ſuperadditum, omnes Regni Ordines labefactatos, cives, ac ſocios terra, marique juxtà ſpoliatos, ut unus expleretur Mazarinus.

Tantine hunc hominem eſſe, uti contrà Regis Edicta, Senatûs decreta, atque omnium omnino de hoc procul habendo ſententiam revocandus videatur? Tantamne in Gallia magnorum virorum inopiam, uti res publica uni modò advenæ, atque hoſpiti rectè credatur, atque ea cauſa belli civilis atrocitas, atque omnium rerum major quàm antehàc fuerit, perturbatio, atque confuſio nihili pendatur?

Quæ certè rei publicæ tam periculoſa viſa Senatui ſint, ac tantoperè ad Regem pertinere, ut hunc commonefaciendum, edocendumque cenſuerit, de ſummo quod Galliæ immineat ex Mazarini reditu diſcrimine. Ea ſe gratia ad Regem miſſos ab Senatu, ſimul huic ſupplicatum, ut ne præter bellum externum, quod ægrè jamdiù res publica ſuſtineat, hanc inteſtino, atque civili conflictari velit: cui uti prævertatur, ſtandum modò iis, quæ Rex in Mazarinum edixerit, ſtandum fidei quam dederit, firmaveritque, ſtandum Senatûs decretis, atque adeò ſtandum omnibus, quæ inter homines ſanctiſſima uſque fuêre, quæ rata, firmaque eſſe Regem velle Senatus confidat. 1652.

Ubi Bellevræus dicendi finem fecit, Rex ſibi Reginâ matre, atque aliis quos in conſilium adhibere ſoleat conſultis opus eſſe ait, dein reſponſurum, & quæ velit, jubeatque edicturum. Intereà loci in proximum conclave Bellevræus, atque alii ex Senatu tantiſper ſecedere juſſi, dein his accerſitis Procancellarius Molæus Regis verbis ita reſpondit.

Quod Senatus eos ad Regem miſerit, id ejus in ſe obſequio, ſtudioque tribuere, quod huic Ordini maximum erga majores ſuos difficillimis plerúmque rei publicæ temporibus fuerit. Eo Regum in Senatum benignitatem ſemper extitiſſe ſingularem: quamobrem ubi quid in rem publicam eſſe cenſuerit, id huic eos docere quandóque copiam fuiſſe, quod æqui, bonique conſuluerint: cæterùm iſthuc Senatui nullis Regni legibus tributum eſſe, quas uni Regi ferre, atque abrogare liceat. Privilegium de Mazarino latum nuper, & in Senatu promulgatum, quo procul ab Regno, Aula, & Conſiliis Regis ut eſſet, cavebatur: factum id quidem ab Rege pacis, & concordiæ cauſa, atque avertendo civili bello. Priùs ſponte exulatum abiiſſe Mazarinum, magis uti Gaſtoni, aliiſque animum expleret, atque adeò res publica quieta foret, quam quò ſibi ullius rei perperam geſtæ conſcius eſſet. Sed id quoniam fruſtrà ſit ab eo factum, neque eo minùs bellum civile conſecutum, non eſſe Regi conſilium, quod ſua modò, & rei publicæ cauſa Mazarinus fecerit, id huic, & ſibi diutius obeſſe.

Jam ſatis ſcire Regem, atque perſpicere eos quidpiam ampliùs quàm Mazarini exilium exoptaſſe, qui hoc exulante nihilò ſeciùs civile bellum moverint, cui ſimul, & externo ſuſtinendo quamobrem Mazarini conſilio, atque opera non utatur, nihil ſatis cauſæ videri. Id profectò longè æquius eſſe, quàm Condæum ad Hiſpanica, quæ accerſiverit, & Belgica, quæ miſerit poſtulatum, auxilia, atque fœdera deſcendiſſe. Mazarinum ſua virtute, & ob merita in Regem, & rem publicam jamdiù civem factum: Hiſpanos, & qui pareant iis Belgas, eos acerrimos, atque ſempiternos Galliæ hoſtes eſſe, quibus ſimul, & peſſimis qui cum his conſentiant civibus uti reſiſtatur, Regem negotium dediſſe Mazarino, uti Germanorum conſcriberet copias, eaſque ad ſe deduceret, ſcilicet uti cujus abſentia avertendo civili bello parùm profuerit, hujus præſentia defendendo proficiat.

Hæc ignoraſſe Senatum, ubi tot, tantaque in Mazarinum decreverit: quod ſi rei publicæ ſtudio fecerit, laudandum, modò ut his quæ legibus comparata ſunt, ſtetiſſet, neque ad nova, atque antehàc inaudita deſcendiſſet. At ubi per eos reſciverit Mazarinum Regis voluntate cum copiis Regni fines ingreſſum, juſſumque ad ſeſe venire, tunc certè quieturum. Cæterùm Mazarinum quæ in ſe ab inimicis, atque obtrectatoribus jactata ſint, ea uti ſibi confutare liceat, vehementer

1652. *poſtulare, quâ de re quid ſibi porrò videbitur, Regem facturum uti Senatus ſciat. Intereà & qui imperat, & qui parere debeant, in eâdem ſententiâ de re publica eſſe debere, atque hos in illius ſententiam diſcedere æquiùs, quàm contrà eſſe, neque Senatus quæ ejus prudentia ſit, aliter factum uſquàm velit. Pergite igitur more, inſtitutoque veſtro Regem ſicuti par eſt colere, obſervare, atque huic obedientes eſſe, neque committite ut adversùm ea quæ ſentiat, animum obfirmare velle videamini: ſi vos ita quemadmodum Rex ſapientia veſtra fretus confidit, geſſeritis, ejus certè gratia, atque benevolentia erga vos æterna erit.*

Cum hoc reſponſo Bellevræus, atque alii dimiſſi: de Bitaltio ſibi curæ futurum Molæus recepit, qui poſt paulò emiſſus cuſtodiâ ab Hocquincurio ad Urbem rediit. Sed hæc ubi ab Bellevræo Senatui renuntiata, hic nihilò clementior in Mazarinum fuit: ſed recitatis multarum Regni Curiarum litteris, quibus ſignificabant eadem in eum quæ Senatus antehàc decreverat, ſeſe decreviſſe hujus prærogativam ſecutas, viſum ut his de rebus poſtridiè referretur. Quas litteras Rhedonenſis Curia ad Senatum de Mazarino dederat, iis ſimul querebatur graves injurias ſibi ab Melleraïo, qui Provinciam Legatus obtinet, factas, poſtulabatque uti ſe Senatus conjunctum ſecum vellet, quo huic de his injuriis fieret ſatis, intereà ut ne Diploma regium quo Melleraïus Dux, & Par Franciæ creatus fuerat, in acta ſua referri ſineret.

Poſteà quàm iis de rebus relatum poſtridie eſt, Senatus decretum fit, uti denuo quanta rei publicæ mala ex Mazarini reditu impendeant, Rex ſcripto edoceretur, intereà quæ in illum edicta, quæque decreta fuerant, ea rata, firmaque eſſent, ad cæteras Regni Curias reſcriberetur, ut idem decernerent, nulla quibus aut Equitum Tribuni, aut Duces, ac Pares Franciæ crearentur regia Diplomata in acta Senatûs referrentur, quamdiù Mazarinus in Galliâ eſſet, nec ſingillatim id pro Melleraïo fieret, antequàm de injuriis Rhedonenſi Curiæ faceret ſatis. Aderant in Senatu Gaſto, Belfortius, Briſſacus Duces, ac Franciæ Pares, prætereà Hoſpitalius Præfectus Urbi, atque Fertimbaltius Stampæus ambo Equitum Tribuni. Sed hic Gaſtonis cliens erat, qui ſententiam dicendo inter alias res jecit, uti Mazarinus ab Aulâ, & Regno certo pellatur, Senatu cum Gaſtone per fœdus conjuncto opus eſſe, aliter quæcunque eâ causâ fierent, ea omnia fruſtrà futura.

Id ab Stampæo dictum excepêre alii, atque in ſententiam addidêre, *Aut Regi de Mazarino planè obſequendum, ſerviundumque huic homini, aut ſi hunc porrò pellendum Senatus cenſeat, ac rem publicam ab ejus impotentiſſimo dominatu, & immani avaritia liberandam, quod Stampæus autor ſit, id omninò faciundum videri: nam verba ferro, atque decreta armis opponere ridiculum eſſe: quemadmodum ad opprimendam rem publicam, viros Principes, Senatum, atque omnes bonos peſſumdandos armatus Mazarinus ſit, ita illos ad prohibendam injuriam perinde armatos eſſe oportere. Gaſtonis, & Condæi virtutem Senatûs autoritate, atque fœdere fulciundam, ad quod cæteræ Regni Curiæ, ac denique Ordines omnes acceſſuri ſint, quorum conſenſu futurum, uti victus denique Rex quæ de Mazarino jure edixerit, ea rata, firmaque eſſe velit, atque hujus hominis*

hominis artibus quibus ſicuti præſtigiis circumventus ſit, expeditus, atque explicatus, quod rectum ſit, ac rei publicæ utile, id claris, neque quoquam interpoſito impeditis oculis videat: peſſime conſultum rei publicæ, ſi quemadmodum Mazarinus fidem ſuam nihili faciat, hanc pro lubidine, atque ex commodo mutare ſolitus, ita Regem ſuam nihili pendere doceat, quod ut ne fiat, neceſſe videri Senatum in ipſius Mazarini negotio ſummopere intentum eſſe, ac providere, ut ne peregrina fraus in rem publicam, ſi denuò ab advena, atque hoſpite geratur, antiquæ virtutis, atque integritatis loco invehatur. Nam mutua Regis in cives, & civium in Regem fide, ſtare rem publicam. Hæc à multis in Senatu dicta magnam movere contentionem, unis pro fœdere, aliis contrà ſentientibus, donec Memmius, atque Novio Præſides tantâ vi, atque gravitate orationis in illam invecti ſunt ſententiam, ut hanc planè ſubverterint: Senatum enim decebat partium expertem eſſe, atque uni rei publicæ conſulere velle videri. 1652.

Sed hæc Fertimbaltii ſententia, atque alia ab Gondio, & ab hujus amicis dicta, factaque ſuſpicionem injecère Condæi clientibus qui ad Urbem erant, Gondio conſilium eſſe, uti Gaſto ſuam ſibi ſingillatim Sectam inſtitueret, facto cum Senatu, ac cæteris Curiis cùm in Urbe, tùm in provinciis fœdere: præterea ex Aulâ complures qui Mazarinum odiſſent, illi adhæſuros ſperabat, qui Condæo adhærere nollent. Sed iſthuc Chavignius, atque alii Condæi amici diſturbavère, docentes Gaſtonem utriuſque maximâ intereſſe, uti conjuncti manerent: amborum eódem tendentium opes eas eſſe, quas Aula formidet, ſi dividantur, infirmiores fore, ac faciliùs alterum aut cogi, aut adduci poſſe, uti cum Aulâ conveniat: quamobrem & tutiùs, & honeſtiùs videri, conjunctos eſſe porrò ambos, & in commune conſulere.

Henricus *a* Chabotus Rohanus Andes Provinciam eâ tempeſtate obtinebat, cui Juliomagus caput eſt, urbs cum arce ſatis firmâ. Is Gaſtonis, & Condæi partes ſequebatur, qui utrique ſervire ſtudens dedit operam, uti quemadmodum arcem ſatis valido præſidio tenebat, ita & urbs eſſet in poteſtate. In hac erat Epiſcopus Henricus Arnaldus vir pius, & Carolus Boilevius Prætor, ambo ſicuti par erat Regi fidi, præterea Mazarino amici, per cujus gratiam Arnaldus Andegavenſem, Boilevii frater Abrincatuorum Epiſcopatus adepti erant. Fortè Arnaldus aberat, quem redeuntem Rohanus Urbe prohibet, Boilevium in cuſtodiam conjicit: frater Abrincatuorum Epiſcopus vir impiger apud Lutetiam Pariſiorum erat, is per libellum Senatum edocet, quid in fratrem ab Rohano factum ſit, poſtulans uti de eo quæratur: Senatus hujus rei commentarium uti geſta eſſet, ab duobus è Curiâ Præſidiali Andegavenſi Conſiliariis perſcribi, atque ad ſe mitti jubet, quo perlecto quid ampliùs faciundum videatur, decernat. Poſt paulò Rex ad Senatum ſcribit de Rohani defectione, ſimul de Nemoroſii profectione in Belgium, uti Germanos, & Lotharingos qui Regi Hiſpaniæ merebant, & qui nuper eâ fortaſsè gratiâ apud Vervinum hyemare voluerant, in Galliam adducat, præterea de copiis quæ injuſſu ſuo ſcribe-

a Chabot, Duc de Rohan.

1652. bantur: nam Gaſto delectum in Urbe, atque aliò habebat. Eo Senatus decreto cavit, ut ne quis copias Regis injuſſu ſcriberet, duceretve.

Hæc duo decreta de Prætore Andegavenſi, atque de novis delectibus Gaſtonem offendêre, quorum alterum in Claſſe rerum capitalium, alterum in majori Claſſe factum fuerat: ſed ſi de utraque re frequens Senatus convocatis omnibus Claſſibus haberetur, quæ decreta fuerant, ea irrita fore ſperabat: cæterùm, *Robanum Julomago Præfectum, oppidum ſicuti par erat, in poteſtate habere voluiſſe: eò Arnaldum, & Boilevium pro Mazarino nitentes, alterum prohibuiſſe Urbe, alterum in cuſtodiam conjeciſſe, quamobrem collaudandus magis, quàm reprehendendus videatur. De copiis quas Nemoroſius quæſitum eat in Belgium, non eas Hiſpanorum, ſed Germanorum eſſe & Lotharingorum, qui mercede militent: has æque ſibi, ac Regi Hiſpaniæ conducere copiam eſſe, ſcilicet pridem rogatum ab Senatu, uti Mazarini conatibus obſtet, atque ea gratia quantas opus ſit, copias comparet. Id ipſum ab ſe fieri, quamobrem mirum videri ab majori Claſſe decretum, ut ne quis Regis injuſſu copias ſcribat, ducatve. Quod quidem ut ne ſibi, ac rei publicæ fraudi ſit, ſimul & quod de Boilevii negotio rerum capitalium Claſſis decrevit, ineunda ratio videatur, atque id frequenti Senatu convocatis omnibus Claſſibus fieri poſſe.*

Bailleulius quod in majori Claſſe decretum eſſet, de eo iterùm frequenti Senatu referri poſſe negavit, idem Novio de eo quod in rerum capitalium Claſſe ſit decretum ait, ſed uterque fruſtrà fuit, Junioribus clamore, atque impetu contrà tendentibus. Itaque Bailleulius invitus Cognitorem, atque Actores regios pro more, ſi quid eâ de re dicendum habeant, expromere jubet. Hi poſtulavêre uti qui ad Urbem Epiſcopi ſint, eos Senatus faceſſere jubeat, & in Diœceſes quiſque ſuas proficiſci, rem divinam ſicuti deceat, curatum: eos conventicula, & conſilia de re publicâ habere contra jus, faſque, cùm neque ipſis, neque ullis aliis convenire uti de re publicâ conſultent, uſquàm liceat. De copiis quas Nemoroſius ſit adducturus, eæ uti finibus arceantur ab his qui provincias obtineant, ab oppidorum, atque arcium Præfectis, ab civibus, atque omnibus aliis. Sed hæc ab Cognitore, atque Actoribus regiis rectè poſtulata eorum fraude qui Gaſtoni, atque Condæo favebant, irrita fuêre, hi enim aliorum negotiorum ſpecie perfecêre, ut ne tùm ſententiæ rogarentur.

De Nemoroſio in Belgium profecto ita ſe res habet: poſtquàm Condæus diù ſibi perſuaſerat Turenam ad ſe denique rediturum, qui ſuis veteranorum, & quas his Hiſpani conjuncturi erant, copiis Imperator foret, atque ea ſpes hunc fruſtrata fuerat, Nemoroſium clàm Burdigalâ miſerat ad Urbem, qui Gaſtonem viſeret, cuncta ſua conſilia cum eo communicaret, atque ex hujus ſententiâ in Belgium properaret, inde quas diximus copias in Galliam adducturus. Hic celeriter mandata efficit, ſed quoniam Condæus certior ab amicis factus fuerat, Gondium res novas moliri, atque Gaſtonem abducere conari ab fœdere, quod inter ambos ictum fuerat, Nemoroſio mandaverat, ut id cum Gaſtone renovaret, quod ex ſententiâ factum eſt, atque iterùm de pel-

lendo finibus Mazarino, ac de dandâ operâ ut inter ambos Reges pax ſanciretur, convenêre. 1652.

Rex nuper ex Conſilii ſententiâ edixerat, uti quæ pecuniæ ex omnibus tributis, vectigalibus, portoriis corrogabantur, tàm in Urbe, quàm aliò, eæ in Aulam adveherentur, in belli quod gerebatur domi, foriſque, & regiæ domûs ſumptus, nullâ habitâ aliorum ſumptuum ratione, in quos deſtinatæ antehàc fuerant. Ea res & Senatûs, & populi animos commovit, quoniam Urbanarum uſurarum ſolutiones pro creditis olim Regibus pecuniis deſinere neceſſe erat, prætereà ſtipendiorum quæ annuatim Magiſtratibus è pecuniâ regiâ pendi ſolent, & quæ ad victum, cultumque quotidianum pleriſque neceſſariæ ſunt. Igitur Senatus deligendos ex ſingulis ad Urbem Curiis quoſdam cenſet, qui in B. Ludovici Conclave ſicut antehàc factum ſit, conveniant. Sed Rex nihil ſe conſilii habuiſſe de non ſolvendis Urbanis uſuris, aut Magiſtratuum ſtipendiis ad Senatum, & Urbanos Magiſtratus poſt paulò ſcribit, quo factum eſt, ut is in B. Ludovici Conclavi futurus conventus tum omitteretur.

Intereà Mazarinus relicto in ſtativis Broglio, atque omnibus quas adduxerat copiis, ipſe cum Hocquincurio, & Grancæo Equitum Tribunis, Coſſæo, Navaillio, Manicampo, Quincæo, atque aliis, & qui præſidio eſſent paucis equitum turmis Auguſtoritum Pictonum contendit. Fortè quâ Mazarinus adventabat Rex foris ab Urbe rhedâ vectus exierat: unà fuere Philippus frater Andium Dux, Thomas vir Princeps Sabaudiæ Ducis patruus, atque omnis de more ſequebatur Nobilitas. Ubi Mazarinus venerabundus appropinquabat rhedæ, Rex hâc exſcendens hominem complectitur, ac benignè appellatum ſecum in eâdem rhedâ deducit ad Urbem, atque ad Annam matrem, quæ huic ex animo adventum gratulatur, mulier in amicitiâ quam multis, ac magnis in hanc, in Regem filium, atque in rem publicam meritis Mazarinus promeruerat, conſtantiſſima.

Poſt paulò quid optimum factu eſſet, conſultatum, utrùm videlicet ad Urbem movere, atque eò fovere ſtudia bonorum in rem publicam, atque horum exemplo, & operâ, dein vicinitate regii exercitûs Gaſtonem, & qui cum eo ſentiebant, in viam reducere, quas Nemoroſius adducturus erat copias, eas prohibere finibus præſtaret, an properare in Aquitaniam, inclinatam Condæi fortunam proterere, omni Galliâ pellere hominem, atque adeò efficere, uti quod civile bellum gerat in patriæ ſinu, id externum deveniat, hoc cum Hiſpanis extra Regni fines conjuncto? Cum iſthuc ſatis Reginæ placuiſſet, Mazarino, atque Caſtronovano, atque adeò in Conſilio regio fuiſſet conſtitutum, poſtremò tamen Rohani quæ tum nuntiata eſt defectione adducta Regina, atque Mazarinus Regi autores fuêre uti Salmuriam properaret. Id oppidum ad Ligerim eſt, de quo antehàc memoravimus. In propinquo haud procul ipſo Ligeri Juliomagus ad Meduanam amnem poſitus eſt, oppidum magnum, atque valens cum arce ſatis firmâ, tametſi non ad hodiernum morem exædificata.

1652. Ad Salmuriam ſeu fortè, ſeu conſultò profectio inſcio Caſtronovanō decreta fuerat, quo, atque aliis de cauſis poſthaberi ſe, atque contemni arbitratus, aut potiùs ſuſpectum eſſe Reginæ, ac Mazarino, ſeu denique animum inducere nequibat ſocium in re publicâ adminiſtrandâ quemquam habere, ab Reginâ poſtulavit, uti ſibi ab Aulâ diſcedere liceret: quod ubi ſemel, atque iterùm, dein tertiò flagitavit, neque quidquam ſatis certi reſpondebat, poſtremò idem ſtudioſiùs facere pertendit, donec de profectione continuò fatiganti Regina reſpondit, uti Regi filio conſilium ſuum aperiret, qui ab matre, & ab Mazarino monitus hominem ex ſententiâ dimittit. Ita ultimùm Carolus *a* Albaſpinæus Caſtronovanus ab Aulâ diſcedit, vir integer quantùm licebat inter Aulæ tricas, quibus ſervire planè neceſſe erat, omnis rei publicæ prudens, gnaruſque, pecuniæ negligens, honoris, ac potentiæ avidiſſimus, non ſocii, nedum ſuperioris patiens: huic neque doctrina, neque eloquentia fuêre, cæterùm ingenium firmum, validum, ac propiùs ferociam, quæ tamen ferocia ab mulieribus facilè flectebatur, quibus multa obſequi ſolebat, hæc de Caſtronovano dicere viſum, qui biennio poſt diem ſuum obiit.

a De l'Aubeſpine, Marquis de Chaſteauneuf.

Ubi Mazarinum in Aulam rediiſſe, atque Regem in Aquitaniam venturum ſicuti primò decretum fuerat, Burdigalæ auditum, ibi verò Senatus providere, parare, feſtinare, neque omittere quidquam, quod ad bellum ſuſtinendum, ac defendendum uſui foret: qui boni, fideleſque Regi videbantur, eos Urbe pellere, moliri, munire, addere muris propugnacula, annonæ, atque commeatibus dare operam, nihil plebes quod ad ſumptus pecuniæ ſatis eſſet, abnuere, ſed hæc ſeu ſponte ſuâ, ſeu ab Condæi amicis, ac clientibus impulſa circulos, ac conventus habere cœperat, rata videlicet haud ſatis rectè rem publicam ita in unius Senatus manu eſſe, ut ne ad populum uſquàm pertineret. Eo Senatus circulos, ac conventus haberi prohibuit, quæ res ſicuti fermè vetita horum ſtudium auxit, & quia eò fiebant, quò frequentes Ulmi fuêre, ſub quarum opacitate, atque umbrâ ex multis circulis unus denique effectus eſt, hunc Ulmeam appellavere. Huic circulo, aut populi Conſilio fautores erant *b* Gourguius Præſes, ac Conſiliarii Blancus, Malvicinus, Spagnetus, Raimundus, Ducus, atque alii, quorum operâ Condæus Burdigalenſes ſibi porrò æquos habere ſtudebat, metuens videlicet, uti vi boni, ac recti victus denique Senatus ab ſe diſſentiret, ac cæteros exemplo ſuo ad æquiora pertraheret.

b De Gourgues, Preſident. Le Blanc. Mauvoiſin. Eſpaignet. Raymond. Duduc.

Ubi Rex Salmuriam advenerat, quò hunc profectionem antehàc decreviſſe poſthabitâ Aquitaniâ diximus, uti videlicet illam provinciam Rohani defectione turbatam pacaret, neque copia erat ſimul Nemoroſio qui propediem cum Condæi veteranis, atque huic datis Hiſpanorum copiis venturus erat, obviam ire, atque has arcere finibus, ad Senatum dat litteras, quibus ſignificabat, *Quas habebat in Andibus copias, eas ſibi pacandæ provinciæ opus eſſe: quæ in finibus Belgium verſùs antehàc fuerant, eas pleraſque partim ab ſe, alias ab rebellibus, aut qui his faveant, ſeductas:*

quæ reliquæ ſint paucas, ſed firmas eſſe, quibus ſi Patres decretis ſuis opitulari velint, atque judicent eos hoſtes eſſe, qui cum Hiſpanis conſilia conferant, qui copias ab his ſibi datas in Galliam adducant, qui alias in Gallia injuſſu ſuo ſcribant, atque ita cuncti ubi factio, ubi res publica ſit dignoſcere poſſint, confidere haud facile fore Nemoroſio per Regni fines agmen ducere, atque id multitudinem ubi hoſtes eſſe per Senatûs decreta cognoverit, regiis copiis adjutam haud difficulter prohibituram. Quæ rectè, atque ſalubriter cogitata, ſcriptaque ad Senatum, eorum qui Gaſtoni, & Condæo favebant, malitiâ corrupta ſunt, prohibentium ut ne de Regis litteris referretur: quod ſi factum foret, providebant omnes in hoc Ordine vi æqui, boniquе adductos ex Regis ſententiâ decreturos. 1652.

Igitur ubi litteræ in Senatu recitatæ, Gaſto, *Harum ſcriptorem Mazarinum eſſe ait, qui cum ab omnibus Curiis Senatûs prærogativam ſecutis hoſtis judicatus ſit, hunc perſequi ſibi conſilium eſſe, non privato odio, cujus nullas cum eo cauſas habeat, ſed quia ita Senatui viſum, ab quo rogatus ſit communem, & rei publicæ, & omnium bonorum hoſtem pellere finibus, atque ea cauſa copias augere, atque alia neceſſaria facere: eo ſe copias ſcripſiſſe, & quæ aut ſuo, aut filii nomine antehàc Regis voluntate conſcriptæ ſint, eas ſimul Belfortio tradidiſſe, qui Senatus decreta de Mazarino exequatur: eo Germanicas, ac Lotharingicas Belgio evocatas, quas mercede conduxerit: idem ab Mazarino factum, qui Germanos ſecum adduxerit in Galliam: hos cuilibet merere conſueſſe: tùm hoſtes fuiſſe, cùm Hiſpaniæ Regi meruerint, nunc cùm ſibi mereant, amicos, ac ſocios factos. Nihil in hoc omni negotio ſua, ſed rei publicæ cauſa facere, quæ ubi ſalva Mazarini diſceſſu fuerit, continuò poſiturum arma: quod uti certius, firmiuſque ſit, poſtulare ut iſthæc ab ſe dicta in acta Senatûs referantur.*

Gaſtonis orationem excepit Talonus pro Cognitore regio, dixitque, *Mazarinum omnium Regni Curiarum decretis, ac mortalium propè omnium ſententiis damnatum, quin Aula, atque omni Gallia pellendus ſit ambigere neminem. Id flagitare omnes bonos, id Senatum decreviſſe, ſimul uti Rex ſcripto edoceatur, quid ex ejus reditu detrimenti res publica captura videatur, eidemque ſupplicandum, ut hunc denuò finibus egredi jubeat, atque huic omni Gallia interdictum velit. Sed non tamen æquum eſſe, ut ea cauſa delectus habeatur, & exercitus conſcribatur, quoniam iſthæc ad Regem modò attinere Senatus probè intelligat, atque adeò Majeſtatis reum eſſe qui privato conſilio, aut Regis injuſſu talia incipiat, nihilo periculoſiora rei publicæ quàm Mazarini reditum. Sed hæc ut ex neutra re quidquam detrimenti capiat providendum videri, quod æquè Patribus curæ eſſe deceat: alteri proviſum iri eo ſcripto quod ad Regem inſtituatur, alteri ſi Senatui decernere placeat quod in delectibus habendis, parandis, ac ducendis exercitibus, legibus comparatum ſit, id ut ab cunctis obſervetur, qui ſecus faxit jure in eum agatur, poſtulare denique ut ea de re ſtatim referatur.*

Hæc præterea ſcripto ab Cognitore regio Senatui tradita ſunt, is eſt Nicolaus Fouquetus Mazarino amiciſſimus. Sed huic eâ tempeſtate palàm favere nemo in Senatu poterat, qui ſe ſalvum, & honeſtum vellet. Itaque neceſſe erat, quæ ad eum attinerent, ea arte tractare, Senatum ſpecie rei publicæ, atque legum deterrendo, ut ne cum Gaſtone, &

1652. Condæo de bello civili ſentiret, præterea dictitando, *Quæ de Mazarino decreverat, ea conſtantia, & firmitudine animi, perpetuiſque apud Regem admonitionibus, ac ſupplicationibus tuenda: nam Senatûs autoritatem ubi leges valeant, & ipſam valere, ubi valere deſierint, & ipſam deſinere: at leges inter arma, ac maximè civilia planè interire, neque committendum ut hæc uſquàm Senatus comprobaſſe videatur. Integram uſque hujus Ordinis adversùm Reges fidem, aut ſicubi labefactata fuerit, vitio temporum, ac prorsùs difficili inter rectum, pravumque diſcrimine accidiſſe, cæterùm hanc nunquam exutam voluiſſe. Poſtremò uti quidpiam mali in re publica corrigas, maius malum admittere fas non eſſe: at bellum civile omnium malorum eſſe cumulum.* Hæc, atque alia hujuſcemodi Talonus dicendo quò veriora erant, eò minùs obtinuit uti de regiis litteris referretur, tametſi annitente, atque contendente ut id fieret Bailleulio, qui tum Senatum habebat: contrà nitebatur Gaſto, atque intereà abiit tempus, quo Senatus haberi ſolet, quem adeò pro more dimitti neceſſe fuit.

Poſtridiè Gaſto non iit in Senatum tertianam cauſatus, quamobrem adeſſe nequiret: quo factum eſt, ut in biduum res differretur. Calend. Martiis Gaſto in Curiam tardiùs venit, conſultò ut ne de litteris referendi ſpatium foret, atque eadem quæ antehàc dixerat, ſcripto tradidit, poſtulavitque iterùm ut in acta Senatus referrentur. Placebat pleriſque id continuò fieri, dein de Bitaltio, & Geniero referri, qui Mazarinum, atque Hocquincurium reos agebant autoritatis Senatûs in ſeſe violatæ. Bailleulius de litteris regiis ſicuti Cognitor regius poſtulabat, & de ponendis ab Gaſtone armis ſtatim atque Mazarinus Regni finibus deceſſiſſet, ſicuti profeſſus fuerat, referendum aiebat, neque id niſi rogatis Patrum ſententiis in acta Senatus referri poſſe: ita alteri cum alteris altercando tempus conſumpsêre, dimiſſuſque Senatus eſt, dein aliorum negotiorum ſpecie annitentibus iiſdem Gaſtonis, & Condæi fautoribus ea res denique omiſſa, cæteris aut odio, aut certè tædio Mazarini in iis quæ ad Regem pertinebant, quando & ad illum pertinere videbantur, remiſſioribus: neque erat omnium quiſquam, quin hunc re publicâ ſalvâ amandatum vellet, etiam per civile bellum, modò ut ne id Senatus comprobaſſe videretur.

Inter hæc Gondium Romæ Cardinalem factum nuntiatum eſt, quâ de re ad Pontificem Regem ſcripſiſſe ſuprà memoravimus, autore Mazarino, qui eo Gondium ſibi devinctum volebat, atque adeò apud Gaſtonem dare operam, ut hic nihil poſthàc ſuo in Aulam reditui obſtaret, ac præterea uti Gaſto ab Condæi rationibus ſuas ſejungere vellet. Sed nullum ex re tantâ Mazarini adversùm Gondium meritum fuit, nam qui ſe dolo hanc ab illo expreſſiſſe crederet: præterea nihil ſe obligatum Mazarino volebat, ſibi conſcius tunc cùm maximè poſt adeptum Cardinalatum hunc Aulâ pulſum, atque ſe in ejus locum ſuffectum velle. Ad hoc tantus fuerat Gondio metus, uti Mazarinus ſecum ſicuti antehàc fecerat, de Cardinalatu iterùm mutaret fidem, parataſque apud Valancæum Romæ Legatum Regis haberet litteras, quibus alteri hunc

honorem peteret, ut ei rei prævertendum exiſtimaverit. Eâ gratiâ 1652. Olympiam quam ex affinitate plurimùm apud Pontificem valere diximus, donis aggreſſus fuerat, ut ejus operâ Cardinalium creationem maturaret, perficeretque ut hæc inſcio Valancæo fieret, neque adeò opportunitas eſſet alias Regis litteras Pontifici reddendi, ſi quas fortè haberet, quibus Cardinalatum alteri quàm Gondio peteret. Romæ Gondius hujus negotii curatorem habebat fidum, quem ſecum Valancæus congruiſſe ad cæteros ubique Regis Legatos, atque adeò ad me qui tum apud Helvetios eram, ſcripſit, ac compoſitò inter ambos factum, ut hic de Gondii negotio rariùs, ac veluti per ſimulationem Pontifici loqueretur, qui properantiùs rem confecturus videbatur, ſi hanc Mazarino ægrè fore crederet, nam inter ambos veteres, atque maximæ ſicuti antehàc memoravimus, ſimultates erant: cæterùm utrùm id Valancæus ſcripſerit verè, an uti rem Mazarini voluntate confectam ſimularet, incertum eſt.

Ab Salmuriâ Rex Hocquincurium Juliomagum versùs miſit, cum alis equitum duabus, gravioris armaturæ turmâ unâ, levioris duabus, ſclopetariis equitibus aliquot, quos Hocquincurius, atque Legati cuſtodiæ causâ habere ſolent: prima ad Belfortium oppidum habuêre caſtra, quò Hocquincurius ab Rege litteras accepit, his Hocquincurium monebat qui boni, fideleſque manſerant apud Juliomagum, eos operam daturos, ut una ex oppidi portis eſſet in poteſtate, quâ régios ſi quo modo fieri poſſet, introducerent. Illi pauciores erant in Urbe, plures ut ferè fit, ad pravum abſtrahente naturâ, rebelles fuêre. Poſtridiè Hocquincurius caſtra propiùs Urbem habuit, quò nobiles centum ab Normanniâ advenêre duce Grancæo Equitum Tribuni filio. Is objecta extremo ſuburbii vico clauſtra fruſtrà tentavit, quò unus, aut alter ex nobilibus vulnerati ſunt: quin & eruptionem fecêre hoſtes, ſed ſubitò receptui canere coacti Nobilitatis maximè operâ, quæ eò voluntate militabat gloriæ avida.

Dein ubi ad caſtra advenêre pedites, quinque videlicet Prætorianorum Centuriæ, Hocquincurius tùm ſuburbium oppugnare aggreſſus eſt: propugnabat cohors una cui Labarræus Tribunus fuit, ac prætereà qui ex oppidanis ſeditioſiores erant: hi ex ingenio gentis linguâ, quàm manu promptiores nullo operæpretio facto in oppidum receſsêre: regii vero deſertum ab hoſtibus ſuburbium ingreſſi, quà ad oppidi portam pertinet, munitionem exſtruxêre, ut hâc ab oppidanorum telis, atque tormentis tecti eſſent: nihilo ſeciùs tamen Hocquincurii filius minore tormento quem falconem appellant, ictus occubuit, tanto patre digniſſimus adoleſcens, cui parentatum eſt militariter, quin & hujus immaturæ necis dolor ad ipſos hoſtes tranſiit, quem Rohanus Hocquincurio quâ potuit inter arma conſolatione levare conatus eſt. Sed hic ubi paterno dolori, atque Rohani comitati ſatisfecit, ſicuti virum fortem, & Regi fidum decebat, rem publicam porrò benè, feliciterque geſſit.

1652. Pauciores habebat copias, quàm ut his expugnari, aut ad deditionem redigi oppidum poſſet: quamobrem ubi res incœpta eſt, Broglius cum copiis quas adduxerat Mazarinus, ad caſtra circùm Juliomagum venire juſſus eſt, ac Melleraïus rei tormentariæ Præfectus huic tormenta majora quatuor tradere, queis mœnia oppidi quati poſſent. Broglio ad caſtra venienti traducendæ erant Ligerim copiæ, quò hunc Meduana amnis influit, atque id difficile erat, cùm propter fœdam quæ tunc cùm maximè ſæviebat tempeſtatem, tum quia ad confluentes validum erat ab Rohano miſſum arcendis tranſitu regiis præſidium, prætereà naves eò armatæ in ſtatione fuêre. At *a* Broglius conquiſitis navibus quas paucas invênit, meridiano tempore quo infrequentes in navibus hoſtes fore ſatis ſcibat, traiecit copias, quæ nec opinantibus intervenêre: quamobrem hos facilè fudit, fugavitque, *b* Jarzæum è Melitenſi Militiâ, atque alios capit, dein Juliomagum verſùs ire pergit. Tum demùm Hocquincurius his copiis auctus, atque tormentis quatuor fretus oppidum oppugnare cœpit ſeriò: qui propugnabant, ii magis tormentis eminùs, quàm eruptionibus cominùs rem gerebant, quibus ictus Florinvillæ filius unicus occubuit.

a Le Comte Broglio.

b Le Chevalier de Jarzé.

Semel, atque iterùm Gaſto ad Rohanum miſerat qui hortarentur, uti bono, fortique animo eſſet, & quamdiù poſſet, Urbem, arcemque defenderet, Belfortium cum copiis, ac fortè Nemoroſium in tempore adfuturos. Nam hic inter Senatûs moras nihil adversùm ſe, atque exercitum quem ductabat, decernentis, per Regni fines nullo ſatis prohibente, uſquè ad Meduntam venerat, tametſi Ellebovius, Almontius-Villequierus Equitum Tribunus, *c* Igbius Britannus, & Nettancurius-*d* Valbecurius alius aliò copias haud procul Urbe haberent. Sed apud Meduntam Præfectus fuit Maximilianus Franciſcus *e* Bethunius Dux Suillius, qui ubi Nemoroſius oppido appropinquaverat, nihil cunctatus huic pontis qui eò ad Sequanam eſt, copiam fecit, quo ſine fraude copias traduceret. Id Suillium eo feciſſe aiebant, quod Seguierus Cancellarius ſocer iterùm Aulâ pulſus fuerat, quo hanc ſaltem hoc pacto, ulciſceretur injuriam.

c Le Baron d'Igby.

d Le Marquis de Vaubecour.

e De Bethune, Duc de Suilly.

Intereà Rohano apud Juliomagum cuncta domi, foriſque adverſa, atque aſpera fuêre, cives, atque hoſtes juxtà deditionem ſuadebant, aut extrema minabantur. In Belfortio, aut Nemoroſio nihil erat auxilii, altero ob copiarum paucitatem ceſſante, altero longiùs diſſito, quàm ut in tempore adeſſe poſſet. Itaque ſibi, ac præſidio quod in Urbe, atque in arce erat, conſulendum ratus utramque dedidit, pactus uti ſibi, atque præſidio ſine fraude abire liceret, & quæ oppidani deliquerant, ea ipſis impunè forent. Præter Juliomagum Pons Cæſaris in Andibus ab *f* Belvalle præſidio tenebatur, qui ſicuti Rohanus, Gaſtonis, atque Condæi partes ſequebatur. Pons Cæſaris oppidum eſt poſitum in Ligeris Inſulâ, altero ab Juliomago lapide, naturâ loci, atque operibus munitum: pons ligneus flumini, & Inſulæ impoſitus eſt, longiſſimo ab unâ ad alteram ripam ſpatio: eâ non eſt viſum Inſulam adire,

f De Beauvau.

quoniam

quoniam facilè pons interrumpi poterat, ſed navibus ab inferiori parte fluminis, quò Navaillius, & Broglius cum octingentis peditibus ab Hocquincurio miſſi exſcendêre, nihil prohibente hoſte, dein munitionem obductam oppido magnâ vi oppugnant, quâ brevî expugnatâ Belvallis deditionem fecit, atque ita pacata Andium provincia eſt. 1652.

Eâ re ex ſententiâ confectâ Rex Turonas petit, quò Franciſcus Harlæus *a* Campivalonus Rotomagenſis Archiepiſcopus, præterea Epiſcopi aliquot amici Mazarino advenêre: hi per Campivalonum juvenem acrem, atque facundum quæ ab Senatu decreta in Mazarinum eſſent, ea graviter expoſtulant, profana, impia, ſacrilega Patrum ora qui talia cenſuiſſent, ac prolocuti eſſent, appellando, flagitandoque uti Rex hujuſcemodi decreta neque rectè, neque ordine facta reſcinderet: non enim fas fuiſſe Senatui de Mazarino qui ex Ordine Eccleſiaſtico, & Cardinalis ſit, capitis ferre judicium: Molæus Procancellarius reſpondit, neque annuendo, neque abnuendo id Senatui jus fuiſſe, cæterùm homo prudentiſſimus eos docuit eſſe quod Regi gratias agerent, qui ex Conſilii ſententiâ jam edixiſſet, quid de hiſce in Mazarinum Senatûs decretis ſentiret. Id factum XVII. Calend. Februarias, quâ die ex Conſilii ſententiâ Rex edixerat Senatûs de Mazarino Decretum infirmum eſſe, quod neque ex hujus Ordinis diſciplinâ, neque ex præſcripto legum, neque more majorum, ſed ex lubidine, ac ſtudio partium factum eſſet: eo neque hujus bona, neque Bibliothecam ſingillatim, nedùm hunc rectè, atque ordine proſcriptum, quem adeò ſi quis violaret, haud ei impunè futurum: qui ex hujus bonis quidquam commercaretur ex Senatus conſulto, ei fraudi, & noxæ futurum, quod & rem domino reddere haud reſtituto pretio cogeretur, & ipſi decem librarum millium mulcta foret.

a De Harlay de Champvalon.

Rex ab Turonibus Bleſiam eſt profectus, quò Abel Servianus in Aulam Regis voluntate rediit: Lionnus ſororis filius Reginæ matris Scriba, & cujus operâ Mazarinus in re publicâ uti ſolitus erat, diutiùs abſuit. At Hocquincurius Bleſiam venit cum exercitu, qui circùm oppidum magno accolarum damno agitavit, omnia propter ſtipendii inopiam diripiens, atque haud ſecus, atque in hoſtico prædas agens. Sed hoſtes haud procul Ligeri in Vindocinenſi agro erant, quæ vicinitas metum fecit, ut ad Belgencium moverent. Oppidum eſt cum ponte ad Ligerim poſitum, cujus ſi potiti forent, vix ſine prælio Rex ultrà progredi Aureliam versùs potuiſſet, aut certè ab Belgenſio ſi eo ſtativa habuiſſent, crebris excurſionibus itinera infeſtiſſima reddidiſſent: quamobrem viſum, ut eò duceret Hocquincurius, atque ſtativa ipſe haberet.

Poſteà conſultatum ab Rege, utrùm Aureliam iret, an circumducto agmine ultrà pergeret: plerique boni, fideleſque in oppido erant, ſed *b* Surdius Marchio Præfectus infenſus erat Mazarino, ac plebem quæ ſæpiùs ſuâ ſponte inſanit, magis, magiſque accendebat, ut ne ſe Mazarino qui Regem comitabatur permitteret: id ſi faceret præſidium

b Le Marquis de Sourdis.

1652. urbi certò impoſitum iri, quod & alendum, & hujus nutu agitandum foret; Magiſtratus verò, atque prudentiores hortabatur, ut ne quid contrà Gaſtonis cui obnoxii eſſent, ſententiam facerent, quod poſteà feciſſe pigeret. Contrà miſſus ab Aulâ Aureliam fuerat *a* Graſſus Luardus Libellorum Magiſter, qui oppidanis ſuaderet fidem eorum adversùm Regem integram eſſe debere: huic obſtabat *b* Fliſcus, Fieſcum Comitem corrupto nomine appellant, eò miſſus ab Gaſtone, atque ita diſtracti Aurelianenſium animi quid ſibi faciundum eſſet, haud ſatis expediebant. Quâ de re Belfortius Gaſtonem fecit certiorem, ſimul autor erat, ut Aureliam venire properaret, exercitu cui ipſe Belfortius, & Nemoroſius præeſſent, fretum quidpiam operæpretiì facere poſſe: longè pauciores eſſe Regis copias, atque ad famam, opeſque factionis plurimum acceſſurum, ſi ille ipſe Gaſto rem publicam ſuſcipere, atque armis tegere videretur. Haud ita cenſuit Gondius, quem Radeſianum Cardinalem poſthàc appellaturi ſumus, clariſſimo cognomine, quod avus Albertus Gondius ductâ in matrimonium Catharinâ Claromontiâ Tonnerrâ præſtantiſſimâ fœminâ, quæ Radeſianum nobiliſſimum prædium poſſidebat, ſibi, ac poſteris quæſivit. Radeſianus igitur, *Apud Lutetiam Pariſiorum ſummam rerum eſſe* ait, *quam Gaſto deſerere videretur, ſi ab Urbe diſcederet: prætereà Senatûs autoritatem magnum ad hujus cauſam adferre momentum, quem cum eo conjunctum fama feret, quamdiù multus, frequenſque Gaſto in Curia fuerit: at ſi foris agitet, non eamdem vim neque huic, neque Senatui fore, quam alter ab altero mutuetur: poſſe Aureliam mitti Annam Mariam Ludovicam Gaſtonis virginem filiam, cui ad confirmandos oppidanos, ipſamque tuendam Urbem ſatis, ſuperque animi ſit.* Comprobatum hoc ab Gaſtone conſilium eſt, atque illa provinciam cepit lubens, odio, atque ultionis ſtudio in Mazarinum accenſa eâ quam diximus de causâ.

a Le Gras du Luard.

b Le Comte de Fieſque.

Rex verò Aureliam haud ingredi conſtituit, ſed eò mittere Molæum Procancellarium, qui ſi reciperetur mœnibus, id ad famam haud alienati oppidi ſatis futurum, neque ſuſpectum fore oppidanis, cum Procancellarii comitatus pacis magis, quàm belli, aut præſidii ſpeciem oſtentet. Intereà ad Gergolium Turenam cum duobus millibus armatorum, ac prætereà quingentis præmittit, uti copiis omnibus quæ eò convenire debebant, Imperator eſſet. Gergolium oppidum eſt ſuprà Aureliam ad Ligerim, ſicuti Belgenſium infrà, cum ponte poſitum ad ſiniſtram amnis ripam, ab quâ pons ad dextram pertinet. Cum hoſtes nihil ad Belgenſium tentaſſent, eos aut ad Gergolium, aut ad Gianum, quod & ſuperiùs ad Ligerim poſitum eſt, quidpiam incœpturos ex copiâ rerum videbatur, ut ad Condæum commeare copia eſſet, ſingillatim Nemoroſio, cui conſilium erat exercitum quem in Belgio coëgerat, eò ducere. Sed id primùm diſturbare cœperat Radeſianus, ubi Nemoroſius in Veromanduis erat, regionis ejus Nobilitatem excitando, ut hunc, & quibus præerat copiis, eas arcerent tranſitu, qui ipſis maximè damnoſus fore videretur: ſed ea res deterrente Gaſtone Radeſia-

num ut ne contrà Condæum Nemoroſii exercitum diutiùs morando tenderet, dein fide ab Nemoroſio datâ Nobilitati pacatum agmen abſque ullâ prædâ per eorum fines tranſiturum, diſcuſſa. Ubi Sequanam Nemoroſius traduxerat copias, ad Houdanum ſtativa habuit, ab quibus ipſe cum Tavanio qui veteranis Condæi copiis præerat, Clinchano qui Lotharingicis, ac pleriſque cæterarum copiarum ducibus venit ad Urbem, quò pluſquàm Capuanis delitiis ſummâ Radeſiani voluntate retenti ſunt. Ita Regi ſpatium fuit pacare Andes, atque ad loca ſuprà Aureliam poſita ad Ligerim accedere; quo factum eſt, ut ne hunc amnem tranſire Nemoroſio copia fuerit, atque adeò hujus exercitus Gaſtonis copiis cui Belfortius Imperator erat, conjunctus ſit, ex Radeſiani ſententiâ, ut unius Gaſtonis auſpiciis bellum geri videretur. Id certè ad hujus gloriam, ac famam magnoperè pertinebat, quæ tantò amplior fuiſſet, ſi ipſe ad exercitum proficiſci, atque ita rem publicam ſuſcipere, ac per ſeſe gerere voluiſſet: ſed obſtitit ſicuti diximus, Radeſianus, qui Cardinalatum adeptus, tamen hujus inſigne, pileum videlicet purpureum ab Rege nondum acceperat, quo ſibi cum Aulâ leniùs agendum decreverat, neque hanc eâ tempeſtate per ipſum Gaſtonem tantoperè urgendam, ſufficere affatim copiarum oſtentare Mazarino, ut ne ſibi impunè injuriam facere poſſe crederet. 1652.

Turenam memoravimus ab Rege præmiſſum ad Gergolium, uti copiis quæ eò adventuræ erant, Imperator eſſet: hunc Mazarinus ab Condæo ſejunxerat, atque ſibi adjungere magnoperè ſtuduerat hominem juxtà prudentem, fortemque. In Hocquincurio virtus quidem erat, ſed hæc fortaſsè nimia, ac præceps, cui per Turenam modum facere utile eâ tempeſtate rei publicæ fuit. Cum Turenâ Mazarinus Buillonium fratrem natu majorem ſibi item adjunxerat, operamque dederat, ut huic in æſtimationem Sedani, atque agri vicini, ac prætereà Raucurii quibus prædiis Ludovico XIII. Regi eâ quâ diximus de cauſâ ceſſerat, regia prædia ſicuti tunc convenerat, aſſignarentur: nam ea res partim ab Adminiſtris uſquè neglecta, cæterùm ab ipſo Buillonio nihil expetita, dum per Regis pueritiam, & perpetuas factiones, partes, turbas, & bella civilia aliqua Sedani recuperandi ſpes fuerat: ſed poſtquàm ex ephœbis exceſſerat Rex, tametſi bellum civile ab Gaſtone, & Condæo tunc cùm maximè movebatur, ſatiùs tamen Buillonius ratus eſt mutare rationem, nec hujuſmodi partes ſicuti uſquè fecerat, porrò ſequi: ita acceptis quæ in æſtimationem Sedani, atque Raucurii dabantur prædiis, quietus poſthàc vitam exegit.

Sed Buillonius Sedanum, ac Raucurium cum agris vicinis Regi tradendo, ut ne quid ſibi de priſtinâ quam obtinet Principis dignitate, decederet, ſibi ab Rege cautum voluit, quod ſummâ hujus voluntate factum. Henricus Turrius Buillonius Friderici Mauricii Turrii Buillonii, atque Henrici Turrii Turenæ pater ductâ in matrimonium Carolâ Lamarkiâ Sedanum, Raucurium, atque Buillonii Ducatûs partem in Campaniæ, & Lucemburgenſis agri finibus dotalia acceperat,

1652. ac poſt Carolæ ſine liberis obitum ſibi propria poſſederat, quæ ad Fridericum Mauritium Buillonium Ducem ſicuti paternæ hæreditatis bona tranſiêre: cùm autem hæc neque Galliarum Regi, neque Germanorum Imperatori, neque cuiquam omnium obnoxia ſint, qui ea poſſidet, is verè Princeps habetur, quo factum eſt, uti Fridericus Mauritius, atque Henricus frater verè Principes habeantur, ſicut & horum filii, nepoteſque futuri ſunt: nam hæc dignitas ab patribus qui hujuſmodi Prædia poſſedêre, ad filios pervenire ſolet, neque Turriis fraudi eſſe poteſt, quod his Prædiis Ludovico Regi ceſſêre, qui tamen eâ de re ut ne cui dubia eſſet, ipſis cautum voluit. Cæterùm Turrios ab Arvernorum Principibus ortos vir omnis antiquitatis ſcientiſſimus Chriſtophorus Juſtellus rectè demonſtraſſe videtur.

Eodem tempore Cæſaroduno Rex, & Lutetiâ Pariſiorum Anna Maria Ludovica Gaſtonis filia profecti ſunt, quo factum eſt, ut ille circùm Aureliam, hæc ad Urbem ipſam, & eodem tempore advenirent, nam utrimque Aurelia bidui itinere abeſt: cômitati ſunt virginem Rohanus, ac duo ex Senatu, Fouquetus Croiſſius, & Martinus Bermondus, prætereà nobiles aliquot. Ubi Aureliæ appropinquavit, ab alterâ ultrà Ligerim parte Procancellarius Molæus adventabat: clauſæ utrimque fores, atque ad portas oppidanorum armatorum ſtationes fuêre. In publicis Ædibus quid facto opus eſſet conſultabatur, neque id ſatis expediebant, cùm virgo moræ impatiens ad flumen flectit ſecundum oppidi mœnia: eò navicularii frequentes ferum genus, ac temerarium portulam quæ dudùm muro clauſa, atque obducta erat, hoc diruto aperiunt, atque eâ virginem introducunt: plebes accurrere, huic acclamare, gaudium, atque lætitiam de hujus adventu agitare; eam adveniſſe diceres, quæ quondam Urbem ab Britannorum obſidione liberaverat. Illa per mediam multitudinem hinc inde, circumſpectans, atque huic benigno vultu gratum eſſe quod faceret oſtentans, vadit ad Ædes publicas, quò cùm de ejus ingreſſu integrum amplius non eſſet, de Procancellario ut ne reciperetur mœnibus effecit: dein ad portam quæ in extremo ponte poſita eſt, ſuburbium versùs ultrà Ligerim progreſſa in Turriculas quæ ſuprà portam ſunt, conſcendit, atque inde Camplatruſium Procancellarii filium conſpicata hunc nomine inclamavit, oſtentans nihil eſſe quod Procancellarius Urbem ingrediundi ſpe eò diutiùs moraretur.

Ab Turonibus, Bleſiâ, aut Belgenſio per Carnutas brevius Regi ad Urbem iter fuiſſet, ſed huic non erat ſatis copiarum, uti Belfortio, ac Nemoroſio prohibentibus perrumpere poſſet: ad hoc Gaſto *a* Gruelum Lafretum Autricum Carnutum miſerat, quo oppidanos armaret, ac tranſitu regios arceret: ita ad Gergolium, aut Gianum ubi plures copiæ adveniſſent, Rex Ligerim tranſmittere neceſſe habebat. Sed hoc appropinquante Aurelia virgo in Aureliæ ſuburbio de ſummâ belli cum Belfortio, Nemoroſio, atque aliis Ducibus conſilium habuerat, in quo viſum fuerat Gergolium, aut ſi id minùs procederet, Gianum occu-

a Gruel de la Frete.

pare, nam utrobique pontis copia eſt. Id ſatis placebat Nemoroſio, cui conſilium erat traducere Ligerim copias, & ad Muronem ſolvendæ obſidioni, dein ad Condæum in Aquitaniam contendere. Igitur Belfortius ex conſilii ſententiâ ad Gergolium ducit: ſed eò Turena maturè advenerat, quo factum eſt, uti Belfortius fruſtrà fuerit, nam regii pontem quem ipſe acriter oppugnavit, æquè acriter defenſavêre, pauci tamen utrimque deſiderati, ſed magnum in *a* Siroto Barone hoſtes damnum fecêre, qui graviter vulneratus poſt paulò interiit, vir fortis, & belli ſcientiſſimus, qui Regi antehàc meruerat, ſed horum iniquitate temporum, & privatâ Gaſtoni obnoxius clientelâ hujus partes ſequebatur. 1652.

a Le Baron de Sirot.

Harcurium fine æſtivorum apud Tonaïum ad Carentonum amnem, Condæum haud procul in ſtativis fuiſſe diximus, dein ubi inde movit, primùm ad Saviniani-fanum, quod Tremolii, dein ad Briſembburgum quod Bironis prædium nobile eſt, tantiſper agitavit, & mox, Mediolanium Santonum, ac denique Ponſium venit. At *b* Bugius Caſtrorum Præfectus per exploratores factus certior Condæi copias in vicis longè inter ſe diſſitis eſſe, IV. Idus Januarias de quartâ vigiliâ vadato apud Merpinum Nayo amne, ad Brivam contendit, cum quingentis equitibus, præmiſſo cum quadraginta *c* Forillio è Melitenſi militiâ: eò *d* Dyrrachii Marchionis ala erat, cujus pars magna cæſa, alii capti, reliqui fuſi, fugatique: haud paulò diverſa Angiani alæ fortuna fuit, quæ deprehenſa, fuſaque eſt ab Crequii alæ equitibus. Inter hæc certior factus Condæus Harcurium moviſſe pugnæ avidum, Tremolium *e* Tarenti Principem in Santonibus reliquit, cum parte copiarum, qui Mediolanium Santonum, Tailleburgum, ac cætera quæ occupaverat oppida, caſtellaque obtineret: ipſe cum pleroque equitatu, atque expeditis peditibus magnis itineribus prælium vitabundus in Aquitaniam properavit, atque haud procul Burgo caſtra poſuit, diffiſus aliò contra Harcurii conatus ſeſe ſatis in tuto fore. Hic verò relictis apud Santonas *f* Beliero-pleſſio, qui Amblevillam, & *g* Belfonſio qui Barbeſieuxium caſtella oppugnarent, Condæum eſt perſecutus, tantâ adhibitâ celeritate, uti prius circùm Andreæ-fanum eſſet, Burgo haud procul, quàm ille de hujus adventu ſatis certus eſſet. Harcurius *h* Albaterreum è Melitenſi militiâ præmiſerat, qui caſtris idoneum locum deligeret: ſed is ab Balthaſaris equitum alâ pulſus fuerat, ſimul Condæus copias in aciem eduxerat, editiori loco, quo factum eſt, ut Harcurius has paucas eſſe perſpicere non poſſet, omnes enim eò convenire nequiverant, neque ubi poſteà advenêre, rem prælio committere Condæus auſus eſt; ſed ad Liburnum movit, atque eò copias Illam amnem traduxit, quo tutior hoc objecto adversùm Harcurium foret. Apud Liburnum refectis per dies aliquot militibus, Bergeracum duxit, quod oppidum ad Duranium amnem eſt, per Sectariorum bella celebratum, nam & naturâ loci, & operibus tùm validum, quæ juſſu Condæi pro temporis brevitate refecta ſunt.

b Le Marquis de Bougy.

c Le Chevalier de Fourille.

d Le Marquis de Duras.

e De la Trimoüille, Prince de Tarente.

f Le Marquis du Pleſſis-Beliere.

g Le Marquis de Belfons.

h Le Chevalier d'Aubeterre.

1652. Sanlucium diximus antehàc Proprætorem in Aquitaniâ operam dare juſſum, ut ne Montalbanum, atque Dueona Cadurcorum in poteſtatem hoſtium venirent. Is prætereà quidquid in rem publicam eſſe judicabat, id faciebat ſedulò, atque auctis copiis prohibebat ut ne hoſtes in Aquitaniâ inferiore quidquam damni rei publicæ inferrent. Contius haud procul Aginno ad Caudacoſtam habebat caſtra, circumſpectans ſi quid operæpretii facere copia eſſet: eò Sanlucius contendit, ſpem nactus quoniam Contius neque multas, neque ſatis firmas è novis delectibus habebat copias, rei benè gerendæ. Apud Miraduſium, circúmque Sanlucius haud procul Caudacoſtâ, ſimul & quos habebat pedites, equiteſque, ii ſicuti fermè noſtri ſolent, diverſi agitabant, quod his ſæpiùs fraudi fuit. Sed Condæus ſeu accerſitus ab fratre, ſeu fortè quid illìc ageretur reſciverat, eò properavit accedere, adeò ex improvisò, ut in mediis Sanlucii præſidiis eſſet, nequedùm hic cum tanto Imperatore ſibi rem eſſe ſcibat.

Sanlucius tamen nihil territus in colle edito, atque aditu difficili aciem inſtruit, peditum pluſquàm duo millia, ſeptingentos habebat equites, utroſque veteranos: tantumdem equitum Condæus, ac Contius habuêre, cum peditibus quingentis, tyronibus pleriſque, ac nuper conſcriptis: viſum adeò Condæo opperiri tormenta tria, quæ ab Aginno advehebantur: intereà levibus certaminibus conſumpta dies eſt, cúmque è regiis quidam capti, abductique eſſent, eos conſultò Condæus dimitti juſſit, ut in caſtris regiis ſciretur hunc adeſſe, ratus nominis ſui famam metum his adjecturam. Inclinabat ad veſperam dies, cùm Condæus frequentiores procurrere ſuos jubet, tum totâ acie fama percrebuit, hunc adeſſe more, inſtitutoque ſuo egregium, atque præclarum, quæ res regios in fugam dedit: equites maximè ad Leicturium intendêre fugam, pedites verò plerique cum paucis equitibus ad Miraduſium quod propius erat, recepêre ſeſe.

Id modò in Aquitaniâ ex priſtinâ fortunâ Condæo evênit: ſed hæc qualiſcumque victoria poſt paulò Harcurii adventu corrupta eſt. Ubi enim Harcurius Condæum ſicuti ſuprà memoravimus Liburnum compulerat, quò Illam amnem traduxerat copias, ibi ipſe in Santonas redierat, quò Ambleuillâ, ac Barbeſyeuxio caſtellis in deditionem redactis, reſtabant Ponſium, Tailleburgum, ac Mediolanium Santonum, quæ præſidiis Condæi tenerentur. Sed per *a* Albaterreum è Melitenſi Militiâ Ponſium recepit, deditum ab Hiſpanis qui defenſabant ducentis; dein *b* Montalſiero, & Belieropleſſio de Mediolanio Santonum, ac Tailleburgo negotium dat, ut hæc maturè oppugnarent, ipſe de incommodo ab Sanlucio accepto certior factus properat ad Condæum.

a Le Chevalier d'Aubeterre.
b Le Marquis de Montauſier.

Hic circùm Miraduſium habebat caſtra, quò Campanica, atque Lotharingica Legiones receperant ſeſe, unà cum *c* Marino Comite Caſtrorum Præfecto, & *d* Covongio Tribuno Lotharingicæ Legionis, quibus Condæus priſtinæ fortunæ memor hanc unam ferebat conditionem, uti ſeſe huic permitterent, quod hi tametſi loco infirmo de-

c Le Comte de Marin.
d De Covonge.

prehenſi abnuebant. Miraduſium enim vici magis inſtar, quàm oppidi eſt: ultimæ fermè ædes, aut hortorum muri pro mœnibus ſunt, præ-tereà regii pulveris tormentarii patiebantur inopiam: ſed rationem iniit Sanlucius, quo hujus ſupportaretur aliquantum agreſtium operâ, qui per intervalla Condæi ſtationum in oppidum haud difficulter evaſêre. Paucos Condæus habebat pedites, quo factum eſt, ut equitum operâ uti vellet ad impetum in oppidum faciundum: ſed hæc adversùm veteranos qui propugnabant milites parùm profutura viſa: ita quid faciundum eſſet incertus hærebat, ſpem nactus intereà commeatûs inopiâ deditionem facturos. 1652.

Inter hæc famâ de Harcurii adventu ad hunc perlatâ, continuò quà venturum credebat, ſpeculatores dimittit, Miraduſium omittit, atque impedimenta omnia, ac tormenta ſecundo amne qui Garumnam ſuprà Aginnum influit, eò devehi jubet, copias ad Pergaïmum, & Plumam, circúmque ea loca diſpertit, ipſe ad Staffortium loco opportuno conſtitit, quid ſpeculatores adferrent, opperiens. Fortè accidit, uti quò iêre, eà iter Harcurius non habuerit: ſed hic poſtquàm apud Hautoclarſium Garumnam copias traduxerat, ad dextram flexit iter, ac primis caſtris Lomaniam, ſecundis Belmontium ad Gimontem amnem pervenerat, quò Sanlucius cum copiis quibus præerat, advênit. His auctus Harcurius *a* Salbovium Marchionem qui deſertis Burdigalenſibus redierat in viam, properare jubet ad Staffortium, quò Condæus cum pleriſque ſuorum erat: *b* Iſlabonum fratris filium, atque Albaterreum è Melitenſi militiâ cum idoneo quemque armatorum numero ad Plumam, quò Condæi gravioris armaturæ equites, Sanlucium ad Pergaïmum, quò *c* Rupæus cum ſclopetariis equitibus Condæi, & Contii, atque Legatorum, quos cuſtodiæ causâ habere ſolent, fuêre: Harcurius cum cæteris copiis medius inter Condæi præſidia quæ ab ſuis oppugnabantur, conſtitit, quò opus foret miſſurus ſubſidia, aut ipſe ducturus.

a Le Marquis de Sauvebœuf.
b Le Comte de l'Iſlebonne.
c La Roche.

Condæus cùm tardiùs ob ſpeculatorum negligentiam de hoſtium adventu cognoviſſet, neque paucioribus ſuis cum pluribus Harcurii copiis ſibi decertandum rectè exiſtimaret, relictis apud Staffortium, Plumam, ac Pergaïmum præſidiis, his locis defenſandis, atque adeò attinendo hoſti, ipſe cum reliquis copiis, Rupifocaldo, Monteſpano, ac Marſino comitantibus ad Buzetum contendit. Is infrà Aginnum, item ad Garumnam locus eſt, quò Condæus hunc amnem tranſgreſſus ad Aginnum properavit. Id oppidum in dextrâ Garumnæ ripâ, ſuburbium in ſiniſtrâ poſitum eſt: eò Condæus navibus idoneum ſuorum numerum traduxit, ac locum pro tempore munivit, undè ſi qua copia foret, præſidiis quæ apud Staffortium, Plumam, ac Pergaïmum reliquerat, ſubveniret, aut ipſis eò receptus eſſet.

Sed eódem Harcurius cum parte copiarum venit ocyùs, alterâ ad Staffortii, atque duorum aliorum locorum oppugnationem relictâ. *d* Iſlabonus, Crequius è Melitenſi Militiâ, ac Codraïus Mompenſerius in objectas Suburbii munitiones acriter impetum fecêre, quod quidem

d L'Iſlebône. Le Chevalier de Crequy. Le Marquis du Coudray, Montpenſier.

1652. fruſtrà fuit, propugnantibus egregiè hoſtibus in conſpectu Condæi, qui aderat, addebatque animos rem per ſeſe ſtrenuè gerentibus. Poſtridiè Harcurius re cujus gratiâ venerat infectâ, ad reliquam trium quæ diximus locorum oppugnationem rediit, quæ denique ipſi dedita ſunt. Apud Staffortium trecenti fuêre pedites, quorum plerique Regi ſacramento dixêre, cæteri datâ fide ſeſe quieturos dimiſſi. Apud Pergaïmum cuſtodes corporis Condæi centum ſeſe victori ſine ullâ conditione dediderant, quos Harcurius ad Condæum ſine pretio remiſit, comitatis memor inter arma, ſed quæ non niſi ab victore proficiſci poſſet.

Pigebat Condæum qui inter celeberrimas victorias tyrocinium poſuerat, tunc vinci, & quæ inciperet omnia, ea ſibi aſpera, fœdaque evenire, quod quidem copiarum quas nuper ſcripſerat, infirmitati tribuendum videbatur: nam vix quidquam tyrone milite operæpretii feceris: eo pœnitebat ab veteranis quas ductabat Nemoroſius abeſſe tamdiù: ad hoc clientes, atque amici revocabant ad Urbem, metuentes videlicet uti Radeſianus nuper Mazarini operâ Cardinalis creatus cum eo planè rediret in gratiam, atque eódem Gaſtonem adduceret: præterea quotidiè magis animadvertebant Radeſianum ſedulò dare operam, uti Gaſtonis gratia, atque potentia per Condæi abſentiam creſceret, & quæ communi conſilio, atque opibus gerebantur, ea illi magis, quàm huic procederent: eo retentas quas Nemoroſius ab Belgio adduxerat copias, artemque ut id facere neceſſe eſſet, adhibitam: cæterùm rumor erat Mazarinum cum Rege, atque exercitu ad Urbem venturum, quo Condæus credebat Gaſtonem adduci poſſe, uti ſecum mutaret fidem, quàm pauci contra vim imminentem alteri ſervavêre.

His igitur omnibus maturè occurrendum cenſuit. *Si Rex Ligerim traduceret exercitum, quod futurum videbatur, patere huic aditum ad Urbem, aut prælio probibendum. Ibi verò rerum ſummam actum iri, quæ ad ſe potiſſimùm attineat: nam Gaſtoni qui Regi propinquior quàm ipſe ſit, in eâ re magnum eſſe præſidium: quidquid eveniat, ſibi ſpes, opeſque omnes in armis ſitas: hæc penes Belfortium, atque Nemoroſium egregios, ac fortes viros eſſe, qui Gaſtonis ſuiſque ipſius copiis duces ſint. Sed rem tuam omnem cum tute gerere poſſis, alienæ operæ, atque virtuti credere minùs providentis animi eſſe.*

Igitur dimiſſis in hyberna cæteris circùm Aginnum copiis, Contium fratrem, & qui huic rebus gerendis adjutor eſſet, Marſinum in Aquitaniâ relinquere conſtituit, Contii cohortem haud procul Aginno paratam eſſe jubet, quæ oppidum dato ſigno ingrederetur, cum Magiſtratibus (Juratos appellant) agit, ut hanc ſibi præſidio adversùm Harcurii conatus, atque eorum qui Mazarino in oppido faveant, conſilia, introduci ſinant. At iſthuc & Magiſtratibus, & omnibus oppidanis tam grave viſum, uti primùm circulos hinc indè, conventuſque facerent, dein arma caperent, atque omnibus vicis munitiones obducerent ex obviâ quavis materiâ. Condæus inter armatos equo vectus cum Rupifocaldo, Marſillaco hujus filio, Monteſpano-Bellogardio, & Marſino nihil territus verſabatur, plebem modò benignè appellans, modò caſtigans,

tigans, quod non ſatis quid in rem ſuam eſſet, perſpiceret, neque ſibi pro ſuâ, fratriſque benevolentiâ ſatis fidei haberet: ita vicis omnibus obequitans opera munitionum tardabat, atque intereà Contii cohortem oppidum ingredi jubet: quæ res jam plebem commotam ampliùs accendit, ac propè tranſverſam egit. 1652.

Qui cohortem ductabat *a* Magdalenus non ultrà primùm quem inierat vicum proceſſit, quò unus è plebe glandem in hunc ſclopeto emiſit, ſed hæc capillum modò attigit, ac labefactavit: ille verò ſimulans id arbitrari caſu accidiſſe, & ſe, & ſuos opportunè continuit, ut ne ex eâ re pugna inciperet, ac Condæo qui in medio oppido erat, fraudi foret: ipſe Condæus propè idem periculum adiit ab oppidano ſclopetum in hunc minaciter dirigente, quod & ſimiliter diſſimulavit, neque priùs incœpto deſtitit, quàm Rupifocaldus, & Monteſpanus in ædibus publicis Magiſtratus allocuti cum his convenêre, uti veniam ſeditionis ab Condæo peterent, deprecarentur præſidium quod introduci vellet, ſeſe vice cohortis Contianæ quæ ſtatim egrederetur oppido, aliam ſuis ſcripturos ſumptibus reciperent, quæ oppido præſidio eſſet, cuique Tribunus, ac Centuriones forent homines grati, acceptique Condæo: in hæc datâ fide, atque acceptâ res cum mutuâ tranſacta eſt gratiâ, ac munitiones continuò disjectæ. Dein Condæus traditâ Contio provinciâ, atque omnibus copiis, adhibitoque qui huic Legatus, atque adjutor eſſet, Marſino, clàm ad Urbem versùs proficiſcitur.

a De la Magdelaine.

At cùm Belfortius neque Gergolio priùs ab regiis ſicuti diximus occupato, neque Giano ut alterutro traducere Ligerim copias facultas foret, potiri potuiſſet, ſicuti fuerat antehàc Aureliâ Virgine coràm conſtitutum, viſum eſt iterùm apud eam conſultare, quid porrò faciundum eſſet. Utriuſque, aut alterius oppidi potiundi opportunitatem ab Belfortio corruptam Nemoroſius clàm apud Virginem querebatur, nihil enim prius, aut antiquius habebat, quàm Ligerim copias traducere, uti Muroni ſubſidio eſſet, deinde in Aquitaniam ad Condæum properaret. Sed ea res multos recipiebat caſus, cùm ob Ligeris tranſeundi difficultatem, prohibentibus regiis, tùm ob itineris longitudinem: prætereà ſi Nemoroſius cum copiis quas adduxerat, in Aquitaniam diſcederet, Belfortius cum ſolis Gaſtonis copiis obſtare Regi ad Urbem venienti non poterat.

Sed ubi in Aureliæ urbis ſuburbio Aureliâ Virgine coràm eſt conſultatum, duæ fuêre ſententiæ, altera de profectione ad Bleſiam, atque eò traducendis Ligerim copiis, altera de occupando Montargirio: ſi apud Bleſiam traducerentur copiæ, eæ ab tergo Regi futuræ erant, quem non commiſſurum aiebant, ut hujus partis Regni quæ ultrà Ligerim eſt, poſſeſſione Gaſtoni, ac Condæo cederet, atque adeò non minùs hunc eo pacto attineri poſſe, ut ne ad Urbem contenderet, quàm ſi Montargirium occuparent, intereà ſibi in manu futurum oppidum ſatis firmum, quo ultrà, citràque Ligerim commeare poſſent, & utro-

1652. bique factionis opes ſuſtentare, quæ in Gaſtone qui citrà, & in Condæo qui ultrà agitet, poſitæ eſſent. Nemoroſius huic de Bleſiâ favebat ſententiæ, propter Muronem, quem obſidione exemptum volebat, cæteraſque Condæi rationes.

Sed ſi id fieret, neque eo minùs Rex ad Urbem cum exercitu proficiſceretur, neceſſe erat Gaſtoni, ſicut & Senatui, Populoque ſine idoneo præſidio deprehenſis Regi, ſeu Mazarino quæ vellent obſequi omnia: nam nihil erat quod Regem crederent propter Gaſtonis, & Condæi copias, quæ ultrà Ligerim forent, ad Urbem ire dilaturum, quia & ad hanc in officium reducendam, atque inde ad cætera ultrà Ligerim patranda ſpatium fuiſſet, atque Rex pacatâ Urbe potentior, ac validior erat futurus. Vicit igitur de Montargirio occupando ſententia, quod oppidum inter Ligerim, & Urbem poſitum eſt ad Lupam amnem. Sed quia huic ſententiæ multùm faverat Belfortius, Nemoroſius qui maluiſſet alteram vincere, ſcilicet ut ad Bleſiam iretur, atque eò copias Ligerim traducere poſſet, atque ad Muronem ducere, quo hujus obſidio ſolveretur, Belfortio exprobravit, hunc quæ Condæo receperat, ea minimè præſtare: Belfortius iſthuc quantùm ad ſe verum eſſe negavit, ſed Nemoroſius hunc mentiri reſpondit. Ibi verò Belfortius haud abſtinuit manum tam gravi accenſus convicio, ſed hæc ita leviter os hominis attigerat, ut id ex iis qui aderant, nemo perſentiſceret: at hi continuò dedêre operam, ut ne res ad gladios deveniret, atque Aureliam Virginem quæ in proximo conclavi erat, quid ageretur monuêre, quæ ſtatim egreſſa ambos redegit in gratiam, pervicitque uti concordes unà rem communem porrò gererent.

Intereà Rex apud Suillium erat, Prædium Maximiliani Franciſci Bethunii nobiliſſimum cum Ducatus Titulo. Eò advenêre miſſi ab Senatu *a* Neſmondus Præſes, atque alii, qui Regem ſcripto edocerent. *Mazarini reditum omnium quæ in Galliâ eſſent, malorum cauſam eſſe, id viros Principes qui in armis ſint, id omnes alios uno ore prædicare. Hunc Regis Edictis exulare juſſum, datam ſæpiùs de non revocando ab Reginâ quæ in procuratione Regni erat, quin & ab ipſo Rege fidem, quam inviolatam oportuerit. Reges qui ſe legibus ſolutos putent, eo magis fidei datæ religione teneri, quæ ſi in his fluxa ſit, nullum eſſe inter hos, & qui iis parere debeant, mutui officii vinculum. Haud temerè dandam, neque ab Regibus, neque ab ullis fidem, ſed hanc ubi data ſit, omninò ſervandam. Hanc fallere Mazarino nihil penſi uſquàm fuiſſe, neque curæ eſſe uti Regi, aut Reginæ matri integra ſit, omnia vera, falſa, bona, malave ex commodo dicere, aut facere ſolito:* poſtremò Senatus hoc Scripto contendebat omnia quæ legibus comparata ſint, ſibi adverſùm Mazarinum licere, uti quæ contra Regem, atque rem publicam feciſſet, ea ne ipſi impunè, aut Regi, & rei publicæ fraudi, damnove eſſent. Ubi civitate donatus, ubi Regni negotiis admixtus fuerit, ibi Senatui obnoxium factum, ſcilicet conſtituto ab Regibus, uti qui contra jus, faſque, contra leges, contra rem publicam faciant, de iis quicumque tandem illi ſint, judicium ferat, ac ſupplicium ſi res moneat

a Le Preſident de Neſmond.

more majorum ſumant: ſi Mazarinus in noxâ ſit, hunc eximere aut Senatûs judicio, aut pœnæ quam commeruerit, Cardinalatum, vel quodvis ſacerdotium nequaquàm poſſe. 1652.

Scriptum id Neſmondus cum aliis qui ab Senatu venerant, ubi ad Regem adiit, pauca Senatûs Verbis præfatus huic tradidit: quo accepto Rex cùm id recitari non juberet, Neſmondus poſtulavit ut id ab uno ex Quatuorviris more majorum fieri vellet: de eâ re ſe Rex Conſilium advocaturum reſpondit. Inſtitit Neſmondus, dixitque anno CIƆ. IƆC XV. ubi conſimile Senatûs ſcriptum Regi Ludovico XIII. traditum fuiſſet, id ſubitò recitari juſſiſſe coràm iis qui ex Senatu aderant, id factum ab Henrico Auguſto Lomenio quem hujus rei teſtem appellet, is Regi cum tribus aliis Quatuorviris tum aderat. Dein Neſmondus, atque alii tantiſper ſecedere juſſi in aliud conclave tranſiêre: poſtremò revocatis Molæus Procancellarius ita locutus fertur.

Regi mirum videri ubi hoſtes ab rebellibus civibus accerſiti Regni fines ingreſſi ſint, atque hi ſint in armis, uti ſe ab Urbe prohibeant, ibi Senatum ſicut iis fretum ad ſe miſiſſe qui doceant quid is Ordo de re publicâ ſentiat. Huic decretis ſuis Patres opitulari debuiſſe, confirmare qui permanſerint in fide, hortari uti Regi, atque rei publicæ neceſſario maximè tempore ſubvenirent, arma ſumerent, hoſtes tranſitu prohiberent, deterrere verò eos qui fidem exuerint: poſtremò decernenda fuiſſe digna nomine, fama, atque fide majorum, qui in eo Ordine perindè iniquis temporibus bonam, fortemque Regibus, ac rei publicæ operam præſtiterint. Contrà Cognitori, atque Actoribus regiis, ut id ab Senatu fieret, poſtulantibus fruſtrà fuiſſe. Tormenta vecta per Urbem, & adversùm Regem abducta, ſpectante, atque ceſſante Senatu. In hujus acta quæ Rex adversùm rebelles edixerit minimè relata, ſed ei rei moram ab virorum Principum fautoribus objectam. Quæ de Mazarino dicantur, ea factionibus, & bello civili obtentui, cæterùm vana, & inania eſſe. Huic petenti jus reddere, conſilium Regi eſſe, atque ea gratia edicturum uti Cognitor regius, quæ in eum quæſita, & decreta ab Senatu ſint, ea ad ſe mittat, ac tum demum Senatûs ſcriptum recitatum iri, Regemque ubi propiùs Urbem acceſſerit, eos ipſos accerſiturum, facturumque certiores, quid ſuper Senatûs ſcripto ſentiet, & quid velit, jubeatque.

Neſmondus porrò uti ſcriptum recitaretur inſtitit, atque res inter hunc, ac Procancellarium ad altercationem veniebat, ni Regina utrumque monuiſſet id Rege coràm minùs decere: dein Regi uti miſſi ab Senatu diſcederent innuenti Neſmondus ait, *Diſcedimus quando ita jubes, ſummo cum dolore, quod præter majorum morem, & contra exemplum patris, quæ te Senatus edoceri de re publica ad hanc magnoperè pertinere cenſuit, ea coràm te, nobiſque recitari gravêre, ex quo ſi quid tu Rex, atque illa detrimenti ceperit, id procul amotum ab nobis volumus, ſcilicet quod non noſtra, ſed hujus eveniet culpa, cujus conſilio, judicioque in re publica gerenda uteris, & eorum qui ipſi fautores ſunt, in quos graviùs dicere Majeſtatis verecundia prohibet.*

Priuſquàm Condæus Aginno diſcederet, Burdigalenſes certiores per amicos fieri juſſerat, *Seſe rei publicæ cauſa properare ad Urbem, atque ad exercitum, quem ipſe, & Gaſto haud procul haberent: quo fretus ipſe majori uſui*

1652. *Burdigalenſibus, quam ſi in Aquitania reſtitiſſet, futurum: nam daturum operam uti Regi neceſſe ſit, ad ſe omnes evocare copias, quibus obſiſtere conatibus ſuis poſſit, qui longè majores futuri ſint, ubi veterano exercitu rem publicam geret, quam uſque cum milite tyrone fuerint.* Intereà cùm *a* Rupifocaldo, Marſillaco hujus filio, Levio Comite, Barone Chavagnaco, Guitaldo, Berzene, & Gourvillâ per Petrocorios, Lemovices, Arvernos, & Borbonenſes quò intenderat, eò properabat, neque diurno, neque nocturno itinere intermiſſo. Fortè accidit cùm haud procul Giano quò Rex ſtativa habebat, pergeret iter facere, uti quidam Mazarini curſor in Guillelmum Guitaldum incideret ſibi ex vultu anteà cognitum, qui ſuſpicatus inter ſex alios qui unà erant, Condæum eſſe, eâ de re ubi primùm eò advenerat, quò ab curſoribus mutari ſolent ad celeritatem equi, certis locorum intervallis ubique in Galliâ diſpoſiti, Mazarinum ab ſe monendum exiſtimavit. Sed hic ex copiâ rerum arbitratus Condæum *b* Caſtellum ad Lupam Prædium Coliniorum venturum, qui jamdiù Condæorum amici, atque clientes fuêre, eò Santimaurum hominem audacem, ac manu promptum cum ducentis equitibus contendere jubet.

a Le Duc de la Rochefoucault. Le Prince de Marſillac. Le Comte de Levi. Le Baron de Chavagnac. Guitaud. Berzene. Gourville.

b Chaſtillon ſur Loing.

Ea verò Condæi fortuna fuit, uti priùs Caſtello ad Lupam diſcederet, quam eò Santimaurus adveniret: hic haud procul cum equitibus pernoctabat, neque longè ab eo loco Condæus de tertiâ vigiliâ profectus iter habuit, quod & reliquum noctis inter alia Regis præſidia vitabundus facere perrexit, donec Aurelianenſem ingreſſus ſylvam in Nemoroſii equites incidit, quibus percunctantibus ecqui eſſent? Condæum reſpondit, ſatis certus eò loci non alios quàm amicos eſſe, nam tum haud procul Lori oppido erat, quo ſuos ſtativa habere ſcibat. Hujus adventu ingens omnibus oborta lætitia eſt, ex Ducum nuperâ diſcordiâ, nequedùm ſatis reconciliatâ gratiâ, vix quidquam quod rei publicæ procederet, ſperantibus. Conſilium Condæo fuerat properare ad Gaſtonem, cùm officii, tùm rei publicæ unà conſtituendæ causâ, ac maximè Radcſiani pellendi, aut hujus fidei apud Gaſtonem minuendæ, aut hujus denique ſibi planè adjungendi. Sed Regi plures copias adveniſſe, cum Mazarino Buillonium, & Turenam fratrem in gratiam rediiſſe, hunc regiis copiis Imperatorem factum, atque adeò majorem ſibi poſthàc ab tanto viro belli molem ſuſtinendam præclarè intellexit, quamobrem ſibi manendum ad exercitum exiſtimavit. Igitur Gourvillam miſit ad Gaſtonem, qui doceret de adventu ſuo, de hujus viſundi ſtudio, ac denique quibus de cauſis ad exercitum reſtitiſſet, quò ſuam operam magis Gaſtoni, quàm ad Urbem proceſſuram crediderat.

Sed Condæi adventus ad hoſtium caſtra, curam, atque ſolicitudinem in Aulâ auxit, quo videlicet omnis ſpes quam ex Belfortii, atque Nemoroſii diſcordiâ, nec pari utriuſque ad Turenæ, atque Hocquincurii exemplum rei militaris ſcientiâ ceperant, interibat. Condæus verò reſtitutâ apud exercitum quantùm temporis brevitas patiebatur, militari diſciplinâ, quæ non nihil corrupta fuerat, ſicut antehàc decretum

acceperat, Montargirium ducit. Mondrevilla caſtellum erat ingreſſus, quem comitati fuerant nobiles octo, cumquibus ducentos habebat pedites: ſed ubi Condæus cum exercitu appropinquavit, deſpondêre animum, atque deditionem fecêre. Lacottiera qui huic ſubſidio veniebat, ubi agi de deditione reſcivit, retrò iter convertit, dein Condæus haud difficulter oppido potitus eſt, oppidanis quia locus haud ita firmus eſt, neque eò præſidium ullum erat, facilè adductis, uti quas primùm clauſerant portas, eas aperirent Condæo, pollicito ſicuti arbitrabantur, nullum militem eò introductum iri, quod non eſt ſervatum, nam & milites oppidum introiêre, & in eo multa fœdè, atque nefariè fecêre. 1652.

In eâ regione foſſa ab Ligeri haud procul Briaræo ad Montargirium pertinet, quò primùm Lupa navium patiens eſt: hæ ab Ligeri, ad Montargirium per hanc foſſam, dein Lupâ ad Sequanam, Urbemque commeant. Longitudo foſſæ paſſuum triginta ſex millium eſt, atque ampliùs: in eâ quadraginta quibus naves in ſuperiorem adſcendant, aut in inferiorem deſcendant foſſam, alvei ſunt, è ſaxo quadrato, navis majuſculæ longitudine, ac latitudine, cum ſuis foribus, ac cataractis, opus veterum Romanorum mirabilioribus par. Ad hanc foſſam altera multo minor, neque navium patiens ab Lupâ paulùm infrà Ferreoli-fanum ducta pertinet, quâ hujus amnis quidpiam in majorem derivatur foſſam. Quæ regio inter utramque foſſam, ſuperiorem Lupam, & Ligerim eſt, eam copiæ regiæ quibus Hocquincurius præerat, omnem tenebant, non in unis caſtris, ſed paſſim in vicos diſtributæ, ſparſæque, ac in hos maximè qui ad utramque foſſam ſunt, nullo alio munimento adversùm hoſtes tutæ. Ipſe Hocquincurius apud a Blenellum Curtenaïorum quos è regiâ gente oriundos aiunt, prædium, Prætorium, aut ſtationem habebat regiam, alterum Turena apud Briaræum cum ſuis, & ipſe copiis Prætorium habebat, Rex apud Gianum erat, cum omni Aulâ.

a Bleneau. Les Princes de Courtenay.

Fortè accidit uti Turena ad Hocquincurium viſens iret, atque ex itinere copias alias ab aliis obſervaret agitare longiùs, atque adeò Condæi conatibus opportunas, cui videlicet ſpeculanti omnia hoſtium nota ſæpiùs eſſe ſcibat, de quâ re Hocquincurium pro re publicâ, quam unà tum gerebant, ac pro amicitiâ monuit. Ubi domum redierat Turena, Condæum relicto apud Montargirium idoneo præſidio, atque tormentis, b Caſtello-vulpinum verſus moviſſe accepit: ipſe Hocquincurius ſub noctem ſcripſit ad Turenam, ſeſe ab captivis reſciviſſe Condæum ad ſe versùm venire, atque adeò rogare uti ſibi auxilio eſſe vellet, ſimul quaquà versùm dimittit, qui omnes copias eò convenire jubeant, quò ſclopetarii equites agitabant, atque ipſe relicto apud Blenellum ducentorum armatorum præſidio, impedimenta Bretellum versùs ad Lupam ire jubet, quo longiùs ab hoſte forent, ipſe extrà oppidum inſtruit ſuos, uti quò opus eſſet opem ferret.

b Chaſteaurenard.

At Condæus ingreſſus eam quam ab Hocquincurii præſidiis teneri

1652. diximus regionem, ſingulas cohortes, aut alas ad ſclopetariorum equitum caſtra properantes carpebat, ac magis perturbabat, fundebat, fugabatque, quàm cædebat, utriſque inter tenebras quid facerent, omitterentve, haud ſatis certis: id maximè *a* Maipaſii, Rocaſpinæ, Renvillæ, Beljoci, Burlemontii, atque Moreti Alis contigit, Navaillii item cohorti, atque aliis quorum impedimenta hoſtibus prædæ fuêre, ipſi noctis beneficio propè omnes in tutum alius aliò evasêre, neque quiſquam ad ſclopetariorum equitum caſtra, quò Hocquincurius copias omnes convenire juſſerat, pervenit. Sed ad hæc ipſe Condæus contendit, quæ capta ſtatim, ac direpta, ipſi in proximum caſtellum diffugêre, quod mox, ac ſe ipſos dedidêre: Tavanius Croatas qui haud procul agitabant, adortus fudit, fugavitque, & horum caſtra ſimiliter diripuit.

a Maipas. Roqueſpine. Renville. Beaujeu. Bourlemont. Moret. Navaille.

Poſteà loci Condæus Blenellum versùs proceſſit, quò Prætorium Hocquincurii fuiſſe diximus, pauci comitabantur equites, dilapſis cæteris quà quemque ſors tulerat, dum hoſtes diverſim fugientes ſequuntur. Hocquincurius haud procul ab Blenello aciem inſtruxerat, quid potiſſimum faceret incertus, aut cui rei primùm occurreret, nam ubique ſimul adeſſe non poterat: ſeptingentos habebat equites, externos pleroſque omnes, hoſtes propinquum diripiebant vicum, quò Hocquincurius properè ducit. Ibi Condæus ſuorum reſtituit ordines, atque ipſe princeps dextrâ, lævâque aſſumptis Belfortio, Nemoroſio, Rupifocaldo, Marſillaco filio, ac Tavanio, atque aliis è familiâ ſuâ nobilibus ad Hocquincurium vadit, atque omnem partium fortunam, ſimul ſuam, atque amicorum vitam inſtar equitum vulgarium in diſcrimen adducere non eſt veritus, adversùm plures regios, ut ne ſe in conſpectu hoſtium, ac maximè Imperatoris, tametſi numero imparem ceſſaſſe fama ferret.

Hocquincurius cum ſuis propior factus brevioribus ſclopetis de more agere cœpit, dein ubi facta ultrò, citròque glandium miſſio, Nemoroſius graviter eſt vulneratus, ſimul & ipſi confoſſus equus eſt, quo caſu, ſimul inſtantibus acriùs regiis aliquantùm Condæus retroceſſit, neque ultrà proſecutus eſt Hocquincurius recedentem, incertus quæ fortuna cæteri exercitûs fuiſſet, & quod ſecum integri erat conſervare optimum ratus. At Condæum pudor quod retrocedere coactus eſſet, incendit; itaque cum *b* Meillæus eò fortè veniſſet, cum ſuâ triginta equitum turmâ, hunc ab latere hoſtem aggredi jubet, ipſe confirmatis ſuorum animis, atque amicis eódem quò antea collocatis, ad Hocquincurium præclarus redit, ac tanto impetu regios invadit, pellit, funditque, uti reſtituere ordines copia non fuerit, ac tum demùm victor ſibi viſus.

b Le Comte de Meille.

Turena apud Briaræum ſicuti memoravimus habebat caſtra, qui Hocquincurii litteras de primâ vigiliâ acceperat, nuntiantes Condæum advenire: ſimul hunc inter media illius præſidia eſſe accepit, dein alius ſuper alium nuntii res afflictas, ac denique perditas adferebant, & qui ex eâ clade profugerant, ii ampliora vero nuntiabant omnia, ita ut quid

optimum factu eſſet, Turena magnoperè dubitaret. Nam exercitu Hocquincurii ſicuti nuntiabatur profligato, reliquæ ſpes, opeſque Regis in eo quem ipſe Turena ductabat, ſitæ erant, quem adeò per noctem, & tenebras ubi nihil ſatis certi ſtatuere, ac facere poſſet, hoſti ex victoriâ præclaro, ac feroci objicere haud æquum cenſebat, conſilio enim magis, quàm manu geri rem publicam. Inter hæc omni propè exactâ nocte, quæ Hocquincurio fœda, Condæo clariſſima fuit, ſub lucem Turena qui omnes copias ad ſe vocaverat, inſtruxeratque, ad Ouſoyum Briaræo haud procul movet, quod eſt oppidum ad Treſæam amniculum, propiùs eam quam memoravimus foſſam, quæ Hocquincurii caſtra, ſeu præſidia eâ parte claudebat. 1652.

Turena ubi ſe eò progreſſum Condæus ſciret, ibi credidit cogniturum, ſe longè ab integrâ abeſſe victoriâ: prætereà tumultus, trepidatio, fuga major in Hocquincurii caſtris, quàm cædes fuerat, nam equites, peditesque propè omnes redibant ad ſigna, cohorteſque, & alæ integræ ad Turenam veniebant, quibus pro tempore inſtructis, atque acie conſtitutâ ad hoſtem pergit ire. Condæus ubi Hocquincurium, atque hujus copias fugâ diſſipatas inſequendi finem fecerat, ſuos omnes ex diſciplinâ in unum coëgerat, ut ne quemadmodum Hocquincurius ſibi, ita & ipſe Turenæ opportunus foret: ſed hic eò denique proceſſit, quò Condæum in propinquo eſſe cum omnibus copiis accepit. Intercedebat ſylva, in quâ callis anguſtus, neque agmine euntibus pervius eſt: ita qui ingrederentur ſylvam, iis ſi ultrà tenderent, neceſſe erat diſſolutos propter viæ anguſtias ordines reſtituere ubi egrederentur: quò fiebat, ut hoſtis contrà inſtructus ubi tantum numerum ſylvâ egreſſum cognoſceret, quantum profligare facilè poſſet, ibi procurreret, atque hunc pro lubidine cæderet, cæteris in ſylvâ ob viæ anguſtias hærentibus.

Turena ſylvam ingreſſurus videbatur, quia hanc quinquaginta equitum occupaverat præſidio, ac ſequebatur omnibus copiis. Sed Condæus recenti victoriâ præclarus ad ſylvam properat accedere: quæ res Turenæ locum dedit ſimulandi ab victore metum, præſidium quod in ſylvâ erat ſubducendo, ac retrocedendo, ut in hanc Condæum, dein ultrà alliceret, nam ſicuti receptui conſuleret, eò proceſſit, quò inter ſylvam, & eum in quo erat locum, & inſtruendi, & inſtructis procurrendi ſpatium eſſet. Condæus Turenam metu, non conſilio ratus abſcedere, ſex equitum alas dimittit, qui ſequerentur, atque harum ipſe veſtigiis inſiſtit. Sed ubi alæ equitum ſylvâ egreſſæ aliquantùm proceſſerant, ac cæterum veniebat agmen, Turena converſo agmine, ac pauliſper conſtituto, in advenientes hoſtes impetum fieri jubet.

Quod ubi videt Condæus, qui ſylvâ poſt ſex præmiſſas alas egreſſi fuerant, eos reſtare, dein quâ venerant, regredi jubet, dum ſex alæ ſuſtentant pugnam non ſine damno, quæ prælio & ipſæ poſteà ſubductæ ſunt, collocatis ab Condæo ad hoſtes verſùm in ultimâ ſilvâ ſclopetariis, quæ regios acriùs inſequentes frequenti glandium miſſione

1652. inhibuêre. Turena haud procul ſylvâ conſtitit, diſpoſitiſque loco edito tormentis inter ſubjectos hoſtes ingentem edidit ſtragem, quâ peſte *a* Guillelmus Ruſſellus Maræus Comes, Ruſſelli Grancæi Equitum Tribuni frater periit, in exercitu Virorum Principum Legatus. Reliquum diei uterque exercitus alter alterius in conſpectu fuit, atque Hocquincurius poſtquàm nonnullos ſuorum ex fugâ collegerat, eòdem venit. Condæus centurionem de exercitu Turenæ ad hunc ſine pretio dimiſit, atque humaniſſimè ſcripſit, ac Buillonio fratri iiſdem litteris ſalutem dixit, queis Rupifocaldus, ac Clinchanus adſcripsêre nomina, poſtremò adveſperaſcente jam die exercitus utrimque in caſtra diſceſsêre.

a Rouſſel, Comte de Maré.

Quamvis nocturnum Hocquincurii damnum ab Turenâ ſatis ſarcitum fuerat, nihilo minùs in Urbe per omnes conventus, circuloſque de facto Condæi magnificè loquebantur : nam amici, atque clientes cuncta majora vero vulgaverant, uti Senatus, Populuſque ſuas ſpes, opeſque in Condæo maximè ſitas, neque quidquam niſi ubi adeſſet, ſatis rectè fieri poſſe crederent : nam eo procul agitante nihil eveniſſe ex ſententiâ, ubi advenerit continuò fortunam eſſe commutatam, & ex dubiâ firmam, atque ſecundam factam. Contrà Radeſianus, & qui ex hujus factione fuêre, multa apud Gaſtonem, Senatum, Populumque moliebantur, ut his Condæus aut inviſus, aut certè ſuſpectus foret: *Hunc nullâ rei publicæ, ſed ſuæ modò habitâ ratione cum Aulâ perpetuo egiſſe, uti cum Reginâ, & cum Mazarino rediret in gratiam: eo Gourvillæ uſum operâ, quem ad Mazarinum apud Brullam exulantem miſerit.*

Sed qui Radeſianum ſatis noverant, ii probè intelligebant hunc ægrè ferre Condæum tantâ virtute virum in ore eſſe omni populo, atque in gerendâ omni re publicâ facilè principem videri, qui ſi cum Mazarino conveniret, nullas ſibi in eâ partes fore, aut ſi Mazarinus pelleretur, Condæum Chavignii conſilio fretum hanc omnem geſturum, cui adeò æquè, ac Condæo maledicebat. Hunc ab Aquitaniâ ad Urbem venire decreviſſe diximus, uti Radeſianum ſibi adjungeret, aut ab Gaſtone ſejungeret, hominem conſiliis ſuis, atque conatibus importunum. Poſtquàm igitur tanto operæpretio adversùm Hocquincurium facto ſibi vacuum eſſe credidit ad Urbem ire, eò profectus eſt.

Sed cùm id fama priùs vulgaſſet, Urbani Magiſtratus in Ædes publicas convenêre, aderat Franciſcus Hoſpitalius Equitum Tribunus Præfectus Urbi, Mercatorum Præfectus, atque alii. Hi conſilio de Condæi adventu habito decrevêre, ut Hoſpitalius ad Gaſtonem iret, atque huic redigeret ad memoriam, Condæum Regis Edicto hoſtem judicatum, quem ad Urbem adventantem recipere mœnibus Urbani Magiſtratus ſibi nefas eſſe exiſtiment : orare igitur Gaſtonem, ut hanc ipſis demere velit neceſſitudinem, ut aut huic, aut Regi ægrè faciant. Iſthæc dicenti Hoſpitalio Gaſto Condæum ad ſe venire reſpondit, uti de communibus rebus conſultent, neque ampliùs unâ die iſthîc commoraturum, ſubitóque rediturum in caſtra, nihil ex ejus adventu turbarum, aut

aut tumultûs pertimeſcerent. Id reſponſum Gaſtonis ab Hoſpitalio allatum urbani Magiſtratus in acta referri juſsêre: quod ubi Gaſto reſcivit, incredibile memoratu eſt, quàm tulerit violenter, atque mercatorum Præfectum, alioſque eâ de re ad ſe vocatos objurgaverit, qui ab ſe familiariter Hoſpitalio dicta in Urbis acta retuliſſent, quod in rebus modò ſolemnibus, ac gravibus fieri ſoleat. 1652.

Ubi optimates ab jure diſceſsêre, id & ſibi licere facilè cæteri exiſtimant. Paulò antè Condæi adventum plerique in Urbe flagitioſi ſui ſimiles omnes ſcripto vulgato ad Pontem novum vocavêre: quò ubi magna hujuſcemodi hominum convênit multitudo, primò qui hàc commeabant, eos Regi, ac viris Principibus benè, Mazarino malè precari cogebant: dein creſcente audaciâ poſcere ab omnibus pecuniæ quidpiam, ac poſteà extorquere, ac rapere: poſtremò de diripiundis Guenegaldi ædibus iniere conſilia, quod eſt ab Gaſtone prohibitum, qui eò Helvetios quos cuſtodiæ causâ habere ſolet, dimiſit. Guenegaldus unus ex Quatuorviris apud Aulam erat, atque adeò hunc Mazariniſtam invidioſo per hæc tempora nomine appellabant: ædes ejus iis erant in conſpectu luculentæ, quas haud ita pridem ab Mantuæ Duce commercatus fuerat. Quæ ſubſecuta eſt dies, ea nihilo quietior fuit: ſed inſanienti porrò multitudini oppidani ſeſe armatos oppoſuêre, atque tres ex hujus numero comprehenſos in carcerem deduxêre, cæteri quaquâ versùm dilapſi. Hæc, atque alia, quæ poſthàc facta ſunt hujuſcemodi, primùm ab Condæi amicis, dein ab ipſo ubi ad Urbem advenerat, moveri Radeſianus prædicabat, uti metu rapinarum, & cædis Patribus injecto, hi pacem, quàm bellum mallent, deſinerentque flagitare uti Mazarinus Aulâ, ac Regni finibus pelleretur.

Condæus III. Id. April. Lutetiam Pariſiorum advenit: huic obviam Gaſto proceſſerat, atque alii complures. Idibus venit in Senatum cum Gaſtone, qui Patribus breviter ea commemoravit, quæ pro Rege, pro re publicâ, pro pace domi, foriſque conſtituendâ fecerat: eadem & feciſſe, & ſenſiſſe Condæum, atque etiam tum ſentire, nec ambos ab eâ ſententiâ uſquàm diſceſſuros. Gaſtonis orationem Condæus excepit, egitque Senatui gratias, quod quæ ad hunc pertinerent, ea ampliſſimo Ordini curæ fuiſſent, nec ſe pro hoſte habendum cenſuiſſent, quamdiù unica belli cauſa Mazarinus in Aulâ verſaretur. *Sibi modò conſilium eſſe Regis, & rei publicæ ſervire commodis, neque eâ gratiâ ſuæ ipſius vitæ parcere. In eo ſe & Gaſtonis, & Senatûs autoritatem ſecuturum, quâ nihil carius habeat: profiteri denique perſanctè ſe nihil niſi ſui tuendi causâ feciſſe, aut factum voluiſſe, quando ab Aulâ ſeceſſerit, bellumque invitus ſumpſerit, quod omittere, atque arma ponere velit, ſtatim atque Mazarinus Regni finibus fuerit egreſſus, & quæ Senatus in eum decreverit, ea ex hujus ſententiâ confecta ſint, orare Patres ut hæc ab ſe dicta in acta Senatûs referri velint, quo ſe ſi quid ab his alienum, aut diverſum dixerit poſthac, feceritve, ſuis ipſius verbis coarguant.*

Ubi Condæus dicendi finem fecit, Bailleulius qui tum præerat Senatui, *Pergratum* ait, *ſemper fore Patribus hunc eo genere, eâ virtute, atque*

1652. *gloriâ virum in Curiâ videre ſedentem : cæterùm ipſis nonnullam religionis cauſam eſſe, quod propè cruentis ex eorum cæde manibus qui Regi militaverint, & ab recenti adversùm hunc pugna Templum in quo Senatus habeatur, ingreſſus ſit : præterea quod Rex hunc antehàc edixerit hoſtem eſſe, quodtametſi ob Mazarini reditum tantiſper diſſimulandum Senatus cenſuerit, extare tamen Edictum, ac promulgatum fuiſſe.* Huic boni, atque integerrimi viri orationi vehementer eſt ab omnibus propè reclamatum, ob ingens in Mazarinum odium, quod pleroſque omnes uti Condæo faverent, impellebat.

Secundùm hæc Neſmondus, atque alii ex Senatu qui cum eo ab Suillio ad Urbem redierant, quæ eò geſſerant, Patres edocuêre : iis gratiæ ab Bailleulio actæ, pro tam fideli, fortique operâ rei publicæ, atque Senatui navatâ. Dein Cognitor, atque Actores regii Edictum cum Regis litteris Senatui reddidêre. Rex per litteras ſignificabat, quæ adversùm Mazarinum quæſita, aut decreta fuerant, ea ad Procancellarium Molæum ab Cognitore regio mitti placere, quibus in Conſilio recitatis, atque cognitis, ex hujus ſententiâ quid ſibi videretur, porrò ediceret : intereà quæ antehàc de Mazarino edixiſſet, aut Senatus decreviſſet, iis ſuperſederi velle, & quod Edictum eâ de re mittebat ad Senatum, id in ejus acta jubebat referri. Rogati Cognitor, atque Actores regii numquid de hoc negotio dicendum haberent, poſtulavêre ut inter ſe conſultare liceret, cujus rei gratiâ egreſſi Curiâ, atque hanc rursùm ingreſſi ſunt.

Tunc Audomarus Talonus, *Nihil eſſe* ait, *quî ad Procancellarium aut Quæſtiones de Mazarino habitæ, aut decreta Senatûs mittantur : damnatum hunc Edicto Regis, & finibus egredi juſſum : quæ poſteà ab Senatu decreta ſint, ea uti Mazarinus Edicto pareret facta, rectè quidem, atque ordine, quando Senatûs officium ſit ſecundum Regis Edicta decernere, atque operam dare, ubi promulgata in hoc Ordine fuerint, ut iis cuncti obedientes ſint. Quod cùm ita factum ſit in Regis Edicto de Mazarino finibus pellendo, quid eſſe reliquum niſi ut id omne certum, firmum, ratumque ſit, & Mazarinus ſicuti Rex ipſe edixerit, atque omnes Regni Ordines expetant, rursùm abeat, eique Regni finibus æternum interdictum ſit? Poſtulare igitur ut iſthuc Senatus decernere velit, ac de hujus Ordinis quod fiet Decreto Procancellarius Molæus, atque hujus opera Rex ipſe certior fiat, neque adeò Senatum ultimo Regis quod IV. Non. Mart. de Mazarino datum fuerit Edicto ſatisfacere poſſe : cæterùm continuò Molæus Regem hortari vellet uti ſcriptum Senatûs coram delectis ex hoc ordine recitari vellet, qui ad hunc ea gratia mitterentur.*

Poſtremò Senatûs Decretum fit, uti qui ab Rege redierant, iterùm ad eum adirent, ſupplicatum uti ſcriptum Senatûs coràm ſe, atque ipſis more majorum recitari, atque huic reſpondere vellet : quæ Gaſto, atque Condæus in Curiâ ſanctè profeſſi eſſent, ea in acta Senatûs referrentur, & de his Rex certior fieret, ſcilicet quibus certa, atque explorata pacis habendæ, atque ſanciundæ ratio eſſet : eo ad rem publicam planè pertinere viſum, de Edicto quod Rex de Mazarino nuper miſerat ad Senatum minimè referri : decretum præterea uti quæ Gaſto, at-

que Condæus in acta Senatûs referri voluiſſent, quæ Bellevræus apud Auguſtoritum Pictonum, & Neſmondus apud Suillium Regem de re publicâ, aut ſcripto, aut Senatûs verbis edocuiſſent, ea ad cæteras cùm in Urbe, tùm in provinciis Curias perſcriberentur: urbani Magiſtratus, atque ex ſingulis Urbis regionibus cives duo, & è ſingulis mercatorum Collegiis unus, aut alter, in Ædes Urbis publicas convenirent, atque eò Gaſto, & Condæus eadem quæ in Curiâ, profiterentur, dein ſi videretur, quoſdam è ſuo numero ſicuti Senatus, de abigendo Mazarino ad Regem mitterent, poſtularentque uti quod ipſe eâ de re antehàc edixiſſet, Senatuſque decreviſſet, id ratum, firmumque eſſe vellet, ac poſtremò uti pax domi, foriſque ſanciretur. 1652.

Intereà Rex ab Giano per Ferreoli-fanum nobile, atque opimum Aureliæ Virginis Prædium Autiſſiodurum ad Igonnam amnem contenderat, uti ſecundùm id flumen, dein ſecundùm Sequanam appropinquaret Urbi: nam per Montargirium quâ brevius iter erat, virorum Principum exercitus prohibebat, qui tamen poſt paulò commeatûs, & pabuli inopiâ, ſeu ne ipſis quidem prælium cum regiis facere placebat, Stampas conceſſit. Oppidum eſt inter Lutetiam Pariſiorum, & Aureliam medio fermè itinere, in Belſienſi agro. Rex verò per Senonas, Rigolimontem, ac Melodunum, Corbolium ad Sequanam advênit, mediæ diei itinere ab Urbe poſitum. Turena, atque Hocquincurius ſimul exercitum ab ſtativis inter Briaræum, & Montargirium ſecundùm Lupam amnem Moretum, quod eſt oppidum ad eumdem Lupam haud procul Sequanâ, quem paulò infrà influit, duxêre, dein ſecundùm Sequanam, ita ut ipſi citrà, Rex ultrà amnem iter faceret, eo, atque exercitu tectus.

Radeſianum, atque Rohanam aiunt ubi Condæus ad Urbem advenerat, Mazarino autores fuiſſe, uti quantocyùs Regem eò reduceret, aliter Condæi conſiliis occurri non poſſe: hos Radeſianus ludos more, inſtitutoque ſuo faciebat, Mazarino, atque Condæo viciſſim, ſicuti res ſua monebat, infeſtus, atque alterum alterius operâ perditum volens; prætereà Regem ad Urbem eſſe cupiebat, ut ab hoc Pileum purpureum Cardinalatûs inſigne more majorum acciperet. Ubi Rex Corbolium advênit, eò & Leca miſſus ab Radeſiano, & Rohanâ cum mandatis item bonorum civium ab Urbe venit, qui uti Rex ad Urbem rediret hortabantur: ſed dubiæ ſe plebis, ac maximè factioſorum fidei committere, neque Regi, neque Reginæ matri, neque Mazarino ſatis placebat. Fuêre contrà qui Lutetiam Pariſiorum premendam obſidione, atque commeatibus prohibendam cenſerent, quorum inopiâ brevî reditura in viam eſſet: ſed iſthuc negavit Mazarinus faciundum, ut ne Senatus, Populuſque magis, ac magis viris Principibus, ac maximè Condæo adjungeretur, atque variæ apud Urbem factiones, quæ ſibi plerúmque invicem obſtabant, inter ſe coaleſcerent, & in ſuam congruerent, conjurarentque perniciem.

Carolus Britanniæ Rex quem in Galliam veniſſe ſuprà diximus

1652. patriâ profugum, atque omnibus fortunis ſpoliatum, apud Urbem erat, cum Henricâ matre, quæ Ludovico Regi amita eſt. Is cùm ad Regem Corbolium veniſſet, poſt dictam utrimque ſalutem, pleraque inter ambos, ac Reginam quæ aderat commutata verba ſunt, de præſenti utriuſque Principis fortunâ, quæ tametſi Ludovico multo minùs adverſa erat, tamen ut ſunt humana, providendum videbatur, ut ne poſthàc ampliùs labefactaretur. Carolus pacem cum viris Principibus, Senatu, Populoque ſuadebat, neque plus rationes quàm exemplum hominis valebant, ac Britanniæ vicinæ res documentò erant, *Nullum iis qui parere debeant, ubi imperium exuerint, modum eſſe: nam quo longiùs ab jure diſceſſerint, eò tutiores videri. Id demùm valere ubi homines rectè ſentiant, ubi inſanire cæperint, nihil valere: poſtremò Regem ubi bellum adversùm civem gerat, huic exæquari, neque inter utrumque diſcriminis fermè quidquam eſſe, quàm quod victori i fecerit. Id adeò magnoperè cavendum, aut ubi ſi accidat, ſubitò quavis fermè conditione finiundum.* Igitur Regi, atque Reginæ matri ſatis placebat pacem fieri, ipſe Mazarinus frequenti Conſilio quod de hoc negotio habebatur Carolo coràm profeſſus iterùm eſt, ſeſe exulare denuò malle, quàm belli civilis cauſam eſſe. Sed Rex, atque Regina mater negavêre ſuo, ac rei publicæ commodo id fieri poſſe, neque commiſſuros uti pro lubidine virorum Principum, aut Senatûs, Populive, aut cujuſquam omnium Adminiſtros ſumant, dimittantve, aut in eo Majeſtatem regiam, atque potentiam minui ſinant: ne ſe quidem ulli civium præcipere, quorum conſilio, aut operâ in re ſuâ adminiſtrandâ utatur, quod iis multò minùs adversùm ſe liceat.

Ubi Carolus ad Urbem redierat, Henricæ matri quæ apud Corbolium dicta fuerant, ea ordine renuntiat, atque ipſa Gaſtoni fratri. Hic verò, atque Condæus ad Regem ubi Germani-fanum adveniſſet, quò ſe iturum Carolo dixerat, mittere conſtituunt, qui de pace agerent. Primùm utrùm id Regi placeret quæſitum, dein factâ mittendi poteſtate Germani-fanum iêre Henricus Chabotus Rohanus, Leo Buthillerius Comes Chavignius, & Goulaſius Gaſtonis Scriba. Ubi in conſpectum Regis venêre, Mazarinus aberat: poſt ubi Gaſtonis, ac Condæi mandata eloqui cœpêre, advenit Mazarinus, atque Legatorum interpellavit orationem, quibus videlicet edictum fuerat, ut ne quid cum eo agere vellent. Ibi verò Rex hos ſi quid ſecum actum velint, pergere jubet, neque enim mandata Gaſtonis, & Condæi niſi Mazarino præſente cogniturum: ſin id ipſis haud ſatis placeat, ſicuti veniundi copia fuerit, ita & diſcedendi eſſe.

Rohanus, Chavignius, atque Goulaſius quando ita Rex vellet, haud ſibi ceſſandum Mazarini verecundiâ exiſtimavêre, atque re infectâ cujus gratiâ venerant, diſcedendum. Igitur pergunt eloqui, *Mazarinum* qui aderat, *omnium quæ in Gallia ſint malorum cauſam unicam eſſe* dicunt, *quo Aula, atque finibus pulſo, continuò deſitura ſint, ab armis diſceſſuros Principes viros, Senatum, Populumque quieturos: omnium Ordinum, ac propè ſingulorum hominum votis hujus diſceſſum expeti, neque in quemquam tantum omnium*

mortalium odium uſquàm extitiſſe. Regum potentiam nullis finibus circumſcriptam, iis cives in omnibus obedientes eſſe debere : ſed magnæ, ac propè neceſſariæ prudentiæ eſſe, ea jubere quæ non omnibus iniqua videantur. Si idem omnes de re quapiam ſentiant, id pro divino uſquè habitum, cui obſtare fas non ſit : poſtremò orare viros Principes, atque Regi ſupplicare, uti de abigendo Mazarino omnium Ordinum, atque civium precibus, ac flagitationibus exorari ſe ſinat, neque eo quidquam de Majeſtate, atque potentia regia detractum, aut imminutum putet, ſatis agnoſcere viros Principes, atque omnes Ordines, quæ, & quanta ſit, & eſſe debeat, pro qua tuenda, atque amplificanda neque fortunis, neque vitæ ſuæ parcere velint : ſed illa Mazarinum abuti haud æquum eſſe. Ad hæc ipſe ſui purgandi causâ multis diſſeruit, cæterùm Regem impenſiùs, quàm Legati oravit, uti ſibi ejus voluntate diſcedere liceret, magnum ſibi pretium exilii ſui futurum, ſi eo res publica quieta foret: ſed neque ejus, neque Legatorum oratione Rex adductus eſt, ut illum abire ſineret. 1652.

Hæc coràm Rege, Reginâ matre, Mazarino, atque aliis dicta, de quibus præthereà cum Mazarino Legati ſingillatim egère, cujus rei licentiam hos habuiſſe ſi ita neceſſe foret, haud dubium eſt. Id Chavignium lubentiùs feciſſe aiebant, quod hunc tæderet, pigeretque tamdiù ab Aulâ, atque ab rei publicæ negotiis abeſſe, atque adeò jam antehàc quædam pro Condæo cum Mazarino per Fabrum Sedano Præfectum, ac per alios egiſſe. Scilicet Mazarinum Peronam, aut Sedanum ſeceſſurum, ſicuti de pace inter Galliarum, & Hiſpaniæ Reges conciliandâ acturum. Intereà Rex Compendium proficiſceretur, atque eò agitaret. Condæus ubi Mazarinus abiiſſet, ab armis diſcederet, daretque operam ut idem fieret ab Gaſtone, præthereà de non inſtaurando ubi Mazarinus rediiſſet, bello fidem daret. Ratio iniretur, quonam modo adduceretur Senatus, ut Mazarinum extrà noxam eſſe decerneret, eò Condæus quos in hoc Ordine amicos, atque fautores habet, eos Mazarini amicis, atque fautoribus conjungeret. Sin id ad Urbem minùs procederet, in Divionenſi Curiâ quæ ſit in Condæi poteſtate, aut aliò fieret. Si quid poſthàc inter Aulam, & Senatum controverſiæ foret, Condæus nihil adversùm illam faceret. Huic in belli quod geſſerat ſumptus ingens pecunia curaretur, ex Burdigalenſi portorio in Aquitaniâ, quam Condæus obtinet provinciam, atque ut ne hæc pecunia interverteretur, Longolius Maiſonius ſummus Quæſtor Regni iterùm crearetur. Contius Provinciam, Nemoroſius Arvernos obtineret, Marſinus in Aquitaniâ Condæo Legatus eſſet. Is cum Daugniono Fucaltio Tribunus Equitum, Gondrinus Monteſpanus Dux, & Par Franciæ crearetur. Rupifocaldo, atque Violæ centum utrique millia nummûm numerarentur. Poſtremò Conſilium Regi non unius Reginæ matris, ſed & Gaſtonis, & Condæi arbitrio conſtitueretur. Ipſi Condæo Rex Pacis inter ſe, & Philippum ſanciundæ faceret poteſtatem. De cæteris quid conſilii Mazarino fuerit haud ſatis compertum habeo : ſed iſthuc de Conſilio Regi conſtituendo durius erat, quàm ut illi probaretur, neque item de Pacis negotio Condæo permittendo : haud

1652. enim ſatis æquum cenſebat, uti qui dudum cum Hiſpanis congruebat, ei pacis cum his ſanciundæ poteſtas fieret: nam tametſi Rex quibus conditionibus hanc factam vellet, ipſi præſcribere poſſet, tamen in agendo, ac moliundo pleraque Condæum ſi vellet facturum, quibus ab illis Rex diſcedere cogeretur: illi denique ſaltem in manu futurum, pacis conficiundæ tempus aut maturare, aut producere, quod ad rem publicam magnum habebat momentum, ac denique ſicuti Condæo ſua in pace cum Hiſpanis ſanciundâ conſilia, ita & Mazarino fuêre, quæ nec ab illo, nec ab Chavignio, neque ab ullo alio conturbari volebat.

Sed ab Radeſiano pleraque horum ficta, atque alia hujuſcemodi dixêre, uti Condæo, atque Chavignio quos iis de cauſis, quas ſuprà memoravimus, malè oderat, invidiam conflaret: cæterùm per conditiones pacis Mazarinum Aulâ, ac finibus planè pulſum volebat, ſpem nactus Regem ex ſententiâ Annæ matris ſibi tùm rem publicam permiſſurum unico in Galliâ Cardinali, ac ſatis,ſuperque idoneo,qui Condæi ambitioſis conſiliis, conatibuſque obſtaret: Mazarinum tamen ab quibuſvis aliis, quàm ab ſe abactum videri malebat, nonnullâ ex adepto ejus operâ Cardinalatu verecundiâ: poſtremò æquius cenſebat Gaſtonis, quàm Condæi arbitrio pacem ſanciri, nam in hac ille Radeſiani conſilio, judicioque uſurus erat, quamobrem Condæum, atque Chavignium apud Gaſtonem, apud Senatum, Populumque maledictis onerabat, præthereà Belfortium, quem cum his congruere aiebat, atque adeò ſegniùs omnia quæ ad bellum pertinebant, quàm par erat, egiſſe, atque etiamtùm agere, hærere ad Urbem amori deditum, neque quemquam omnium ex viris Principibus in caſtris eſſe, qui rem publicam gerat. Complures omnium Ordinum eâ tempeſtate Radeſiani domum frequentabant, nuper ab Pontifice Cardinalem creatum, quo huic, atque amicis ſpes amplior erat, fore uti ſi pelleretur Mazarinus, nullo negotio in hujus locum ſufficeretur, hos ille benignè, ac pro cujuſque dignitate, comiter excipiebat, nihil omnium quæ homini potentiam quærenti conveniunt, prætermittens.

Regem Urbi appropinquantem ſecutæ erant copiæ aliquæ: hæ apud Corbolium reſtitêre, quæ res Gaſtoni, atque Condæo locum dedit expoſtulandi apud Senatum, fidem ab Hoſpitalio datam violari, nam is haud propius triginta paſſuum millia copias regias appropinquaturas Urbi pollicitus fuerat, quod idem factum fuerat ab Gaſtone, atque Condæo de utriuſque copiis. Itaque has ambo ſe acceſſituros dixêre, atque rogavêre Patres, ut id æqui, boniquc conſulerent, quoniam rei publicæ cauſâ fieret: præthereà pontes apud Clodoaldi, & Mauri fana Carentonium, & Neuillium interrupêre, atque eò collocavere præſidia. Sed horum metu ægrè ad Urbem commeatus ſubvehebantur, de quâ re Patres monere mercatorum Præfecto viſum, quod eſt factum frequenti Senatu: at Principes viri negavêre quidquam ab præſidiis quæ apud pontes haberent, moleſtiæ, aut moræ commeatibus, aut eorum vectoribus allatum iri, licere mercatorum Præfecto mittere quos velit,

uti quid agatur coràm cognoſcant. Confugiebat in Urbem agreſtium multitudo, cum omnibus fortunis, armentis, gregibus, vino, atque annonâ, quæ res miſerabilem planè belli faciem oſtentabat: præterea Condæus in Urbe delectum habebat, atque equites ſcribebat, poſtremò aut res prælio committenda, aut occupatis omnibus ad Urbem itineribus fame laborandum propediem videbatur. Virorum Principum exercitum ab Montargirio Stampas in Belſienſi agro conceſſiſſe ſuprà memoravimus, atque id oppidum medio inter Aureliam, & Urbem itinere poſitum eſſe. At Turena, & Hocquincurius progreſſi ad Caſtrum, & Herimontem, eò, atque vicinis locis ſtativa habuêre, ut hoſtes ab Urbe, & Germani-fano quò Rex commorabatur, prohiberent. 1652.

Senatus nuper decreverat uti Magiſtratuum urbanorum, atque oppidanorum in publicis Urbis Ædibus Conſilium frequens haberetur, in quo Gaſto, atque Condæus ſi videretur, eadem quæ in Senatu profiterentur, ſe videlicet ab armis diſceſſuros, ſtatim atque Rex Mazarinum Regni finibus ſicuti ſæpiùs edixerat, ac Senatus decreverat, abactum vellet, quod quidem ambo lubentes fecêre, ac præterea idem in Rationum, & Vectigalium Curiis ſunt profeſſi: ſed in hac Amelotus primarius Præſes ſummâ cum gravitate, atque eloquentiâ eadem Condæo quæ Bailleulius in Senatu de Regis Edicto, quo hoſtis judicatus fuerat, atque de cæde regiorum apud Blenellum exprobravit, reclamantibus item ſicuti in Senatu cæteris. Sed & Rationum, & Vectigalium Curiæ, præterea Conſilium Urbis è ſuo ſinguli ordine quoſdam ſicuti Senatus ad Regem de pellendo Mazarino mittendos cenſuêre, quod eſt poſt paulò factum. Ibi verò Rex ſcriptum Senatûs de quo antehàc memoravimus, ſeſe coràm, atque hujus Ordinis Legatis recitari juſſit denique, recepitque ante triduum huic ſe habito eâ de re Conſilio reſponſurum, Senatumque facturum quid ipſe velit, jubeatque certiorem: eadem fermè aliarum Curiarum, atque Urbis Legatis reſpondit, ac benignè appellatos, habitoſque, & quæ fieri æquum eſſet omnia ab ſe expectare juſſos dimiſit.

Ab Caſtro, atque Herimonte Turena cum exercitu propiùs Urbem venerat, dein ad Palatiolum conſedit, undè crebro circumquâque excurrebant equites, quo fiebat uti difficiliores ad Urbem aditus commeatibus eſſent, obſidentibus vias cùm regiis, tùm virorum Principum quæ ad pontes ſicuti ſuprà memoravimus, cuſtodias agebant, copiis, vix altero ab Urbe lapide. Sed Gaſto, atque Condæus V. Id. Maias in Senatum venêre, uti Neſmondum, atque Collegas Legationem renuntiantes audirent. Quod ubi fiebat, nuntiatum eſt regios munitionem ad Clodoaldi pontem oppugnare, quâ re permotus Condæus ait eò ſe properare, ut hoſtem arceat, neque Urbi appropinquare ſinat: ſecundùm hæc Curiâ egreſſus aliquantum equitum numerum cogit, atque ad Boloniæ ſylvam procedit, ſequuntur armati oppidani aliquanto numero, ex quo delectis qui ad incœptum ſuum magis idonei videbantur, tantum ſibi in præſentia ſufficere dixit, ac cæteros hortatus ut ad reli-

1652. qua belli ubi eorum opera rei publicæ uſui foret, parem animum gererent, dimiſit.

Regii intereà egregiè propugnantibus ad Clodoaldi munitionem hoſtibus, incœptum omiſerant, neque tamen ubi id reſcivit Condæus, ſibi nihil tentato ad Urbem redeundum ſtatuit: ſed continuò miſit ad Gaſtonem, qui nuntiaret ſibi conſilium eſſe, ad Dionyſii-fanum ducere, ut indè regios pelleret. Id oppidum altero ab Urbe lapide poſitum eſt, haud procul Sequanâ, quò ducenti Rhæti, qui unà cum Helvetiis mercede Regi militant, præſidium agitabant. Gaſto Condæi conſilium probat, Belfortius ad eum maturat accedere cum aliquanto equitatu. Condæus trecentos omninò habebat equites, comitabantur a Rieuxius Comes Ellebovii filius, Rohanus, Rupifocaldus, Suillius, Marſillacus, atque alii nobiles, cum quinque millibus oppidanorum armatorum: Belfortius cum eo quem adduxerat equitatu, quà regii ab Germani-fano Condæo Dionyſii-fanum oppugnanti intervenire poterant, ſtationem habuit.

a Le Comte de Rieux.

Condæus ubi appropinquavit oppido, miſit ad Rhætos, qui hortarentur uti deditionem facerent: ſed hi crebrâ glandium miſſione reſpondêre, quâ multi perterrefacti diffugêre: ſed collecto denique animo unà omnes Condæum ſcandentem mœnia ſecuti ſunt. Rhæti tanto hoſtium numero oppreſſi, partim cæſi, alii capti, abductique, atque adeò Condæus oppido potitus eſt. At Turena hujus rei brevem lætitiam hoſtibus fecit: poſtridiè enim per Renvillam recepit oppidum, dein utrimque convênit, ut omnes quæ circùm Urbem erant copiæ, ultrà triginta millium paſſuum circumquàque ſpatium deducerentur, quod eſt ſubitò factum, & quæ apud Dionyſii-fanum, aut aliò regiæ, & quæ apud Clodoaldi, & Mauri-fana virorum Principum, apud Neuillium, & quocúmque aliò copiæ erant, ex longiùs abſceſsêre. Harum ab Urbis viciniâ diſceſſu exercitus cùm regius, tùm virorum Principum aucti, quorum ille ad Palatiolum, hic ad Stampas ſtativa habebant.

Sed cum Palatiolum intrà triginta millium circùm Urbem ſpatium eſſet, eo movere Turena neceſſe habuit, ac circùm Autricum Carnutum habere caſtra. Tum Aurelia Virgo nondum ab Aureliâ ad Urbem redierat, quod uti tutò ſibi facere liceret, ab Turenâ Diploma per litteras poſtulavit. Is eâ de re certiorem ſe Regem facturum reſpondit, ab quo miſſum quod Virgo poſtulabat Diploma eſt. Sed hæc intereà Stampas advenerat, atque inde iterùm de Diplomate ad Turenam miſerat, quod ille continuò tradidit. At ubi hæc ab Stampis diſcederet, ratus hoſtes oppido egreſſuros, futuroſque in acie officii causâ, dein pleroſque ex Ducibus Virginem abeuntem proſecuturos, ſpem nactus eſt, aut cum egreſſis acie decertandi, aut vacui oppidi ex improviſo potiundi. Sed in tantâ vicinitate ſtativorum, vix quidquam fallebat quod alter moliretur: cùm itaque certiores facti hoſtes eſſent, Turenam moviſſe, continuò in oppidum regrediuntur, & undequàque ſtationes, & cuſtodias firmant.

Extrà oppidum ſuburbium eſt, in quo Germanorum quos Nemoroſius nuper adduxerat, cohortes ſeptem, Contia præterea, atque Æduorum Gallicæ legiones duæ agitabant, præterea equitum alæ Vitembergi, & Bruchi Germanorum. Turena cum neutri earum quas animo deſtinaverat, rerum in tempore occurriſſet, id ſuburbium cum Hocquincurio oppugnare decrevit, poſtquàm naturam, atque ingenium loci ſatis perſpexerant. Hocquincurius maximè ex nuperâ apud Blenellum acceptâ clade ultionis, atque adeò pugnandi avidus erat, ad hoc conſilia militaris audaciæ plena homini per ſeſe ſatis placebant: Turena neque audaciæ, neque conſilii uſquàm eguit. Inter rivum, & amnem qui Stampas præterfluit, ſuburbium poſitum eſt: ab Autrico Carnutum venientibus regiis rivus erat objectus: dextrâ parte Turena, ſiniſtrâ Hocquincurius curabat. Haud procul ab rivo Vitembergi, atque Bruchi Germani equites fuêre, inter quos tanta ſtrages ab regiorum tormentis edita eſt, uti mutare locum cogerentur, quo facile regiis fuit rivum tranſire, atque ad hoſtes propè intactis pervenire. 1652.

Hi munitionibus quas obduxerant ſuburbii vicis, atque hortorum muris, ac maceriis tecti ſtrenuè propugnabant, & qui præmiſſi ab Turenâ, & Hocquincurio fuerant, eorum impetum ſuſtinuêre, & retudêre, partim equites, alii ex omnibus cohortibus delecti fuerant, qui prælium inciperent. Sed ipſæ cohortes id excepêre, ac poſt ſatis diuturnum certamen munitiones perrupêre, ac ſuburbium ingreſſæ ſunt: hoſtes tamen hìnc indè reſtitabant, non fugientium more recipientes ſe, at ſicubi locus idoneus erat, acriter propugnantes, maximè propiùs Templum, quò murus humilis circùm ſepulcrale ſolum eſſe ſolet: poſtremo tamen cæſi, captique complures, atque direptum ab regiis ſuburbium eſt. Æduorum legio omnis deſerto quem tueri debuerat loco, in tutum ſe recepit, cæterùm pauci alii ad oppidum refugêre. Turena, atque Hocquincurius facto hoc operæpretio ad Autricum Carnutum, & poſt biduum ad Palatiolum rediêre. Ingens certè damnum hoſtibus intulerant, ita ut poſt tantam quam fecerant copiarum jacturam, ſe bellum diutiùs ſuſtinere non poſſe ſentirent, niſi ab Hiſpanis valida iterùm auxilia, imo juſtus adveniret exercitus.

Sed eâ tempeſtate Condæus ſeu ſuâ ſponte, ſeu ab Mommorantiâ Buttevillâ cujus hunc amore captum diximus, perſuaſus ad pacem animum adjecerat: nihil verò optatius fuit Mazarino quàm de hac agi ſecum, ac ferri utrimque conditiones, atque ita tempus terere. Eâ gratiâ Regina, atque ipſe Buttevillam prenſabant, ſpemque faciebant mulieri pacem æquis Condæo conditionibus fieri poſſe, cui rei ſi operam dare vellet, hujus ipſi haud exiguam fore mercedem. Eódem tendebat Rupifocaldus, ſimili ſpe fretus quæ præceperat animo præmia, ea denique ſe per pacis conditiones conſecuturum: ſed ut ne Mazarinus more ſuo rem produceret, Condæo cautio fuit. Igitur non ut antehàc per ingentes viros ſicuti Rohanum, & Chavignium, ſed per Gourvillam de quo ſæpiùs memoravimus Rupifocaldi clientem de re tantâ agere

Vuuu

1652. decrevit, non ut hic cum Mazarino de eâ colloqueretur, atque ageret, quod diuturnum fore videbatur, ſed qui huic perſcriptas ferret conditiones, quæ hujuſmodi fuêre.

Uti quâ die ferebantur, eâdem acciperentur, neque mutaretur in iis quidquam. Mazarinus faceſſeret Regni finibus, ac Buillonium haud procul concederet. Gaſtoni, atque Condæo de pace cum Hiſpanis agendi, atque tranſigendi copia eſſet, cujus conditiones æquiſſimæ ab Rege utrique traderentur, quas Hiſpanis ferrent. Condæus eâ gratiâ quemquam in Hiſpaniam mitteret, qui cum Hiſpanis quónam de pace ageretur, ac denique hæc ſanciretur conveniret. Regium Conſilium qui nihil Gaſtoni, atque Condæo ſuſpecti eſſent, componerent. Abrogaretur ſummo Quæſtori Magiſtratus, ac res regia proborum virorum conſilio adminiſtraretur. Qui Gaſtoni, & Condæo per id bellum operam dediſſent, ii in integrum reſtituerentur, neque ullam bonorum, honorum, Magiſtratuum, munerum, penſionum ex ærario annuarum, aut ullius uſquàm rei jacturam paterentur, ac multo minùs Gaſto ipſe, atque Condæus. Gaſtoni, Condæo, atque amicis, & clientibus de omnibus quæ poſtulaverant fieret ſatis. Qui Tribuni, Præfecti alis equitum, turmarum Duces, quæque alæ, turmæ equitum, cohortes Gaſtoni, atque Condæo militaſſent, eodem numero, atque ordine, quo antehàc haberentur. Burdigalenſibus quæ ante bellum petierant, ac de quibus ad Regem miſerant, ea concederentur. Vectigalium aliquâ parte Aquitani levarentur. Contio poteſtas fieret habendæ Provinciæ, atque in hujus æſtimationem tradendæ Inculiſmo Duci qui hanc tum obtinebat, Campaniæ; aut Campaniæ provinciæ alteri venum dandæ, cujus pretium Inculiſmo Duci daret; quod ſuprà id dandum foret pecuniæ, id Rex ipſi ex ærario curari vellet. Nemoroſio Arverni provincia daretur: Violæ Præſidis in Senatu Magiſtratûs, aut Quatuorviratûs in Aulâ commercandi poteſtas fieret, atque eâ gratiâ pecunia curaretur. Rupifocaldo eadem viri Principis, quæ Buillonio dignitas tribueretur, Santonas prætereà, atque Inculiſmenſes haberet provinciam, atque eâ gratiâ centum & viginti nummûm millia huic curarentur, quo hanc, aut aliam commercaretur provinciam. Tremolio Tarenti Principi, idem dignitatis gradus porrò eſſet, & quam jacturam apud Tailleburgum ſuum captum, ac dirutum fecerat, ea ſarciretur. Marſinus, ac Fucaltius Daugnionus Tribuni Equitum, Gondrinus Monteſpanus Dux, & Par Franciæ crearentur. Rohanus Chabotus Andes haberet ſicuti antehàc provinciam, Juliomago, & Cæſaris Ponti Præfectus eſſet. Forcæus Bergeraco, ac Fidei-fano oppidis in Aquitaniâ item Præfectus eſſet, atque huic ubi mortem obiret Caſtelnavius frater ſuccederet. Iſthæc ſi ſatis placerent continuò Gaſtonem, atque Condæum ab armis diſceſſuros, ac nihil obſtituros, quo minùs Mazarinus de iis quorum reus habeatur, rectè purget ſe, atque in Galliam, & Aulam poſt tres menſes redeat, aut ubi Condæus de conditionibus pacis cum Hiſpanis convenerit.

Ab his conditionibus Mazarinus haud alienus videbatur, ſeu verè has accipere conſilium erat, ſeu ubi de his Rege coràm conſultaretur, tum his obſtituros alios ſatis ſcibat. Intereà Gourvillam bonæ ſpei plenum ad Condæum remittit, ſatis gnarus quàm varia eſſent apud Gaſtonis, & Condæi clientes de pace, bellove ſtudia, quibus ſi ſpatium daretur, quæ de pace agantur, ea facilè diſturbaturos: ſibi majores ad bellum ſuſtinendum quàm illis opes eſſe, intereà tempus, & diem multa quæ vix provideas allatura, poſtremò ſibi perpetuas cum hoſtibus, aut inimicis de pace, aut reconciliandâ gratiâ collocutiones proſperè eveniſſe, quæ moram gerendis rebus plerúmque adferant. 1652.

At Radeſianus paci quæ per Condæum fieret, adverſus erat, nam hanc per Gaſtonem fieri malebat, ut aliquam ex eâ apud Regem, Reginamque matrem gratiam iniret: ſed bellum præoptabat, quod ſi porrò gereretur, atque proſperè viris Principibus cederet, coactum iri Mazarinum ab Aulâ diſcedere, in cujus locum uti ſufficeretur ſeſe daturum operam, inter Reginam, & Gaſtonem gratiam conciliando, ſin bellum parùm procederet, Condæum aut in Aquitaniam, aut aliò, quò belli adminiſtrandi ratio poſtularet, abiturum, ſibique Gaſtonis, & Senatûs quò bonum foret, atque commodum per illius abſentiam impellendi majorem copiam fore. Chavignius item qui de pace apud Germani-fanum agere cœperat, hanc alterius operâ fieri nolebat, quo factum eſt, cùm in rem hujus non minùs quàm Radeſiani eſſet, id negotium diſturbari, ut unà ambo Gaſtonem adduxerint, uti per Danvillam Mazarinum moneret, ne cum Gourvillâ quidquam de pace convenire vellet, cujus ſanciundæ Gaſto ſibi gratiam, & gloriam expeteret: propediem hunc Germani-fanum ad Regem iturum, cujus rei exemplum apud Senatum, Populumque magnam vim eſſet habiturum. Hæc, atque hujuſcemodi alia Mazarinum ſuâ ſponte dubium, atque incertum, incertiorem multo faciebant, niſi ſi certum erat, perpetuis de pace, aliiſque de rebus cum Gaſtone, Condæoque collocutionibus, miſſitationibuſque utrumque more ſuo ludificari. Poſtremò cùm Condæus eo res ſuas labefactari ſentiret, Gourvillam iterùm Germani-fanum mittit, qui ab Mazarino ſuper conditionibus quas tulerat, utrùm has accipere velit necne reſponſum referat, ſpemque adimat ſeſe poſthàc eódem rediturum.

Intereà qui Mazarino infenſi erant, ii Condæi animum ab pace avertere, niſi ſi per hujus conditiones ille rei publicæ, & omnium bonorum ſicuti prædicabant, hoſtis planè, atque in perpetuum Regni finibus pelleretur. Hiſpani verò promiſſis onerabant hominem, neque omittebant polliceri omnia, queis in Galliâ civile bellum alerent: neque erat quiſquam ex ejus propinquis, amiciſve, & clientibus, qui non idem ſuaderet, quò & animi lubido magis, quàm ad pacem ferebat. Obſtabat modò amor, cui ſi bellum gereret, operam dare non poterat, quia ipſe diſceſſurus ab Urbe, Buttevilla verò eò manſura erat. Quamobrem facilè adductus eſt, ut huic pacis omne negotium crederet, cui am-

1652. plum, atque magnificum viſum, tantas quæ & Aulam, & Galliam omnem perditum ibant, turbas ſedare, ac civile bellum extinguere, neque id apud omnes ſibi ingratum fore ſatis ſcibat.

Eâ tempeſtate Condæus Buttevillæ Merlovium rus nobile dono dedit, quod huic poſthàc proprium, atque hæredibus foret, in eo Carolæ Margaritæ Mommorantiæ matris exemplum ſecutus, quæ ruris hujus uſumfructum Buttevillæ anteà legaverat. Id ſe Condæo autorem fuiſſe Rupifocaldus prædicavit, quo ille magis, ac magis eſſet in Buttevillæ poteſtate, atque huic de pace faciundâ porrò auſcultaret. Sed qui omnia hominum in pejorem, quod verè ſæpiùs fit, partem rapiunt, non eâ modò gratiâ Rupifocaldum Merlovium rus ab Condæo Buttevillæ donatum voluiſſe aiebant, ſed & ut Nemoroſius ex eâ re nonnullam ſentiret ægritudinem, qualem videlicet haud abſimili de causâ ipſe Rupifocaldo paulò antè conflaverat.

Igitur Buttevilla Condæi voluntate Germani-fanum proficiſcitur, cui agendarum rerum, ac belli componendi omnem licentiam permittit. Sed Mazarinus qui nihil eſſe quod in tantâ re properaret, probè intelligebat, præterea factiones varias inter virorum Principum clientes eſſe, quæ ſibi invicem quò minùs res communis rectè adminiſtraretur obſtarent, dein quo diutiùs de pace ageretur, eo ſegniùs quæ ad bellum pertineant, paratum iri, neque poſt rem apud Blenellum benè geſtam inceptum quidquam ab hoſtibus eſſe, Buttevillam benignè, ac liberaliter habitam cum ſpe modò pacis optimâ dimiſit.

Hâc dum Condæum Mazarinus attinet, atque ludificatur, ad rem publicam intereà magnoperè pertinere arbitratus eſt, Turenam hoſtium ſtativa quæ apud Stampas habebant, oppugnare : ac ſimul Rex Germani-fano profectus eſt Melodunum, quo ſuis ex propinquo animos adderet, atque complures ex Aulâ nobiles ut ferè fit, militaris gloriæ avidi ad caſtra facilè commearent, egregiamque de more operam Regi, atque rei publicæ navarent. Id planè fecêre ubi Turena Stampas oppugnavit, quò utrimque acriter geſta res eſt, hoſtibus naviter propugnantibus primùm pro munitionibus quas regiis objecerant, dein pro oppidi mœnibus, ac poſtremò in ipſis mœnibus, quò compulſi denique ſunt : eò cæſi permulti, inter quos è regiis *a* Vetuſvilla, ac *b* Paraberus, uterque è Melitenſi militiâ, ille ſummi Quæſtoris filius, qui poſt paulò ab vulnere interiit: vulnerati *c* Vardius Marchio Dubecus, *d* Schombergius Comes, atque alii. Eò tamen deducta ab Turena res erat, ut in oppidi foſſam huic deſcendere copia eſſet, atque per hanc cunicularium infirmis mœnibus applicare, quæ brevî disjectum iri propè exploratum videbatur.

Ubi Principum virorum copiæ nuper apud Stamparum ſuburbium ab Turenâ, atque Hocquincurio malè habitæ fuerant, Gaſto, atque Condæus ad Hiſpanos miſerant in Belgium auxilium orantes, quod eſt ab his opportunè miſſum, non Hiſpanorum quidem, & Belgarum, ut ne quid horum aſpectus Gallorum oculos offenderet, ſed Lotharingo-

a Le Chevalier de la Vieuville.
b Le Chevalier de Parabere.
c Le Marquis de Varde, du Bec.
d Le Comte de Schomberg.

rum peditum, equitumque, juſti exercitûs numero, quem Carolus antehàc Lotharingiæ Dux per Lingonum, & Campaniæ fines adduxit: hic Gaſtoni affinis eſt, quem huic opem ferre haud fermè iniquum cuiquam videri poterat. 1652.

Eâ tempeſtate percrebuit rumor Carolum tantiſper eſſe tergiverſatum, dum tentat magis, quàm flagitat uti Jamaſium, Satenaïum, atque Claromontium ſuæ ditionis antehàc oppida ſibi ab Condæo reddantur, quæ hic haud ita pridem ſibi ab Rege donata poſſidet; ſed ea res denique nihil Carolum eſt remorata. Igitur ad Lagnium uſquè proceſſit, atque eò in ſtativis exercitu relicto venit ad Urbem: prodiére obviam Gaſto, Condæus, atque alii factionis principes: quod ubi Regi eſt nuntiatum, ſubitò Corbolium Almeraſium Caſtrorum Præfectum cum quingentis peditibus, ducentis equitibus, ac tormentis ſex dimiſit, validum huic oppido, ut ne eâ Sequanam Carolus tranſiret, præſidium. Apud Urbem propinquos huic viſere cura fuit, ac maximè Rohanam Mombaſonam, quæ ipſi affinis eſt: hæc ſeu ſuâ ſponte, judicioque, ſeu Caſtronovano autore qui tum ad Urbem erat, rationem iniit, quo ſine certamine Stamparum obſidio ſolveretur, atque id Carolus cum bonâ Regis, atque virorum Principum gratiâ faceret. Eo hunc docuit nihil eſſe quod tantoperè properaret hos adjuvare: ipſi in copiis ſuis ſpes, opeſque omnes ſitas, quas in diſcrimen adducere, ut aliis gratificaretur, non in rem ejus eſſe: ſatius videri quod facturus venerit, id citrà prælium, aut periculum ullum efficere, quod certè fieri poſſe confideret, ſi Carolus cum Caſtronovano colloqui vellet.

Id quidem Carolus lubentiſſimus fecit, atque ambo convenêre, uti Caſtronovanus ſcriberet ad Reginam, doceretque eò ſe poſſe Carolum adducere, ut ne ad Stampas versùs duceret, ſed regrederetur in Belgium, modò ut Regi placeret Stamparum obſidionem ſolvi, atque indè Principum virorum copias tutò diſcedere. Continuò Caſtronovano eâ de re agendi, tranſigendique cum Carolo poteſtas facta, quod eſt his conditionibus factum. Uti Turena ab Stamparum viciniâ exercitum abduceret. Virorum Principum copiæ tutò indè diſcederent. Carolus ſubitò moveret, ad Regni fines contenderet, atque his quantocyùs egrederetur. Iter ad fines habenti adeſſent ubique commeatus: pecuniam præthereà huic ab Rege curatam plerique dixere.

Gaſto intereà, atque Condæus Carolum magnoperè urgebant, uti Sequanam traduceret copias, ſpem nacti Turenam cum exercitu regio inter duos Principum virorum, ac Caroli exercitus deprehenſum vinci poſſe, atque ita Regem cogi, ut ad ea quæ ipſi vellent deſcenderet. Sed ille nectebat moras, quibus facilè quid huic ſententiæ eſſet cognovêre, ac denique ſatis ſe magnam iis operam navare dixit, Stampis, ac magis eorum copiis obſidione eximendis, cui rei modò patrandæ veniſſet, & quam integris ſuis copiis, neque in prælii aleam adductis, quàm vel inſigni victoriâ factam mallet, quoniam vix hanc ſine ullâ militum jacturâ reportare poſſet. Sed viri Principes ab eo ſaltem poſtu-

1652. lavêre, uti maneret in ſtativis, quæ tum apud Georgii Villamnovam duodecim ſuprà Urbem paſſuum millibus ad Sequanam habebat, uſque dùm horum copiæ quæ ab Stampis diſcederent, in tutum eſſent collocatæ, quod quidem impetravêre.

At Turena ubi nuntiatum eſt Carolum nondùm ſicuti fœdere Caſtronovani operâ inito cautum fuerat, diſceſſiſſe, Corbolium ducit, ut eò copias Sequanam traduceret. Quo hujus conſilio Carolus permotus mittit ad eum qui ſciſcitaretur, quæ cauſa eſſet, quamobrem ad ſe versùm veniret, cùm ſibi conſtituta omnia cum Aulâ eſſe ignorare non poſſet, atque intereà in collibus circà Georgii Villamnovam caſtra probè munit. Turena hunc ab fœdere diſceſſiſſe reſpondit, qui dictâ die non abiiſſet, quod ſi etiamtùm facere velit, ſe non ultrà progreſſurum, quatuor horas ad deliberandum dare, quibus elapſis ſeſe ad eum protinùs iturum, quod eſt ceſſante Carolo factum. Nam Turena expedito agmine relictis apud Corbolium impedimentis ad Yerram amniculum, qui in Sequanam ad Villamnovam influit, & quò munita erant Caroli caſtra, venit.

Longiuſculè, ab his quæ in collibus poſita fuêre, Caſtellum eſt ad hunc amniculum, quod Carolus præſidio tenebat: ſed id cum ipſo præſidio deditum eſt Turenæ, qui eò traduxit amniculum copias, atque inſtructâ acie ſtetit in Caroli conſpectu. Continuò venit ad eum Britannus cui *a* Germano nomen, vir magnâ apud Henricam Britanniæ Reginam, ac filium ejus Carolum Regem & gratiâ, & fide, qui Caroli Lotharingiæ antehàc Ducis verbis nuntiavit, hunc quæ convenerànt, ea facere paratum. Turena negavit aut ſe, aut Carolum tum ullo teneri fœdere, cujus dies exiſſet: ſe nihilominùs pridiè Carolo quibus conditionibus conveniſſet, diſcedendi poteſtatem feciſſe, quâ poſthabitâ cùm reſtiterit, nihilo ſe prohiberi, quin prælio decertet. Varennam tamen cum Germano ad Carolum dimittit, qui ultimùm nuntiet homini, porrò ſe huic diſcedendi poteſtatem facere, modò ut naves quæ huic ab Urbe miſſæ ſint jungendo flumini, ſibi tradat, ſtatim munire deſinat caſtra, ſed hæc moveat continuò, pergatque iter ad regni fines facere eâ quâ juſſus ſit viâ, atque hos ante dies quindecim egrediatur, ac denique ſibi obſidibus caveat id ita ſe facturum. Carolus viciſſim ſibi obſidibus caveri poſtulat Turenam non uſurum navibus traducendo Sequanam exercitui in copiarum Gaſtonis, & Condæi quæ ab Stampis redibant, damnum: quæ horum copiæ in caſtris ſuis eſſent, iis ad Urbem recipiundi ſe facultas eſſet: copiis ſuis quâ diſcedens iter faceret, commeatus Regis ſumptibus ſubminiſtraretur, & ſicuti nemini damno forent, ita & his nihil damni illatum iri. In hæc datâ, atque acceptâ fide, traditiſque invicem obſidibus Carolus ſtatim ad Briam Comitis Roberti movet, ac porrò ad regni fines contendit.

a Milord Germain.

Ubi primùm Carolus advenerat, ſicuti antehàc memoravimus, opeſque virorum Principum eo majores eſſe Senatus ſenſerat, ibi Neſmondum, & Longolium Præſides, atque alios ex Senatu ad Regem porrò

de Mazarino abigendo Melodunum miſerat, docentes haud grave Regi eſſe debere hominem unum dimittere, uti tot millia aut in officio manerent, aut in viam reducerentur. His Rex ſcripto reſpondit, *Sibi quæ Senatus verbis dixiſſent, ea & grata, & magni ponderis eſſe, quæ videlicet ab optimo in ſe, atque in rem publicam animo profecta exiſtimet, atque adeò huic Ordini omnia cordi eſſe, quæ ad Majeſtatem ſuam, potentiamque pertineant, ita ut quo talis apud omnes ſit, qualis eſſe debeat, ipſi perpetuò curæ fore confidat. Sed quando nullum uſquè finem rei publicæ malis adeſſe ſentiat, pervelle uti delecti ex Senatu cum delectis ex Conſilio regio conveniant, colloquantur, agant, perveſtigentque quâ ratione ex his malis emergi poſſit, uti tandem aliquando populus qui ipſi ſubjectus ſit, domi primùm, dein foris pacem habeat, ac tantis quibus prematur oneribus ſublevari, ac recreari poſſit, regia familia rursùs conjunctiſſima ſit, atque Regno priſtinus ſplendor, dignitaſque reſtituatur.* Hoc recitato reſponſo Neſmondus omnia hæc in Mazarini abitu poſita dixit, quem Rex obturbans ſevero vultu reſpondit illam ſuam eſſe ſententiam, neque pluribus opus eſſe. 1652.

Inter hæc Chriſtina Sueciæ Regina, cui cum Rege paternum fœdus intercedit, ad hunc, ad viros Principes, atque ad Senatum de reconciliandâ inter omnes gratiâ litteras dedit, ad id operam ſuam, ſi hæc ſatis placeat, pollicens, quæ res ſicuti multa ſuper hoc negotio alia, fruſtrà fuit, alienâ enim operâ nuſquàm indigebant, ſed eâ quæ & Principem, & cives decet in patriam, & rem publicam caritate, quæ variis utrimque ſtudiis impediebatur. Neſmondus, Longolius, atque alii ab Meloduno cum Regis reſponſo poſteà advenêre, ac frequenti Senatu renuntiavêre legationem, docueruntque Patres quemadmodum benignè appellati, atque habiti cùm Reſponſo perſcripto dimiſſi fuerant. Sed eo recitato variæ fuêre ſententiæ: multis ſatis placebat cum Adminiſtris ſicuti Regi videbatur colloqui, atque agere, magnificum, id atque amplum Senatui rati, ac præteréa magnum eſſe ſignum arbitrabantur Regem, atque Adminiſtros conditionibus æquis pacem facere velle, nihil enim ab Senatu niſi æquum eos ſperare poſſe.

Sed Bruſſellus unum modò in eo negotio æquum eſſe contendit, uti Rex Mazarinum abigeret, quod niſi uti faceret adduceretur, nihil æqui ſperandum videri, in id igitur incumbendum eſſe, quod unum gratiam inter omnes reconciliare, atque adeò pacem domi reſtituere poſſet. Hæc ſententia Principibus viris maximè probata, qui porrò ſicut antehàc ſimul ac Mazarinus pulſus eſſet, ſeſe ab armis diſceſſuros profeſſi ſunt. Viſum igitur eoſdem mittere ad Regem, rogatique ſunt viri Principes ut & ipſi eòdem mittere vellent, qui horum verbis Regem, quid his eſſet ſententiæ, facerent certiorem: ſed id nihil opus eſſe reſpondêre, cùm ſua, Senatuſque poſtulata eadem omninò eſſent, atque adeò ab iiſdem fieri poſſent: poſtremò Senatûs decretum fit de Neſmondi, Longolii, atque aliorum ex hoc Ordine ad Regem profectione, qui Mazarinum abigi porrò flagitent, id unum viros Principes poſtulare, ut ab armis ſubitò diſcedatur, ſimul quid eâ de re in Senatu ito-

1652. rùm profeſſi ſint, atque is in hujus acta referri decreverit, Regem edoceant, ac prætereà ad hunc perferant litteras, quas ad Senatum Chriſtina ſcripſerat.

Sed in Urbe pleroſque omnes belli civilis tædium ceperat, ubi ſe multò pejore conditione dum Aulæ adverſantur, quàm ubi obnoxii erant, eſſe ſentiunt. Hæc maximè ſententia plebis fuit, at huic haud ſatis animi, ſatiſque conſilii erat, uti per ſeſe pacem cum Rege faceret, aut hac infectâ in viam rediret, ſeſeque huic permitteret, quod nequaquàm ſatis tutum arbitrabatur: prætereà in cervicibus erant viri Principes cum exercitu, atque Senatus cum iis ſentiebat, ab quo ſibi diſſentiundum minimè rebatur, nam *In hujus Ordinis fide ſalutem ſuam uſque poſitam, quem ſi deſerat, nihil præſidii uſpiàm fore adversùm impotentem Adminiſtrorum dominatum, cui modum facere unus modò Senatus poſſit.* Cùm hæc, atque alia hujuſcemodi traherent animis, neque ſatis expedirent, quid factu optimum eſſet, ad Deum immortalem quod dubiis, atque aſperis in rebus fieri ſolet, convertunt ſe, & huic de pace ſupplicandum putant, in quo certè nemo uſquam offendit.

Jamdiù Pariſini Genovefam Virginem multis ab hinc annis ob vitæ ſanctitatem inter Divos relatam ſummâ veneratione colunt, atque hujus tutelâ freti nihil ab Deo immortali fruſtrà petivêre. Id experiri denuò ad pacem habendam placuit, atque eâ causâ Arcam ex argento ſolido inauratam, & ingentis pretii gemmis ornatam, in quâ B. hujus Virginis reliquiæ ſunt, ferri per Urbem. Eâ de re primùm apud Urbanos Magiſtratus agi viſum, quam in publicis Urbis Ædibus conſultatam ad Senatum deferunt, ac deinde ad Archiepiſcopum Joannem Franciſcum Gondium, quoniam ad ſacra pertinebat, quibus & in Urbe, & in omni Diœceſi præeſt. Utrobique morem plebi gerere idem ſtudium fuit: dies igitur dicta, ad quam pompa more, inſtitutoque majorum ab Genovefæ Templo ad Mariæ duceretur. Id longo Sacerdotum, Ferculorumque ordine factum: ſecuti pompam ſunt Patres amicti purpurâ, ac cæteræ Curiæ, Urbanique Magiſtratus, ipſe Gaſto Arcam Divæ priuſquam Templo egrederetur veneratus eſt, quod Condæus & ipſe haud procul Mariæ Templo fecit. Ita primores ſtudiis plebis, ubi ejus operæ indigent, diligenter obſequuntur, tametſi hæc ipſi fruſtrà ſæpiùs eſſe velint.

Ubi hæc agebantur Rex etiamtùm apud Melodunum erat, quò miſſi ab Senatu Neſmondus, Longolius, atque alii mandata hujus Ordinis expoſuêre de abigendo Mazarino, quod unum omnes ut ab armis diſcedatur, enixè poſtulent: his datum ſcripto reſponſum eſt, quod fermè fuit hujuſmodi. *Mazarini abitum ut ab armis diſcedatur, in ſpeciem modò peti: nam antehàc ubi abierat, nihilo minùs bellum porrò geſtum, ſicuti tum geratur. Condæi cum Hiſpanis hoſtibus fœdus Mazarini diſceſſu nuſquàm deſiturum. Certiorem igitur Regem faciundum utrum ab fœderibus domi, foriſque contra jus, faſque initis diſceſſurus ſit? nihil clientibus, atque amicis perduellibus ob navatam videlicet adversùm rem publicam operam petiturus? ſi hanc Regi contra*

quoſvis

quoſvis ſicuti cives debeant ſint daturi? ſi quos viri Principes accerſiverint extraneos milites, ii Regni finibus, nullâ ab Rege curatâ pecuniâ, ſint egreſſuri? ſi quæ illis merent copiæ, eæ ſubito dimittentur? Hiſpani Satenaio, atque Burgo faceſſent? Contius, atque Condæa, ac Burdigalenſes in viam redituri ſint? 1652.

His in Senatu recitatis Gaſto hujus ſcripti autorem dixit eſſe Mazarinum, qui ſibi interrogatiunculis Principes viros laceſſere jus, faſque eſſe putet, omnis moris noſtri ignarus: cæterùm quæ ipſi receperint, ea ſe præſtituros, pulſo ab finibus Mazarino. Cognitor, atque Actores regii mittendos aiebant, ſicut antehàc Rex poſtulaverat, qui cum Adminiſtris de pace agerent: ſed Bruſſellus iterum obſtitit, ſtandumque ait Senatûs Decretis de Mazarino. Alii cùm quid facto opus eſſet haud ſatis expedirent, hoc omiſſo in præſens negotio, de magno egenorum in Urbe numero egêre, quibus quo modo victus quotidianus præberetur, ineundam rationem dicebant, atque eâ causâ ab ſingulis ex Senatu ſtipem conferendam. Carolus *a* Prevoſtus Senator tum ecquis de habendo porrò pane ſibi cavere vellet, percunctatus eſt. Bitaltius reſpondit cui tantus cenſus eſſet, ei vix uſquàm panem defuturum, multaque inter eos paulò duriora verba commutata. Sed IX. Calend. Sextiles Senatu frequenti de duabus rebus eſt conſultatum, quomodo videlicet egenis conſuleretur, & quo pacto quinquaginta nummûm millia conficerentur, quâ ſummâ proſcriptum Mazarini caput fuerat, cum quiſpiam ſe tantum facinus patraturum profiteri vellet: de egenis convênit, uti ſinguli ex Senatu centum libras penderent.

a Prevoſt, Conſeiller.

Ubi dimiſſus Senatus eſt, atque Patres curiâ egrediebantur, permulti eò allegati ſtrepere, tumultuari, panem, ac pacem ſine Mazarino inclamare, qui in Senatu boni ſanctique fuêre, eos territare, quo viri Principes efficere ſe poſſe ſperabant, ut ne fœderi quod inter ſe, ac Senatum, Populumque factum volebant, obſtare auderent, rem jam antehàc ab Stampæo Equitum Tribuno Gaſtonis cliente in Senatu jactatam, atque factioſis ex hoc Ordine probatam: quod ſi viris Principibus eveniret ex ſententiâ, ſe ab Urbe neceſſariam in belli ſumptus pecuniam corrogaturos credebant, nam quæ ab Hiſpanis veniebat, ea ſuſtentandæ ſingulorum ex factione rei familiari propè omnis impendebatur. Ab multitudine tumultuante malè habitus, ac pulſus eſt ſingillatim *b* Bailleulius Præſes, cui quoniam ad æquiora propendebat, neque ad præcipitia animum adjiciebat, factioſi infenſiores erant, atque hic antiquior è Præſidibus Senatum habebat, & huic per Molæi abſentiam moderabatur, quæ res ad hunc Ordinem quò ille inclinaret, movendum aliquid habebat momenti: malè habitus præthereà *c* Vaſſanus Senator, ſed maximè Particellus *d* Almerici filius in unâ ex Inquiſitionum Claſſibus Præſes, qui tabernam amici hominis è plebe fortè ingreſſus capitis periculum quod imminebat effugit.

b De Bailleul, Preſident au Mortier.

c De Vaſſan, Conſeiller.

d d'Emery de Thoré, Preſident aux Enqueſtes.

Cæterùm Belfortius multitudini tum indixiſſe aiunt, uti poſt meridiem ad Plateam regiam adeſſet, eò ſe cum his quid optimum factu foret, acturum. Quæ dicta fuerat hora, eâ quinque hominum millia in

1652. Regiâ Plateâ convenêre, quos Belfortius edocuit, *Non eſſe obſtrependum Patribus in Curiâ, atque univerſis terrorem objiciundum, quod mali moris, & exempli ſit: ſed libellum ab viginti quatuor ex horum numero porrigendum Senatui, quo poſtulent qui Mazarino faveant, eos palàm fieri, adversùm quos quid facto opus ſit poſteà videatur*: atque ita ad id quod ipſe vellet, paratiſſimos dimiſit. At Patres de Belfortii conſiliis facti certiores in Curiam quâ die frequens haberi debebat Senatus, non iêre: factioſi modò adfuêre, ſed nullus ex Præſidibus, qui apud Bailleulium omnes convenerant, quid in tantâ rerum perturbatione faciundum eſſet, conſultaturi. Condæus eòdem venit, Gaſtonis verbis, atque ipſe ſuis orans, ut in Curiam poſt meridiem venire vellent: ſed hi ſe ituros negavêre poſt hanc quam Belfortii operâ conjurationem factam eſſe ſciant

Principiò Condæus Bailleulium perterrefacere tentaverat, ſed ubi viderat eamdem aliorum eſſe ſententiam, mutatâ ſicuti neceſſe fuerat, ratione, minas in preces humanitate pleniſſimas converterat, quibus tandem pervicit, uti Bailleulius iret ad Gaſtonem, qui hunc orare inſtitit, uti Senatus eâ ipsâ die haberetur: ſed iſthuc fieri poſſe porrò negavit, neque priùs factum iri, quàm Senatus id tutò ſe facere poſſe ſentiat: Belfortium peſſima ſua conſilia patefeciſſe, adversùm quæ tametſi Senatui abundè caveatur, tamen ante V. Calend. Sextiles haberi non poſſe. Iſthæc dicenti fortè Belfortius intervênit, quem puduit commotæ adversùm Senatum plebis reum haberi, & quemdam eâ causâ in vincula conjectum adversùm ſe teſtimonium dixiſſe. Sub veſperam Longolius Maiſonius Præſes ab Gaſtonis ædibus rediens haud longè proceſſerat, cùm plebecula hunc Mazariniſtam inclamando, ſaxa in ſellam quâ geſtabatur, ingerit: is in proximas aufugit ædes, quæ continuò ab multitudine circumdatæ oppugnatum iri videbantur, ni eò Condæus, atque Belfortius properaſſent, qui ſedato multitudinis tumultu hunc periculo eripuêre. Ita ſe viri Principes oſtentare plebi caros, atque hanc pro lubidine commoturos pro magnifico habebant, confidebantque ſe quò vellent multitudinis metu Senatum adducturos, uti ſcilicet fœdus ſecùm unà cum Urbe faceret, ac belli ſumptus utrique ſuſtinerent.

Poſtremò ubi Senatum ſatis tutò haberi poſſe Pàtres intellexêre, frequens V. Calend. Sextiles habitus eſt, atque in eo viri Principes porrò profeſſi ſunt, ſe ab armis diſceſſuros, ſimul ac Mazarinus Regni finibus egreſſus foret, ac prætereà omnibus quæ ultimo Regis Reſponſo continerentur, ex hujus ſententiâ ſatisfacturos. Id gratum, & jucundum fuit Patribus, quorum pars maxima pacem exoptabat, ſpem tum primùm nacti ad hanc ſi fraus ab virorum Principum dictis abeſſet, perveniri poſſe. Ubi eâ de re conſultatum, plerique omnes ſenſêre remittendos ad Regem qui antehàc ad eum iiſſent, cum hac virorum Principum profeſſione. Sed de Neſmondo difficultas interceſſit, poſtulantibus ut ne eò tum remitteretur viris Principibus qui videlicet ſuſpectus eſſet ſuam Mazarino operam venditaſſe, & cum hujus amicis col-

locutum fuiſſe. Sed grave Senatui viſum ſibi moderari velle viros Principes, quos magis quò Senatus cenſeat, eò adduci æquum videatur, cùm & id ipſe Rex ſibi faciundum ſæpiùs exiſtimet: fruſtrà ſe ab Adminiſtrorum regiorum impotentiſſimo dominatu liberare velle rem publicam, ſi hanc Principum virorum lubidini permittant. Viſum igitur Neſmondum cum cæteris ad Regem remittere, qui hunc doceret de ultimâ quam diximus virorum Principum profeſſione factâ cùm in Senatu, tùm in Urbis Ædibus, & in acta utrobique relata. 1652.

Ubi dimiſſus eſt Senatus, ac Patres Curiâ digrediebantur, allegati multitudinum duces, atque circùm Curiam diſpoſiti ut in quemque inciderant, eos pulſare, Pacem inclamare, atque huic habendæ fœdus ab Senatu, Populoque cum viris Principibus pellendo Mazarino faciundum dictitare: admixti erant plebi milites ex virorum Principum exercitu, qui magis, ac magis hanc commovebant: quin & miſſæ hinc indè ſclopetis glandes, ab quibus interiêre nonnulli, qui proximè Patres erant. Hi ubi cuique proximum fuit diffugêre, Prætor Urbanus a Aubrayus cum aliquibus Conſiliariis in Caſtelletum recepit ſe, ſatis firmum ad propugnandum, nam & aderant qui defenſarent Accenſi ſoliti huic, atque aliis Urbanis Magiſtratibus præſto eſſe. Ignem admovere portis multitudo circumfuſa parabat, ni præter Accenſos hujus Urbis regionis Tribunus cum eâ cui præerat cohorte iſthuc molientibus interveniſſet, atque plebem amoviſſet: ad noctem ſeditio perduravit, indignantibus omnibus bonis hæc tam atrocia, gravia, fœda in rem publicam, ac ſingulorum ſalutem ab Principibus viris, & qui his faveant, factioſis fieri, ut animum ambitione flagrantem expleant.

a D'Aubray, Lieutenant Civil.

Poſtridiè Senatus decrevit, uti quæreretur in eos qui heſternam moverant ſeditionem, ac præterea de famoſis libellis, qui plurimi in vulgus eâ tempeſtate edebantur. Mercatorum Præfectus cum cæteris Urbanis Magiſtratibus apud Ædes Urbis publicas habito Conſilio Tribunis, ac Centurionibus edixit, uti ſinguli cohortes, ac centurias ita paratas haberent, uti confeſtim quò eſſet imperatum, eas ducere poſſent: præterea ſtationes circùm Curiam diſponi placuit, uti Patres tutò poſthac Senatum habere poſſent, pridiè Non. Septemb. Conventus civium ex omnibus Ordinibus Urbis frequentiſſimus haberetur, in quo de Senatûs, Populique ſalute conſultaretur.

Ubi hæc apud Urbem agitabantur, intereà Condæus ſuas, atque Gaſtonis copias Stampis egreſſas accepit, quibus obviam profectus his cum viginti omninò equitibus inter quos Nemoroſius, Rupifocaldus, atque hujus filius Marſillacus fuêre, apud Linaſium occurrit, atque eas haud procul Urbe ad Clodoaldi-fanum duxit. Is locus uti Condæo tempus erat, ſtativis idoneus viſus; nam detrectanti pugnam pontis ad Sequanam copia erat, quo ſubduceret exercitum, ſi potior hoſtis accederet, atque hunc interrupto, aut munitionibus clauſo tranſitu prohiberet: præterea vicinitas Urbis opportuna erat, ſed dum eò moratur exercitus, villæ circumquâque direptæ, atque incenſæ, atque alia ab mili-

1652. tibus pravè fieri ſolita magnam Condæo invidiam apud pleroſque in Urbe conflavêre.

Haud deſinebat tamen per Gualcurium de pace agere cum Mazarino, rem huic opportunam, quo inter factionis populares diſcordiam, ac lites ſereret, aut aleret, earum rerum potentiſſimus artifex. De pleriſque conditionibus cum Gualcurio conveniebat, in cæteris verò hærebat conſultò, atque adeò rationem inibat, uti ſi ex uſu eſſet irrita omnia forent. Mazarinus Fertæum Sannectarium Equitum Tribunum cum eo exercitu cui Imperator eſt, accerſiverat, ſpem nactus poſt Caroli Lotharingiæ quondam Ducis diſceſſum Condæi opprimendi, quâ maximè causâ Carolum abire, atque Regni finibus properè abſcedere magnâ ſicuti aiebant mercede ſtuduerat, Condæo intereà ſe de pace auſcultare ſimulans. Sed ne hic quidem ſeriò de pace agebat, cui videlicet integrum non erat quas contraxerat cum Hiſpanis neceſſitudines, ab iis diſcedere, quod quidem Mazarino haud occultum fuit.

Condæum tamen procul ab Urbe eſſe Hiſpani cupiebant, ut ne vi boni, rectique ab prauo, falſoque abduceretur. Neque enim quiſquam & fidem in Principem, & caritatem in patriam, & officium in rem publicam facilè exuit. Quò Hiſpani, eódem & Condæa ſoror, & hujus amici Condæi animum ferebant, atque operæpretium ducebant hominem ab Urbe, atque ab hujus viciniâ deducere, ut ab Buttevillâ longiùs abeſſet, cujus amor ſuâpte naturâ pronum ad arma, tamen ad pacem inclinabat. Id & Aureliæ virgini moleſtum fuit, nam Condæum unum ulciſcendæ quam ab Mazarino ſibi factam rebatur injuriæ idoneum deputabat, qui videlicet hanc Regi nubere cupientem falſis pollicitationibus duxerat, ac poſtremò deluſerat: quamobrem & copias quæ Condæo militarent ſcripſit, & pecuniam in belli ſumptus promiſit. Hæc, atque alia, ac maximè quod nullam haberet Mazarino fidem, quem dolo malo ſecum de pace agere ſuſpicabatur, ut incautum iterùm deprehenderet, atque in carcerem conjiceret, Condæum ad bellum impulêre denique.

Huic, aut Contio fratri in Aquitaniâ, & qui horum ſectam ſequebantur, iis res nihilo ſecundiores, quàm ad Urbem fuêre: nam poſtquàm Harcurius apud Gondrinum per hyemem commoratus fuerat, atque ex hac omni regione quæ ultrà Garumnam eſt, collationes in belli ſumptum voluntate Regis exegerat, Condomum, ac Mariæ-portum recepit, pulſis Condæi qui hæc oppida obtinebant præſidiis: præterea pulſi qui apud Brulham haud procul Aginno fuêre, ipſum Aginnum Harcurio deditum exacerbatis ex nupero Condæi conatu oppidanis, ubi apud eos præſidium introducere tentaverat. Ab Aginno Harcurius Iſlabonum fratris filium, atque unà Bugium Maſem-Aginnenſium oppidum ad Garumnam firmiſſimum dimiſit, qui clàm propiores mœnia facti, in hæc applicitis ſcalis evasêre, atque oppidum improvisò cepêre, cæſis, aut captis omnibus qui eò præſidium agitabant, inter quos Lafagius in Luſignanâ cohorte Protribunus, atque Martignacus

fuêre, dein Monſegurium, ac Baſiliæ-fanum ultrò dedita. 1652.

Tum Harcurio viſum cum omni equitatu appropinquare Burdigalæ, quò magnas inter oppidanos diſcordias eſſe reſciverat, ſi qua fortè ſecta alterius odio (ut fere fit) deſertis virorum Principum partibus, ad regias tranſire vellet: præterea mobilitas animorum in hac Urbe ſpem faciebat æquè tunc ad bonum, quàm antehàc ad pravum ferri poſſe: eò litteras ad Juratos, hi Urbani Magiſtratus ſunt, per Tubicinem miſit, quibus amiciſſimè Burdigalenſes hortabatur, ut ab armis diſcederent, atque ab Rege omnia quæ reſipiſcentibus digna eſſent, expectarent: ſed neque Tubicen receptus mœnibus, neque litteræ acceptæ, Contio qui in Urbe erat, Brezæâ, atque Condæâ prohibentibus. Ad Labredam Harcurius habebat caſtra, ſed Burdigalam propior factus Burdigalenſes excivit Urbe, qui inter macerias, atque hortorum ſepes, aliaſque locorum opportunitates eminùs glandibus rem geſſêre adversùm Harcurii equites, qui locis impeditis appropinquare nequibant. Igitur abire viſum, atque id Burdigalenſibus addidit animum, ut abeuntes perſequi auderent: ſed quæ claudebant agmen Salbovii, atque Codræi-Mompenſerii alæ malè habitos expulêre. Rionis oppidum ad Garumnam ultrò ſe Harcurio dedidit, in alterâ ripâ iter facienti, atque ad Marmandam eunti, quò navibus Garumnam traduxit copias, & quæ inter hanc, & Duranium amnem poſita eſt regio, eam eſt ingreſſus, ab quâ item neceſſarias ad belli ſumptum collationes exegit.

Apud Burdigalam tantæ fuêre diſcordiæ, factiones, ac ſectæ, uti quæ illîc facta fuerint, ea recitare non poſſemus abſque eâdem orationis perturbatione quæ in rebus gerendis fuit, atque adeò breviter dicemus Burdigalenſes uſquè ad mutuas inter ſe cædes, atque incendia inſaniſſe, Contium, & Condæam ſororem unis, Brezæam, & Leſnæum aliis fautores fuiſſe, dein ambas Principes fœminas quos fovere deberent incertas ſæpiùs inter tela civium, cum nonnullo vitæ diſcrimine verſatas, ut inſanientes, furentes, atque in mutuam perniciem ruentes inhiberent. Sed Condæa nihil antiquius habuit, quàm plebi, aut Ulmeæ cujus nominis rationem ſuprà diximus, adversùm Curiam Burdigalenſem favere, cui poſt Condæi diſceſſum omnem in manu rem publicam habere ſtudium fuerat: quod quidem minùs Condæi rationibus conducebat, quàm hanc penes plebem æquè, ac penes Curiam eſſe, quâ planè ex voluntate Condæus ſe uti poſſe diffidebat.

Quæ belli ſatias pleroſque omnes apud Lutetiam Pariſiorum ceperat, ea creſcebat in dies apud Patres maximè, propter terrorem ipſis nuper objectum ab Principibus viris, uti cogerent Senatum ſecum facere fœdus, atque unà cum populo belli ſumptus ſuſtinere: quod quidem contrà ſuadebat pacem quantocyùs facere, ita ut quâ ratione ad hanc perveniri poſſet, Patres circumſpicerent. Eo Senatus frequens habitus, in quo ubi Gaſto, & Condæus porrò profeſſi ſunt, ſe ab armis diſceſſuros, pulſo finibus Mazarino, atque Regis poſtulatis ſatisfacturos, viſum ad Regem adhuc mittere Neſmondum, ac Maiſonium Præ-

1652. ſides, atque alios ex Senatu, qui huic apud Dionyſii-fanum mandata hujus Ordinis expoſuêre. Eò Rex conſultò venerat, ut ex propinquo bonorum in Urbe ſtudium ad pacem foveret, & cum his agere promptius foret. Ex itinere quibus copiis Fertæus Sannectarius Imperator erat, eas inſtructas, atque in acie ſtantes viderat, jucundum Regi adoleſcenti ſpectaculum.

Turena cum altero exercitu circùm Dionyſii-fanum ſtativa habuit, atque ita magnam belli molem Senatui, Populoque Rex oſtentabat, & ab omni abſtinens maleficio clementiæ famam quærebat, quâ Pariſinos ad pacem adduci poſſe Mazarinus ſperabat: nam hæc benignitatis plena ratio collata cum virorum Principum in Senatum acerbitate, hujus animos Regi conciliare debebat. Sed ſatis honeſtè Senatus pacem ſe facere poſſe adhuc dubitabat, niſi unà cum viris Principibus, atque eâ lege, uti videlicet Mazarinus finibus pelleretur, quando hunc omnium malorum cauſam eſſe omnes arbitrabantur. Poſtremò tota vis belli non in Urbem, Senatum, Populumque, ſed in virorum Principum exercitum verſa eſt, quem profligare Mazarino conſilium fuit, priùs quàm ab Belgio auxilia quæ per Gualcurium Condæus tunc cum maximè ad ſe mitti flagitabat, advenirent.

Virorum Principum exercitus apud Clodoaldi-fanum ſicuti diximus ſtativa habebat, loco propter Urbis vicinitatem opportuno, ab quo Sequana ad Chalſæam quæ item ad amnem haud procul poſita eſt, multorum millium circuitum, ac propè inſulam in medio facit: hanc copiæ virorum Principum obtinebant, & ubique ad amnem, ac maximè apud Neuillium, & Chatovium, (nam in utroque loco pontes ſunt) cuſtodias diſpoſuerant, ut ne quà hoſtis falleret. Is enim ſtabat ex adverſo poſtquàm Rex Dionyſii-fanum advenerat, quod propè ad ripam Sequanæ poſitum eſt. Eò ſi regii ratibus jungerent amnem, prælium effugere Condæus nequibat, quod huic iniquum fore videbatur cum duobus Regis exercitibus, quorum alteri vix copiæ ſuæ numero pares erant. Hic tùm ad Urbem, Tavanius Comes in ſtativis pro Prætore erat, cui nuntiatum eſt regios quod Condæus futurum ſuſpicatus fuerat, ratibus jungere flumen. Continuò centum & quinquaginta pedites, ac tantumdem equitum eò ducere Govillam caſtrorum Præfectum jubet, atque deterrere pro virili, & arcere regios, donec ipſe cum copiis pluribus ſubſequeretur.

Govilla re inſpectâ mittit properè ad Tavanium qui nuntiet hoſtes jam ad inſulam quæ in medio amne eſt, proceſſiſſe, in adverſâ ripâ tormenta eſſe diſpoſita: Tavanius cum [a] Hollaco Comite, Scarſio è Melitenſi Militiâ, atque aliis Ducibus, ac prætereà equitibus quos raptim coëgerat accedit, & coràm quid regii molirentur cognoſcit. Sed hi ubi vident rem eſſe difficilem, prohibente ex adverſâ ripâ hoſte, nihil tum ultrà tentavêre. Tavanius relicto eò idoneo præſidio ad Clodoaldi-fanum redit, atque Condæum de regiorum conſilio, atque conatu facit per litteras certiorem. Condæus ab Urbe cum amicis advolat, rem ipſe

[a] Le Comte de Holac. Le Chevalier d'Eſcars.

coguoſcit, ac diffidens ſe poſſe denique regios arcere tranſitu fluminis, 1652.
ſeu quâ moliebantur, ſeu aliò, ex eorum qui aderant conſilio Clodoaldi-fano movere decrevit, quod adveſperaſcente jam die factum. Impedimenta primùm, atque tormenta, dein equites, peditesque partim ponte cujus eò copia eſt, alii ratibus junctis traducti ad Urbem versùs contendêre. Sed ubi propè ad regios hortos pervenerant, ad ſiniſtram flexêre iter, atque Urbis mœnia circumagi agmen Condæus juſſit, qui intereà ad Gaſtonem adiit. Exercitum ante lucem Carentonium adventurum exiſtimaverat, ut hunc eò Matronam amnem traduceret, & quò Sequanam influit caſtra poneret, loco ſuâpte naturâ munito.

Sed quiſpiam ab Urbe Mazarinum quid ageretur monuit ſtatim, qui Turenam eſt hortatus uti ſubitò equitatum omnem paratum, & inſtructum juberet eſſe, atque ad Urbem versùs properare. Id factum ex ſententiâ, ita ut præmiſſi ab Turenâ equites ubi primùm luceſcebat, qui in agmine Condæi poſtremi fuerant, eos aſſecuti ſint in Dionyſii ſuburbio. Navaillius Comes Contii cohortem quæ claudebat agmen, ita eſt adortus, ut in congreſſu pleroſque cæderet, quod & factum in alâ equitum, quos ipſe Condæus regiis objecerat ad Templi Portam, dein per interiora ſuburbiorum pergente Condæi agmine iter facere, res huic tranquilla fuit. Intereà Fieſcum Comitem miſit ad Gaſtonem, qui nuntiaret adeſſe regios, ac ſe in Antonii ſuburbio reſtiturum, atque eò habiturum, ac muniturum caſtra: ſimul dimittit equites quaquaversùm ſpeculatum, uti de hoſte ampliùs cognoſceret: hi renuntiavêre regios paratos, inſtructoſque haud procul abeſſe. Continuò occupatis omnibus ſuburbii vicis, his extremis quà ad campos pertinent, foſſas obducit, munitiones exſtruit, atque hoſtibus objicit. Turena cum exercitu regio veniebat, atque ipſe Rex cum omni Nobilitate ſequebatur agmen: comitabatur Mazarinus fiduciæ plenus eâ die debellari poſſe: nam ab Urbe nuſquàm recipi Condæum, neque hujus copias certo credebat, ſicuti pridie receptæ non fuerant, annitentibus Mazarini amicis, ad quos tum miſit, qui bono animo eos eſſe juberent, ac maximè operam dare, uti portæ Urbis clauſæ eſſent, ſeu recipientibus ſe hoſtibus, ſicuti futurum videbatur, ſeu his qui egredi, atque ipſis ſubſidio venire vellent. Intereà Regem ad Caronnam Mazarinus ducit, edito loco poſitum, ex quo in vicinam quæ ad Antonii ſuburbium pertinet, planitiem deſpectus eſt, ut inde Condæi cladem ſpectaret. Turena in hanc planitiem deſcendit, manente ſicut in ſubſidiis Fertæo Sannectario, cum eoquem ductabat exercitu.

Tres maximè ad Antonii ſuburbium aditus ſunt, ad vicum videlicet, qui in medio eſt, quò Tavanius curabat: præterea ad alium vicum ab dextrâ, in quo Rambolieti villa poſita eſt, quò Nemoroſius: ac denique ad tertium vicum ab ſiniſtrâ, quò Clinchanus. His tuendis vicis, ac munitionibus, quæ in iis exſtructæ fuerant, Condæus Gaſtonis quam Celſitudinis appellabant, Septimaniæ, Valeſiam, Langeronis, Condæi, atque Æduorum, ac denique aliam ſeptimam cohortes diſpo-

1652. fuerat, & quò pedites defuêre, eò partem equitum collocavit, cæteros in ſubſidiis quà neceſſe foret, juſſit eſſe, tormenta in fronte diſpoſita: Turena poſt locata idoneis locis tormenta, quæ in vicos ſuburbii pilas mitterent, Prætorianos, Picardiæ, atque Maritimam legiones quæ in vicum majorem, Helvetios è Regis cuſtodiâ, & cohortem ſuam qui in alterum vicum impetum facerent, procedere juſſit.

At Condæus paucitatem ſuorum haud mediocri virtute, atque audaciâ ſuſtentandam probè intelligens, atque in hoc quod impendebat prælio, non modò gloriam tot victoriis partam, ſed & ſalutem ſuam verti, ſtatuit unà cum Nemoroſio, atque aliis quos unius turmæ inſtar circùm ſe habebat, ex fortiſſimis juxtà, ac nobiliſſimis paratam, inſigne aliquid patrare, quod quanto longiùs eſſet ab hoſtium opinione, atque expectatione, tanto his terribilius accideret. Collecto igitur ad rem quam agitabat ingentem animo, in advenientes regios erumpit, atque torrentis in modum præcipitat: hi ſubitâ, nec opinatâ re perculſi tantam equitum tametſi paucorum procellam ſuſtinere nequivêre: pedites erant qui adversùm equorum vim maximè ſi ex improviſo advenerint, plerúmque infirmi ſunt: itaque ſternuntur, cæduntur, funduntur: ipſe ſatis in præſentiâ fractum, atque contuſum eâ parte hoſtium impetum exiſtimans ad munitionem recipit ſe, uti reliquæ propugnationi provideret.

a Stuart, Marquis de Saint Megrin.
Clinchan.

Ad aliam quam in ſiniſtrâ poſitam munitionem diximus, Jacobus *a* Stuartus Sammegrinus Marchio acceſſerat, quam Clinchanus defenſabat: regii magnâ vi ſuccedunt, ſed ubi hoſtes haud timidi reſiſtunt, ac primus illorum retuſus eſt impetus, ibi verò ſegniùs, neque ex ſententiâ ducis viri fortiſſimi, atque acerrimi rem gerebant, qui irâ, atque audaciâ præceps levis armaturæ regios equites qui in ſubſidiis erant, acceſſit, ac ſeſe ſequi jubet: dein anguſtum qui huic ab ſiniſtrâ erat, vicum tranſverſâ munitione clauſum ingreditur, in quo glande ictus occubuit: ſimiliter *b* Nantullietus, ac *c* Fuillouxius cæſi, vulneratus Mancinus, qui poſt paulò interiit, ſtrenuus, atque ingentis adoleſcens animi, ac verè dignus eâ fortunâ cui Mazarinus avunculus hunc deſtinaverat: hæc virorum inſignium inter regios cædes argumento eſt, hos eâ parte fortem rei publicæ operam navaſſe, tantam herclè ut hoſtes ægrè ſuſtentaverint pugnam, ac ni Sammegrinus occubuiſſet, eâ regios perrupturos fuiſſe creditum: nam eò cæſi ex hoſtibus *d* Rupigifardus Marchio, Boſſutus Comes Belga: vulnerati Tavanius, Jarzæus Marchio, Fortzius è Melitenſi Militiâ, Cognæus Marchio, Melodunus vicecomes Arbaleſta, Loreſſæus Baro, atque alii Nobiles.

b Le Marquis de Nantoüillet.
c Le Fouilloux.
Mancini.
d Le Marquis de la Roche-Gifard.
Le Comte de Boſſut.
Le Comte de Tavane.
Le Marquis de Jarzé.
Le Chevalier de Fortz.
Le Marquis de Cognée.
Le Vicomte de Mêlun Arbaleſte.
Le Baron de Loreſſe.

Ab omnibus partibus regii nihil ſuorum neque vulneribus, neque cædibus deterriti porrò acriter inſtabant, cùm iterùm Condæus turmâ ſuâ fretus erumpit, atque hoſtium impetum comprimit: hanc eâ die invictiſſimam eſſe regii ſenſêre, omnes conjuraſſe diceres, quidquid Imperator faceret, idem ſe pro virili facturos. Ille verò diſtricto inter undequáque petentes Imperatorem hoſtes gladio verſabatur, quà incedebat

debat viam cædibus, aut vulneribus obviorum hoſtium ſignans, ipſe intactus ab glandibus, haſtis, atque gladiis, inter quos ſingulis, atque univerſis terribilis agitabat: neque in tantis quæ circumvallabant periculis omittebat quid ubique faciundum perinde providere, atque imperare, ac ſi ab omni alio negotio vacuus eſſet. Iſthuc enim huic ſingulare eſt, ut in medio prælii tumultu, ac dubiis, & aſperis rebus quid factu optimum ſit, judicet, imperet, ac factum reddat, haud ſecùs ac ſi priùs, frequenti Prætorio per otium conſultatum fuiſſet, cujus rei laudem nullum antehàc Imperatorem æquè ac Condæum promeruiſſe memini. 1652.

Sed regii ab primâ, ſecundâque Condæi eruptione reſtitutis ordinibus, atque animis, præterea integris ſubſidio venientibus, tantùm virtute profecère, uti quæ objecta erat Vincennas versùs munitio, eam perrumperent, ac tranſcenderent denique, & ad forum quod in medio ſuburbio eſt, inſtructi pervaderent. Ibi verò Condæus cum ſuâ nobilium turmâ, & cum ſuâ, atque Angiani filii equitum alis tertiò impetum adversùm regios fecit, qui tantæ hominis virtuti impares retulère pedem, malè mulctati plerique, & quod ad forum uſquè occupaverant loci, id omne, atque ipſam munitionem deſeruêre.

Sed aliam regii tenebant ab dextrâ munitionem occupatam ab Navaillio Comite, in eo vico ad quem Rambolieti villa poſita eſt: hoſtes pro virili ut ne ultrà progrederentur, prohibebant, atque eò Germanorum cohors bonam Condæo navaverat operam: ſed diuturno labore fatiſcebat, præterea Navaillius vicinas munitioni ædes, hortoſque, ſclopetariis compleverat, qui per ædium feneſtras, aut per murorum qui hortos cingebant, facta repentè cava, glandibus hoſtes infeſtabant: eò Condæus advolat, cui aderat Nemoroſius, omnis quam ille eâ die adeptus erat gloriæ particeps: ſed tum Belfortius his intervenit, ut ne rei tantæ quæ gerebatur expers eſſet. Condæo ſuſtentare ſuos atque regiorum exemplo in propinquis ædibus, hortiſque ſclopetarios collocare ſatis in præſentiâ videbatur, ut ne illis ultrà progrediundi in ſuburbium facultas eſſet. Sed Belfortio ſi id fieret nullus oſtentandæ virtutis locus erat, cujus tot eâ die exempla edidiſſe Nemoroſium ceſſante ſe ſuprà quàm dici poteſt, homini ægrè erat, nam inter ambos porrò fuêre ſimultates, quæ in alterius perniciem denique evasêre, ſicuti poſteà memorabimus. Eo Belfortius Condæo autor fuit, uti pedites ad munitionem huic ſummâ vi oppugnandæ, ac pulſis ab eâ regiis recipiundæ ire juberet, quibus cum omni comitatu ſuo, qui tum fortè frequens, & Principum virorum, ac cæteræ nobilitatis fuit, adeſſet ad rem patrandam adjutor. Condæus tametſi aliter ſentiebat, cum tamen eâ die in unâ audaciâ ſuam, ſuorumque ſalutem poſitam eſſe crederet, Æduorum Legionis manipulos præire ad munitionem jubet: ſed hi hujus diei labore defatigati reſtitêre, ac ſecundùm muros uti regiorum glandibus, qui ab feneſtris occupatarum ædium mittebantur, minùs opportuni eſſent, collocavêre ſeſe. Tum fortè accidit uti Germanorum equitum ala glan-

1652. dibus regiorum infeſtata recederet Condæum verſùs: hic arbitratus novos hoſtes eſſe, qui in ſuburbium irrupiſſent, ad eos verſùm iit, ſed ſubitò quinam eſſent, cognovit. Intereà regii ab ædium feneſtris haud ceſſabant glandibus infeſtare hoſtes qui in vicis erant, atque idem ab occupatâ munitione faciebant: quam adeò viſum Belfortio oppugnatum ire, atque hâc regios pellere, quando aliter animum ex alienâ virtute anxium explere nequibat.

Igitur ipſe, ac Nemoroſius, Rupifocaldus, ac Marſillacus ejus filius rem auſi incredibilem omiſſis equis, diſtrictiſque gladiis in munitionem faciunt impetum; qui hanc defenſabant eos fundunt, fugantque, munitionem ipſi obtinent, quos inde pellere nulli ex regiis cominùs tentavêre, ſed eminùs modò glandes in ſuperſtantes munitionem miſêre, inter quarum grandinem Nemoroſius duo vulnera in manu dextrâ, Rupifocaldus unum ſub oculis accepit: ita Belfortius de ſororis viro, Marſillacus de patre, quemadmodum hos abducerent, ſoliciti erant, jamque regii properabant accedere, uti vulneratos, atque integros ſimul caperent, cùm Condæus opportunè illis cum frequenti de quo diximus nobilium, juxtà ac fortiſſimorum hominum comitatu præclarus intervenit, atque viam inter hoſtes, quà ſe in tutum reciperent, tantùm de ſe meritis amicis fecit: eò Guitaldus, Berzena Rupifocaldi cliens, ac Martiniera vulnerati ſunt ab glandibus, quas ex occupatarum ædium feneſtris continuò mittebant regii.

Poſt tam atrocem regiorum oppugnationem, neque minùs fortem hoſtium propugnationem, ab utrâque parte ſicuti ex compoſito ceſſatum, tantaque omnes prælii ſatias ceperat, uti de reficiundis magis animis, corporibuſque, quàm de reliquo prælio cogitarent. Hæ velut induciæ regiis ſpatium dedêre aciem reſtituendi, atque ordinandi denuò, quod in duo veluti cornua factum eſt, quorum alterum ad majorem ſuburbii vicum, alterum ad eumdem quem diximus in quo Rambolieti villa eſt tendere, & utrobique prælium inſtaurare velle videbatur. Intereà Pariſini apud Urbis Ædes publicas altercabantur, utrùm Condæum cum copiis recipere mœnibus, an ſicuti belli civilis autorem, fautoremve regiis cædendum permittere deberent, nam eò res denique reditura videbatur.

Dum iſthæc domi, foriſque agebantur, Aurelia virgo Gaſtonem patrem docebat planè neceſſe eſſe Condæo properè ſubvenire, neque committendum uti virum Principem ſibi propinquum, cum quo ipſi tantæ neceſſitudinis cauſæ ſint, prætereà fœdus, ac belli pro re publicâ ſuſcepti ſocietas, hanc ita ſuſtentantem, ut in ejus maximè virtute, atque audaciâ eâ die ſtetiſſe videatur, vinci ab Mazarini ſatellitibus ſinat. *Quæ adversùm hunc Radeſianus narret, atque ipſi, ac Senatui, Populoque perſuadere nitatur, ea ex privato hominis in Condæum odio confiſta. Si Condæus cum Mazarino congrueret, nihil opus fuiſſe tam cruento quod eâ die fiat prælio, in quo ex utrâque parte inſignes viri ceciderint, quod indicium ſit nihil amplius inter Condæum, & Mazarinum eſſe, quàm quod videatur, & ſentiatur, odium*

grande videlicet, iſthinc rei publicæ, illinc familiaris per hujus damna augendæ, atque alterius alterum fallendi de pace per ſimulationem agendo ſtudium. Si Condæus victus erit, deletæque hujus copiæ, nullam Gaſtoni reliquam ſpem niſi in ſuâ cum Rege propinquitate, quod quanti Aula ſemper fecerit, ipſum ſatis ſcire. Quamobrem ſi ſe ſalvum, & honeſtum, atque item rem publicam ſalvam velit, continuò opitulandum Condæo, cui jamiam pereundum ſit, ni properè Gaſto, hunc atque ejus copias recipi mœnibus jubeat, atque eo pacto hoſtium qui longè numero præſtent, conatibus ſubduci. Eâ gratiâ cives arma capere, & ad B. Antonii portam adeſſe oportere, uti quod facto opus ſit, id tuto fieri poſſit. Ituram igitur ſe ſi ipſi videatur, ad publicas Urbis Ædes, atque iſthuc ejus verbis imperaturam. Simul annuente Gaſtone proficiſcitur: Urbani Magiſtratus virgini auſcultavêre, ac cives ingenti ſtudio arreptis armis quò jubebantur, properè contendunt. 1652.

Ingens enim admiratio Condæi virtutis, atque audaciæ omnium animos ceperat, quem inter pericula præclarum, atque ferocem eâ die verſari fama per Urbem ferebat: nihil enim in tantâ propinquitate fiebat, quod non ſubitò plerique reſciſcerent: ſimul miſeratio tot nobilium, qui cæſi fuerant, & quorum corpora plebes referri videbat, ejus animos homini magis conciliabat: poſtremò qui vulnerati fuerant, magnifica, ac propè incredibilia de Condæo narrando plebis in eum ſtudium accendebant. Itaque nullo negotio recipiuntur mœnibus Condæi primùm, atque omnis exercitûs impedimenta: dein ubi receptui cecinit, copiæ ex diſciplinâ iis quos inſederant locis deductæ intravêre Urbem, Condæo ipſo inter poſtremos cogente agmen. Aurelia virgo ubi Condæus copias deducere cœperat, conſpicata regios ad ſuburbium versùs venire, ab Baſtiliâ arce tormentis emitti in eos pilas jubet, quibus perterrefacti reſtitêre. Tormentorum ſtrepitus primùm Mazarino perſuaſit, Urbem Condæo infeſtam eſſe, & ut in adverſis plerúmque ſolet, miſero, victoque inſultare plebem: ſed factus certior longè aliter hanc ſentire, & ipſe receptui cani juſſit.

Eâ ipſâ quâ pugnatum eſt die Condæi copiæ pontibus qui ad Urbem ſunt, Sequanam traductæ haud procul ab Victoris ſuburbio caſtra habuêre. Ipſe magnificus in Urbe, atque Senatui, Populoque acceptiſſimus nihil non ab his impetraturus videbatur. Eo inter factionis principes conſultatum, quem ex populi ſecundâ voluntate fructum capiundum eſſe potiſſimum cenſerent. Conſilium in publicis Urbis Ædibus haberi viſum, eò Gaſtonem, & Condæum adeſſe, atque omni ope enitendum, uti Urbs cum his fœdere conjungatur, dein uti Senatus Gaſtonem Regi Legatum in Urbe, atque in omni Regno eſſe velit, donec Mazarinus in cujus poteſtate ſit, abigatur.

Sed Aurelia virgo de Condæo, atque hujus copiis periculo ereptis læta, atque præclara huic porrò favere, atque bellum civile alere quantùm ipſa poſſet, decrevit, cumque infenſiſſima Mazarino eſſet, rationem iniit, quâ hujus amici, atque fautores dignoſci poſſent: eo cunctos qui unà cum Gaſtone patre, atque Condæo rei publicæ ſtuderent, ali-

1652. quid paleæ ſuprà ſe loco conſpicuo geſtare juſſit, quod ipſa cum omni familiâ continuò fecit, atque hujus exemplum ſecuta omnis civitas eſt, ita ut cujuſcumque modi, atque ordinis viri, ac fœminæ hanc partium teſſeram ſi ſe ſalvos, atque honeſtos vellent, geſtare cogerentur: nam qui fortè ſine hac per Urbem commeavêre, ii ingens ab plebe ad malefaciundum pronâ diſcrimen adiêre. Id Gaſtonis patris juſſu, atque ex Condæi ſententiâ ab Aurelia factum aiebant, atque ad ea pertinuiſſe quæ poſteà facta ſunt.

Ambos ſuprà diximus Senatum perterrere voluiſſe, uti ſecûm faceret fœdus: nam quæ in Patres tumultuosè antehàc facta fuerant, cùm ab plebe, tùm ab aliis qui in veſtibulo Curiæ allegati fuerant, eò pertinuêre; neque aliâ causâ Conventum poſt nuperam in Antonii ſuburbio pugnam apud Urbis Ædes habitum iri decreverant, quò ipſi ambo ad futuri erant. Hunc & Senatus item habendum ſicuti ſuprà memoravimus, decreverat, ſcilicet uti conſultaretur, quo pacto poſthàc tutò haberi, neque ab quoquam agere, ac decernere quod in rem publicam videretur, prohiberi poſſet: ſed & in hujus quanta tum erat perturbatione quonam modo priſtina ipſi quies redderetur quærendum videbatur: eo cunctos Urbis Ordines hortari placuit, uti quoſdam in hujus Ædes publicas mittere vellent, habendo Conventui, cui Hoſpitalius Præfectus Urbi adeſſe, atque huic præeſſe debebat.

Iſthæc non omnino congruebant cum virorum Principum conſiliis, quæ de fœdere non modò cum Senatu, ſed & cum Populo ſanciundo inierant, atque uti Gaſtonem in omni Galliâ univerſæ rei publicæ gerendæ Regi Legatum eſſe vellent. Quò uti Populum adducerent, ſicut antehàc Senatum, ita & futurum Conventum per homines è plebe, atque ex copiis ſuis perterrefacere decrevêre: hi eâ gratiâ in foro quod ante Ædes publicas eſt, quâ die Conventus habitus, adfuêre. Manè Gaſto Stampæum Fertimbaltium Equitum Tribunum miſerat ad Hoſpitalium, qui nuntiaret ſe poſt meridiem ad Urbis Ædes cum Condæo unà venturum, intereà cupere ſe nihil conſultari, præterquàm de eo cujus gratiâ Conventum haberi Senatus decreviſſet, ac dari hujus Legatis qui ad Regem ierant, redeundi ad Urbem ſpatium, quos magna ſpes eſſet omnia bona allaturos.

Conſultò Gaſto, atque Condæus cum frequenti comitatu quartâ modò poſt meridiem horâ ad Urbis Ædes venêre, ut ne ſpatium foret, ubi ab his diſceſſiſſent, quidquam conſultandi, nedum decernendi. Plebes cùm allegata, tùm quæ ſcire percuperet quid in Conventu decerneretur, multa in forum deſcenderat, omnes paleam ferebant, ex quâ varia quæ ad ornatum virorum, mulierumque pertinerent, qui talia venumdare ſolent, confecerant. Ipſe Gaſto ſicut alii paleam gerebat, cui ad Urbis Ædes advenienti proceſſit obviam Hoſpitalius, dixitque comiter, mirari ſe hunc ad Regis Ædes (nam quæcumque loca publica in Urbe, atque aliò in regno ſunt, ea omnia Regis eſſe cenſentur) venire cum hac partium teſſerâ, quam ſibi haud ſatis probari Gaſto

reſpondit, neque eo minùs hanc ſibi præbitam accepiſſe. 1652.

Dein ingreſſus conclave in quo Conventus habebatur, ubi aſſedit gratias Pariſinis agit de receptis ſuis, atque Condæi in Urbem nuper copiis, omnem operam pellendo Mazarino porrò pollicetur, paci prætereà cum Hiſpanis conficiundæ, atque reſtituendæ quæ tam fœdè labefactata ſit, rei publicæ, poſtremò ſibi omnes Urbis rationes ubi belli civilis conditionibus deſinendi poteſtas erit, potiſſimùm curæ fore: id brevî factum iri ſi Aula ſentiat Urbem ſecùm, & cum Condæo ſicuti res moneat, planè congruere. Eadem propè locutus eſt Condæus, quibus Hoſpitalius breviter reſpondit, Urbem idem adversùm ambos porrò ſtudium habituram, ac poſt eorum ab Conventu diſceſſum de his quæ dixerint conſultatum iri. Idem reſpondit Faber Mercatorum Præfectus, cujus primæ partes in Urbis Conſilio ſunt, ubi per Præfecti Urbis abſentiam quod fieri ſæpiùs ſolet, habetur, neque ubi adeſt huic unà cum illo moderari deſinit. Nondum egreſſis Principibus viris ab Rege Tubicen advenit, cum litteris, quibus jubebat ad Nonas Sextiles Conventum rejici: eo certè qui ad Regem ab Senatu ierant, iis ſpatium ſicuti Gaſto ſe cupere ſignificaverat, dabatur ad Urbem redeundi, neque de re publicâ quidquam tum conſultandum videbatur, atque adeò qui aderant iis territatis nihil opus fuit: ſed cum Gaſto, atque Condæus fœdus inter ſe, ac Senatum, Populumque fieri poſſe diffiderent, niſi utriſque injecto metu, quod eâ gratiâ decreverant, ab eo minimè diſceſſere.

Primùm his ſepto quo Conſilium habebatur egredientibus, è ſeditioſorum grege quiſpiam paleam Hoſpitalio qui Gaſtonem officii causâ proſequebatur, exhibet, ut hanc ſicuti cæteri geſtaret, quam aſpernatus Hoſpitalius ait, unâ ſe Gaſtonis verecundiâ prohiberi, quo minùs hunc ab feneſtris Ædium in ſubjectam plateam præcipitem dari juberet. Dein viri Principes Ædibus Urbis egreſſi dixêre multitudini quæ adſtabat, in his omnes Mazariniſtas eſſe, quod ſignum tumultuandi fuit. Continuò enim in Ædium feneſtras miſſæ glandes, & qui ad harum portas, & circumquâque in ſtatione fuêre oppidani armati, ii ſubitò diffugêre: multitudo verò arreptâ quæ in navibus proximis erat materiâ, hanc ad fores Ædium comportat, accenditque.

Hoſpitalius ante aulæ quæ propior Ædium portam erat, fores trabes prægrandes, validaſque diſponi tranſverſas jubet, uti firmam munitionem efficerent, quâ freti ſclopetarii ipſius Hoſpitalii, cujuſmodi Præfectus Urbi habere ſolet cuſtodiæ causâ, egregiè propugnavêre. Intereà aliis foribus poſtico Ædium ſeditioſi ignem intulêre, qui cùm hos ipſos ab ingreſſu arceret, huic alimentum quod ſatis eſſet, ſubminiſtrari Hoſpitalius juſſit, ita tempus ad noctem trahebat, cujus beneficio ſe, atque alios ſperabat evaſuros, ac tum denique tumultuandi tædium multitudinem capturum. Condæum ferunt apud Gaſtonem tum fuiſſe, cui ubi nuntiatum rem ad omnium qui in Ædibus Urbis erant, internecionem tendere, ſubitò egredi, atque eò properare vo-

1652. luiſſe, ut hos periculo eriperet, ac tanto beneficio devinctos haberet, ſed Gaſtonem prohibuiſſe, ſicuti periculoſum duceret, Condæum ſeſe inſanienti multitudini objicere, ſeu tantum hujus meritum in eos qui oppugnabantur, eſſe noluerit. Poſtremò Aurelia virgo ſeu ſponte ſuâ, ſeu patris juſſu aſſumpto ſecum Belfortio ad Urbis Ædes iit, horâ poſt meridiem decimâ, quæ multitudinem dimiſit, & qui in his uſque manſerant, iis ſaluti fuit.

Quidam quia plebi haud ignoti erant, ſe per mediam multitudinem tutò evadere poſſe confiſi graviter offendêre, nam *a* Graſſus Luardus Magiſter libellorum, Petrus Ferrandus Janvrius in Senatu Conſiliarius, Robertus Miro Magiſter in Rationum Curiâ fœdè cæſi ab plebe ſunt. Hoſpitalius priuſquàm Aurelia virgo adveniret, ſub alienâ veſte, atque alieno nomine evaſerat, ac poſt paulò diſceſſit ab Urbe, & ad Regem iit, qui hunc collaudatum in Campaniam dimiſit, in quâ hunc Condæo, dein Contio Legatum fuiſſe antehàc diximus. Sed ab eâ die factio langueſcere cœpit, diſcedentibus ab hac pleriſque, ubi vident nihil peius ſe ab Aulâ, atque ab ipſo Mazarino quem omnibus diris devoverant, quàm ab his qui ſe rem publicam reſtituturos prædicarent, perpeti poſſe: nihil enim hominibus vitâ, atque libertate carius eſt, quæ utraque non in plebeiis, ſed in uno libellorum Magiſtro, in uno ex Senatu, in uno ex Rationum Curiâ violata fuerat. Biduò poſt Conſilium in Urbis Ædibus eſt habitum denuò ab paucis è virorum Principum factione, cæteris qui huic adeſſe ſolent, eò venire abnuentibus, ac maximè Mercatorum Præfecto Fabro, in cujus locum ſuffectus eſt Bruſſellus, ſimul & Belfortius Urbi ab ipſis viris Principibus Præfectus eſt creatus.

a Le Gras du Luard. Ferrand de Janvry. Miron.

Dein ubi primùm Senatus eſt habitus, eadem in Curiâ, quæ in Urbis Conſilio infrequentia fuit, & cum ne unus quidem ex Præſidibus adeſſet, qui de more præeſſet Senatui, illius vicem ſubiit *b* Cavalierus antiquior ex Conſiliariis. Gaſto, Condæus, ac Belfortius aderant, quibus coràm orationes habitæ graves de nupero tumultu, ac cædibus, quæ nihil in Urbe tutum, ac ſanctum eſſe argumento eſſent, cum ipſos Magiſtratus ſua dignitas adversùm perditorum hominum furorem haud ſatis texerit: decretum tamen ex ſententiâ Gaſtonis, ut ne quis ex Senatu Urbe decedere vellet, & qui aberant, ii quamprimùm redirent, operam rei publicæ navaturi. Quæ Senatus ubi regii antehàc propè omnes ad Urbem aditus obſederant, de commeatibus, frumento, pane, atque aliis, quæ ad quotidianum populi victum pertinent, decreverat, eadem uti tum fierent decrevit, atque uti de rebus hujuſcemodi Conſilium apud Urbis Ædes inſtitueretur, poſtremò de nuperâ ſeditione diligenter ab Joanne *c* Laiſnæo, & Petro Gilberto Senatoribus quærerentur: id maximè Gaſto, Condæuſque poſtulavêre, uti ſeditionem hanc nihil ad ſe attinuiſſe omnes cognoſcerent. Cùm tamen Condæus ſe vulgi ſtudia amiſiſſe ſentiret, neque ſuas opes ſatis firmas uti tanti quod impendebat belli molem per ſe modò ſuſtinere poſſet, Battevillam qui

b Chevalier, Doyen de la grãde Chambre.

d Laiſné. Gilbert, Cõſeillers.

tum apud Sebaſtiani-fanum erat, huic oppido propiùs Galliæ fines 1652.
Præfectus, certiorem facit, quo loco res ſuæ eſſent, idem ad Hiſpanos in Belgio ſcribit, uti ſibi ſuccurreretur: Battevilla Philippum monet res Condæi in anguſto eſſe, qui adeò auxilii ageret.

Eâ tempeſtate ab Indiâ Claſſis Hiſpanica Gades advenerat, quæ magnam auri, argentique vim advexerat, quo faciliùs Philippo fuit aliquid Condæo curare pecuniæ, quâ maximè indigebat, quando uti quidquam in belli ſumptum ſuppeditaret Senatus, Populuſque adduci nequibat. Sed ab Belgio *a* Fuenſaldanius Comes cum exercitu Chalnim venit, oppidum ad Eſiam poſitum, vix bidui itinere ab Urbe, quò ſtativa habuit, loco amœno, atque ad commeatûs habendos, cogendoſque ex omni circùm fertilis ſoli regione opportuno. Id ſufficere viſum Hiſpanis, qui dum auxilia fovendis modò partibus idonea viris Principibus ſubminiſtrant, rem omnem parcendo corrupêre: nam inopiâ pecuniæ hi Senatum, Populumque territare coacti ſunt, quo fœdus ſecum facere vellent, ac pecuniam in belli ſumptus ſuppeditare, quæ res contrà pacis ſtudium in omnium animis accendit.

a Le Comte de Fuenſaldagne.

Ceſſantibus igitur Hiſpanis, nam eorum ad Chalnim adventus nihil, aut parùm ad rem faciebat, item utrimque circùm Urbem ceſſabatur, alteris ad Dionyſii-fanum, alteris ad Victoris ſuburbium, circúmque caſtra habentibus, atque ita per otium de pace agebatur. In Urbe plerique omnes de ſuo in Mazarinum odio aliquantùm remiſerant, neque tamen pax fieri poſſe videbatur, eo manente ad Aulam, aut in regni finibus, quia hic unus belli movendi, gerendique titulus fuerat, ab quo diſcedere haud ſatis honeſtum erat. Igitur eò res redibat denique, uti Rex de Mazarini diſceſſu viris Principibus, Senatui, Populoque animum expleret, quo tandem ab armis diſcederent, atque id ſaltem, ab Senatu, Populoque factum iri non dubitabat, adeóque pax propè explorata erat: nam viri Principes ab Senatu, Populoque deſtituti vix quidquam operæpretii porrò facere poterant: cæterùm ſi Mazarinum pelleret finibus, hunc quamprimùm id ſine rei publicæ damno fieri poſſet, in Aulam revocare conſilium fuit, ſicuti poſteà videbimus.

Jamdiù Neſmondus, ac Longolius Præſides, atque alii ab Senatu ad Regem miſſi apud Dionyſii-fanum morabantur, opperientes quid ad Senatûs quæ ediderant mandata reſpondere vellet: poſtremò id factum ab Molæo Procancellario his fermè verbis. *Tametſi Rex probè ſciat Mazarini diſceſſum eo peti, uti ſi hunc deneget, eadem hæc belli porrò gerendi cauſa ſit, quod nihilo minus ut ipſe abierit, factioſos geſturos certo ſciat, ſicut antehàc fecerint: tamen ut animum expleat iis, qui hunc omnium malorum cauſam eſſe arbitrantur, adduci ſe denique, uti Mazarinum abire ſinat, jamdiù ſe de profectione fatigantem. Hanc igitur certam eſſe, ubi proviſum fuerit, ut hujus diſceſſu rei publicæ ſua quies conſtet. Velle igitur Regem qui ab Senatu ad ſe miſſi ſint, iis ut hunc de hac ſententiâ ſuâ ac viros Principes faciant certiores, moneantque ut & hi ad ſe mittant, quibuſcum agatur: commoraturos intereà apud Dionyſii-fanum Neſmondum, Longolium, atque alios ex Senatu.*

1652. Ad hæc ubi in Curiâ ſunt recitata, Gaſto, *Nihil opus eſſe reſpondit, quoquam ab ſe ad Regem miſſo, quando neque agendum quidquam, neque poſtulandum habeat, omnia in Mazarini ab regni finibus diſceſſu ſibi eſſe poſita, quod ubi factum fuerit, ſubito arma poſiturum, ſicuti toties profeſſus fuerit, & firmaverit fidem. Mitti ab ſe quempiam eo Mazarinum cupere, uti conditiones ultrò, citróque ferantur, de quibus agendo, tempuſque terendo quæ auxilia, atque præſidia rei publicæ adventura ſciat, iis moram injiciat, ac ſuſpiciones inter eos qui hanc ſalvam volunt, more inſtitutoque ſuo ſerere pergat. Conſulto retentos tamdiu qui ab Senatu miſſi ſint, dein datum bis denique ambiguum, & qui bonorum ſpem fruſtretur, reſponſum. Quid enim aliud providendum niſi ut abeat, quo rei publicæ ſua quies conſtet? Pellendo igitur quando abire nolit, Mazarino, Senatu, Populoque ſibi conjunctis opus eſſe: quod ubi ille factum reſciverit, tum fore uti quod velle ſe abire nunc ſimulet, id verè ſibi faciundum eſſe ſentiat.* Eadem Condæus dixit, & quod profeſſus fuerit, de ponendis ubi Mazarinus finibus deceſſerit, armis, ſatiſque Regi faciundo, in eo ſe porrò firmiter, atque conſtanter manere.

Quibuſdam rei maturandæ placebat, ubi primùm Aulâ Mazarinus diſceſſiſſet, tum ſaltem mitti quoſdam ab viris Principibus ad Regem, quibuſcum conveniret, quo pacto huic facerent ſatis: poſſe enim hos nullo ſuo damno id poſt hujus ab Aulâ diſceſſum facere, quod ubi finibus egreſſus fuerit, faciundum denique videatur, ſed id obfirmato animo Condæus abnuit. Poſtremò decretum eſt, ſcribendum ad Neſmondum, & Longolium, atque alios, uti Regi de pellendi Mazarini conſilio gratias agerent, atque id uti properè fieret, operam darent: viri Principes Senatûs rogatu ad eoſdem ſcribere vellent, ſeſe quod receperint, ac profeſſi in Senatu fuerint, de ponendis ubi Mazarinus finibus exceſſiſſet, armis, & quidquid Rex ſignificaverit antehàc, ab ipſis fieri velle, id ſe ſedulò, atque obedienter facturos: ubi hæc ad ſe ſcripta, atque mandata Regi expoſuerint, atque ipſe reſponderit, ad Urbem redirent, adeſſentque in Curiâ ubi Patres de omni eâ re conſultaturi eſſent.

Eâ die & jactata quædam in Senatu de tumultu, ac cædibus, quæ nuper & pro Curiâ, & pro Urbis Ædibus patratæ fuerant, dictitatumque vix ſatis liberos, ac ne tutos quidem in ſententiis dicendis Patres eſſe. Gaſto id ſibi ſummo dolori fuiſſe reſpondit, quod quidem omnes ab naturâ ſuâ, atque ab omni anteactâ vitâ, ac ratione alienum exiſtimaturos confidat. Neſmondus, Longolius, atque alii miſſi ab Senatu, quæ viri Principes, & quæ Patres ad eos ſcripſerant, ea Regi ordine dixêre. Qui ſcripto reſpondit, *Mirari ſe, cur viris Principibus grave ſit, ad ſe mittere qui doceant, quo pacto, & quando quæ antehàc ab his fieri ſe velle ſignificaverit, & quæ ſedulò ſe, atque obedienter facturos receperint, ea exequi conſilium ſit: rei publicæ enim maximè intereſſe, uti Condæus certiorem ſe faciat, quam ad diem, quove modo ab fœdere quod cum Hiſpanis hoſtibus iniit, ſit diſceſſurus, cùm plures legerit ipſius interceptas ad eos litteras, quibus etiamtùm hos accerſat, ſicuti perpetuorum Galliæ hoſtium operâ pax, & quies rei publicæ parari poſſit, ſatiúſque ſit in patriæ viſceribus hoſtium arma, quam Mazarinum habere.*

habere, qui hos tam acriter uſquè oppugnaverit. Sed quando Senatui, Populoque perſuaſum ſit, hunc eſſe omnium malorum cauſam, nihil ſe ab eo quod ſit pollicitus, diſcedere, neque hujus diſceſſum differre in id tempus velle, quo cuncta quæ priori ſuo reſponſo contineantur, confecta ſint: cupere modò ut horum conficiundorum priùs ratio ineatur, atque eâ gratiâ ad ſe viri Principes mittant, qui hujus rei facultatem habeant: intereà ipſi Præſides, atque alii ab Senatu miſſi maneant in Aulâ, opperientes quid viris Principibus ſententiæ futurum ſit. 1652.

Venit poſt paulò Servianus ad Præſides, atque alios ex Senatu nuntiatum Regis verbis perindè huic fore, ſi viri Principes quod ad ſe attineat, id per illos agi vellent, ac ſi alios eâ gratiâ mitterent. Sed Neſmondus, Longolius, atque alii cum Rex ad Eſiæ-pontem ab Dionyſii-fano iturus eſſet, ad Molæum Procancellarium adiêre, ut hujus operâ ne eòdem proficiſcerentur, ab Rege impetrarent: huic primò ſatis placuit eos apud Dionyſii-fanum manere, opperientes mandata virorum Principum, ac Senatûs, de quibus Regem facerent certiorem: dein mutatâ repentè ſententiâ ad Eſiæ-pontem uti venirent Rex per litteras juſſit: ſed hi reſcripsêre ſupplicantes ut ejus voluntate ſibi ad Urbem redire liceret, atque eò ſingulis ſui obire munia Magiſtratûs, cum cujus rei gratiâ ab Senatu miſſi fuerant, de eâ ſibi reddenda ratio huic Ordini eſſet, decretum enim acceperant, quo ad Urbem continuò redire jubebantur.

Jam anteà Senatus tantæ quam apud Dionyſii-fanum agitabant moræ tædio hos ad Urbem redire debere cenſuerat. Quamobrem Condæus cum equitibus quadringentis eò versùm contenderat, ut hos tutò ad Urbem reduceret. Sed ipſis nihil tanto præſidio opus erat, quibus nulla vis fiebat, aut parabatur, ſed qui expectabant, ut ad litteras quibus ſibi ad Urbem redeundum eſſe Aulæ ſignificaverant, reſcriberetur, atque id ipſis Regis voluntate facere liceret. Poſtridiè tamen accepto de ſuo reditu Senatus decreto ad Urbem ſunt profecti: reduxêre Gaſto ipſe, Condæus, ac Belfortius cum duobus armatorum millibus, ut illis quidpiam ab regiis metuendum fuiſſe, imperitæ multitudini oſtentarent.

Quâ die Legationem erant renuntiaturi, præter Viros Principes vocati in Senatum ſunt Petrus Seguierus Cancellarius, Pares Franciæ, Urbis Archiepiſcopus, atque alii quibus in hoc Ordine ſententiæ dicendæ jus eſt. Cancellarius non adfuit, cauſatus ſe nulla Magiſtratûs ſui munia poſt ſuum ab Aulâ diſceſſum obiiſſe. Sed Rex gravibus de cauſis, ac magnoperè ad rem publicam pertinentibus Senatûs Legatos ad Eſiæ-pontem venire juſſerat, quod & ipſi cum cæterâ Legatione renuntiavêre Senatui: at hæc gravia, atque ad rem publicam pertinentia quando ſcripto nihil de his demonſtrabant, neque quidquam Rex ad Senatum ſcripſerat, commenta, & artes Mazarini eſſe plerique dixêre, atque adeò rectè, atque ordine feciſſe Legatos, ubi ad Urbem redierant, ac Senatui paruerant.

Rex autem hos in Aulâ adeſſe volebat, ubi in hujus Conſilio decerneretur, uti Quæſtio de nupero tumultu, ſeditione, ac cædibus, de

1652. Ædium Urbis publicarum oppugnatione, atque harum incendio tentato diligenter haberetur, ita ut palàm fieret, quinam tantorum, ac tam atrocium facinorum autores, participes, conſcii, atque huic culpæ affines eſſent, ut in eos lege ageretur: Bruſſellum contra jus, faſque Mercatorum Præfectum creatum, cujus ſi quæ munia poſthàc obiret, capitis reus foret: quidquid ab Calend. Sextilibus in Senatu, aut in Urbis Ædibus decretum, factumve eſſet, id pro non decreto, factove haberetur, ſicuti quæ poſthàc decernerentur, fierentve, uſquedùm Magiſtratus qui tumultûs, ſeditionis, ac cædium causâ abierant, in Senatum, Præfectus Urbi, ac Mercatorum Præfectus in Ædes Urbis publicas redirent: poſtremò ut ne pecunia quæ ſolvendis urbanis uſuris curari ſolet, in poteſtate rebellium eſſet, qui hac in rem publicam abutantur, atque in belli civilis ſumptus, quod Hiſpanorum maximè, atque aliorum peregrinorum militum operâ gerant, hæc eò adveheretur, quò Rex agitaret, ut illìc ab ipſis qui hanc adminiſtrare ſolent, rectè creditoribus ſolveretur, Urbani Magiſtratus eódem venirent poſt triduum, ex quo id Decretum promulgatum foret. Hoc decreto Mazarinus, ac cæteri Adminiſtri occurri poſſe ſunt arbitrati virorum Principum, atque factioſorum in Senatu conſiliis de Prorege, aut Regis Legato in omni Regno creando. Nihilo ſeciùs tamen ea res in Senatu acta denique eſt, conſultatumque de ſummâ Poteſtate, penes quem tantiſper foret, donec Mazarinus finibus pelleretur. *Iniquum enim penes hoſpitem, atque advenam, qui hoſtis ab Senatu judicatus ſit, hanc eſſe diutiùs: exuendam tandem aliquando diutinam quam paſſi ſimus ab Adminiſtris ſervitutem, quâ non modò Senatûs, Populique, ſed & ipſorum Regum libertatem oppreſſerint, pro lubidine leges imperando, ſicuti nihil ad illos pertineant.* Tantum eâ tempeſtate in Mazarinum odium fuit, ac tantùm aliis quàm Regibus parendi ſicuti per noviſſimorum tempora factum fuerat, præ nimiâ quemadmodum Senatui videbatur, Adminiſtrorum audaciâ tædium, ut huic mori finem facere hic Ordo vehementer vellet.

Eâ gratiâ rem planè inſolitam aggreſſus eſt, neque tamen in tanto prudentiſſimorum hominum numero inventus eſt quiſquam, qui hanc ſibi diſturbandam exiſtimaverit. Quidam Gaſtonem Regentem creandum cenſebant, quo nomine penes quem Regni Procuratio quandoque eſt, eum appellare ſolemus: alii hujus Imperii nomen ulli tribui poſſe negabant, niſi per Regis aut pueritiam, aut captivitatem, aut inſaniam, quæ in Ludovico nulla erant: poſtremò eò res rediit, uti Gaſtonem ſicuti antehàc per Regis pueritiam huic in omni Regno Legatus fuerat, ita & porrò eſſe æquum cenſerent, donec Mazarinus finibus egrederetur, nam ſtatum in quo Rex erat conſtitutus, pueritiâ, aut quâvis capitis diminutione deteriorem eſſe aiebant, cùm qui cæteris imperitare deberet, is parère homini omnium pernicioſiſſimo cogeretur.

Igitur Senatus decernit Regem haud liberum videri, ſed ab Mazarino teneri ſicuti captivum: Gaſtonem rogandum uti Regis, ſuâque ipſe autoritate huic liberando utatur: præterea uti ſibi cuncti ſicuti par ſit,

dicto audientes ſint : id omnibus quibus rectè fieri poſſe judicaverit, modis efficiat, detque operam uti quæ mala ex peſſimis Mazarini conſiliis 1652. rei publicæ impendeant, ab iis hanc ſartam, tectamque præſtet : eo Legati nomen, atque Imperium ſicut antehàc habeat, teneatque, id in omni Regno, finibuſque exerceat, huic cuncti obedientes ſint, uſquedùm iis ejectus Mazarinus fuerit, quemadmodum Rex pridem edixerit, Senatuſque decreverit : rogandum prætereà Condæum uti ſecundùm Gaſtonem exercitus ductare velit : iterùm Regi per litteras ſupplicandum uti Mazarinum abigat : invitandas denique cæteras in provinciis Curias ut eadem decernant. Dein ſedulò data opera ut ex venditione Mazarini Bibliothecæ, ſignorum, ſtatuarum, ac reliquæ ſupellectilis ea ſumma corraderetur, ad quam proſcriptus antehàc fuerat. Sed ego de his quæ temporum vitio contracta ſunt, parcam dicere quid mihi ſententiæ ſit, de quibus poſteritas ab omni ſtudio, atque odio vacua æquiùs judicabit.

At Gaſto poſt paulò dixit in Senatu rogatum ſe ab hoc Ordine uti Legati nomen, atque imperium in toto Regno, finibuſque caperet, exerceretque : quod quidem Regis, ac rei publicæ causâ, & quando id ſibi Senatus autor fuerit, lubens fecerit : ſed in hac gerendâ ſibi ab hoc Ordine Conſilium inſtitui velle, ex cujus ſententiâ omnia fiant. Super his Hieronymus Bignonus Actor regius pro Cognitore qui aberat regio, & cujus vices tum gerebat alius, Subſtitutum vocant, *Rectè, atque ordine Gaſtonem Legati nomen, atque imperium Regis, & rei publicæ cauſa in omni Regno, finibuſque ſibi ea tempeſtate porro ſumere* ait, *qui Regi patruus ſit. Nam viros è regia Gente Principes Magiſtratus naſci, non creari, quibus abſque Diplomate regio, aut jurejurando ullo dicendæ in Senatu ſententiæ jus ſit. Id ſatis ſciviſſe Henricum magnum, priuſquam ad Regnum perveniſſet : nam per Henrici III. Regis tempora cum Gallia bello civili arderet, quibuſdam hortantibus uti rem publicam capeſſere vellet, reſpondiſſe ſibi quidem iſthuc facere jus eſſe, qui primus in Regno Magiſtratus eſſet. Id in Gaſtone Senatum quæ ejus prudentia ſit, atque omnium rerum ſcientia, agnoviſſe, cui non Legati imperium detulerit, ſed rogaverit, ut id exerceret, jure ſuo videlicet, atque adeo de hujuſce rei modò neceſſitate judicaverit. Hanc certè omnes non cognoſcere ſolum, ſed & ſentire, cum rem publicam omnem occupaverit Mazarinus hoſpes, atque advena, & in hac regium plane imperium uſurpaverit. Legationis nomen, & imperium in Gaſtone novum non eſſe, quod per Regis pueritiam habuerit. Quam cum in eo Mazarinus continuare per ſummam audaciam hujus potentiam porro ſicut antehàc exercendo oſtentare velit, ita & Legationis nomen, atque imperium Gaſtoni continuatum videri. Cæterùm de Conſilio quod ſibi inſtitui ab Senatu poſtulet, id ab hoc Ordine deligi haud neceſſarium videri, ſed magis in Gaſtonis arbitrio poſitum, quem probitatis, ac peritiæ in omni re publica rationem habiturum nemo dubitet, in his quos ad id Conſilium lecturus ſit, daturumque operam, ut in eo quod ad Regis Majeſtatem, ac potentiam attineat, id inviolatum, ac ſacroſanctum ſit.* Hac oratione Bignonus quid de hoc omni Legationis quæ Gaſtoni tribuebatur, negotio ſentiret, ſatis oſtendebat : nam id clarè dicere

1652. illorum temporum iniquitas prohibebat, neque quiſquam omnium eſt, quem non pigeat nihil profutura proloqui, atque æqua dicendo nihil niſi omnium odium quærere. Bignono magna integritas, atque doctrina, juris divini, humanique peritia, ac prætereà maxima eloquentia eſt, poſtremò ad hæc ingenii multa bona ſumma in Deum pietas ſicuti cumulus acceſſit.

Poſtquàm Actor regius, atque Cognitoris regii Vicarius de more exceſſerant templo, variæ dicuntur de inſtituendo Gaſtoni Conſilio ſententiæ, ac poſtremò decretum ut in hujus arbitrio eſſet deligere quos vellet, atque monere Seguierum Cancellarium, ut ipſe huic Conſilio pro eo quod gereret Magiſtratu adeſſe vellet. Senatu dimiſſo ipſe Gaſto, atque Condæus comitantibus qui adfuerant Franciæ Paribus, ad Seguierum adiêre, atque hunc de Senatûs Decreto fecêre certiorem, rogantes uti ſuum in eo quod inſtituendum erat Conſilio Magiſtratum gerere vellet. Is ſe ad Gaſtonem poſt meridiem iturum dixit, cui tum ex ſententiâ reſpondit. Hunc eò adductum dixêre, uti daret operam, ne quæ illîc conſultarentur, ea Regi, ac rei publicæ damno eſſent, cúmque de altero regio Signo fabricando, atque huic tradendo ageretur, id faciundum negaſſe, atque alia quæ Regi nocitura viderentur, ſummâ prudentiâ, atque ſolertiâ diſturbaſſe: tantum in hoc viro ſuprà ulciſcendæ quam ab Aulâ acceperat injuriæ lubidinem recti ſtudium fuit. Præter Condæum, Seguierum Cancellarium, Chavignium Adminiſtrum regni, Belfortium, ac Nemoroſium viros Principes, Rohanum, Briſſacum, Rupifocaldum, ac Suillium Duces, ac Pares Franciæ, fuêre in hoc Conſilio ex Senatu Præſides duo *a* Neſmondus, ac Longolius Maiſonius, ex Rationum Curiâ duo *b* Albericus, & Larchierus, item duo ex Curiâ Vectigalium *c* Dorieuxius, & Niger. Huic magnam Conſilii regii ſpeciem dabant Gaſto, atque Condæus è regiâ gente, ac maximè Seguierus Cancellarius omnibus Conſiliis regiis, Senatui, atque omnibus regni Curiis more majorum præeſſe ſolitus, ac poſtremò Chavignius Adminiſter regni.

a De Neſmond. De Maiſons-Longueil, Preſidens au Mortier.
b Aubry. Larcher, Preſidens des Comptes.
c Dorieux. Le Noir, Preſidens de la Cour des Aydes.

Sed inter Belfortium, & Nemoroſium uter in hoc Conſilio alterum anteiret, controverſia fuit, quæ eo gravior evaſit, quod ambo aliis de cauſis ſimultates dudum exercebant: has fama erat mulierem quam prius Nemoroſius, ac tum Belfortius amabat, fovere, atque alere, ob amorem aliò ab illo tranſlatum huic infenſiſſimam, neque enim mulieri quidquam intolerabilius eſt. Quæcumque tandem hujus inter ambos odii cauſa fuit, id ad alterius cædem denique evaſit: hanc patravit Belfortius ab Nemoroſio ut inter ſe decertarent, tantoperè fatigatus, ut id ſatis honeſtè ſe rejicere poſſe non exiſtimaverit. Tanta enim Nobilitatem Gallicam obcæcatio tenet, ut in mutuam perniciem ruere præclarum ducat, modò ut id æquatis inter decertantes numero, armis, atque aliis omnibus fiat. Ita rei omnium peſſimæ, atque miſerabiliſſimæ leges ſibi conſtituêre, quas pro normâ virtutis, & honoris habeant. Præter ferrum, aut gladium, quo uno in his certaminibus ſæpiùs uti

ſolent, ſclopeto breviori ſe, atque Belfortium uſuros Nemoroſius cum eo convenerat, quia nondum ab vulneribus quæ apud Antonii ſuburbium acceperat, planè ſanatus haud ſatis virium habere ſe ad pugnam quæ gladio fieret, diffidebat. 1652.

Sed ea res huic fraudi fuit, nam qui breviori ſclopeto peritiùs Belfortio utatur, nemo omnium eſt, prætereà nihil feſtinans quod plerisque ſæpè uſui fuit, Nemoroſium priùs glandem ſclopeto mittere ſivit, cujus ab irato ut ferè fit, temerè emiſſæ nulla offenſio fuit, ipſe firmiori quàm in re tam miſerâ opus eſſet, animo, manuque in Nemoroſium directo ſclopeto hominem quâ vita effugeret, attigit. Quatuor ſimul utrimque nobiles pro alienâ amborum lite decertabant, quâ finitâ per Nemoroſii cædem, hos ſicuti res monebat, deſinere Belfortius juſſit, coëgitque: pleríque jam vulnerati fuerant, duo vero adeò graviter, uti poſt paulò interierint. Ita quod eſſe debuit inter ambos amicitiæ vinculum Belfortii ſoror, quæ & uxor Nemoroſii erat, id minùs ad alendam illam, quàm ad diſſolvendam alienarum mulierum conſuetudo valuit, quæ non ſingulis hominibus modò, ſed & quandoque rei ipſi publicæ perniciem attulit. In Nemoroſio virtus, an forma præſtaret, vix diceres: illius Regi militans præclara ſæpiùs exempla ediderat, quam ab Sabaudicâ gente habere viſus, nam hujus gentis Principibus viris planè virtus generi ſimilis eſt, forma amorem mulierum conciliaverat, qui huic denique exitio fuit.

Alia eâ tempeſtate controverſia fuit inter Ellebovii filium natu minorem Franciſcum *a* Rieuxium Comitem, & Carolum Henricum *b* Tremolium Tarenti Principem Tremolii Ducis filium majorem natu, uter alterum anteiret. Ille Lotharingicâ Gente ortus eſt, quem adeò virum Principem eſſe nemo dubitare poteſt: Tremolii verò cuipiam majorum ſuorum maternum genus ab Neapolitanis Regibus fuiſſe aiunt, atque adeò ſibi rationes expeditas eſſe quibus Neapolitanum regnum obtinere debeant, quod Hiſpaniæ Reges contra jus, faſque uſurpaverint, eo majores natu filios Tremoliorum, ſicuti quondam Neapolitanorum Regum, Tarenti Principes dudum appellatos, quamobrem Tarenti Princeps Tremolius ſibi jus eſſe Rieuxium præeundi contendebat: ſed hujuſcemodi lites apud nos immortales eſſe ſolent, cum dirimi ſine alterutrius offenſione nequeant. Condæus cui cum Tremoliis ex aviâ affinitas intercedit, dabat operam uti neutri hæc controverſia fraudi eſſet: ſed Rieuxius hunc æquiorem quàm par eſſet Tremolio ratus, ubi id graviùs apud Condæum in Gaſtonis ædibus expoſtulat, excidêre juveni verba acerbiora, quàm quæ tali loco viro dici deberent, quibus exaſperatus Condæus haud abſtinuit manum, Rieuxius verò ſtringebat ocyùs gladium, ferro ulturus injuriam, niſi qui propiùs ambos aderant, vaginâ planè educere prohibuiſſent. At Gaſtoni hæc nimia adverſùm virum è regiâ gente Principem Rieuxii audacia viſa, quam hoc in Baſtiliam conjecto corrigendam exiſtimavit.

a Le Comte de Rieux.
b Le Prince de Tarente de la Trimouille.

1652. Sed quæ de Legatione Gaſtoni continuatâ, atque de Conſilio inſtituto diximus, ea ſi ante labefactatam partium fortunam, atque abalienatos multorum animos in Senatu, atque in Urbe, per nuperos in Curiæ, deinde in Ædium Urbis veſtibulo tumultus, & cædes facta fuiſſent, profectò magnam factioſorum rebus famam additura fuiſſe videntur; ſed his corruptis ad reſtituendas nihil profuêre. Ad hoc Condæus per amicos, & clientes in Urbis Conſilio impetravit, uti ſibi aliquanta pecunia curaretur, hæc ratione oſtiorum prout ſingulis ædibus rhedæ capacia, aut incapacia eſſent, ſuper illarum dominis impoſita eſt, quæ ubi exigebatur, ea verò magnam homini conflavit invidiam, ita ut in maledicta populus prorumperet, dictitans hanc non rei publicæ reſtituendæ, ſed explendæ ambitioni ab Condæo quæri, cujus modò causâ fortunis, ac ſanguine civium abutatur. Quod exactum eſt haud multum fuit, neque id magni pendebat Condæus, ſed Mazarino oſtentare maximè conſilium erat, ſe ex voluntate Senatu, Populoque porrò uſurum, quo quidem ad pacem in leges ſuas conficiundam nihil magis profuturum credebat, de hac enim tunc cum maximè agebat cum Mazarino per Gualcurium, annitente uti fieret Buillonio, qui ubi cum Mazarino redierat in gratiam, ea ut & inter hunc, & Condæum conciliaretur, magnoperè ſtudebat. Sed quas Condæus porrò ferebat conditiones, de Conſilio Regi inſtituendo, de tradendâ Contio Provinciâ, de ornando Marſino, atque aliis clientibus ſuis, eæ verò duræ Mazarino videbantur: hujus tamen pacis ſpes Condæum impulit, ut ne feſtinare ſineret eos, qui Mazarini necis mercedem paratam volebant, quæ ex boum Urbem ingredientium tributo colligi debebat, quod & alii diſturbavêre.

Rex ad Eſiæ-pontem moverat, ſicuti diximus, uti propior Hiſpanos hoſtes eſſet, quod ad horum excurſiones cohibendas pertinebat. Eo facultas Condæo fuit copias ſuas ab Victoris ſuburbio, ad Carentonium, & Clodoaldi-fanum ſuprà, atque infrà Urbem ad Sequanam, Matronamque flumina deducere, uti longiuſculè ab Urbe, ac faciliùs agitarent. Apud & circùm Eſiæ-pontem ſtativa regii exercitûs cùm in oppido, tùm in locis vicinis per calores immodicos, ut anni tempus erat Quintili, atque Sextili menſibus, præterea odore tetro, ut ferè fit ex mortuorum jumentorum cadaveribus, aërem ſtatim inſalubrem reddidêre: ex quo morbi graves primùm in vulgus militum, atque Aulæ, ac poſtremò in primores ipſos graſſari cœpêre.

His correptus Buillonius mortem obiit, vir Princeps ingenio perindè, atque animo, ac militari ſcientiâ clarus: ſed quamdiù Sedanum obtinuit oppidum magnum, atque valens, cum ſummo jure, judicioque, tamdiù factionibus ſtuduit, quarum qui principes apud nos fuêre, eò receptaculum aſperis in rebus ſuis, aut nondum ſatis ad bellum gerendum paratis habuêre: ubi autem illud ereptum, de recuperando perpetua conſilia iniit, eâ gratiâ porrò ſimilibus factionibus implicatus, in quibus propè omni exactâ vitâ, hanc denique ubi cum Rege redie-

rat in gratiam, finiit. Jamdiù Sectam quam pater fuerat profeſſus, ipſe eiuraverat: ita in divinis primùm, ac poſteà in humanis feliciter reſipuit. In Urbe Valeſius puer filius Gaſtonis unicus biennio ante natus obiit, magno cum hujus, atque Margaritæ Lotharingæ matris dolore, cujus ſe participes eſſe Rex, atque Regina mater utrique miſſis qui hoc officio verbis ſuis fungerentur ſignificavêre, manente inter arma civilia mutuâ inter propinquos caritate: eodem eſt officio functus Senatus, & reliquæ in Urbe Curiæ. 1652.

In Aquitaniâ Harcurius porrò rem publicam haud impigrè gerebat: ſed ſub æſtivorum finem ad Villam-novam Aginnenſium, ſeu Nitiobrigum movit, ac circùm hanc poſuit caſtra. Id oppidum ad Lotum amnem eſt, infrà Duëonam Cadurcorum, quod oppugnare Harcurio conſilium fuit, atque id acriter eſt aggreſſus. Sed ad opus maturandum multa defuêre, pecuniæ ad neceſſarios ſumptus inopiâ, præterea appetente hyeme fœdæ tempeſtates oppugnantibus intervenere, quibus immenſùm creſcente Loto, foſſæ quæ ad oppidum ducebantur, aquâ ſæpiùs oppletæ ſunt. Neque eo primùm deterritus ab oppugnatione Harcurius eſt, omnia incommoda ſubeunte alacriter milite, ut Imperatori morem gereret: poſtremò tamen diſcedendum ab caſtris, atque incœptum omittendum fuit. Huic antehàc perpetua, atque integra fides adversùm Regem, atque rem publicam fuerat, quam nemo majori animo, majori virtute, atque fortunâ uſque geſſerat: ſed vitio humani ingenii evenit, atque alienâ magis quàm hujus culpâ, uti ſub anni finem in fraudem inciderit.

Renatam *a* Dubecam anno pr[illegible]imo Briſiacum profectam, atque unà Sironem, & Furnellum diximus, quæ per hyemem eò commorata eſt, nihil feſtinans, ut ne rem quam cum Carlevoſio agendam habebat, nimiâ properantiâ corrumperet. Intereà quam ſecum adduxerat Sironis rogatu mulierem viduam, ea pulchrè ad Carlevoſii perniciem inſtructa nihil omnium quæ ad amorem conciliandum pertinent, omittebat, omnis induſtriæ, atque nequitiæ muliebris prudentiſſima, neque id fruſtrà fuit. Nam hanc *b* Carlevoſius amare cœpit perditè, ita ut nihil gravius huic accidere poſſe videretur, quàm ſi Dubeca diſcedendi conſilium caperet. Hæc itaque negotium cujus gratiâ venerat, per otium agitabat, ſicuti nihil urgeret, & quas tempus, & dies opportunitates adferrent, opperiens.

a La Mareſchale de Guebrian, Renée du Bec.

b Charlevois.

Intereà hominem quandóque docebat, *Quod Rex, atque Regina vellent, juberentque, id faciundum fore denique. Iſthic modò agi, utrùm ſuâ honoris ſui causâ facere velit, atque adeò ſibi tradere Briſiacum, quod in maximâ gratiâ habitura ſit, an tempus prolatando hujus rei ſpem adimere ſibi, atque alteri dare, quod certè haud ſatis dignum Guebriani viri in hunc meritis eſſe videatur. Quas conditiones ipſi tulerit, eas ubi ipſe voluerit præſtituram: pervelle certè ſe, uti quid amplius quo hujus animus planè expleretur, fieri poſſet.* Carlevoſius *ſeſe paratum* reſpondit *huic obſequi omnia, ſed Regis litteras ad ſe ſcriptas hujuſcemodi non eſſe, ut his unis fretus poſſit Dubecæ Briſiacum rectè tradere. Diplo-*

1652. *mate opus eſſe, quo Præfecta oppido ab Rege conſtituatur: id non ſe modò cenſere, ſed & amicos omnes, quos ea de re in conſilium adhibuerit, atque id eo magis neceſſarium judicare, quod fœminam oppido, ac militibus qui in eo præſidium agitent, præfici, res nova, neque uſquè facta ſit.* Id reſponſum quod ad ſe magis, quàm ad rem pertinebat, & quo ſe deludi, atque contemni ſentiebat, ſuprà quàm dici poteſt mulierem offendit, atque impulit, uti negotium properè confici vellet.

Carlevoſius ad Mazarinum miſerat Centuriones duos, quibus fidebat maximè, uti ſtipendii quod multorum menſium militibus apud Briſiacum debebatur, poſtulandi ſpecie, quid de ſe, atque de oppido quod retinebat conſilii haberet, explorarent, & hunc ſi quà fieri poſſet, adducerent, ut id ſuæ fidei commiſſum vellet. Sed Dubeca & Carlevoſium, & ejus legatos Mazarino ſuſpectiſſimos reddiderat, ac denique hos in Galliâ, illum apud Briſiacum comprehendendos eſſe perſuaſerat. Id fieri utrobique Mazarinus jubet, ſed apud Briſiacum res difficilis videbatur. Eò Valterum qui Germanis militibus Tribunus erat, Dubeca ad ſuas perduxerat partes, præthereà *a* Moiruxium qui Harcurii negotia in Alſatiâ, quam obtinet provinciâ, curabat; de Protribuno Carlevoſii cohortis *b* Builliaco, ac de centurionibus, ac militibus nulla ſpes fuit, nam plerique in hac inveteraverant, non ſicuti commilitones, ſed ſicuti filii ab ipſo habiti, quorum adeò ingens erat in eum caritas, ac ſicuti in parentem pietas.

a Moiroux.

b Boüillac.

Sed hic amori indulgere pergebat, neque ab *c* Campanio Suſâ Comite qui Belfortium oppidum, prædiumque in Alſatiâ obtinet, admonitus id ſibi fraudi fore, deſiit, aut cavit ſibi quidquam. Dubeca quandoque rhedâ vecta exibat oppido, ac longiuſculè procedebat, uti regionis amœnitate, atque ſalubritate frueretur: comitabantur ſcilicet Carlevoſius, vidua mulier, atque alii. Ubi patrandæ quam animo agitabat rei tempus denique conſtituit, de more ſe foras ituram edixit, dein ubi apparata aderat rheda, quidpiam ſibi interveniſſe negotii ſimulavit, neque eo ſeciùs qui hanc com[illegible]ri ſolebant, eos, eaſque foras exire juſſit, quod eſt ex hujus ſententiâ [illegible]um. Sed poſtquam tribus ab oppido paſſuum millibus progreſſi fuerant, ibi in Sironem, & equites comprehendendo, deducendoque Carlevoſio paratos incidunt: hi arreptis armis minitabundi hunc extractum rhedâ equum qui apparatus erat, conſcendere jubent, dein Siron Philippiburgum hominem abduxit. Dubeca pridie operam dederat, uti plerique centuriones è Carlevoſii cohorte circumquáque, atque ipſe Builliacus Protribunus alius aliâ de causâ dimitterentur, ita ut unus modo in oppido eſſet centurio, juvenis is quidem, ſed qui tamen in eo tam difficili, atque aſpero negotio nihil temerè ab militibus paſſus eſt agi. Nam ubi nuntiatum eſt Carlevoſium comprehenſum, abductumque, continuò ab omni cohorte arma ſumi jubet, ſtationibuſque ad portas firmatis, qui frequentes fuêre in plateâ milites, eos ad Dubecæ ædes deducit, ac circumquáque cuſtodias collocat: tantus erat omnium in eam furor, uti vix attineri potuerint, quin facinus

c De Champagne, Comte de la Suze.

cinus

cinus admitterent in muliere miſerabile: ſed maximè viduam cujus amore Carlevoſius in fraudem inciderat, ad cædem depoſcebant, quod eſt ab centurione prohibitum. Intereà alii qui circumquáque dimiſſi fuerant, centuriones rediêre, atque ipſe Builliacus Protribunus, ex quorum omnium ſententiâ Dubeca poſtridiè ejecta oppido eſt, quæ primùm Neoburgum, dein Baſilæam conceſſit. 1652.

Sed hæc eò non deſpondit animum, ac tam magnificè, atque elato animo de facto ſuo ubique ſcripſit, uti non uxorem Guebriani, ſed hunc ipſum redivivum cum imperio, atque exercitu eſſe diceres: equites quos Septemvir Brandeburgicus nuper dimiſerat, ſe mercede conducturam aiebat, ſicuti poſteà fecit, Fertæum Sannectarium qui propinquam cum exercitu obtinet Lotharingiam, aut venturum ſibi ſubſidio, aut partem copiarum miſſurum, Faugium qui Lotharingis equitibus in Alſatiâ præerat, item ſibi militaturum prædicabat. Iſthæc Helvetii vicini credidêre, atque ad eam legavêre poſtulantes uti nec Lotharingos, nec Brandeburgicos equites aut in ſuos, aut in Epiſcopi Baſileenſis fines excurrere ſineret. Id illa ſibi amplum, atque præclarum rebatur, ſed ſimul intelligebat quantùm apud Briſiacum offendiſſet, nam illic pejore loco res eſſe nequibat: oppidum validiſſimum nuper Auſtriacis ademptum quibus hujus recipiundi ſummum erat ſtudium, planè erat in poteſtate Builliaci Protribuni Carlevoſii cohortis, atque ejuſdem centurionum, ac militum, neque quidquam hos prohibere poterat, quo minùs id cui luberet, venum darent, quàm in Tribunum fides, caritas, pietaſque, nactos videlicet ſpem hujus recuperandi ſi Briſiacum retinerent.

Igitur animus quidem Dubecæ ſuperabat, ſed argentum, atque conſilium deeſſe ſentiebat, quorum alterum aut nullum, aut parcè de more ab Aulâ præbitum, alterum ab Sirone ſcilicet datum fœdè evenerat, utrumque adeò quærere aliò decrevit, apud Labardæum videlicet Regis ad Helvetios Legatum, qui haud procul Solodori agitabat. Hunc crebris ad colloquium litteris elicere tentavit, ſed is ſe in rei perditæ ſocietatem cum Dubecâ haud ſapienter venturum exiſtimavit, de quâ ubi integra erat, nihil ab eâ fuerat conſultus. Diem, illa locumque colloquio conſtituerat, ſeque eò Sironem adducturum adſcripſerat, addideratque tantam eſſe homini in his quæ ſentiret pertinaciam, ut in alterius ſententiam adduci nequaquàm poſſet. Labardæus colloquium fugiens reſcripſit, fruſtrà igitur id habitum iri, cum nihilo minùs, ut aliquid rectius Dubeca, atque ipſe ſentirent, tamen eo quod Sironi videretur, ſtandum foret. Hic Siron homo vanus, leviſque eſt, ex eorum grege, qui ſe ad Mazarinum applicavêre, & qui per hujus clientelam clareſcere, ac ditari ſtudent.

Intereà a Moiruxius negotiorum Harcurii curator, de quo ſuprà memoravimus, ſeu Sironi, atque Dubecæ autor fuerat Carlevoſii Philippiburgum deducendi, ſeu id ſponte ſuâ fecerant, è re natâ præclaram orditur fabricam. Philippiburgo Harcurius Præfectus eſt, cujus vice a Moiroux.

1652. oppido præerat *a* Cernius Comes : eò Moiruxius ſubitò proficiſcitur, atque unà cum Cernio Carlevoſio ſuadet, uti ſi ſe ſalvum, atque honeſtum porrò velit, Harcurio dedat in clientelam, & fidem, huic Briſiacum tradat, aut potius tam generoſo, ac grato homini tradendo retineat : nihil ipſi ab Rege, aut ab Mazarino ſperandum, deluſâ priùs ab ipſomet, dein pulſâ ab ipſius militibus Dubecâ. In hæc datâ fide, atque acceptâ, nam quò aliter hinc evaderet nihil Carlevoſio veniebat in mentem, atque compoſito inter ſe uti res ex ſententiâ eveniret, dolo, Cernius Briſiacum petit, fingitque eò ſe venire, uti tumultum ex abducto Carlevoſio ſedet.

a Le Comte de Cerny.

Builliacum Protribunum hujus cohortis, ac centuriones, militeſque benignè appellat : hi nihil primò acerbius dicere, aut facere, dein repentè tumultuari, crudeliter minari Cernio, atque retinere hominem, donec Carlevoſius reducatur. Inter hæc Dubeca cùm ſecum ipſa reputaſſet, quàm novum, atque inſolitum videretur ſi fœmina oppido, atque militibus præeſſet, *b* Moretum Comitem fratris filium accerſit, qui cum Diplomate regio advênit quo ipſe Præfectus Briſiaco creabatur. Igitur priùs aditâ apud Baſilæam amitâ Philippiburgum venit : ſed huic neque oppidi ingrediundi, neque Carlevoſii appellandi copia fuit, neque alio pacto ubi Briſiacum venit, cum eo actum eſt. Sed ubi apud Philippiburgum *c* Arſono Marchioni Cernii filio nuntiatum eſt, quàm acerbè apud Briſiacum Builliacus, ac centuriones, militeſque Carlevoſii cohortis cum patre agerent, ſimulans ſe metu adductum, ut ne quid gravius in eum conſulerent, eò Carlevoſium reduci jubet, quò & Cernius manſit. Operæpretium erat Dubecæ Briſiaci præſidium, & commeatu, & pabulatione, & lignatione prohibere, atque impedire, ut ne collationes fieri ſolitas exigere poſſent, quod quidem Faugius cum equitibus ſuis ſeu amicus, ſeu hoſtis, ſeu neutrum eſſet, magnâ ex parte faciebat, collationes ipſe ab Alſatiæ incolis corradens, prætereà Brandeburgici de quibus memoravimus, equites eodem officio naviter fungebantur.

b Le Comte de Moret. Du Bec.

c Le Marquis d'Arſon.

Helvetii viri graves, prudenteſque, neque ſoliti tantas in propinquo ſentire turbas, ubi vident Gallos, Germanos, Lotharingos in finibus ſuis armatos haud ſatis dijudicare quid eorum, quid regiæ ditionis eſſet, & quandóque popularibus ſuis, ac maximè Baſileenſibus inferre damna, Conventum apud Balnea indicunt, ab ſingulis Civitatibus, ac Pagis quidpiam militum in præſentiâ ſcribendum decernunt, qui Baſileenſibus, & Epiſcopo Baſileenſi præſidio ſint, cæterùm ad duodecim millia hominum parata eſſe juſſêre, qui ubi res publica poſtularet, ſubitò in unum cogi poſſent. Addidêre ſibi muniunda eſſe loca omnia, quæ tuendis finibus ſuis idonea viderentur, quod ita perſcriptum fuit, ut & in alieno ſolo, perindè ac in ſuo id ſibi faciundum eſſe ſtatuerent : dein Decretum cum Labardæo Regis Legato communicavêre. Is duo in eo reprehendit, primùm quod Proteſtantes juxtà, atque Catholici auxilium Baſileenſi Epiſcopo decernerent, cui cum Catholicis modò fœ-

dus intercederet, prætereà quod & in alieno ſolo loca munire ſibi licere arbitrarentur: ſed hæc leniter & reprehendit, & queſtus eſt Labardæus, probè ſciens quæ ſine aliquo ſumptu fieri nequeant, ea ab Helvetiis facilè omitti, ſicuti de hoc Decreto accidit. 1652.

Inter hæc Dubeca Baſilæâ diſceſſit denique, atque in Galliam rediit, pro uno duos qui Briſiacum obtinerent Cernium, & Carlevoſium, atque plenam armis relinquens Alſatiam. Sed eò venit poſt paulò Margarita *a* Cambultia Poncaſtella Harcurii uxor, quam ad Briſiacum præmiſerat: hæc antiquâ & virtute, & nobilitate fœmina eſt, tanto, ac tam forti viro digniſſima, quæ tamen Moiruxii conſilio uſa aliena attingere nihil penſi habuit. Scripſit enim ad Labardæum, orans uti ſibi adjumento eſſe vellet, quo Girollus Baſilæâ pelleretur. Hæc Urbs Helvetiorum eſt, apud quos cùm Labardæus Regis Legatus eſſet, hujus erat quidquid eo ad Regem pertinebat curare, neque fas erat cuiquam id ſibi ſumere, ac multò minùs mulieri, quæ viri noxæ implicata erat.

a Du Camboult, de Pont Chaſteau, Comteſſe d'Harcour.

Cæterùm Girollus apud Briſiacum, atque in Alſatiâ Quæſtor fuerat, qui poſteà Condæo ſeſe dederat in clientelam, & fidem, atque huic apud Helvetios ut ne cuncta Regi ex ſententiâ procederent, operam daturus videbatur. Sed cùm hæc Condæo nihil uſque profeciſſet, nihil item feſtinabat Labardæus illum abigere, quem magis in viam reducere conabatur, quia propinquus erat homini, quem ſibi colendum, atque obſervandum ſemper exiſtimavit. Igitur Cambultia ad Baſileenſes de Girollo abigendo ſcripſit, quibus tametſi videbatur inſolitum fœminam rem publicam tractare, ac maximè quæ Regis injuſſu Briſiacum veniſſet, benignè tamen huic reſcripsêre, Urbem ſuam patere omnibus, neque ſe ſatis ſcire Girollum quidquam adversùm Regem moliri. Poſtremò ubi Girollus ſe Condæi negotiorum curatorem eſſe Helvetiis per litteras ſignificavit, ibi verò Labardæus ad Baſileenſes ſcripſit ſeriò, orans, ac Regis verbis poſtulans, ut hunc confeſtim abigere vellent, quod tum Regi, atque ejus Legato rectè poſtulanti ſunt obſecuti.

Exeunte Decembri denique Harcurius ab Aquitaniâ Iſlabono fratris filio exercitu regio permiſſo Briſiacum venit, quod quidem feciſſe tantum hominem dicere piget, pudetque: ſed quidquid in eo pravi fuit, id Moiruxio rectè aſſignaverimus, qui totum hoc negotium ſuo magis, quam Patroni conſilio, judicioque confecerat: ſi quid autem boni, quod videlicet Briſiacum in hujus poteſtate poſitum minùs opportunum hoſtium technis fuit, quàm cùm penes Carlevoſium, dein penes Builliacum erat, id verò rectè Harcurii fidei tametſi labefactatæ tribuerimus: nam neque Auſtriaci, neque Hiſpani, neque propinquus ipſius Carolus quondam Lotharingiæ Dux quidquam quantâvis oblatâ mercede hominem movêre, uti Briſiacum his tradere vellet.

Harcurius antehàc id ſibi permitti poſtulaverat, cui Præfectus foret, cùm aliud nullum in Alſatiâ oppidum eſſet, quo ſatis tutò, ac ne honeſtè quidem poſſet agitare, puderetque virum Principem quam-

1652. obtinebat provinciam, in eâ eſſe qui Briſiaco fretus ſeſe longè potentior haberetur, eo tunc hujus habendi occaſionem ſibi oblatam haud dimittendam exiſtimavit, neque hanc ingratam fore Mazarino, poſtquàm Dubeca & oppidum, & provinciam omnem in maximum diſcrimen adduxerat, quod tradito ipſi Harcurio Briſiaco proculdubio deſierat; præterea magna erant Harcurii in Mazarinum merita, quo ſiebat, ut huic haud moleſtum fore crederet, eò rem rediiſſe, ut ipſe Briſiacum obtineret.

Eâ tempeſtate Carolus Ferdinandus Auſtrius Tirolis Princeps miſit ad Regem, qui trigeſies centena librarum millia ipſi curari flagitarent, ex Monaſterienſis Pacis legibus, in Alſatia, atque Briſiaci quæ priùs poſſederat, æſtimationem. Sed cùm Rex ob temporum iniquitatem tunc ſolvendo non eſſet, Carolum Ferdinandum oravit, ut eam rem in aliud tempus rejici ne gravaretur: intereà Philippum Hiſpaniæ Regem ab ſuo qualecumque ſit, ſuper Alſatiâ, & Briſiaco jure diſceſſurum, quod uſquè defuerit, ut Rex quam Carolus Ferdinandus flagitet ſummam, eam ſolvere ter[illegible] vulgo creditum eſt, [illegible]ctum ab Carolo Ferdinando, uti ſi qua [illegible]piundi Briſiaci, atque Alſatiæ inter has turbas opportunitas foret, eam [illegible]captaſſe videretur.

Rebus in Galliâ tantopere perturbatis Hiſpani non modo operam dedêre, uti viris Principibus effici, qu[illegible] bellum [illegible] [illegible]gerere, aut certè deffendere poſſent, ſed ut & ipſi quæ diuturno adverſùm nos bello perdiderant, ea dum in civile averſi omnes Regni opes in mutuam perniciem noſtram conſumebamus, reciperent. Eo Leopoldus ad Gravelingam Fuenſaldanium Comitem, *a* Linæum Principem, atque Sfondratum Marchionem octo millia peditum, ac tria equitum ducere juſſit: hi Baſſignium Comitem Audomari-fano Præfectum in propinquo cum parte equitatûs præmisêre, ut omnes ad oppidum aditus obſideret: dein ipſi ſubſecuti quaternis caſtris oppidum circumſedêre. Ab mari Joannes Almara Oſtendæ Præfectus, quæ & in propinquo ad mare poſita eſt, ante Gravelingæ portum ſtationem navium habuit, altera ſtatio navium ante Dunkercæ portum fuit. Dunkerca ſuprà, *b* Icius portus infrà Gravelingam eſt: alteri *c* Ludovicus Bethunius Charoſtus Comes, alteri Godefredus Eſtrada Præfecti ſunt, ambo vigilantiſſimi.

a Le Prince de Ligne.

b Calais.

c Le Comte de Charoſt de Bethune.

Sed Gravelingæ oppugnatio magis ad Eſtradam pertinebat, probè ſcientem ſicubi oppidum captum foret, aut deditum hoſti, hunc ſubitò ad ſe venturum: quo magis id ſibi pro virili prohibendum intelligebat. Jacobus Ruſſellus Grancæus Equitum Tribunus Gravelingæ Præfectus aberat, qui ubi in Normanniâ quò agitabat, nuntiatum eſt hanc obſideri ab Hiſpanis, aliquo militum coacto numero eò proficiſci decrevit: ſed neque id, nec quæ apparabantur in Britanniæ, atque Normanniæ orâ, atque apud Icium portum naves uſui fuêre, uti Gravelingæ ſuccurreretur. Leopoldus ipſe ubi caſtra vallo, foſsâque munita fuêre, advenit, atque rem omni ope maturavit. Ubi huic diſturbandæ Eſtrada videt nihil ab Aulâ ſatis feſtinari, ipſe cùm haud tantùm haberet

militum, uti Dunkercam poſthàc, atque tunc Gravelingam deffendere poſſet, Mardicum Caſtellum quod eſt inter utramque medium, in cujus præſidio trecenti pedites erant, disjiciendum ſibi ſtatuit, quo tantumdem armatorum Gravelingam mittere poſſet. Id modò huic obſtabat conſilio, quod Mardicum inter, & Dunkercam trecentorum equitum præſidium hoſtes habebant, ab Mardico autem ad Gravelingam mille equitum, quos in tria ſecundùm maris littus diſtribuerant loca. 1652.

Sed ipſe illos trecentos equites ſeſe facilè pulſurum confidebat, dein ubi propiùs Mardicum adveniret, ibi cuniculis ſub Caſtellum actis id disjectum iri, cum ingenti fragore, quo equites hoſtium tribus in locis diſtributos commotum iri probabile erat, atque ad Mardicum versùs advolaturos, rei quæ ageretur pernoſcendæ causâ: tum trecentos pedites ad Gravelingam ducendi opportunitatem fore. Eſtrada cuniculos ſub Caſtellum agi juſſerat, atque tormenta cum omni militari inſtrumento Dunkercam advehi. Ubi igitur cuniculis eſt admotus ignis, momento temporis Caſtellum cum horribili ſonitu disjectum eſt, ædes incenſæ, atque terribilis loci facies facta. Intereà Eſtrada cum idoneo peditum, equitumque numero pulſis qui Dunkercam inter, & Mardicum in ſtatione erant equitibus circùm Mardicum advênit.

Eò ubi cæteros equites quos ab aliis præſidiis Mardicum inter, & Gravelingam diſpoſitis rei quæ illîc age[illegible] viſundæ, atque cognoſcendæ venturos providerat pugnando di[illegible] trecenti pedites noſtri ad Gravelingam evasêre. Hos Vilherus in Prætorianorum Legione centurio, atque alii centuriones quatuor ductavêre, qui adhibitis viarum peritis amnes tres in mare decurrentes vadis tranſiêre, & ad pontem quà in hoſtium munitiones ingreſſus erat, turmam equitum, atque pedites centum qui in ſtatione erant, fudêre, atque ita oppidum ingreſſi ſunt. Ab hac expeditione Eſtrada ubi Dunkercam redierat, milites omnes qui Urbi præſidio erant accuratè recenſet: quid inſtrumenti militaris, quid annonæ eſſet, cognoſcit: frumentum omne in publica horrea conferri jubet: tria hominum, fœminarumve millia, quæ in oppido nulli uſui eſſent, abigit: circumquàque dum licet excurrit, atque commeatum Dunkercam advehit: quos Hiſpani in caſtra ſua advehebant nonnullos intercipit: prorsùs omnia fecit ſedulò, quo Urbem adversùm imminentem ab hoſtibus vim muniret.

In Aulâ omnem dabat Mazarinus operam, uti Gravelingæ quid auxilii præberetur: Hocquincurius ab operæpretio apud Stamparum ſuburbium facto cum quingentis equitibus in regni fines dimiſſus fuerat, qui Mondejoco Atrebatibus Præfecto, ac duobus millibus peditum fretus, præterea omnibus quos cogere poſſet in his regionibus, conaretur quidpiam ſubſidii Gravelingam introducere, intereà dum apparantur ubique naves, quæ ampliora deveherent auxilia. Sed pecuniæ inopiâ nihil ſatis feſtinabatur, quo factum eſt, uti *a* Valibertus Gravelingæ Propræfectus omnia ſibi, atque præſidio honeſta pactus oppidum denique hoſtibus dediderit: octingenti ſani, ægrive oppido diſceſsêre, cum *a* Valibert.

1652. tormentis tribus, atque Icium portum in propinquo deducti ſunt: duo millia hoſtium partim cæſa, partim ab morbis circùm Gravelingam abſumpta ſunt, ac plerique inter eos qui ordines duxerant: Sfondratus Marchio tormento ictus interiit, vir inter hoſtes magna virtutis opinione.

Eâ tempeſtate Daugnionum qui Condæi ſectam ſicuti antehàc memoravimus, ſequebatur, apud Broagium, circúmque ea loca claſſem apparare fama erat, atque Hiſpanicam opperiri, uti conjunctæ hoſtilia facerent. His uti reſiſteretur, Vindocinus quem rei navali in Galliâ Præfectum eſſe diximus, in Armoricas civitates eſt dimiſſus, qui in omnibus hujus regionis portubus naves conquireret, inſtrueretque. Quâ in re bonâ, atque ſolicitâ *a* Neuchaïſii è Melitenſi Militiâ, qui ipſi Legatus fuit, operâ uſus eſt, qui viginti tres naves grandiores, incendiarias duodecim coëgit, in his milites, & nautæ affatim fuêre. Hiſpani autem cum Daugniono haud procul Broagio claſſem habuêre, grandiores videlicet naves ſeptemdecim Hiſpanicas, Neapolitanas, & Dunkercicas.

a Le Chevalier de Neuchaiſe.

Noſtri circùm Ream Inſulam erant, cùm eſt nuntiatum hoſtes adeſſe: ibi ſublatis anchoris propiores factæ inter ſe claſſes cum horribili ſtrepitu, atque ingenti fragore tormentis pilas emittunt: nebulam Oceano incubantem ex quâ colligi ignes, atque fulmina hinc inde jactari crederes, quod ab luce primâ ad noctem duravit: tormentis modò actum, nam ut ne cominùs prælium fieret, naveſque jungerentur, utrimque cautio fuit: Hiſpanica una incenſa, una Neapolitana capta, ac poſt paulò depreſſâ, Hiſpanica claſſis ſilentio noctis abſceſſit. Vindocinus quoniam pecunia alendis ſociis navalibus, atque ad alios neceſſarios ſumptus deerat, naves in Armoricarum Civitatum proximos portus dimiſit, unde poſt paulò ad Diepam ductæ ſunt, uti Dunkercam commeatûs deveherent.

Hanc poſt deditam ſicuti diximus Gravelingam Hiſpani oppugnatum iêre, eò Ferdinandus Solis præmiſſus ab Leopoldo cum quatuor peditum, duobus equitum millibus ab Dunkercâ paſſuum millium intervallo caſtra ponit, ſtationes circumquâque diſponit, firmatque, pontes ſuper rivos, præterea foſſas, turres, & caſtella inſtituit, ita ut oppidum aliquo ſpatio circumvallatum eſſet: clauſum erat ab ſtatione quam diximus navium mare, neque ulla advehendorum commeatuum copia erat: quo factum eſt denique, uti brevî omnium rerum inopiâ qui in oppido, erant laborarent: inde morbi graves, atque ipſa orta peſtilentia, quæ in diebus undecim mille ex duobus millibus milites abſumpſit, cæteris ita fatigatis ob continuas excubias, vigiliaſque, uti nihil propè virium in his ſupereſſe videretur.

Eo adductus Leopoldus octo peditum, tribus equitum millibus fretus non jam obſidione, ſed oppugnatione apertâ oppidum adoriri decrevit: foſſæ igitur ab quatuor partibus duci cœptæ, ad ſingulas partes mille pedites per vices excubantes, ac tormenta decem fuêre, appara-

tus etiam multis, atque integris defenſoribus terribilis, nedùm ſeptingentis in tam vaſto mœnium ambitu, qui vix arma ſuſtinere poſſent, victi malis ex perpetuo vigiliarum labore, nam iiſdem manendum in ſtationibus erat, ſcilicet paucioribus, quàm ut id fieri per vices poſſet. Ita ſæpiùs res propior ſeditionem fuit, his omnia detrectantibus, ni Præfecti exemplum, amor, atque autoritas attinuiſſet. At hoſtes confiſi nihil ſupereſſe animi noſtris, quo ſatis propugnare poſſent, ab tribus partibus externum foſſæ oppidi latus oppugnavêre: Hiſpani, atque Itali eò locum occupavêre, ſed pulſi primùm, dein cùm feſſis integri ſucceſſiſſent iterùm fecêre impetum, ac loco potiti ſunt. 1652.

Ibi verò Eſtrada conſpicatus hoſtes jam eò munientes erumpit ipſe oppido, & cum eo plerique ex his qui ordines ducere ſoliti erant, ac præterea milites quinquaginta, qui unà omnes tanto impetu in hoſtem invecti ſunt, uti poſt atrox utrimque prælium, & ſeptem eorum qui ordines ducere ſoliti erant, ac viginti quinque militum cædem, vulnuſque in femore ab ipſo Eſtradâ ex glande ſclopeto miſsâ acceptum, hoſtes pepulerit. Poſtremò fatiſcentibus præter Præfectum cunctis, qui obfirmato ad retinendum oppidum animo, nihil cæterorum necem pendere videbatur, ſibi conſilium cepêre tres gregarii milites, & cum hoſte de tradendo huic oppido egêre, quâ re Præfecto patefactâ, de his more majorum ſupplicium ſumpſit.

Sed jamdiù militibus panis pauxillulùm dabatur, qui ab diebus quindecim hordeaceus erat, neque hordei multum reſtabat, quo porrò confici poſſet. Igitur Eſtrada omnibus centurionibus in conſilium adhibitis, ex hujus ſententiâ de deditione egit cum hoſte, his videlicet legibus. Ni ſex proximis diebus quid auxilii oppido adveniret, id ſeptimo dederetur, intereà uſquè induciæ eſſent. Centuriones duo ab Eſtradâ, alter ad Almontium Equitum Tribunum Icium portum, alter ad Vindocinum qui claſſi regiæ præerat Diepam de auxilio mitterentur. Opportunè uterque advenêre, Almontius enim annonam quæ per ſex menſes præſidio apud Dunkercam ſatis futura eſſet, ac mille, & quingentos milites vectoriis apud Icium portum navigiis imponi curabat, qui ab claſſe regiâ Dunkercam deducerentur.

Nihil dubii erat, quin eò noſtri portum ingrederentur, quoniam haud difficile fuiſſet his ſtationem Hiſpanicarum navium quæ eò præſidium agitabat, amovere, ni Britannica claſſis prohibuiſſet. Philippi Hiſpaniæ Regis Legatus apud Londinum ab Cromvello, Britanniſque poſtulaverat, *Uti Regi ſuo adjumento eſſe vellent, quo Dunkercam recipere poſſet: hanc propè deditam* dicere, *quæ poſt ſex induciarum dies tradi debeat, ni auxilii quidpiam intereà introducatur, quod ut ne fiat in eorum manu eſſe, qui claſſem in eo quod Galliam, atque Britanniam interjacet freto habeant, belli quod adverſùm Socias Civitates gerant causâ.* Cromvellus ob Carolum Britanniæ Regem qui in Galliâ agitat, haud ſatis æquus nobis erat, metuebatque uti Rex ſicubi ab civili, externoque bello vacuus foret, Carolum propinquum in Britanniam reducere vellet: poſtremò ægrè erat Britan-

1652. nis Dunkercam penes nos eſſe, ut ne maritimæ opes Regi creſcerent, rem Britannis moleſtam, qui maximam, atque opulentiſſimam toto Oceano incolentes Inſulam, illius ſe Principatum obtinere dictitant, quem omni ope ſibi tuendum eſſe putant.

Igitur Cromvellus de claſſis Gallicæ ad Dunkercam curſu prohibendo facilè Hiſpanico Legato auſcultavit, ac Blaco Britannicæ Prætori præcepit, ut ubicúmque naves Gallicas nactus foret, eas oppugnaret. Hæ ab Diepâ Icium portum advenerant, adductiſque velis anchoras jecerant, quæ ad auxilium Dunkercam introducendum apparatæ in portu fuerant, eas opperientes, cùm Britannicæ naves nihil hujuſcemodi ſuſpicantibus intervenêre, atque omnes cepêre, præter tres, quæ maturè ſublatis anchoris, aut præciſis quibus religabantur funibus, ad Fleſſingam Sociarum Civitatum portum diffugere. Sed religio fuit Britannis, nihil indicto anteà nobis bello, id improvisò, ac nullâ de causâ ſumpſiſſe videri: prætereà cùm id adversùm Socias Civitates gererent, his Regem adjutorem eſſe haud quaquàm ipſis conducebat, cùm præſertim haud ſatis pacati Britanniæ populi eſſent, neque ſatis certi Regem, an libertatem mallent, cujus imaginem ipſis Cromvellus oſtentabat, re autem ipsâ regia omnia munia exercebat.

Quamobrem hujus voluntate Blacus retentis navibus Gallicis, & quæ his vehebantur omnibus, homines modò qui in his fuêre Icium Portum remiſit, nihil Britannis, cum Gallis eſſe belli dictitans, ſed multa ab his qui piraticam fecerint, illis erepta, in quorum æſtimationem naves Gallicas cum omni onère retinere ſibi jus eſſe cenſuerit, donec causâ cognitâ, quod uſque Galli abnuerint, de hujuſcemodi contra jus gentium factis prædis Britannis fiat ſatis. Intereà quod maximè Cromvellus ſtuduerat, auxilia quæ Dunkercam vehenda erant, prohibita ſunt, atque oppidum Hiſpanis ubi induciarum dies exierat, deditum. Poſt Dunkercam deditam Leopoldus ſub tectis exercitum habuit tantiſper, reficiundis ex diuturno labore militibus in Bergenſi, atque Caſſelenſi agris: dein rursùm coacto exercitu, versùm Bolonienſem in finibus noſtris agrum movit, atque apud Teroanam habuit caſtra: poſtremò inde recedens *a* Linæum Principem cum quatuor equitum, ac peditum millibus dimiſit in Picardiæ fines, quo regiarum copiarum partem averterent, ac tanto pauciores virorum Principum exercitui oppoſitæ eſſent: hic, ac regius exercitus circùm Urbem agitabant, ſicuti bonum, atque commodum eſſet, mutantes caſtra, ipſi Urbi, atque accolis graves.

a Le Prince de Ligne.

Intereà Mazarino conſilium fuit, uti Rex Senatum ad ſe venire, atque haberi tantiſper ad Eſiæ-pontem juberet: id huic autorem fuiſſe aiunt Nicolaum Fouquetum Cognitorem regium: ſi Senatus abnueret, ſicuti futurum videbatur, Præſides duos, atque Conſiliarios quatuordecim ab cæteris ſecreverat, quorum alii crebris in Urbe ſeditionibus, factiſque nuper cædibus perterriti, alii præmiis illecti, quæ ingentia Mazarinus iis quorum operâ indiget, facilè pollicetur, cuncta ex ejus ſententiâ facturi videbantur. His Præſidibus, atque Conſiliariis, libellorum

lorum Magiſtros, qui plerúmque Aulæ obnoxii ſunt, adhibere decreverat, quibus omnibus Procancellarius Molæus præſideret: hunc Magiſtratuum numerum ſatis ſuperque eſſe, qui abnuentibus eò quò accerſerentur, venire cæteris Patribus, Senatum apud Eſiæ-pontem haberent. 1652.

Pacificante antehàc Condæo memoravimus ab hoc Mazarinum poſtulaſſe per conditiones futuræ pacis, ut aut ab Senatu in Urbe, aut per Divionenſem quæ in illius poteſtate eſſe videbatur, Curiam hunc extrà noxam eſſe causâ cognitâ decerni curaret, quod quidem per ejus abſentiam factum iri Condæus reciperet, nam Mazarinus uti Senatui, Populoque animum expleret, jam tum tantiſper abire decreverat, dein Gaſtonis, atque Condæi voluntate redire. Sed cùm id fruſtrà fuiſſet, ejuſdem rei agendæ aliam inire videbatur rationem, eorum videlicet operâ, qui ad Eſiæ-pontem Senatum habituri erant: nam ubi nuper hic Ordo ad Regem miſerat, qui illum abigi poſtularent, iis ita reſponſum fuerat, uti Mazarino ſeſe purgandi conſilium eſſe omnes ſatis intelligerent, atque eâ causâ Regem juſſiſſe, uti quæ adversùm illum ex Senatûs Decreto quæſita fuerant, ea ad Procancellarium quamprimùm mitterentur.

Sed miſſum eſt denique ad Cognitorem regium in Urbe, aut ad ejus vicarium Regis Edictum, quo Patres ad Eſiæ-pontem venire jubebantur, eò Senatum poſthàc habituri, quod Edictum nuſquam in Senatu recitari, aut promulgari ſivêre. Rex igitur ubi hos eam rem diſſimulare videt, qui apud Eſiæ-pontem erant, eos Senatum habere jubet. Illîc recitatur, ac promulgatur Edictum, quo omnia in Mazarinum ab Senatu decreta, ac præterea multa de re publicâ, tam in hoc Ordine, quàm in Urbis Ædibus item decreta, factave fuerant, ac maximè de Legatione Gaſtonis, atque Imperio Condæi apud exercitus regios planè reſcindebantur, prohibebaturque cives cuiquam præterquàm Regi obedientes, aut dicto audientes eſſe, vel quibus poteſtates, & imperia ipſe mandaſſet, poſtremò ut ne ullis Decretis, niſi Senatûs qui ad Eſiæ-pontem haberetur, ſtare, qui ex Senatu manſerant ad Urbem, eos ſine ullâ juriſdicundi, aut publicæ rei quidquam attingendi facultate eſſe ſignificabat.

Ubi Patres ad Urbem reſcivêre alterum apud Eſiæ-pontem Senatum haberi ab his qui eò abſceſſerant, immane quantùm iis maledixêre, deſertores, ac proditores appellando, qui rem publicam evertant, Regni leges diſſolvant, jura violent, poſtremò indigni ſint, qui poſthàc ullos unquàm Magiſtratus gerant. In hanc igitur propè ſententiam Decretum fit; Qui apud Eſiæ-pontem convenerint, iis interdictum Senatu, nomina eorum de tabulâ Senatorum eximerentur: ipſi, & in quos Magiſtratum poſthàc conferrent, ii indigni haberentur, qui in ampliſſimo Ordine hunc, aut alium gererent, niſi ſi illi ante octiduum ad Urbem, & in Senatum redire vellent. Nihilo ſeciùs apud Eſiæ-pontem habetur porrò Senatus, qui ab Rege denique uti Mazarinus finibus pellatur, aliorum qui ad Urbem manſerant, exemplo poſtulat: ſed ea

1652. res ex compoſito fiebat, nam is Regis, & Reginæ matris, ſuâque ipſe voluntate lubentiſſimus, atque ubi vellet redire certus abiit.

At iſthic mirari lubet non modò plebi, ſed & viris gravibus per dolum, & fallacias quod verum, & bonum eſt, quandóque inſinuandum, ut id dignoſcant denique, atque huic acquieſcant. Nam & verum, & bonum in Mazarini negotio fuit, uti ſi rem publicam peſſum dediſſet, planè hunc Rex abigeret, aut pejùs haberet: ſin hanc benè geſſiſſet, hunc nequaquàm ex virorum Principum, Senatûs, Populique lubidine dimitteret. Sed humani ingenii vitio evenit, uti primùm Rex hunc ſe dimiſſurum profiteri Edicto cogeretur, atque dimittendum Senatus omnium in hunc odio permotus decerneret, quod eſt firmatum ab Rege, atque Reginâ matre, atque ab ipſo Senatu ſæpiùs, & tametſi id haud ſatis æquum fuit, atque id ipſum Senatus apud Eſiæ-pontem ſentiret, tamen neceſſe eſſe jùdicavit Mazarinum per ſimulationem abigere, atque ita plebi fucum facere, uti res publica ſalva eſſet: eo enim belli civilis porrò gerendi cauſa tametſi falſa, atque injuſta Principibus viris adimebatur, neque eo finibus pulſo reſtabat quidquam, quo Senatus, populuſque horum operâ egere ſe ampliùs crederet.

Mazarinus ab Aulâ diſcedens Regi autor fuit, uti Gabrielem *a* Rupichoartium Mortemarium Marchionem, ac Carolum *b* Crequium Marchionem ambos regiorum Cubiculariorum principes, atque *c* Rupilaurium item Marchionem regiæ veſti Præfectum Duces, ac Pares Franciæ crearet, hos qui continuò Regi adſunt, ſibi amiciſſimos facere ſtudens: prætereà uti Petrum Seguierum Cancellarium in Aulam revocaret, nam præter quàm quod optimum factu judicabat talem hunc virum, qui cum Gaſtone, & Condæo ad Urbem regii Conſilii ſpeciem faciebat, illinc educere, hujus certè opera, & in Regis ipſius Conſilio, & in Senatu apud Eſiæ-pontem pulchrè proceſſura videbatur, & utrique multum dignitatis hujus adventu acceſſurum. Vocatus igitur ſubitò in Aulam Seguierus eſt, qui clàm ab Urbe profectus Compendium, quò Rex ab Eſiæ-ponte diſceſſerat, advênit, perbenignè & ab eo, & ab Reginâ matre acceptus, habituſque.

a Le Marquis de Mortemar, de Rochechoüart.
b Le Marquis de Crequy.
c Le Marquis de Rocquelaure.

Rex poſt Mazarini diſceſſum ex hujus ſententiâ Thomæ viri Principis Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis patrui, conſilio, atque judicio potiſſimùm in re publicâ gerendâ uſus eſt, ac prætereà Ondedeum negotiorum Curatorem fidum in Aulâ Mazarinus reliquerat, qui Reginæ cuncta quæ fieri vellet, continuò ſubjiceret: poſtremò Abel Servianus, atque Tellierus Quatuorvir illi bonam, fidelemque navabant operam, rem publicam quantùm ad utrumque pertinebat, planè ex ejus voluntate tractantes, ſtudenteſque ut nequid fieret, quod ipſi fraudi foret. Mazarinus ab Eſiæ-ponte diſcedens Turenam, atque exercitum cui præerat regium viſum iit, qui ab Lagnio quod oppidum ad Matronam amnem eſt, ad Sequanam versùs movebat. Sed Condæus abiiſſe Mazarinum certior factus, atque ad Sedanum iter habere, Jarzæum mittit ad Carolum Lotharingiæ antehàc Ducem, & ad Vitember-

gum, ut hominem ſi quà fieri poſſet, deprehenderent, caperentque: ſed Hiſpanos aiunt iſthuc fieri noluiſſe, ratos videlicet non eſſe ſibi uſui belli civilis in Galliâ cauſas deſinere. 1652.

Philippum Clerembaltium Palüavium ſuprà diximus ab Eſtræo Equitum Tribuno, qui regio exercitui Imperator erat ubi Rex ad Avaricum Buturigum proficiſcebatur, ad Muronem Arcem Condæi firmiſſimam dimiſſum cum copiis, qui hanc obſidione cingeret: quò cùm diù ſtativa habuiſſet, factus denique certior eſt, paucos eò ſupereſſe milites, qui mœnia defenſare poſſent, cæteris labore, atque inediâ conſumptis. Igitur foſſas ad Arcem ducere decrevit, quod ubi eſt inceptum, id longè ac ratus erat difficilius, atque aſperius eſſe ſenſit, ob majorem defenſorum quàm pro numero virtutem: quamobrem caſtra ampliùs munire viſum, quæ quia haud ita ampla fuere, brevî tam valida, firmaque reddita ſunt, uti ſine ſummâ vi expugnari non poſſent. Sed magna erat in Arce omnium rerum inopia, quâ denique adductus qui huic Præfectus erat Perſanus Marchio, ac veritus uti ſe, ſuoſque Palüavio, ſimul omnia quæ Condæi erant in Arce, permittere cogeretur, ſtatuit priuſquàm inopia creſceret, futuræ deditionis illi ferre conditiones.

Hæ fuêre hujuſmodi: hunc videlicet deditionem facturum, ſi ante Calend. Septembres nihil ſibi adveniret auxilii, quod in Arcem ſe plane ceſſante, neque militibus qui præſidio erant, moventibus quidquam introduceretur: intereà commeatum ſibi, atque præſidio, & oppidanis Palüavius ſuppeditari curaret ſoluto pretio: neque in caſtris, neque in Arce quidquam operis novi fieret: Perſanus armatus cum præſidio, atque omnibus impedimentis abiret, cui liceret ad Condæum ire: huic, atque oppidanis in Arce res ſuæ intactæ, atque integræ manerent: Perſano copia eſſet, de his conditionibus Condæum certiorem facere. Id ubi ipſe reſcivit *a* Briollum Comitem Muronem verſùs miſit, cum quingentis equitibus, juſſum navibus apud Suillium Ligerim tranſmittere, atque *b* Levio Marchioni, & Colinio Comiti conjungere ſe, qui trecentos habebant equites: ſed his difficile erat munitiones Palüavii caſtrorum perrumpere, quæ partes magis peditum, quàm equitum ſunt. Igitur re infectâ Briollus magnis itineribus ad caſtra Principum virorum rediit, cavitque ſedulò ut ne in Maipaſium incideret, qui cum octingentis equitibus miſſus ab Turenâ operam dabat, ut huic quópiam occurreret. Ita Calend. Septemb. Regi dedita Arx Muronis eſt, dimiſſuſque cum ſuis Perſanus, ac dati de more qui præſidio eſſent, ut ad caſtra Principum virorum ſine ullâ fraude, aut offenſione advenire poſſet. Ob eam rem ab Palüavio Clerembaltio confectâm, atque alia præclarè geſta, ipſum denique Rex Equitum Tribunum mox creavit: huic homini præter rei militaris ſcientiam, ingenium come, elegans, & quos ſibi uſui eſſe credit, ad eorum gratiam promerendam aptiſſimum eſt, ac denique promptum poſſe dicere quæ placeant, ac delectent plurima, tametſi ab naturâ haud ita expedita lingua ſit.

a Le Comte de Briolle.

b Le Marquis de Levy. Le Comte de Coligny.

1652. Ubi vulgatum in Urbe eſt, Mazarinum ab Aulâ diſceſſiſſe, ibi Gaſto, atque Condæus in Senatu dixère ſeſe ab armis diſcedere paratos, ſtatim atque ille finibus egreſſus foret, ſicuti apud omnes in Urbe Curias, & apud ipſius Urbis Conſilium ſanctè antehàc profeſſi fuerint, modò ut Regi placeat, quod in tali negotio ſolet, Edicto cavere quæ per id bellum patrata fuerint partium ſtudio, ea ne cui fraudi ſint, præter rerum capitalium aut condemnatis, aut manifeſtis: quæ copiæ viris Principibus meruerint, quibuſque ante id bellum ipſi præfuerint, iis porrò præſint, uti Regi ſicuti antehàc mereant, & quò has mitti velit, edicat: regiæ copiæ ab Urbe, item ab Aquitaniâ longiùs ad fines Regni decedant: copiis extraneis, quæ ipſis militaverint, tuto abſcedendi Diplomate poteſtas fiat: poſtremo omnia in eumdem, quo ante id bellum fuiſſent ſtatum, reſtituantur, ac maximè in iis quæ ad ampliſſimum Ordinem pertineant: ſibi conſilium eſſe ad Regem mittere qui de his cum eo agant, ſi ita Senatui videbitur, cujus omnia in re tantâ, ac tantoperè ad quietem publicam pertinente conſulta ſequi, atque iis obtemperare velint.

De his Becheſerus Cognitoris regii vicarius pro more dicere ſi quid vellet juſſus viros Principes collaudavit, qui perſtarent in eâ ſententiâ, quam in Senatûs, cæterarumque in Urbe Curiarum acta referri poſtulaverant, gratias eo nomine ipſis agendas cenſere, tum quod de ampliſſimo Ordine iis curæ eſſet, quem ad Urbem in integrum reſtitui ad rem publicam magnoperè pertineat, ei rei dandam ſedulò operam videri, atque ut ipſe Rex brevì ad Urbem redire velit, quo maximè rei publicæ pacem quæſitum iri nemo ambigat; poſtremò adversùm eos qui ab Senatu ſeceſſerant, graviter invectus eſt, approbantibus cunctis. Dein ubi exceſſiſſet templo, continuò regrediens litteras ſibi tum traditas attulit, ſcriptas ab Curiâ Burdigalenſi ad Senatum, quibus hunc certiorem faciebat, ſeſe idem de Gaſtone decreviſſe, uti Regi in toto Regno Legatus eſſet, atque hujus vice omnem capeſſeret rem publicam, uſque dùm Mazarinus finibus deceſſiſſet.

Litteris recitatis Senatus decrevit Gaſtoni, atque Condæo gratias agendas, quod in his nihil moræ ad pacem eſſet: mittendos ad Regem qui de amandato Mazarino gaudium ampliſſimi Ordinis ſignificarent, quoniam eâ unâ re pacem rei publicæ reddidiſſet: poſtremò huic ſupplicarent, ut ad Urbem redire vellet. Qui ad Regem ituri eſſent, non ſunt delecti, quoniam utrùm iſta legatio ipſi ſatis placeret, meritò dubitabatur, ab Senatu videlicet, qui Eſiæ-pontem venire juſſus abnuerat: quidam per Cancellarium, alii per Procancellarium Molæum, eumdemque primarium in Senatu Præſidem, ſed qui apud Eſiæ-pontem Magiſtratum gerebat, Regis voluntatem de Senatûs Legatis explorandam cenſebant, atque alterutrius operâ habendum Diploma, quo his ad Regem adeundi poteſtas fieret.

Sed idem intereà Gaſto pro Stampæo Fertimbaltio Equitum Tribuno, & Goulaſio Scribâ, quos ad Regem mittere decreverat, atque item

pro Fieſco Comite qui unà ab Condæo mitti eódem debebat, fruſtrà poſtulaverat. Id Gaſto apud Senatum graviter expoſtulavit, dixitque *Mazarinum abeuntem operam de induſtriâ dediſſe, ut ne ſic quidem pax rei publicæ foret: eo ut ne quos ipſe, atque Condæus de hâc ad Regem mittere vellent, admitterentur, effeciſſe: nihil ſe tamen eâ re commotum ſtatuiſſe ſcribere ad Regem, ut omnes intelligant, nihil ſe quod ad pacem habendam pertineat, detrectare.* At Rege antehàc poſtulante uti viri Principes ad ſe mitterent, qui ſecum, aut cum Adminiſtris agerent, quo pacto, aut quando quæ ſe facturos apud Senatum, ac cæteras Urbis Curias receperant, atque profeſſi fuerant, ea exequerentur, id uſquàm opus eſſe negaverant, ſed abacto Mazarino, ac regni finibus egreſſo ſeſe ſtatim ab armis diſceſſuros, atque omnia quæ Rex tum ab his factum iri æquum cenſebat, executuros polliciti fuerant: quorum Rex memor nihil viciſſim ipſe jam ullis ad ſe miſſis, ſed his quæ tum ſe facturos receperant, confectis opus eſſe dictitabat, de quâ re Regem inter, & Gaſtonem patruum porrò per litteras eſt altercatum. 1652.

Intereà Rex Edicto omnibus qui civili bello implicati fuerant, hoſtilia fecerant, cum Hiſpanis hoſtibus congruerant, domi, foriſque fœdera adversùm ſe inierant, poſtremò alia quævis partium ſtudio patraverant, abundè cavit, ut ne cui aut civi, aut peregrino ea fraudi forent: nihil cautum iis, qui rerum capitalium ad partes, aut ad bellum civile haud pertinentium damnati, aut rei eſſent, nihil prætereà iis qui foribus Ædium Urbis publicarum ignem intuliſſent, atque eâ die cædes patraviſſent, nihil denique iis, qui duello decertaſſent. His exceptionibus ſibi inſidias fieri, atque ad perniciem ſuam dolum quæri plerique ex factioſis dictitabant, quibus videlicet nullum belli civilis, ac malefaciundi finem eſſe placebat. Eodem Edicto cavebatur, uti triduo Gaſto, atque Condæus arma ponerent, fidemque ſcripto darent ab omni fœdere domi, foriſve inito ſe ſine fraude diſcedere, idem poſtquàm de Edicto Contius certior factus foret, triduo faceret: quæ neceſſaria dimittendis Satenaïo ad Moſam, Burgo ad Duranium amnes, atque quóvis alio Hiſpanicis præſidiis eſſent, ea Regi, aut cui juberet, traderent: naves Hiſpanicas ab littorum, & portuum Galliæ viciniâ abigerent: copias quas circùm Urbem haberent, regiis conjungerent, externas dimitterent, darentque operam, uti quæ ipſis tunc cum maximè auxilio veniebant, eæ in diebus proximis quindecim faceſſerent Regni finibus, quod his ſine fraude facere liceret. Id Edictum in Senatu apud Eſiæ-pontem promulgatum, & in hujus acta relatum eſt.

Mirum fuit omnibus Gaſtonem, atque Condæum hoc Edictum Regis abnuere, quo abundè omnibus cautum videbatur: nam perſuaſum omnibus fuerat, ubi Mazarinus abiiſſet, continuò ambos ab armis diſceſſuros, neque quidquam ampliùs poſtulaturos, quando in eo ſibi omnia poſita eſſe perſanctè in Senatu, in omnibus Curiis, in Urbis Ædibus profeſſi fuerant, neque quidquam eſſe quod amplius poſtularent: poſtremò eâ causâ negaverant opus eſſe, uti quemquam ad Regem de

1652. ullâ aliâ re mitterent; eo graviùs erat cunctis abacto Mazarino eamdem in Urbe, circúmque belli faciem eſſe. Gaſto miſerat iterùm ad Danvillam, uti ſibi quempiam ad Regem legare copia eſſet, qui de rebus ſuis ageret: poſtremò Danvillæ operâ factum, uti liceret Fertimbaltio Stampæo Equitum Tribuno ad Aulam venire, non ſicuti ab Gaſtone miſſo, ſed ſicuti homini privato, cui tamen liceret Regi dicere quæ vellet omnia.

Tum Goulaſium Gaſtonis Scribam cum Caſtronovano, atque Aquiloniâ omnem operam dediſſe ferunt, uti Gaſtonem ab Condæo ſejungeret: id Goulaſius homo frugi unà in patronum, atque in rem publicam caritate faciebat, Caſtronovanus verò, & Aquilonia odio in Condæum, cujus graves habebant cauſas, Gaſtoni dictitabant *Falſo Condæum apud Senatum, ac cæteras Curias, atque apud Urbis Conſilium profeſſum ſe pacem velle, qui tunc cum maximè apud Mantuam Carpetanorum, atque apud Bruſſellas firmet Hiſpanis fidem ſeſe ipſis porrò conjunctum bello adversùm Galliam gerendo fore, & cum Britannis agat de habendis illinc prætereà auxiliis: nihil ab eo pendi fidem, quam de bello deſinendo unà cum Gaſtone dederit ſtatim atque Mazarinus Regni finibus egreſſus foret, quam ſi Gaſto ſervare velit, omninò neceſſe videri, ut ab fœdere cum Condæo inito diſcedat, ac ſibi ſeorſim conſulat.*

Sed ſensêre in ipſâ Urbe eadem propè quæ antehàc belli incommoda, nam tum Condæo nuntiatum eſt venire ab Fimis, quod eſt oppidum apud Rhemos ad Veſlim amnem, tria Germanorum equitum millia, queis Ulricus Vitembergus præerat, Lotharingicorum equitum, peditumque millia ſex, firmum quod ab Hiſpanis huic mittebatur auxilium, cui ſe conjunxerant ſex equitum alæ mercede conductæ ab Rogerio *a* Guiſio è Melitenſi militiâ, Ducis Guiſii fratre, & Paſio Comite apud Eburones virorum Principum juſſu. Omnem hunc exercitum ductabat Carolus quondam Lotharingiæ Dux, qui tamen ſe negabat Galliæ, aut Regis hoſtem eſſe, *Lotharingicas enim copias eſſe quidem ſuas, ſed quas mercede Hiſpanis locaverit, atque adeò eò ducere quò juſſerint, teneatur: nihil ſibi in eas imperii eſſe, ſed Gaſtoni modò, atque Condæo, ad quos Hiſpani eas miſerint.* Has copias Condæus ad Sequanam ſuprà Urbem venire juſſerat haud procul ab Georgii-Villa-novâ, atque eò ſtativa habere, quò cùm & ipſe ducere vellet, ab Clodoaldi-fano, atque Surenâ, ad Victoris ſuburbium movit, uti copias Sequanam ad Urbem traduceret. Sed ubi eò advenêre, cùm ſuburbanis incommodum eſſet milites apud ſe agitare, jamque odium Condæi plures cepiſſet, jurgium primùm, dein certamen inter utroſque ortum, in quo cæſi utrimque viginti, atque ex eo belli tædium plebi haud mediocriter crevit.

a Le Chevalier de Guiſe. Le Comte de Pas.

Mazarinum ferunt abeuntem Regi demonſtraſſe, *Si viri Principes varia porrò, neque ſatis æqua poſtulando bellum traherent, id ipſis planè fraudi fore: nam in ſuo ab Aulâ diſceſſu Regem omnia feciſſe viſum iri populo, atque adeò omnem belli invidiam in viros Principes, ac maximè in Condæum caſuram, quod quo diuturnius erit, eo majora plebis incommoda futura, majuſque in ipſeam odium: prætereà quando Regis copiæ haud pares numero virorum Prin-*

cipum, atque Hiſpanicis copiis futuræ ſint, firmum, ac naturâ munitum locum eſſe deligendum, in quo Turena cum exercitu regio ſtativa habeat, neque ad prælium faciundum adigi poſſit: colles apud Georgii-Villam-novam ad id opportuniſſimos eſſe, quibus adhiberi munitiones poſſint: Corbolium, Melodunum, atque alia loca ſuprà eſſe ad Sequanam, ad Igonnam, & ad Lupam amnes, ex quibus annona affatim ſubvehi poſſit, intereà dum virorum Principum copiæ cum Hiſpanicis auxiliis circùm Urbem ipſi, atque hujus commeatibus graves agitabunt, ex quo plebi incommoda, atque odia in Condæum haud dubiè creſcent. Cæterùm caverent Rex, atque Regina mater ſe ſtatim Senatui, populoque ad Urbem committere, qui ubi denique belli civilis incommoda ſatis ſenſerint, atque id non reſtituendæ, ſed perdundæ rei publicæ ab viris Principibus geri ſatis intellexerint, ibi verò rectè Regem, atque Reginam ad Urbem redituros. 1652.

Ubi Mazarinus Aulâ diſceſſerat, atque ex itinere ad caſtra diverterat, eadem Turenæ de ſtativis apud Georgii-Villam-novam habendis, muniundiſque dixerat, quod quidem vir providens, neque magnoperè egens monitore ſatis ſuâ ſponte facturus fuiſſe videbatur. Igitur eò maturè movit, caſtraque habuit Sequanâ amne ab ſiniſtrâ, ab tergo Yerrâ amniculo qui in illum influit, munita, ab fronte declivia fuêre ad planitiem, quæ ab Villa-novâ ad Matronam pertinet, ab dextrâ aditus inter colles difficilis ab naturâ ſi levis munitio adhiberetur, longè difficilior reddi poterat. Carolus Lotharingiæ Dux in eâ planitie quam ab Villâ-novâ ad Matronam pertinere diximus, habuit caſtra, quò & Principum virorum exercitus ab Victoris ſuburbio movit, traductus Sequanam ad Urbem: tria millia armatorum, ac quingenti omninò fuêre, copiæ videlicet Gaſtonis, quibus Belfortius præerat, legatoſque habebat *a* Vallonum, & Boulaïum, copiæ Condæi queis Tremolius Tarenti Princeps, atque huic legatus fuit Tavanius, copiæ denique quas Nemoroſius ab Belgio adduxerat, atque his Franciſcus *b* Mailllius Clinchanus præerat, ab Hiſpaniæ Rege legatus Nemoroſio: hæ copiæ omnes ſeſe Carolo Lotharingiæ Duci, atque Ulrico Vitembergo, in eâ quam diximus planitie, conjunxêre. Poſt paulò Carolus ad Urbem venit, ab Gaſtone, atque ab Margaritâ uxore, quæ ſoror illius eſt, acceptus hoſpitio, atque liberaliter habitus.

a De Vallon. Le Marquis de la Boulaye. *b* Mailly de Clinchan.

Eò de ſummâ rerum ab Gaſtone, Condæo, Carolo, adhibitis in Conſilium factionis primoribus, eſt conſultatum, viſumque caſtra quoad fieri poſſet Turenæ caſtris conferre, uti quid regii agerent, ex propinquo magis noteſceret, ac maximè ubi pabulatum, aut lignatum irent, ibi ſi deprehendi, ac carpi poſſent, ac denique (ſi caſus daretur) juſto prælio vinci, ac profligari, cujus rei potior hoſtium numerus his ſpem faciebat. Sed ut id ne fieret Turenæ cautio fuit: inter equites prælia crebra, alia aliis locis facta, quæ parùm ad ſummam rerum pertinuêre. Ad Turenæ caſtra Corbolio, ac Meloduno commeatûs ſecundo amne tutò devehebantur, neque noſtris egredi pabulandi, aut lignandi causâ propè neceſſe fuit, omnium rerum copiam præbente amne. Intereà circùm Urbem Germani, ac Lotharingi equites ab vicis, & villis præ-

1652. das agebant, cæterùm omnis exercitus ab ipsâ Urbe commeatus habebat expeditos, ſed aliquanto pretio, cùm enim ab ſuperiore Sequanâ, quem Turena tenebat, nihil eò adveheretur, neque multùm ab Matronâ, quem copiæ Principum item ad Carentonium tenuêre, viæque ab militibus eâ parte infeſtæ eſſent, neceſſe erat annonam in Urbe difficiliorem eſſe, atque adeò in eos qui id ipſi incommodi adferebant, odium civium creſcere.

Eo quærebant omnes quo pacto ab his malis emergere poſſent, atque eâ gratiâ crebrò in Urbis Ædes publicas conveniebant: quo factum eſt, uti viri Principes, atque factioſi ex Senatu metuerent denique, ut injuſſu ſuo pacem Populus clàm faceret, cujus poſteà operâ Rex facilè hos Urbe decedere cogeret. Quamobrem & ipſi ſe magnoperè pacis ſtudioſos ſimulare decrevêre, atque rationem inire velle, quo brevî fieri poſſet. Eâ de re Conventus eſt habitus apud Urbis Ædes publicas, cui viri Principes adfuêre Non. Septemb. in quo decretum eſt ut ad Regem mitterentur Ædiles duo, Urbis Conſiliarii ſex, è ſedecimviris Urbis regionum quatuor, è ſingulis Mercatorum Collegiis bini, priùs Pietrus Cognitor Regius apud Urbis Ædes iret ad Regem, ac reſciſceret, utrùm hæc ipſi legatio ſatis placitura eſſet, ſimul viſum rogare Eccleſiaſticum Ordinem, ut ad Regem eâdem de causâ, de pace videlicet, ac de hujus ad Urbem reditu mittere vellet.

Datum Pietro reſponſum ſcripto eſt, quo Rex ſummam ſuam erga Urbem benevolentiam ſignificabat, cæterùm qui habitus eſſet in Ædibus publicis Conventus Non. Septem. eum neque rectè, neque ordine factum aiebat, cùm ob viros Principes, qui contra majorum morem eò adfuiſſent, tum propter Belfortium, & Bruſſellum contra jus, faſque alterum Præfectum Urbi, alterum Mercatorum Præfectum antehàc creatos, qui Conventui præfuiſſent, atque adeò quos hic Conventus ad ſe mittere vellet, iis poteſtatem facere non poſſe, facere verò his, qui ſponte ſuâ privatim ad ſe venire voluerint. Hoc ſcripto commemorabantur omnia facta in Patres, atque in Urbis Ædes publicas, tributa impoſita, creati Ædiles duo contra quàm Rex vetuerat, direpta per agros civium bona, dein mentio fiebat Edicti regii, quo abundè cautum omnibus videbatur, & quæ contrà ab pacis inimicis adferrentur, ea quàm vana, ac futilia eſſent, oſtendebatur: poſtremò magnum ad Urbem redeundi ſtudium Rex oſtentabat, atque omnia in integrum reſtituendi, uti facilè crederes hæc odio in viros Principes magis ac magis accendendo, ex ſententiâ Mazarini, ac tamen verè ſcripta eſſe.

Iſthæc omnia Pariſinis magnoperè probabantur, quorum videlicet rura circùm Urbem amœniſſima Germani, ac Lotharingi planè vaſtabant, quod certè his ad pacem ab Rege, atque hujus ad Urbem reditum poſtulanda magnum incitamentum erat: eâ de re per Radeſianum, ac per Caſtronovanum agebant continuò, ſeu homines avidi gratiæ, atque potentiæ omnibus ſe negotiis, ex quibus ad utramque aditum ſibi pararo poſſe crederent, ultrò admiſcebant. Id conſilii Radeſiano

deſiano fuit, ubi ab Urbe Compendium cum pleriſque ex Ordine Eccleſiaſtico ad Regem venit, atque luculentam de pace, ac de hujus in Urbem reditu habuit orationem, quo ſibi Pariſinorum voluntates conciliare poſſe credidit, ut in eo tanto negotio conficiundo ſuâ potiſſimum operâ uti vellent: quod ſi feliciter eveniret, eo ſe & apud Regem, Reginamque matrem gratiam initurum ſperavit, ac fortaſsè dignum habitum iri, cui rem ipſam publicam ſicut antehàc Mazarino permitterent. 1652.

Se tamen iſthuc expetere diſſimulabat, apud Reginam maximè, quam Mazarino impenſiùs favere ſcibat. Ubi igitur cum eâ privatim colloquebatur, negavit iſthuc ſibi in mentem uſquàm veniſſe: at Regina nihil eſſe reſpondit, *quod ſe eâ de re purgaret, cuivis enim quod ſibi convenire exiſtimet, id ut eveniat optare licere, ſed in unius Regis arbitrio eſſe debere, cujus conſilio, judicio, atque operâ in re publicâ gerendâ utatur, qui nihildum de ipsâ quod noverit huic permittendâ cogitaverit:* cæterùm hominem benignè appellatum, habitumque dimiſit. Sed Radeſiano ægrè fuit Reginam quò ipſe tenderet, probè intelligere, ac multò magis ſatis oſtendere, id ſibi minimè probari.

Ita Gaſtonem magis, magiſque ab ſe colendum, obſervandumque eſſe ſenſit, diſturbanda omnia quæ Condæus cum Aulâ de pace per Gualcurium, ac maximè per Rupichoartium Mortemarium agitabat, atque operam dandam, uti Gaſto cum Rege, atque Reginâ matre quantocyùs rediret in gratiam, & in eo Condæum anteveniret, quod ſi fieret, Condæum ſeſe Hiſpanis planè conjuncturum, & ab Galliâ diſceſſurum, aut ſi pacis particeps foret, in Aquitaniam ſaltem tantiſper dimiſſum iri, Gaſtonem autem manſurum ad Aulam, propinquitate qui Regem contingat, fretum, ſe verò tum illius, atque factioſorum qui reliqui in Urbe forent, operâ uſurum, ut ne Mazarinus in Galliam redeat, intereà multa eventura, quæ prævidere difficile ſit.

At Rex Eccleſiaſtico Ordini qui ad eum venerat, liberaliſſimè reſpondit, ſibi pace nihil optatius eſſe, quam Urbi, ac civibus datam jamdiù voluerit: qui huic adverſi ſint, ii ubi ab Urbe diſceſſerint, eò ſe continuò rediturum. Omnium ſententia erat virorum Principum in carpendo Pacis Edicto, quem Amniſtiam appellabant, pertinaciam obſtare quieti publicæ, ac præter hos, ac factioſos nemo erat aut in Urbe, aut aliò, cui non probaretur. Ipſa Burdigalenſis Curia id promulgatura videbatur, tametſi Burdigalæ Brezæa Condæi uxor, Contius frater, atque Condæa ſoror tum agitarent, ita ut his neceſſe fuerit plebem commovere, cujus Conſilium tum Ulmeam ſicuti diximus appellabant, uti ſeditionis metu Curiam ab hac promulgatione deterreret.

Burdigalenſes eo magis viris Principibus porrò ſtudebant, quod poſt Harcurii diſceſſum provincia ſine imperio erat, ac magna torpedo regium exercitum tenebat: quo factum eſt, uti Marſinus ab Condæo relictus in Aquitaniâ, qui Contio fratri legatus eſſet, ſicuti ſuprà memoravimus, Caſtellogeloſium, ac Mamis Caſtellum-novum reciperet, quò

1652. multa veſtis, atque ſupellex Spernonii inventa, præterea eorum qui accolunt multa bona, eò in tutum ſicuti rebantur collocata, dein Maſem Aginnenſium ad Garumnam, atque ultrà amnem Baſileæ-fanum ad deditionem redegit, atque in Petrocorios movit. Eò Sarlatum huic eſt deditum, ob diverſa oppidanorum ſtudia, qui ſi idem de re publicâ ſenſiſſent, id fruſtrà incœptum Marſino fuiſſet. Inter hæc advenit a Candalius adoleſcens Spernonii filius, cui data ab Rege Aquitania paterna antehàc provincia fuerat, ex ſententiâ ſine dubio Mazarini, qui tum unam ex ſororum filiabus huic nubere volebat. Candalius nactus hoſtium copias longiùs inter ſe diſſitas, quia Marſinus earum majorem partem in Petrocorios duxerat, alias circùm Burdigalam reliquerat, has quia paucæ fuêre, malè habuit, cæterùm comitate, atque clementiâ pleroſque patris ob hujus diverſam agendi rationem inimicos ſibi conciliavit.

a Le Duc de Candale.

Ita Aquitania in Mazarini poteſtate quodammodo eſſe videbatur: de Provinciâ quæ huic magis opportuna erat, res Italicas, ac ſingillat...m Romanas reſpicienti, Regi autor fuit, uti Mercurium cui Mancina alia ex ſororum filiabus nupſerat, eò dimitteret, qui hanc Inculiſmi Ducis loco obtineret. Hic Condæo affinis eſt, ſuſpectus denique ſtudere rebus novis, atque ſeditioſis apud Tauroëntum favere: qui cùm in Aulâ nuper eſſet, Regi poſtulanti ut ne injuſſu ſuo rediret in Provinciam, ita ſe facturum dederat fidem, dein mutatâ voluntate cùm iter eò haberet prædiorum ſuorum viſendorum ſpecie, deprehenſus, comprehenſuſque eſt. Mercurius in Provinciâ comitate, clementiâ, ſummâque prudentiâ, qui apud Tauroëntum rebellaverant, eos in viam reduxit, atque ita pacatam omnem Provinciam habuit: poſtremò rebus ita eò conſtitutis, uti nihil obſtaret, quo minùs Mercurius hanc tutò poſthàc obtineret, Inculiſmus uxoris b Henricæ Laguichiæ, atque Ludovici Guiſii Joüſii generi rogatu cuſtodiâ emiſſus eſt, atque Provinciam acceptâ in æſtimationem pecuniâ depoſuit, homo animo juxtà, ac corpore gravis, qui perpetuo in alienâ poteſtate fuit.

b Henriette de la Guiche. De Guiſe, Duc de Joyeuſe.

Cùm in Urbe belli civilis, atque incommodorum quæ circùm Urbem cuncti ab Germanis, Lotharingicis equitibus, atque aliis virorum Principum copiis ſentiebant, tædium in dies creſceret, c Carolo Prevoſto in Senatu Conſiliario, Fauro, ac Bertaldo è Franciſcanorum Ordine, venit in mentem quingentos ex diverſis Urbis regionibus cives in Richelii Ædes, quæ tunc regiæ ſunt, convocare: hi multo ante de hoc habendo Conventu convenerant, quò ubi omnes adfuêre, Prevoſtus Regis litteras ad eos ſcriptas recitari jubet, quibus ſignificabat nihil ſibi optatius eſſe, quàm redire ad Urbem, ſed id ſe facere non poſſe, quamdiù in ſeditioſorum poteſtate ſit: dein Prevoſtum ferunt dixiſſe arma ab bonis civibus ſumenda videri, Paleam ſeditioſorum teſſeram abjiciundam, cujus loco geſtandam aut cartam, aut quid albi coloris, uti qui Regi fideles ſint, ii dignoſci poſſint: factioſos pellendos Urbe, ac ſi reſtitent cædendos. In hæc conjurant omnes, & quæ poſthàc in

c Prevoſt, Conſeiller au Parlement. Les PP. Faure, & Berthaud, Cordeliers.

Conventu conſulta forent, ea ſe executuros fidem dant: quingenti modò in eo fuêre, ſed magna pars civium in eâdem erat ſententiâ, tametſi non aderat Conventui, ac ſingillatim ſex Collegia mercatorum, atque Urbanarum cohortium Tribuni plerique omnes. Utrique ab Gaſtone flagitaverant, uti ſibi Regem adeundi Diplomate poteſtatem faceret, quo ſibi cautum foret in itinere adversùm militum qui viris Principibus merebant, injurias, quod uſquè haud impetrari poſſe videbatur, ni metus factioſis injiceretur, populum denique pluſquàm vellent, auſurum. 1652.

Ubi conjuravêre quingenti, atque cum his propè univerſam Urbem ſentire haud dubium erat, de Radeſiano facta ab amico mentio eſt, qui hujus operam idoneam futuram videri dixit apud Regem, Reginamque matrem, quò & pacem, & reditum ſuum ad Urbem maturarent: ſed viſum non eſt rei publicæ cauſam cum ullius qui ſibi quidquam privatim expeteret, rationibus communicare, ad quarum normam hanc gerere vellet. Ubi Conventus habebatur, eò advenit ab Gaſtone miſſus Stampæus Fertimbaltius Equitum Tribunus, qui hunc fruſtrà diſturbare conatus eſt: Aureliæ Virgini eódem venire conſilium fuit, ſed id ſibi fruſtrà futurum ſuſpicata poſtremò omiſit. Continuò ab Conventu miſſus eſt ad Regem, qui hunc certiorem faceret rem benè, atque ex ſententiâ eveniſſe, ac poſtridiè iterùm Conventum habitum iri edictum eſt, ſedulóque præceptùm omnibus qui aderant, uti quàm plurimos poſſent, eódem ſecum adducerent.

Secundùm hæc Senatus apud Eſiæ-pontem decrevit, qui in Richelii Ædes convenerant, eos rectè, ac ſicuti res publica monebat, videri feciſſe, atque adeò hos in Regis, atque Senatûs tutelâ eſſe velle, ac maximè Carolum Prevoſtum, præterea ut ne quis Belfortium pro Præfecto Urbi, Bruſſellum pro Mercatorum Præfecto, atque duos alios pro Ædilibus haberet: hi ne quid muneris, quod ad hos Magiſtratus attineret, attingere vellent: poſtremò ut ne quid commeatûs ab Urbe ad hoſtium caſtra veheretur: quod Decretum ab Præcone recitatum, atque adeò promulgatum in foris, ac plateis Urbis eſt: ſed Bruſſellus jam ante Decretum Præfecturam Mercatorum abdicaverat, quod & Ædiles duo poſt aliquam tergiverſationem fecêre.

Iêre poſtea ad Regem miſſi ab Urbis Conſilio Pietrus iterùm, atque unus ex Ædilibus, de pace, atque de illius ad Urbem reditu: eódem iêre poſt paulò miſſi ab ſex Collegiis Mercatorum, quibus utriſque reſponſum eſt ab Rege, *Se pacem datam omnibus arbitrari eo quod de hâc perſcriptum, ac promulgatum fuerit, Edicto, quâ tum fruituros videri Pariſinos, ubi qui huic adverſentur, eos abegerint: neminem ab Principum caſtris ad Urbem, neque viciſſim ab Urbe ad caſtra commeare patientur, nec quidquam eò ſupportari: præterea ſi dederint operam, ut Hoſpitalius Præfectus Urbi, Faber mercatorum Præfectus, ac Ædiles duo in quorum locum duo alii Regis injuſſu ſubrogati fuerint, ad Urbis Conſilium redeant, ac munia ſua denuo obeant, intereà quæ in Urbis Conſilio fiant, ea neque rectè, neque ordine facta, atque adeò*

1652. *nulla videri: ubi hæc confecta fuerint, ibi ſe lubentiſſimum ad Urbem rediturum, ac ſuam benevolentiam Pariſinis præſtaturum.*

Hæ ad Regem ab Urbe miſſitationes, quæ Pariſinorum animos ad pacem planè propenſos eſſe oſtendebant, ſolicitos Principes viros habuêre, quorum ſecta uſquè plebis maximè gratiâ, ac ſtudiis ſteterat. Sed cùm foris ſe plus armis valere ſentirent, Lotharingorum, atque Germanorum auxiliis freti, omnem ſibi operam dandam ſatis intelligebant, ut aliquid inſigne adversùm Turenam, ac regium exercitum patrarent. Hunc apud Georgii-Villam-novam, atque in vicinis collibus ſtativa habere diximus, quò primùm magna omnis generis commeatûs copia fuit, quam & amnis, & vicina regio ultrà Yerram amniculum præbebat. Sed hâc in dies ut ferè fit, imminutâ, poſtremò huic copiæ inopia ſucceſſit, quæ & homines, & jumenta conſectura denique videbatur, aut ubi Turena moveret, obnoxium fore hoſti, qui in propinquâ ſicuti diximus planitie habebat caſtra: ſi Turena cladem aliquam acciperet, hanc ad mutandos Pariſinorum animos, atque reducendos ad priſtina adversùm viros Principes ſtudia magnum momentum habituram, quod & eventurum videbatur, ſi in ſtativis regii inopiâ conficerentur.

a De Lorraine, Duc de Guiſe. Eâ tempeſtate Henricus *a* Lotharingus Guiſius Lutetiam Pariſiorum advênit, quem in Neapolitano Regno captum, abductumque in Hiſpaniam antehàc memoravimus: hunc Hiſpani ſe dimiſſuros dixerant, ſi Regina quæ tum in Regni Procuratione erat, omnes viciſſim captivos Hiſpanos, Italicos, Belgas, atque alios qui Philippo meruerant, dimittere vellet: qui quanquàm quatuor millia fuêre, atque inter hos viri inſignes, Regina tamen acceperat conditionem, atque id ex Hiſpanorum ſententiâ ſe facturam receperat. Sed hi conſilium mutavêre, atque Guiſium maluêre Condæi rogatu dimittere, atque huic tradere, ſpem nacti videlicet Guiſium huic magno uſui ad rem publicam magis, ac magis perturbandam futurum. Sed Guiſius omnia ſe debere Condæo profeſſus eſt, quæ ſecundùm jus, faſque huic præſtare poſſet, *Hiſpanos Regis, atque Galliæ hoſtes eſſe, ab quibus malè habitus ſit, & quibus adeò ſe ægrè facere æquius videatur, quàm obſequi quidquam. Ubi Condæus ab eorum rationibus ſuas ſejunctas habuerit, hujus causâ cupidiſſimè facturum omnia, ac nihil quod ipſi uſui ſit, abnuiturum.* Dein memor tantæ in ſe Reginæ benignitatis, quâ adducta tot captivorum permutatione ſeſe redemptum voluiſſet, ad eam ubi Germani-fanum unà cum Rege filio redierat, profectus eſt, atque egit utrique gratias, viciſſim ab his comiter, ac perliberaliter acceptus, habituſque.

Quanto propiùs Urbem Rex, atque Regina mater adventabant, tanto majora videbantur in Urbe omnium Ordinum de eorum in hanc reditu ſtudia: neque omiſerat Gaſto Radeſiano, atque Caſtronovano autoribus, continuò ad utrumque ſcribere, atque ad Danvillam per Lambertum *b* Joüſium, quem Carolus Lotharingiæ quondam Dux ad Aulam de rebus ſuis miſſitabat, uti Rex Edictum pacis, quod Amniſtiam

b De Joyeuſe.

appellabant, in quibuſdam correctum vellet, ſicuti neceſſe videbatur, 1652.
uti ſatis omnibus cautum foret. Radeſiano, atque Caſtronovano conſilium erat, perpetuò cum Aulâ agere, atque eò Gaſtonem adducere, uti quibuſvis conditionibus cum Rege, atque Reginâ matre rediret in gratiam, nam eo pacto manſurum in Aulâ, atque omnis rei publicæ participem, ſicuti Regis patruum deceat, futurum, quod ſi fieret, & ipſos haud hujus expertes fore, ac fortaſſe per Mazarini abſentiam utriuſque operam haud inutilem Regi, atque Reginæ matri futuram. De Edicto pacis, aut Amniſtiâ corrigendâ Senatus cum Gaſtone congruebat, ita ut æquè viris Principibus, Senatui, populoque, atque omnibus de his quæ ab quinque proximis annis facta, patratave fuerant, caveretur, quod Edictum ex ſententiâ correctum frequenti Senatu in Urbe eò revocatis qui apud Eſiæ-pontem erant, Patribus, promulgari volebant. Id verò Rex haud ſibi faciundum putabat, neque aliud quidquam ex ſententiâ Patrum, qui ad Urbem manſerant, in quâ his Senatum habere fas non fuiſſe dicebat, poſt ademptam Edicto ſuo Juris dicundi, aut ullo modo conveniundi facultatem.

Turenam diximus in ſtativis commeatûs, & pabuli inopiâ laborare, quâ movere cogebatur, atque aliò habere caſtra: naves apud Villamnovam habebat complures, quibus junctis eâ nocte quæ IV. Non. Octobres anteceſſit, Sequanam impedimenta, atque tormenta, dein primâ luce copias omnes traduxit. Condæus tum morbo detinebatur ad Urbem, ſicut & Ulricus Vitembergus: Carolus Lotharingiæ quondam Dux, Belfortius, cæterique omnes hoſtium Duces eòdem commorabantur, partim Urbis delitiis retenti, alii ſoliciti quid pleriſque omnibus eò pacificantibus eventurum denique eſſet: unus Tavanius erat in caſtris, qui ſeriùs de regiorum profectione monitus aciem inſtruxit, atque equitatum qui hos inſequeretur, præmiſit: ſed id ſubductis ab Turenâ quibus amnis jungebatur navibus fruſtra fuit. Turena verò Corbolium duxit, quò iterum Sequanam traducto exercitu ad Matronam contendit, atque inter Meldas, & Lagnium caſtra habuit. Virorum Principum exercitus propius Urbem conceſſit, Vincennas versùs, circumque ea loca: ſed hujus metus nihil Pariſinos deterruit, quo minùs paci ſtuderent, atque Regem ad Urbem redire cuperent, quæ res Condæum monebat, uti ſibi ipſi, atque copiis ſuis conſuleret, longiùs ab Urbe diſcedendo, quo facilè ſi opus foret, ipſis Regni finibus decederet.

Jam huic conſtituta eſſe cum Hiſpanis omnia dictitabant, ubi Sillerius Bruſſellis redierat: ſed iſthæc Chavignio nequaquàm probabantur, qui Condæum ad Urbem, atque in Aulâ manere malebat, quàm patriâ extorrem, alienæ opis quod miſerrimum eſt, indigum, ab Hiſpanorum lubidine pendere: eò ut hic cum Rege, atque Reginâ matre, quin & cum ipſo Mazarino rediret in gratiam, ſibi dandam omnem operam exiſtimavit. Quamobrem eâ de re cum Fouqueto Abbate clàm egit, quo interprete in hujuſmodi negotiis Mazarinus utebatur: ſed

1652. cùm hic uſquè adhuc per Gourvillam, per Buttevillam Mommorantiam, per Gualcurium ſecùm de Condæi pace faciundâ agi fruſtrà paſſus eſſet, utrùm & eodem modo cum Chavignio, an verò actum ſeriò voluerit, vix quiſquam dijudicare poſſit. Sed fortè, ſeu conſilio accidit, uti quas litteras Fouquetus eâ de re ad Tellierum ſcribebat, eæ in manus equitum Condæi circumcurſantium inciderent, capto qui has perferebat nuntio.

Hæ continuò ad Condæum perlatæ, in quibus erat perſcriptum, Chavignium dixiſſe Fouqueto ſe omni ope eniſurum, uti Condæus æquis conditionibus pacem faceret, & cum Rege, Reginâ matre, atque adeò cum ipſo Mazarino rediret in gratiam, quod ſi Condæus abnueret, ſe uti Gaſto ab illius rationibus ſuas ſejungeret, ac pacem faceret, effecturum. Continuò Condæus ad iram ſuâpte naturâ præceps, neque re ſatis cognitâ, in quâ dolus ſubeſſe poterat, acriter in Chavignium abſentem eſt invectus, nihil parcens maledictis, atque famæ tanti viri. Sed hic ſibi illo convento opus eſſe arbitratus ad eum venit ocyùs, uti ſe coràm expurgaret : id verò facile videbatur, cùm quæ litteræ interceptæ fuerant, eæ non Chavignii, ſed Fouqueti Abbatis eſſent, qui quod ſibi bonum, atque commodum fuerat, ad Tellierum ſcripſerat, datâ fortaſſe operâ, ut qui has perferebat, is ſe ab equitibus Condæi, qui quaquà versùm circùm Urbem excurrebant, capi ſineret. Sed Chavignius nuſquàm Condæum ab eâ quam præceperat ex his litteris iracundiâ dimovere quivit, quin pergeret huic in os maledicere, quæ res hominem ingentis animi, neque Condæo quidquam obnoxium, tametſi huic plurimùm obligatus eſſet, adeò graviter affecit, uti continuò in morbum inciderit, ex quo brevì interiit.

Cæterùm is fuit Chavignius, qui haud leve momentum Condæi partibus attulerat, tantæ homini opes, ac tanta ingenii, atque ſolertiæ fama fuit. Sed hunc rectè Gaſtonem, & Condæum cum Rege, Reginâ matre, atque cum ipſo Mazarino reductos in gratiam voluiſſe judico, cùm populus pacem quam Rex Edicto ſanciverat, propediem accepturus eſſet, neque poſtillà ipſis opes ad bellum ſuſtinendum pares futuræ eſſent. Id certè ſatius fuit, quàm Gaſtonem Bleſiam concedere, ac procul ab Aulâ agitare, Condæum verò ad Philippi Hiſpaniæ Regis Galliæ hoſtis acerrimi partes tranſire. Profectò quando Mazarinum ab Aulâ procul habere non poterant, non nihil fuiſſet hujus gratiæ, atque potentiæ manendo in Aulâ modum facere, in quo Chavignii opera utrique haud fruſtrà fore videbatur.

Poſtremò & Gaſtoni, & Condæo, & Chavignio, & omnibus qui alterutrius Sectam ſecuti fuerant, conducebat manere in Aulâ, quò omnes eorum ſpes ſitæ erant, quamobrem id operam etiam tùm dabant pro Gaſtone Radeſianus, & Caſtronovanus, ſicut & antehàc pro Condæo Rupifocaldus fecerat, quod & Chavignius ſibi faciundum rectè eſt arbitratus, præclarè intelligens, qui ab Aulâ procul ſunt, iis privatam vitam ſine decore, ac plerúmque potentiorum injuriis obnoxiam

exigendam : at enim Chavignius ceſſante Condæo Gaſtonem ſe adducturum aiebat, uti pacem ſeorſim ab illo cum Rege faceret? an cuiquam capitale videri poteſt, ſi è duobus quibus æquè ſtudebat, alterum ſaltem ſalvum, atque honeſtum in Aulâ eſſe voluit, cùm & hoc pacto alter eódem adduci poſſe videretur? ſed in eo ſuis commodis ſerviebat? quid ni ſi ſimul & illorum? quod hunc facere rectè voluiſſe, atque pluſquàm illos ambos & ſciviſſe, & providiſſe rerum eventus docuit. Paulò ante Chavignium diem ſuum obierat Claudius Buthillerius hujus pater ſeptuagenario major, de cujus ſimul, & de Leonis filii Chavignii Comitis naturâ, & moribus initio diximus: hic annum vitæ quadrageſimum quartum agebat, omnibus corporis, fortunæ, & ingenii bonis cumulatus, cæterùm animo in utrâque fortunâ haud ſatis æquabili. 1652.

Nondùm Belfortius Urbi Præfecti Magiſtratum ſibi ab Gaſtone mandatum abdicaverat, atque id obſtabat quo minùs Rex quæ ab Conſilio Urbis fiebant, ea rectè, atque ordine facta judicaret, cùm neque Urbi Præfectus Hoſpitalius, neque Faber mercatorum item Præfectus qui hujuſcemodi conſilia more majorum habere ſolent, iis adeſſent: eò Rex ad Urbanos qui reliqui erant in Urbe Magiſtratus, atque alios qui frequenti Urbis Conſilio adeſſe ſolent, ſcripſit denuò, ut id quantocyùs haberent de Hoſpitalio, Fabro, atque duobus Ædilibus in id revocandis, quod continuò ex Regis ſententiâ factum, poſtquàm Belfortius Magiſtratum Gaſtonis ab quo hunc acceperat, voluntate abdicaverat.

Dein Urbanæ Militiæ Tribuni, ac plerique alii uti ſibi ad Regem de pace, atque hujus ad Urbem reditu adire liceret, ab Gaſtone poſtulavere, cujus rei perlibenter his tum denique poteſtatem fecit. Cuncta hæc Condæum impellebant, ut ab Urbe quæ brevî in Regis poteſtate futura videbatur, quamprimùm diſcederet, quod cùm facere, atque ad exercitum qui caſtra habebat in propinquo, proficiſci decreviſſet, Carolum Lotharingiæ quondam Ducem eò præmittendum cenſuit. Sed is ubi Portæ Urbis ut egrederetur appropinquavit, qui Urbani milites eò in ſtatione fuêre, ii hominem reſtare jubent, rogantque ferociùs ecquid ab Urbanis Magiſtratibus ſcripto haberet, quo ſibi Urbe egrediundi poteſtatem factam eſſe fidem faceret? Hæſitantem, ac ceſſantem maledictis onerant, atque tumultum faciunt, quo vicina plebes commota recedentem proſequebatur, & clamore, ac propè impetu terrebat, cùm objecta forte ex ſanctiſſimo Sacramento quod ad ægrum quempiam gerebatur, religio multitudinem ſedavit: poſtridiè autem Gaſtonis operâ Carolo ab Urbe diſcedere copia fuit, atque item biduò poſt Condæus cum Vitembergo, Rupifocaldo, Tremolio Tarenti Principe, atque aliis ab Urbe diſceſſit, dein movit ad Rhemos, ut in hac regione Satenaïo, ac Muſonio oppidis ad Moſam poſitis fretus hybernaret.

Intereà Urbanæ militiæ Tribuni ad Regem apud Germani-fanum

1652. a De Seve. Chatignonville.

iêre, horum princeps fuit Alexander *a* Seva Caſtignonvilla libellorum Magiſter, atque Mercatorum antehàc Præfectus, qui ſcitam, atque elegantem ad Regem habuit orationem, haud ſecùs ac ſi Urbis Conſilii, quin & ipſius Senatûs, cæterarumque Curiarum, poſtremò ipſius Gaſtonis, & qui hujus, Condæique Sectam ſequebantur, verbis hanc faceret: nam de Diplomate quo cunctis cautum foret, atque de hoc ita promulgando, ut id rectè, atque ordine factum nemo dubitare poſſet, mentionem fecit: poſtremò nihil elapſum hominis induſtriæ, atque ſolertiæ, tanta in Regem verborum obſequelâ, ut ne minimùm quidem in his dicendis offenderit: quibuſdam tamen verboſior, quàm par eſſet hujus oratio viſa, ſed in eo plebis quæ aderat, auribus ſerviiſſe hominem puto. Rex hunc ſingillatim, atque alios benignè appellatos, habitoſque dimiſit, diemque dixit, quâ redire ad Urbem decreverat.

Hi bonæ ſpei pleni, lætique ſuam ad Germani-fanum profectionem tam pulchrè reipublicæ proceſſiſſe revertebantur, cùm eſt nuntiatum tumultuari in Urbe plebem, cædem iis, quoniam injuſſu ſuo ad Germani-fanum ierant, minitantem. Continuò reſtitit agmen, habitumque eâ de re conſilium eſt: ſed nuſquàm morari viſum, & quicumque motus animorum eſſet, eum ſe tanto de proximo Regis adventu nuntio facilè ſedaturos confiſi pergunt iter facere, atque lætiſſimis omnium animis accepti in Urbe ſunt. Tunc & ad Urbem rediêre Hoſpitalius huic Præfectus, Faber Præfectus mercatorum, atque Ædiles duo, de quibus ſuprà memoravimus. Dein Rex ad Hoſpitalium, Urbiſque Conſilium litteras dat, quibus ſignificabat ſe ad Urbem venturum XII. Calend. Novemb. jubebatque Urbanorum militum ſtationes portis deduci, arma omninò poni, nec injuſſu poſthàc ſuo reſumi: cæterùm quod de reditu ſuo tantoperè laboraverint, gratum eſſe, quem ipſis maximo uſui futurum ſentient, & cui Deus rem publicam credidit, hanc ei longè quàm aliis cariorem eſſe. Atque id quidem ego veriſſimum eſſe cenſeo, nam hanc ille ſicuti ſuam, cæteri ſicuti communem gerunt, quæ plerúmque negligitur, ac neſcio an eâ causâ Deus hanc penes unum, quàm penes plures eſſe malit.

Ubi primùm Hoſpitalius ad Urbem advenit, Baſtiliam arcem, atque armamentarium recepit. Intereà Rex ad Senatum qui apud Eſſiæpontem erat, ſimul ad ſingulos ex hoc Ordine qui apud Lutetiam Pariſiorum reſtiterant, litteras dat, quibus ſignificabat quâ die ad Urbem redire vellet, ac jubebat hos poſtridiè in Regiam venire amictos purpurâ, ut in hâc Senatus coràm ſe frequens haberetur. De his litteris ab Neſmondo Præſide in Senatu dici cœptum eſt, unas ſe accepiſſe, quibus jubebatur in Regiam venire poſtridiè, idem alii omnes præter duodecim dixêre, quod cæteris haud ſatis placuit, quando id illis exilium portendere videbatur. Aderat Gaſto, atque cum eo Belfortius, ac Stampæus Fertimbaltius, qui omnes incerti, ac dubii videbantur eſſe, quid in re tantâ optimum factu eſſet. Vocati Cognitor, atque Actores regii de Patrum ad Regiam itione, ac de habendo in hâc ex Regis voluntate

Senatu

Senatus qui iſthuc faciundum, ac Regi obtemperandum cenſuêre. Qui nullas acceperant ab Rege litteras, ii Senatum docebant maximâ hujus Ordinis intereſſe, ut ne aliò, quàm quò ſolet, haberetur, multa adducentes, quæ graviuſcula videbantur: ſed Neſmondus qui tum Senatui moderabatur, vir fortis, ac prudens, quædam exempla eſſe dixit, Senatûs Regum Henrici II. ac III. juſſu aliò quàm quò ſolet, habiti, atque id in Regis eſſe arbitrio, & cùm plerique omnes in hanc diſcederent ſententiam, poſtremò ſicuti fieri juſſerat, ita decretum. 1652.

At Rex XII. Calend. Novemb. Germani-fano profectus eſt, neque longiùs quàm Ruellium Aquiloniæ Rus nobile, atque amœnum ante meridiem proceſſit, eò ab hâc magnificentiſſimè, juxta atque lautiſſimè acceptus, habituſque. Inde præmiſſus ad Urbem a Bautruus Nogentius Comes, qui Gaſtonem moneret Regem poſt meridiem venturum ad Urbem, hortareturque hominem, ut huic prodiret obviàm adventum gratulaturus, ſpondere ſe id Regi gratiſſimum fore, atque ipſum Gaſtonem ex Regis benevolentiâ magnam voluptatem percepturum. Hic verò ubi ad Clodovæi-fanum advenit, atque etiamtùm ceſſabat Gaſto, Danvillam ad hunc properare viſum, qui moneret iterùm, quid ipſi faciundum videretur.

a De Bautru, Comte de Nogent.

Sed Gaſto porrò domi reſtitit, cui fortè religio fuit ab fœdere quod ſibi cum Condæo intercedebat, diſcedere: poſtremò Rex tardiùs ad Urbem venit, ſummâ cum lætitiâ Ordinum omnium, atque acclamationibus plebis, quæ & accenſis per noctem ubique ignibus gaudium ingens ex Regis adventu ſignificavit. Ipſe tum in Regiâ veteri quam Luparam appellant, habitare maluit, quàm apud Richelianas ædes, ſicut uſquè fecerat: hæ haud ita pridem ab Richelio Cardinali Ludovico XIII. Regi legatæ fuerant, Lupara Regum perpetua domus jam ab multis annis eſt, Richelianis ædibus multò amplior, & cui ex vetuſtate nonnulla dignitas acceſſit.

Ubi primùm Rex advênit, miſit ad Gaſtonem, qui verbis ſuis juberet hunc Limurſium ſuum poſtridiè concedere, quod ita grave homini fuit, ut id ſatis oſtenderit dubia, atque incerta reſpondendo: quin & Belfortius qui aderat, de muniundâ in quâ ipſe agitabat Urbis regione locutus eſt, dein idem Radeſianus habito eâ de re conſilio dixit de regione Urbis circùm majus Urbis Templum, quò ſe æquiſſimâ plebe uſurum confidebat, prætereà complures in urbe eſſe, qui Gaſtonem haud deſerturi eſſent, intereà dùm Condæum cum ſuis, atque Lotharingorum, & Germanorum copiis accerſeret, quibus cogi poſſe Regem exiſtimabant, uti Germani-fanum regrederetur: ſi id ex ſententiâ eveniret, Radeſianus operam ſuam ad Gaſtonem cum Rege in gratiam reducendum neceſſariam fore ſperabat, atque inter agendum, moliundumque multa accidere poſſe, quibus ipſe apud Regem, Reginamque matrem gratiam iniret, neque re publicâ gerendâ quod huic primum erat, atque palmarium haud indignus haberetur: ſed Gaſto iſthæc in-

1652. certa, dubia, atque periculoſa poſthabuit, maluitque rus concedere, quàm diutiùs ſuâ causâ rempublicam perturbari.

Patres diximus Senatum in Regiâ ſicuti Rex juſſerat, habendum decreviſſe, ſed & ſimul decretum fuerat Regem edocendum ubi opportunum foret, rectiùs Senatum loco ſolito, quàm aliò haberi, atque id majoris quàm fortaſsè videatur momenti ad rempublicam eſſe, mittendos prætereà ad Cancellarium Séguierum, atque ad Procancellarium, eumdemque Primarium Senatûs Præſidem Molæum, qui hujus Ordinis verbis monerent, atque orarent, uti curæ utrique eſſet, ut & ad eos qui in ſcribendo prætermiſſi ab Rege fuerant, litteræ ſicuti ad alios darentur, quod quidem fruſtrà fuit.

At Patres XI. Calend. Novemb. in Regiam venêre, quò Senatus Rege coram eſt habitus, ex Edicto quod apud Eſiæ-pontem in Senatu qui tum eò habebatur, promulgatum fuerat, atque in hujus acta relatum. Id primum eſt recitatum, quo omnis hic Ordo reducebatur in Urbem: prætereà Edictum quo cunctis cavebatur, Amniſtiam vocabant, ut in Senatûs qui tum in Regia erat acta referretur: poſtremò id quo Belfortius, Rupifocaldus, ex Senatu Bruſſellus, atque alii, Rohanus, Boulaïus, Fonteralius viri nobiles, ac denique Peniſius omnium factioſorum poſtremus, ac peſſimus, Condæi, Contii, Condææ ſororis clientes, ac ſingillatim Peraltus in Rationum Curiâ Præſes, uxores, filii, filiæque eorum Urbe faceſſere jubebantur: Senatui ut ne quid reipublicæ poſthàc injuſſu Regis attingere, neu quorum operâ in hac gerendâ uteretur, in eos quid eâ gratiâ decernere vellet, interdicebatur: poſtremò ne cui ex Senatu, cæteriſque in Urbe Curiis Principum virorum conſiliis, aut rei adminiſtrandæ præeſſe, aut intereſſe copia eſſet, aut ab his ſtipendia, honoraria, aut penſiones annuas, aliave accipere, tametſi hujus rei ipſis antehàc facta ab Regibus poteſtas fuiſſet. Recitatis his omnibus Edictis Cancellarius eorum qui aderant ſententiam rogat, quæ de promulgandis Edictis lata quidem, cæterùm Patres de collegis ut ne abigerentur, Regi ſupplicandum cenſebant, ſed id fruſtrà fuit: nam poſtquàm quid Rex ſentiret, juberetque ab ipſo more majorum Cancellarius exquiſiverat, Edicta recitata, & promulgata, atque in acta Senatus referenda pronuntiavit: quæ res quod ad collegas attineret, Patribus ægrè fuit, Majeſtatis tamen verecundiâ, & uti tempus erat, ſibi temperandum ſapientiſſimè cenſuêre, atque ita Senatus eſt dimiſſus.

Ubi Rex cuncta hæc confecerat ex ſententiâ, atque eò res redierat, uti Gaſtoni neceſſe eſſet illi omnia quæ vellet, ac juberet obſequi, ibi verò ſe ſponte ſuâ, judicioque quæ æqua eſſent ea ipſi concedere velle per Danvillam ſignificavit, quem eâ gratiâ Limurſium haud procul ab Urbe quo Gaſto diſceſſerat miſit. Hunc eò adduci Rex cupiebat, uti Mazarinum in Aulam redire æquo animo pateretur, nec eâ causâ ſecedere, aut abeſſe vellet, quod quidem Danvilla Gaſtoni perſuadere omni ope conatus eſt: ſed hic ſe Mazarino amicum uſquàm fore, ac ſe

in Aulam rediret, eò ſe manere poſſe negavit, cætera verò omnia Regis voluntate facturum aiebat. Cum iſthuc reſponſum huic haud ſatis placeret, miſſus eſt ad Gaſtonem iterùm Danvilla, atque unà Tellierus Quatuorvir, qui fruſtrà uti de Mazarino Regi obſequeretur, hominem fatigavêre, ac denique Gaſto poſtquàm Condæi ſententiam exquiſiverat, has ipſis tulit conditiones; ſe videlicet pacatum, ac quietum apud Bleſiam oppidum ſuum ad Ligerim commoraturum: copias ſuas ab Condæi exercitu ſegregaturum, quæ regiis conjungerentur, eâ lege ut ne adverſùm Condæum harum operâ Rex uti vellet, quem ut hanc ſibi veniam daret, rogaret impenſiùs: quæ conditiones ubi Regi ſatis placuêre, atque in has data, atque accepta utrimque fides eſt; Gaſto Bleſiam diſceſſit, quò procul ab omni reipublicæ curâ reliquam vitam exegit. Belfortius Vindocinum paternum oppidum abiit, atque alii Urbe faceſſere juſſi in rura quiſque ſua diſceſſêre. 1652.

Qui ex Senatu diſceſſerant, de iis Neſmondo Præſidi, atque Franciſco *a* Veidello Conſiliario placebat, uti Senatus frequens conſultaret, atque ex totius Ordinis ſententiâ ratio iniretur, quemadmodum ab Rege impetrari poſſet, ut ad Urbem, & in Curiam redirent, quamobrem Inquiſitionum Claſſes in majus Conclave vocandas eſſe cenſebant, quod quidem utrique fraudi fuit, nam cæteri iſthuc fruſtrà futurum ſunt arbitrati, atque adeò non eſt factum. Neſmondus autem vocatus in Regiam eâ de re graviter eſt increpitus, ac poſt paulò tantiſper abire juſſus, ſicut & Veidellus: unus Bruſſellus reſtitit ad Urbem, cui videlicet nullum rus erat, quo ſecederet, cæterùm res familiaris anguſta, atque ætas gravis, quæ omnia ut hominis plebem miſereſceret, efficiebant, cúmque vitabundus hominum cœtus, atque occultus agitaret, hujus planè abigendi nulla porrò cura in Aulâ fuit.

a Veideau Conſeiller au Parlement.

Ita Gaſtonis, Condæi, atque Funditorum Sectæ quæ in unam coaluerant, tametſi huic Senatus, populuſque Mazarini odio faveret, profligatæ: quod quidem Gaſtonis, & Condæi magis culpâ, quàm Adminiſtrorum conſilio, atque ſolertiâ, evênit, ubi illi pecuniæ in belli ſumptus inopiâ Senatum, populumque ad fœdus ſecum faciundum, ut hanc poſthàc ſuppeditarent, vi adigere voluêre, quo factum eſt, ut eorum ſtudia amitterent, quæ denuò in Regem verſa hunc denique potiorem reddidêre. Certè Principis opes in vulgi benevolentiâ ſitæ ſunt, qui adeò perpetuò meminiſſe debet, Populum ſine Principe, Principem ſine Populo eſſe non poſſe. Reliquiæ igitur belli civilis in Campaniæ finibus, atque in Aquitaniâ longiùs ab Urbe poſthàc fuêre. Illic Condæus, eò Contius frater, atque Condæa ſoror hoſtilia faciebant: quamobrem & hos, & qui horum ſectam ſequebantur, Rex edixit hoſtes eſſe, ſimul horum bona publicavit, quæ habuerant imperia, & poteſtates, ac cætera quæ ad rem, & dignitatem pertinebant, ea ipſis abrogavit. Apud Burdigalam Contius, atque Condæa ſoror Ulmeiſtas fovebant, indignante Curiâ eo ſe plebi propè obnoxiam eſſe, quæ antehàc ſibi obediens eſſe ſolebat: nec tamen Contio, atque Condææ ad-

1652. verſa, nequedùm ab rebellione aliena erat : ſed in hâc pudebat non habere principatum, quo plura in Ulmeiſtas habita conſilia, ut ab Ædibus urbis publicis quas tenebant, pellerentur, quæ omnia fruſtrà fuêre.

Barcinonem in Cataloniâ terrâ, marique ab Hiſpanis obſeſſam diximus: in Urbem tamen Mottæum Hodencurium Equitum Tribunum per media hoſtium caſtra evaſiſſe, qui hanc defenderet, atque Barcinonenſes in priſtinâ erga Regem fide confirmaret: præterea *a* Santandream Mombrunum ab Italiâ copias eò duxiſſe, quibus Hiſpanorum caſtra tentaret, atque externas munitiones oppugnando, dum Mottæus erumperet ab urbe, hanc obſidione eximeret, atque Hiſpanos abire cogeret. Ad hoc Ferrieræ è *b* Melitenſi militiâ rei navalis ſcientiſſimo curata pecunia fuerat inſtruendis navibus, onerandiſque commeatu, quem ad mare Balearicum deveheret, atque Barcinonem introduceret, quæ cum fame magis, quàm ferro premeretur, haud dubium videbatur hoc pacto ſuſtentari poſſe obſidionem, quæ hoſtibus denique fruſtrà, ac diſpendio, damnoque foret : nam navi ſecundo vento in portum tendenti prorsùs difficile eſt impedire curſum, pluſque uno navigio devehitur commeatûs, quàm pluribus carris, jumentiſve: ex multis autem navibus quas Ferriera habebat, unam, aut alteram ſaltem in portum evaſuram veriſimile erat.

a Le Marquis de S. André Mombrun.

b Le Chevalier de la Ferriere.

Rex ad Joannem Luſitaniæ Regem miſerat, qui doceret *Quàm maximâ hujus intereſſe, ut ne Cataloniam Philippus Hiſpaniæ Rex reciperet, qui quamdiù eò bellum gereret, tandiù Luſitaniam aut quietam fore, aut leviter oppugnatam: at ſi Catalonia penes Philippum foret, ibi verò omnes quæ in Hiſpaniâ ſint copias adversùm Luſitaniam ituras, atque eò maximam belli molem futuram: octo, aut decem omninò navibus ab eo Barcinonem versùs miſſis opus eſſe, cum aliquanto commeatu, qui in Urbem introducatur, id huic in tanta quam habeat navium copia, atque ob vicinitatem facile eſſe, quod Rex magna in gratia ſit habiturus, atque hanc ubi ſibi res ſecundiores eſſe cœperint, relaturus.* Sed Luſitaniæ Regi ægrè erat fœdere quod huic cum Rege intercedebat, cautum non eſſe pacem ab hoc nuſquàm ſancitum iri, niſi & ad illum pertineret, hujus rebus, atque dignitate integris, ſed Regem modò ut id fieret eniſurum: quamobrem inter Ludovicum, & Philippum bellum eſſe diuturnum ſtudebat, ut intereà ipſe quietus foret, aut faciliùs bellum defenderet.

Sed Ferriera poſtquàm tantiſper ad mare Balearicum cum navibus in Barcinonis conſpectu ſteterat, re cujus gratiâ venerat infectâ, ac ne tentatâ quidem diſceſſit; quin nec uti triduum, ſicuti Mottæus poſtulabat, opperiretur, adduci potuit, quo triduo Santandreas munitiones Hiſpanorum externas, ipſe ab Urbe Mottæus caſtra erat oppugnaturus, nam ſi Ferriera cum navibus ſuis manſiſſet in ſtatione, harum metu, qui in claſſe Hiſpanicâ erant ſocii navales, hâc non exſcendiſſent, ſicuti hoc metu vacui fecêre, atque caſtra cum cæteris copiis ita defendêre, ut horum oppugnatio noſtris fruſtrà fuerit. Æqua propè com-

meatûs inopia in Santandreæ caſtris erat, atque in ipſâ Urbe, cùm penes Hiſpanos omnia circùm Barcinonem loca eſſent, aut ipſis qui potiores videbantur, ſtuderent: neque profuerat quidquam & Mottæo in Urbe, & Santandreæ foris, multa, atque præclara facinora feciſſe: nam fames ambos abegit denique, Santandream primùm, ad quem Rex ſcripſerat, ut ubi res publica apud Barcinonem in tuto collocata foret, cum copiis ſuis in Italiam rediret, quò Hiſpani Caſalium in Montis-ferrati agro oppugnaturi videbantur. Quod quamvis clàm copias eſſe Santandreas ſtuduerat, tamen ab quibuſdam reſcitum, qui pertæſi tam duræ, atque aſperæ in Cataloniâ militiæ, hunc coëgêre denique, ut abſcederet. 1652.

Cùm id Regis injuſſu, atque adeò præter opinionem factum eſſet, viſum ad Belieropleſſium ſcribere, uti coactis quæ in Santonibus erant copiis, in Aquitaniam properaret, & cum Harcurio conſultaret, quæ ex Aquitaniâ copiæ cum ſuis conjungi poſſent, ac duci in Cataloniam, uti Barcinoni ſubſidio eſſent: has omnes Harcurius ſi videretur ipſe duceret, aut hanc traderet Belieropleſſio provinciam. Sed jam Harcurius in Alſatiam profectus fuerat, ſicuti ſuprà memoravimus. Igitur Belieropleſſius ſicuti pro Prætore in Aquitaniâ fuit, qui Iſſabono Ellebovii filio, Salbovio Marchione, Crequio è Melitenſi Militiâ, & Belfonſio Marchione unà reipublicæ operam navantibus, propè omnia in Aquitaniâ loca capta ab hoſtibus recepit, Marſinum cum omnibus copiis ad ſe venientem inhibuit, ut ne huic animus fuerit eò progredi, quò ipſi prælium facere neceſſe fuiſſet. Sed ubi deligendæ copiæ fuêre, quæ in Cataloniam ducerentur, earum duces nihil ſibi ab Rege hac de re mandatum dixêre: prætereà quæ copiæ ex hybernis collationes acceperant, eas videri ad hanc expeditionem paratiores: poſtremò mittendum ad Aulam qui reſciſcat, quid tandem Rex factum velit, ac pecuniam in ſtipendium poſcat iis copiis, quas in Cataloniam mitti vellet, ad Tracium denique qui apud Montalbanum erat ſicuti Quæſtor in Aquitanico exercitu, de pecuniâ ſcribendum.

Venêre brevî ab Rege mandata, quæ copiæ in Cataloniam ituræ erant, iis curata in ſtipendium pecunia eſt, ſed hæc tam exigua, uti neque duces, neque milites ſatis adduci poſſent, ut eò proficiſcerentur, difficillimo anni tempore, atque in regionem, quam planè vaſtatam eſſe ſcibant: Crequii tamen, atque Belfonſii Marchionis operâ plerique adducti ſunt, uti proficiſcerentur. Ad Mottæum Rex ſcripſerat exercitum qui in Aquitaniâ eſſet, huic auxilio venturum, cui adeò mittere obviàm Ioſephum Margaritum, de quo ſæpiùs memoravimus, cum pleriſque aliis Catalanis Mottæo, atque Barcinonenſibus viſum. Illi exiguo, ac levi navigio per mediam Hiſpanorum claſſem cum ingenti periculo traducti apud Bagurem Palamis haud procul exſcendêre navi, dein apud Armenteram cum Laſario, qui Rhodæ Præfectus erat, & cum Alcſio Barone, qui præerat equitatui, collocuti ſunt, de commeatu Rhodam introducendo, cujus inopiam patiebatur. In-

1652. de Gironam oppidum iêre, ab quo Mortara Marchio cum copiis haud procul tum fuit, collectum tamen in viciniâ commeatum Rhodam Margaritus miſit, vir ad extremum Regi fidus, induſtrius, & qui nihil labori, & ſumptui ad rem publicam benè gerendam parceret.

Ab Gironâ Perpinianum unà cum Alesio Barone petit, eò ſe credens Belieroplesſium cum Aquitanicis copiis inventurum, uti rationem inirent, quo pacto labefactatis, ac propè perditis patriæ rebus ſuccurrere poſſent, & quâ viâ appropinquare Barcinoni. Sed hunc ea ſpes fruſtrata eſt, neque dùm quando Belieroplesſius adventurus eſſet, quiſquam ſatis ſcibat. Margariti tamen ad Perpinianum adventus ipſi oppido ſaluti fuit: Thomas enim *a* Bagnolſius qui eumdem in Ruſſinonenſi Agro, quem Margaritus in Cataloniâ gerebat Magiſtratum, Gubernatorem appellant, inimici ſui cujuſdam perſequendi, atque adeò rixæ privatæ ſpecie, ex agris milites collegerat, quibus fretus Perpinianum ingredi, atque oppido, & arce noſtros pellere decreverat, quod eſt ab Margarito prohibitum.

a De Bagnols.

Jam Hiſpani omnia ad mare loca, ſuprà, atque infrà Barcinonem ceperant, ac præſidiis tenebant, ita ut nihil ampliùs ab his commeatûs ad Urbem, ſicut antehàc quandóque fiebat, ſupportari poſſet: quæ verò oppida, atque Caſtella longiùs ab maris orâ poſita ſunt, ea propè omnia erant in horum poteſtate: nam & Gironam poſt Margariti diſceſſum Mortara Marchio ad deditionem redegerat. Mottæus igitur undequâque circumcluſus, neque quâ Belieroplesſius iter ad ſe habere, neque quo modo ipſe famem uſquè ad ejus adventum tolerare poſſet, ſatis expediebat: quamobrem conſilio cum ducibus, atque Barcinonenſibus habito, deditionem facere decrevit.

Hujus latæ conditiones ab Joanne Auſtrio quàm honorificentiſſimæ ſunt, quibus & ducibus, & militibus, & popularibus ex ſententiâ cautum, qui manere ad Urbem, aut in patriâ, quive migrare vellent. Ita Catalonia in Philippi Hiſpaniæ Regis ditionem rediit, poſt decennium atque ampliùs, ex quo Catalani ſe Ludovico XIII. Galliarum Regi dediderant, ab eo, atque ab Ludovico filio perliberaliter habiti uſquè ad hæc noſtra bella civilia, ita ut bellum quod eò adversùm Hiſpanos gerebamus, Catalanis magis quæſtui, quàm damno eſſet, tam ſedulò Gallicis copiis, atque Catalanicis ſtipendium curabatur, quo fiebat ut omnis ex hac Provinciâ Galliæ conjunctâ fructus magis ad Catalanos, quàm ad Regem pertineret, qui immenſum planè huic adversùm Philippum tuendæ ſumptum fecit: pudet profectò noſtrâ culpâ iſthæc tam fœda, atque aſpera rei publicæ eveniſſe.

Intereà Belieroplesſius Ruſſinonenſem agrum versùs iter per Septimaniam habebat, quo *b* Santaunesſius Barrius Locatæ Præfectus ab Rege defecerat, ac virorum Principum partes ſequebatur: ſed ubi ſenſit Mercurii equitum alam ab Provinciâ miſſam, ac præterea Belieroplesſium cum pleriſque copiis in propinquo eſſe, facilè adductus eſt, uti cum Mottæo de pace ageret, ac rediret in viam. Hic poſt deditam

b De Barry Marquis de ſaint Aunais.

Barcinonem redibat in Galliam, quîcum ex itinere Belieropleſſius collocutus eſt, ut quid optimum factu exiſtimaret ab ipſo reſciſceret. Is eundum in Confluentem cenſuit, atque eò pellendos hoſtes ab oppidis, ac caſtellis, quæ nuper receperant. Confluens Ruſſinonenſis agri regio eſt Cataloniam propior, quò Thomas Bagnolſius de quo ſuprà memoravimus, conceſſerat, cum his quos coëgerat militibus. 1652.

Is ſicuti ſecundis in rebus noſtris Regis partes ſecutus erat, ita Philippi qui tum potior videbatur, fortunam ſequebatur: primùm quà Pyrenæus in hac regione ſaltus aditur, anguſto inter montium juga itinere (collum Ternæum appellant) eà tranſitu arcere Belieropleſſium decreverat: dein hoc omiſſo conſilio, ſuos in vicina oppida loci naturâ munita dimittit, ipſe inter hujus jugi confragoſa, atque aſpera diffugit. At Belieropleſſius Rodezem oppugnat, quò trecenti Hiſpani mœnia defenſabant: quatriduum propugnavère, dein uti ſibi deditionis conditiones ab Belieropleſſio ferrentur, poſtulavère: ſed is ſe negavit aliam ferre poſſe, quàm uti ſe, ſuaque ipſi permitterent, quod ubi hoſtes abnuère, impetus ab noſtris in oppidum factus, pulſique in arcem hoſtes ſunt, quò denique vitæ ſuæ conſuluère, Belieropleſſio ſeſe permittentes, qui omnes captivos habuit: pedites trecenti, equites quinquaginta fuère: oppidum primùm ab noſtris, dein ubi profecti ſunt, ab accolis direptum, atque incenſum eſt, manente in popularium animis concepto pridem in Hiſpanos odio.

Cætera oppida deditione item ſibi conſuluère, ita ut Bagnolſius Villam-francam concedere coactus fuerit, quæ regionis illius caput eſt. Sed hæc cùm naturâ loci, & operibus ita munita eſſet, ut oppugnandarum Urbium omni apparatu ad hujuſcemodi incœptum opus eſſet, cui moliundo hyems haud quaquàm opportuna erat, iſthuc in aliud tempus Belieropleſſius diſtulit, atque intereà Crequium cum idoneo equitum numero Rhodam versùs miſit, cum quingentis peditibus, qui oppidum ingreſſi ſunt: dein ab hac regione propter frigora, quæ inter Pyrenæi juga per hyemem intolerabilia ſunt, atque commeatûs inopiam diſcedere viſum in propinquam Septimaniam, quò in hybernis copiæ collocatæ, atque eò manere juſſi Belieropleſſius, atque Belſonſius, ſi quid hoſtibus adversùm Rhodam conſilii foret, ut huic ſubitò ſubvenirent.

Hiſpanos graviter offendiſſe diximus, ubi Carolum Gonzagam *a* Noviodunenſem Ducem Mantuâ Urbe, quæ huic hæreditate obvenerat, atque agro Mantuano, præterea Caſalio ad Padum, & Montisferrati in quo ſitum eſt, agro ſpoliare antehàc decreverant: nam ea res tum hominem coëgerat, Caſalium oppidum, cum Arce totius Italiæ longè validiſſimâ, quibus maximè potiri Hiſpanis conſilium erat, permittere Ludovico XIII. Regi, vt hæc adverſum Philippi Hiſpaniæ Regis conatus tueretur. Id per complures annos fecit, tam immenſis ſumptibus, ac tot tantorumque civium jacturâ, qui ab morbis magis, ac cæli gravitate, peſtilentiâ, atque aliis in Italiâ caſibus, quàm ab ferro interiē-

a Le Duc de Nevers.

1652. re, nam raro victi, ſæpiùs victores fuerunt, uti ratio tot ſumptuum, atque hominum nequaquàm iniri poſſit. Caſalium oppidum, atque Arx in Ludovici filii poteſtate etiamtùm erant: ſed propter corruptam apud nos rempublicam, ac bellum civile quod in Galliâ gerebatur, nuſquàm ſuppeditare ſumptibus qui foris faciundi erant, Rex poterat. *a* Mompezatus Cazalio ab Rege Præfectus in Aulam venerat, nuntiatum præſidium eò exiguum eſſe: qui ſuâ, atque Serviani in propinquo apud Sabaudiæ Ducem Regis Legati fide ſtipendium militibus, atque frumentum uſquè dederant, eos ceſſare, quoniam quo uterque hanc exolveret, nihil jamdiù ab Aulâ miſſum fuerat: poſtremò aut curandam eò pecuniam, aut propediem Caſalium in poteſtate hoſtium futurum, quorum tametſi exiguæ opes ad tantum incœptum, tamen quia nullæ in oppido, atque arce ſint, his facilè potituros.

a Le Marquis de Mompezat.

Iſthæc Carolo II. Mantuæ, ac Montisferrati Duci haud ignota erant: hujus amita Eleonora Ferdinando II. Imperatori quondam nupſerat, tunc vidua: Eleonora verò Caroli ſoror tum Ferdinandi III. Ferdinandi II. filii uxor erat: Carolus ipſe Elizabetham Claram Auſtriam Oenipotani Archiducis filiam uxorem duxerat, ita hujus cum Auſtriacâ Gente affinitatis vinculum triplex eſt, quam adeò ſi Galliarum Regis amicitiæ antepoſuerit, nemini mirum videatur: ſed ea Ludovico in Carolum fuit, qualis eſſe debebat erga hominem cui Rex pater Mantuæ, ac Montisferrati Principatûs adversùm Auſtriacorum vim conſervaverat; Carolo verò haud alia, quàm quæ ob ingentium in ſe meritorum memoriam hominibus eſſe ſolet, quæ certè hos non ita afficit, ut eâ cauſâ præſens adire diſcrimen, aut ullius damni ſubire caſum velint: præterea haud huic ægrè fuit, ſibi opportunitatem dari, quâ ſi rectè uteretur, Caſalium poſthàc non in alienâ, ſed in ſuâ unius poteſtate foret, quod quidem huic ab Rolando *b* Lavalle cujus conſilio, judicioque in omni republicâ gerendâ utebatur, ſubjectum plerique credidêre.

b De Laval.

Igitur Carolus hoc autore rationem inire decrevit, quo cum bonâ Gallorum, atque Hiſpanorum gratiâ Caſalium ſuo ipſe præſidio poſthàc teneret. Ut eò perveniret, per Hieronymum Priandum *c* qui dudùm Mantuæ Ducum negotia iſthìc procurat, hominem ſibi ſicuti majoribus fidum, atque iſthìc gratum, acceptumque cum Rege, atque Adminiſtris egit maturè, atque continuò, uti Caſalio conſulere vellent, ſicuti res monebat, aut ſi ob bellum civile id adversùm Hiſpanorum conſilia, conatuſque tueri non poſſent, præſidium Gallorum inde, atque Helvetiorum deducerent, ſeque Caſalium ſuis opibus defendere ſinerent, confidere ſe ſi iſthuc Regi probaretur, Hiſpanos nihil adversùm Caſalium molituros. Intereà ut ne Hiſpani properarent eò ducere, per amitam, atque ſororem Eleonoras apud Ferdinandum Imperatorem hujus virum, cujus maxima apud Philippum Hiſpaniæ Regem autoritas, & fides eſt, operam dabat: ſimul agebat cum Hiſpanis ipſis apud Mediolanum per Bozzoli Principem, & Auguſtinum Guazzonem è Sommaſcorum Ordine, uti ſibi ſatis utile eſſe ducerent Caſalium ab Gallorum manibus

c Priandi Resident de Mantoue.

manibus eripi, quod domino citrà cujuſquam invidiam traderetur. 1652.

Sed ægrè erat Regi tam validum oppidum in Italiâ, atque huic ab Hiſpanorum lubidine, quæ ipſis propagandæ dominationis ſuæ ingens ab naturâ eſt, vendicandæ opportuniſſimum dimittere: eò tergiverſabatur fortunam opperiens, ſi fortè bello civili finem faceret, atque intereà hanc ferebat Carolo conditionem, uti deducto ab Caſalio Gallorum, atque Helvetiorum qui ſibi mercede militabant, præſidio, novum eò Helvetiorum præſidium introduceretur, qui fidem darent, ſe Regi, atque Carolo oppidum conſervaturos, atque ubi bellum deſineret, ex utriuſque ſententiâ diſceſſuros: huic præſidio ſtipendium pro mediâ parte Regis, pro quartâ omnium Italiæ Principum, pro alterâ quartâ Caroli ſumptibus curaretur, uti quorum maximâ intereſſet Caſalium non eſſe in Hiſpanorum poteſtate, eorum ut id ne fieret, eadem cura, ac pro opibus impenſa eſſet. Sed iſthæc quod imminebat Caſalio periculum, id non avertebant, atque hoc pacto magis ut in poſterum, quàm uti tunc in tuto eſſet, cavebatur: nam cum omnibus Italiæ Principibus eâ de re agendum erat, qui ut in eamdem hanc adducerentur ſententiam, aliquanto tempore opus erat.

Argenſonus Regis apud Venetos Legatus cum Carolo agebat ſedulò, ut ne ab Regis amicitiâ diſcedere vellet, ab cujus patre tanta in hujus avum, atque in hunc ipſum beneficia profecta eſſent, quem ſi ceſſaſſet adversùm Hiſpanorum conatus tueri, ille Mantuæ, atque Montisferrati Prædiis planè fuiſſet ab his ſpoliatus, qui tunc ipſi nepoti blandiantur, uti videlicet ubi ab Regis amicitiâ diſceſſerit, quod uſque patrare non potuêre prohibiti ab Gallis, id poſthàc ex ſententiâ conficiant, atque hunc ſicuti pridem decreverint, aut planè ſpolient, aut ſaltem Caſalio ſibi cedere cogant. Venetis autem Argenſonus perſuadere conabatur, ut ne Caſalium ſinerent ab Hiſpanis capi, atque teneri poſthàc, rem omnibus Italiæ Principibus periculoſiſſimam, quorum maximâ interſit, Hiſpanorum opes nequaquàm in Italiâ creſcere. Id ipſis ſingillatim curæ eſſe decere, quibus Hiſpani in Mediolanenſi, atque Cremonenſi agris finitimi ſint, eo de Carolo Mantuæ, & Montisferrati Duce tuendo cum Rege Ludovico XIII. concordaſſe, & quod hic apud Caſalium fecerit, id ipſos apud Mantuam feciſſe: ipſum Caſalium haud ita procul ab eorum abeſſe finibus, cui ſi tantiſper ſubvenire velint intereà dùm bellum civile in Galliâ deſierit, id & ex re publicâ facturos, & Regem in maximâ gratiâ habiturum.

Sed Veneti vix ſe huic admiſcere negotio poterant, bello Turcico impediti, cui ſuſtinendo omnibus opibus ſuis, ac prætereà alienis opus habebant, atque adeò neque ſuppeditare ſumptibus poterant, qui tuendo eâ tempeſtate Caſalio neceſſarii erant, neque Hiſpanis ægrè facere volebant, de hoc autem negotio cum omnibus Italiæ Principibus agendi ſpatium non erat, neque hi facilè adduci potuiſſent, uti labefactatis Galliæ rebus quidquam quod Hiſpanis diſpliceret inciperent: poſtremò non dubito Carolum eos feciſſe certiores, quid apud Viadanam, &

1652. apud Mediolanum de Caſalio ageret, & quorsùm ea res eſſet evaſura; quo factum eſt, uti Veneti omnia ſe Regis causâ velle dicerent, atque operam daturos, ut Hiſpani, atque Carolus nihil in Caſalii negotio quod rei publicæ fraudi, damnove foret factum vellent.

Sed Hiſpani ut ne tantam Caſalii è Gallorum manibus eripiundi opportunitatem corrumpi ſinerent, Sturæ-pontem, Corniolum, Ozanum, Baſſignanum, Georgii-fanum, Occimianum, Mirabellum, Ticinetum, & Fraſſinetum occupavêre, ac præſidiis tenuêre, quibus ita circumcluſum Caſalium eſt, uti vix quidquam eò ſupportari poſſet. Iſthuc Priandus Regem, atque Adminiſtros edocuit, orans, atque obteſtans uti dum liceret, dumque tempus eſſet, præſidium Gallorum, atque Helvetiorum Caſalio deduci, atque eò Mantuanorum ab Duce copias introduci vellent: ſi Hiſpani Caſalium vi, atque armis caperent, vix id Carolo reddituros, tam opportunum ſuis in Italiâ conſiliis oppidum. Sed ne ipſi quidem Galli tum adduci potuêre, ut id dimitterent, verùm accuſare Carolum, ſicut id ab eorum manibus ereptum, ac penes Hiſpanos eſſe mallet, quod tamen graviùs in Rollandum Lavallem jactatum eſt, qui certè jamdiù Hiſpanis quàm nobis æquior erat. Sed in hoc Caſalii negotio Principi ſuo ſingillatim ſicuti par erat, ſtuduiſſe videtur, ſed illi haud ægrè fuiſſe tantam hujus ab Regis amicitiâ, atque clientelâ ſubducendi opportunitatem oblatam eſſe: hæc certè fuit hujuſmodi, uti ſatiùs fuerit Regi ab Caſalio Gallorum, atque Helvetiorum præſidium ſponte deducere, atque ipſi Carolo ſuis opibus tuendum relinquere, quàm hujus nobis defendentibus ab Hiſpanis capiundi, atque adeò ſibi retinendi occaſionem dare: niſi ſi Mazarinus credidit Santandream Mombrunum cum copiis ab Cataloniâ in Italiam ſatis maturè uti Caſalio ſubvenire poſſet, rediturum, aut id alio pacto factum iri, ac denique ſi ab Hiſpanis caperetur, Regi hujus vi, atque armis ex iis recipiundi jus fore, non item ex Carolo, ubi ipſi ſemel permiſſum foret.

a Le Marquis de Mompezat. *a* Mompezatus Marchio Caſalio Præfectus qui tum ad Aulam erat, ſicuti diximus, cùm nulla ab Rege ob ærarii inopiam auxilii ſpes eſſet, hanc tulit Adminiſtris ab Tavanio Marchione conditionem, ut hunc Rex Tribunum equitum creare vellet, mitteretque in Italiam cum imperio, eò hunc tria peditum millia, ac mille quingentos equites quos omnes ſuis ſumptibus conſcriberet, ducturum, atque his ſimul, & Sabaudiæ Ducis copiis fretum Caſalio ſubventurum. Id quidem ipſis ſatis probabatur, nec tamen factum eſt, quâ verò de causâ incertum habeo. Chriſtina Regis amita Caroli Emanüelis Sabaudiæ Ducis mater *b* L'Abbé d'Aglié. haud ceſſabat per *b* Agliæum Abbatem filii apud Regem Legatum hunc urgere, uti Caſalio tuendo dare vellet operam, quod ſi in poteſtatem Hiſpanorum veniret, nihil ſibi ſatis tutum in Italiâ adverſùm hos fore dictitans, cum quibus adeò maturè pacem factura eſſet, dum *c* Le Marquis Ville. hanc æquis conditionibus facere liceret, cujus rei poſt captum Caſalium haud perindè copiam fore. Intereà *c* Villam Marchionem eò mi-

ſerat, uti corâm cognoſceret, ecqua ſpes eſſet oppidi, ac ſaltem arcis defenſandæ, ut ex eo ſibi conſilium caperet. Hic ex *a* Sant-Angelo qui arci Propræfectus erat, ſi quid auxilii introduceretur, aliquamdiù rem ſuſtentari poſſe reſcivit, atque adeò quadringentos equites eò ducere decrevit. At mox Sant-Angelum qui Monferrinorum in Subalpinos odium noverat, ſubiit metus, uti ſi quid ab his adveniret auxilii ipſi Monferrini deficerent, atque Hiſpanis continuò dederent ſe: quamobrem ad Villam miſit qui moneret ſibi Subalpinorum auxilio uti copiam non eſſe, quod quidem his, atque Chriſtinæ maximè ægrè fuit. 1652.

a Saint Ange

Sed longè moleſtius fuit *b* Antonium Broüillium Piennam Marchionem Pinarolo Præfectum quem Rex juſſerat octingentos pedites Caſalium mittere, id facere recuſaſſe, cauſatum videlicet periculoſum eſſe eâ tempeſtate apud Pinarolum præſidium tanto militum numero minuere, quorum profectio ab oppugnando quidem Caſalio Hiſpanos deterrere, cæterùm ad oppugnandum Pinarolum impellere poſſet. Hi tamen ſibi conſcii infirmas ad Caſalii incœptum opes ſuas eſſe, ſi vel minimùm auxilii introduceretur, omni ope nitebantur, uti Carolum planè ſibi adjungerent, qui unà ſecùm Gallos oppido, atque arce pellere aggrederetur. Eo ad illum miſêre *c* Vercellinum Mariam Viſcontium qui quod Bozzoli Princeps incœperat, id perficeret. Factum igitur inter Caracenam qui Mediolanum, ac Mediolanenſem obtinet Agrum cum omnibus finitimis quæ Hiſpanicæ ditionis ſunt regionibus, & Carolum Mantuæ, ac Montisferrati Principem, Ducem appellant, fœdus quo cavebatur ut hic peditum millia duo, & trecentos equites ex Mantuâ Urbe, atque Agro Mantuano, ac præterea mille quingentos pedites ex Montisferrati Agro Caſalium introduceret: id modò reſcitum ex fœderis legibus, quia tantumdem poſteà equitum, peditumque ab Camillo Gonzagâ Bozzoli Principis fratre Caſalium introductum eſt, cæteras fœderis conditiones ut ne Galli reſciſcerent, cautio fuit.

b Antoine de Broüilly, Marquis de Pienne.

c Vercellino Maria Viſconti.

Argenſonus Regis apud Venetos Legatus certior ab amicis factus de fœdere, atque in Agro Mantuano cogi milites, iterùm Venetorum Senatum edocet, quantùm ea res ad rem eorum publicam, atque ad alios Italiæ Principes pertineret: famam quidem, & gloriam Regis, ſed illorum libertatem agi, quæ ſi Caſalium penes Hiſpanos erit, incerta poſthàc futura videatur: ad Carolum autem ſcribit, hortans, obſecrans, obteſtanſque ut ne id factum vellet, neu Regis partes deſereret, cujus, ac Ludovici Patris cùm ingentia in eum merita ſint, qui res Caroli illius avi perditas tanto ſuo ſumptu, tantâ civium jacturâ reſtituerit, nulli probatum iri nepotem ab illius amicitiâ diſcedere, & ad Hiſpanorum qui ipſi hoſtes ſint, tranſire partes. Sed iſthæc, atque alia hujuſcemodi fruſtrà fuêre, nam *d* Fuentanus Comes Hiſpaniæ Regis Legatus Venetos quid Philippo de Caſalio conſilii eſſet, certiores fecit, quod & ab ipſo Carolo factum probabile eſt, quamobrem de hoc negotio haud ita poſteà ſoliciti fuêre.

d Le Comte de la Fuente.

Eeeee ij

1652. Igitur Camillus Gonzaga milites Mantuanos Caſalium verſùs duxit, quò & pleraque Mantuana Nobilitas profecta eſt. Sed priuſquàm adveniret, Chriſtinæ Sabaudiæ Ducis matri tentare viſum, ſi quid militum eò introduci poſſet, nam quos Pienna mittere juſſus antehàc fuerat numero octingentos, ii denique Pinarolo profecti ubi Caſalio appropinquaverant, ab Hiſpanis fuſi, fugatique fuerant, ita ut quadraginta modò ad arcem evaſerint. Miſit igitur illa peditum duo millia, ac mille quingentos equites, qui oppidum propiores facti uti Padus modò intercederet, poſtulavêre ab oppidanis, uti ſibi mitterent naves, quibus amnem traduci poſſent: ſed illi id ſe facturos negavêre, qui videlicet Principi ſuo conſcii quid ipſi conſilii eſſet, haud contrà tendere noluêre.

At hæc omnia ſatis ſuperque oſtendunt, in unius Caroli arbitrio poſitum fuiſſe, aut Caſalium penes Gallos relinquere, aut id Hiſpanorum operâ illis ereptum ſibi poſthàc habere, quod maluit denique, atque Hiſpanorum partes ſequi, quia id nova cum Auſtriacis affinitas ſuadebat ingentium in ſe, patremque Regis, ac Ludovici patris meritorum immemori. Ubi igitur Mantuani, Monferrinique milites Caſalium introducti ſunt, Galli omnes in arcem conceſsêre, Hiſpani verò hanc omni ope oppugnavêre, ac ductis ad duo propugnacula foſſis, & cuniculis ruinas in his edidêre, atque impetum denique fecêre. Sed ab Gallis,& Helvetiis pulſi cum nihilo minùs ſatis ſcirent noſtros haud diù propugnare poſſe, honeſtiſſimas Sant-Angelo Propræfecto deditionis conditiones tulêre, quibus acceptis arcem cui per Mompezati abſentiam præerat, dedidit, quæ deinceps penes Mantuæ Ducem foret, delectumque ab eo Præfectum, ac præſidium haberet. Stipendium tamen poſthàc præſidio curatum ab Hiſpanis eſt, tametſi Eleonoræ Caroli ſororis, atque Ferdinandi uxoris nomine, quod ſatis indicat ingratum Caroli adverſùm Regem animum, cujus id non ultimum inter Principes exemplum erit.

Ubi Subalpinis apud Caſalium oppidani naves uti Padum traducerentur ſe miſſuros negaverant, quo his auxilii quidquam eò introducere ſpes adempta fuerat, ad Creſcentinum cum Verruâ Comite qui ipſis præerat iêre, oppidum oppugnaturi, quod poſt ſeptimum diem recepêre, intereà dùm Caracena Caſalii arcem oppugnabat, huic uni rei intentus. Quæ poſtquàm feliciter evenerat, cum Subalpinis ipſis agere decrevit, uti cum Hiſpanis pro Italiæ libertate congruerent, quam in pellendis hâc omni regione Gallis poſitam eſſe aiebat. *Hos ſicuti Caſalio, ita & Arce apud Auguſtam Taurinorum, & Pinarolo pellendos, quod facilè futurum ſit, ſi Caroli Mantuæ Ducis exemplum ſequi Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, atque hujus mater Chriſtina velint: qui ſi Hiſpanis ſeſe conjungere animum inducant, Philippum adduci poſſe, ut illi filiam tot Regnorum hæredem deſpondeat, atque uxorem det, quo nihil magnificentius, atque amplius Carolo Emanueli eſſe poſſit.* Iſthæc pleriſque Subalpinorum ſatis placebant, ſed ea Chriſtinæ prudentia, atque conſtantia in Regis fratris filii amicitiâ fuit, uti nihil his quæ vana, atque incerta fuêre, uſquàm moveretur.

Eâ tempeſtate ab Aſtæ Villa-novâ, atque ab Verrüâ Gallorum præſidia Rex deduci juſſit, quæ loca cum arce apud Auguſtam Taurinorum uſquè tenuerat, ut Hiſpanos ad reddendas Carolo Emanüeli Vercellas adigeret, cui denique rei conficiundæ arcem apud Auguſtam Taurinorum porrò retinuit: cæterùm quod dudùm Carolus Emanüel expetebat, uti ſui apud Regem Legati ad regiorum normam haberentur, id huic eſt condonatum, nam quod factum uſquè fuerat diſcrimen ſublatum eſt, uti videlicet qui apud circúmque Regiam milites ſtationes per vices habere ſolent, ii adveniente Legato ſub armis velut in acie inſtructi ſint, quod unis Legatis regiis honoris uſquè habitum fuerat. Poſtremò Quincæum Rex miſit in Subalpinos cum copiis, quæ tuendis finibus, prohibendiſque, ac retundendis Hiſpanorùm conatibus ſatis eſſent, eò confirmati Subalpinorum animi, uti jam luberet porrò Gallorum ſervire commodis, neque Hiſpanos ampliùs metuerent. 1652.

Qui apud Burdigalam Condæi ſectatorum principes fuêre, ii apud Mantuam Carpetanorum Philippo Regi, atque Aro Comiti perſuasêre, haud difficile fore Santonum-portum, ſeu Blayam ad æſtuarium Garumnæ terrâ, marique obſidere, nam poſt captas Gallicas ab Britannis naves in orâ Gallicâ, nullas Regi ſupereſſe, quibus Hiſpanicas littoribus ſuis arceat, aut prohibeat Blayæ appropinquare, quam ab terrâ Condæi copiæ, atque Burdigalenſes obſidere, & oppugnare poſſint. Huic igitur incipiundæ rei Philippus Battevillam qui tum apud Sebaſtiani-fanum erat, cui oppido ad Oceanum Cantabricum Præfectus eſt, naves cogere, claſſem apparare, dein ducere Blayam versùs jubet. Sed ubi advênit, nihil ab Condæi clientibus ſatis proviſum invênit, quo ab terrâ ſicut ab mari oppugnaretur: quamobrem omiſſo incœpto ad Paſſagii portum hybernandi causâ claſſem deduxit. At ex eâ re infectâ inimicitiæ graves Battevillam inter, & Marſinum, atque Leſnæum ortæ, quia eo Philippo in aperto fuit hos præmiorum ſtudio multa ipſi magnifica, atque ampla, ſicuti factu facilia ſubjicere, quæ ubi ad rem conferebantur, perdifficilia eſſent. Viciſſim Marſinus, & Leſnæus Philippo, atque Aro Comiti haud occultum habuêre, Battevillam compendio ſuo apud Burgum, quò Præfectus erat, ſtudere, in cujus præſidio mille modò milites haberet, qui quoniam initio aliquanto plures fuiſſent, tot militum ſtipendium ab Philippo etiamtùm acciperet, atque adeò nonnullos quæſtui haberet, prætereà monetam Hiſpanicam quæ ipſi curabatur, in Gallicam permutando, quartam illius partem lucri faceret. Iſthuc Philippo, atque Aro Comiti leve viſum, neque ſatis dignum, quod in forti viro, ac ſtrenuo animadverterent: prætereà ſatis intelligebant Marſinum, & Leſnæum ex invidiâ, atque ultionis ſtudio hunc labefactatum velle, cui videlicet ſuprà quàm vellent, perſpicaci fraudem ſuam occultare ſe poſſe diffiderent: Battevillam tamen Sebaſtiani-fanum concedere juſsêre, ut ne quid ex hujus cum Marſino, atque Leſnæo litibus, mali damnive rei publicæ eveni-

1652. ret. In hujus locum ſuffectus eſt Jozephus Oſorius qui Burgo poſthàc Præfectus eſſet, atque in eâ regione omnem quæ ad Hiſpanos attineret rem publicam gereret, is Burgo Propræfectus uſquè fuerat. Sed quempiam eâ tempeſtate Brezæa ad Philippum miſit, qui cùm eò de Condæi viri rebus ageret: ille cum gemmarum dono cujus pretium quadraginta aureorum millium fuit, remiſſus eſt, donatus ipſe aliquanti pretii armillâ: tanta Hiſpanis adversùm eos qui ſuâ causâ ad malas partes animum adducunt, largitas eſt.

Poſtquam Mazarinus vulgi de abitu ſuo lubidini ſervierat, atque adeò uti cupientiſſimâ plebe Rex, atque Regina mater ad Urbem redirent, effecerat, ac prætereà uti Condæum propè haud multò minùs quàm Hiſpanos quibus ſe conjunxerat, odiſſet, ibi verò uti ſuus ad Aulam reditus omnium voluntate fieret, operam dedit: eò de reconciliandâ gratiâ vel cum inimiciſſimis egit ſedulò; cum Contio, cum Curiâ Burdigalenſi, cum Harcurio, cum Daugniono, atque aliis. Jam Santaunesium Locatæ Præfectum Mottæi operâ in viam reductum diximus, cui quod hic receperat, Rex planè ratum habuit, ac præſtitit: de illo videlicet noxæ regio Edicto eximendo, atque item Locatenſibus: de filiis qui apud Urbem dati in cuſtodiam fuerant, dimittendis: de bonis omnibus cùm ipſi, tùm amicis, qui unà defecerant, reſtituendis: de Termis caſtello Narbonenſi Archiepiſcopo permittendo, quod poſt ſex menſes Santaunesio aut redderetur, ſi iſthuc Regi ſatis placeret, aut deſtrueretur: de duabus turmis equitum, quas ille conſcripſerat, ab Rege quæ huic mererent retinendis: de pecuniâ aliquantâ huic cùm propter ſumptus in conſcribendis, armandiſque turmis factos, tum aliis de cauſis curandâ.

Sed operæpretium erat Mazarino cum Condæo redire in gratiam, atque hunc in Aulam reducere: id per fidum interpretem tentatum, latæque ipſi quàm honorificentiſſimæ conditiones ſunt, ac fortaſſe majores, quàm ut his ſtare denique Mazarinum velle crederet: nam huic commercari extrà Galliæ fines Principatum, quem cum ſummo jure, judicioque obtineret, proponebatur: item alia omnia, quæ explere vaſtum, atque ingentem animum poſſe videbantur. At iſthæc hominem fortaſsè commoviſſent, ſi integris rebus ſuis, nequedùm cum Philippo communicatis, propoſita fuiſſent, quæ tum factâ inter ambos belli ſocietate, fruſtrà fuêre.

Igitur Condæus reſpondit, *Principis è regiâ gente viri quam habeat ab naturâ dignitatem, ſibi omni Principatu, qui cum ſummo jure, judicioque dari poſſit, potiorem eſſe: neque potentiam, neque malefaciundi licentiam, quæ major in hujuſcemodi Principatu futura videatur, quærere ſe, ſed amicitiam, ſed fidem, quam in Mazarino nullam eſſe ſuo magno malo ſit expertus: non eſſe adeò ſibi conſilium iterùm huic ſe permittere: hunc facilè omnia polliceri, uti quod adversùm ſe fiat, id interpellet, quod ubi factum eſt, præſtare modò ea quæ velit: poſtremò eò ſe Mazarini fraude adductum, uti neceſſe habuerit cum Philippo belli ſocietatem inire, quod deſinere niſi utriuſque voluntate poſſit: quamobrem cum*

utroque aut pacem faciundam quod magnoperè ad rem publicam pertineat, aut bellum gerendum eſſe, neque alterum ab fide quam alteri dederit, diſceſſurum. Hæc ab animo odio in Mazarinum accenſo proficiſcebantur, ac præthereà ſpei pleniſſimo, fore uti proximis æſtivis, profligatis Regis, ſeu potiùs Mazarini copiis, victor ad Urbem accederet, ac ſe Pacis Ludovicum inter, & Philippum faciundæ arbitrum futurum. 1652.

Sicuti cum Condæo, ita & cum Contio Mazarinus egit: qui tametſi non nihil ab fratre diſſideret, tamen ab Condeæ ſororis, hæc autem ab Condæi voluntate pendebat, quod Mazarino moleſtum, nam ſi Contius, & Condæa reſipuiſſent, magnum ad pacandam Aquitaniam momentum attuliſſent: cæterùm uti Contio, Condeæ, atque Burdigalenſibus majora in dies adferrentur incommoda, Vindocinus ad Garumnæ æſtuarium claſſem adducere juſſus eſt, atque Candalio qui tum provinciam cum exercitu obtinebat, miſſæ ab vicinis regionibus copiæ, quibus tantò meliùs rem publicam gereret, ac denique cum Daugniono agi cœptum.

At Condæus in Campaniæ finibus, ubi hinc indè circumſpexerat quid ſibi factu facile, aut contrà eſſet, neque Durocortoro Rhemorum, aut Auguſtâ Sueſſionum potiri ſe poſſe ſentit, infirmis ad hujuſcemodi incœpta opibus ſuis, Vervinum in Tieracenſi agro, neque naturâ, neque operibus, neque præſidio ullo munitum oppidum, occupat, atque eò cohortes duas, cum unâ equitum alâ collocat: dein Rhetelium ducit infirmum item ad Axonam amnem oppidum, quod huic brevî ab *a* Rallâ Præfecto, cui ad propugnandum omnia defuêre, deditum eſt, ceterà viro forti, ac ſtrenuo: deditum eſt & Portiani-Caſtellum, perindè, aut magis infirmum: dein Meneculphi-fanum oppidum cum arce tantiſper eſt ab Santimauro Præfecto defenſum, ac poſtremò Condæo deditum: id ampliùs muniri Condæus juſſit, poſitum videlicet Moſam inter, & Matronam amnes, Virodunum, atque Cabilonum oppida valida, haud procul Claromontio, ac Satenaïo, quæ duo oppida penes ipſum ſunt, ſpem videlicet nactus ſe Meneculphi-fano, atque Rhetelio fretum, in eâ regione cum exercitu facile hybernaturum, prædas è vicinis Campaniæ locis amplas facturum, ac denique ex propinquo factionis in Urbe reliquias confirmaturum. Poſteà Barem Ducis, Lignium, ac Voidium in Barenſi agro facilè cepit, loca infirma, quorum primum ubi oppugnat, *b* Faugius qui Lotharingicas copias ductabat, cæſus eſt: dein has, & Belgicas dimiſit, ſuas autem ad Moſam in hyberna diſtribuit: quæ Gaſtonis erant copiæ, eas jam ante Baris oppugnationem dimiſerat, quæ regiis ſecundum fœdus cum eo ſancitum conjungi debebant.

a Le Ralle.

b Fauge.

Rex, atque Regina mater Mazarinum urgebant, ut ad Aulam redire vellet: ſed hic rei publicæ magis, quàm ſuis commodis ſerviens iit ad exercitum, qui in Campaniâ erat: eódem ad hujus adventus famam venêre Ellebovius cum copiis, quas in Picardiâ coëgerat, præthereà alii

1652. è Normanniâ, atque ex aliis provinciis, quidam accerſiti, alii ſponte ſuâ, ut apud hunc gratiam inirent: ita multum eſt auctus regius exercitus, cui omnia accuratiùs quàm antehàc Mazarini operâ ſubminiſtrata, quo faciliùs agitare, & quæ faciunda cenſebat, ea exequi poſſet. Hoc exercitu freti Ellebovius, atque Almontius equitum Tribunus Portiani-caſtellum oppidum recepêre, nihil prohibentibus hoſtibus, qui in arcem conceſſerant.

Sed eò propugnavêre acriter, donec ſæpiùs ubi erupêre pulſi, fuſique, foſſis, atque cuniculis ad murum ductis, ac pulvere tormentario oppletis, diutiùs propugnandi ſpem abjecêre: neque tamen deditionem facere voluêre, quin Condæus ſex dierum uti ſibi ſuppetias ferre poſſet, ſpatium haberet, ac poſtremò hoc ceſſante armatis, inſtructiſque arce diſcedendi facta copia eſt. a Santanianus eò egregiam, fortemque Regi navavit operam, hunc unum è Cubiculariorum regiorum principibus eſſe diximus, qui ſeu domi, ſeu foris bellum gereretur, cum imperio, aut ubi nihil commiſſum erat, ſine imperio perpetuò militavit: hic dum adversùm hoſtes qui arce eruperant, ſtrenuè rem gerit, quamvis glande ictus graviter fuerat, tamen adduci nequivit, uti curando vulneri prælio excederet, quod his modò ſuâ maximè virtute pulſis fecit.

a Le Comte de S. Agnan.

Caſtronovanum antehàc memoravimus ab Aulâ ſponte diſceſſiſſe, quin & Regem, & Reginam matrem ut id ſibi liceret fatigaſſe: neque tamen ullam poſtillâ ſeſe reipublicæ admiſcendi occaſionem prætermiſit. Is ubi Mazarinus iterùm abierat, tametſi id per ſimulationem factum ſcibat, tamen ut ſunt homines proni ad ea quæ magnoperè cupiunt, ſperanda, non omnem de ſuo in Aulam reditu ſpem abjecerat: cúmque id haud ex ſententiâ eveniret, ſatis liberè cum mulieribus colloquendo quid de Mazarino ſentiret, prædicavit: quod cùm ad Regem, atque Reginam matrem manaſſet, hominem ab Urbe diſcedere continuò juſſêre.

Haud minùs erat Radeſiano, quàm Caſtronovano omnis reipublicæ gerendæ ſtudium, ſicuti ſæpiùs memoravimus: neque minus ſibi perſuadebat eò ſe perventurum denique. Igitur amicos in Senatu hortabatur, ut hunc frequentem haberi poſtularent, de Collegis ab exilio revocandis: quibus uſuræ pecuniæ Regibus urbanorum Magiſtratuum fide creditæ debebantur, eos impellebat ut has ſibi ſolvi flagitarent: qui ſeditioſi, atque multitudinum duces erant in Urbe, eos prenſabat, atque liberaliter habebat, ſperabatque ſicuti Cardinalatum adeptus erat rempublicam perturbando, ita & Regem ſe coacturum, ut hanc ſibi omnem permitteret, aliter enim familiaris damna immenſo ære alieno contracta ſe ſarcire poſſe diffidebat, poſtremò id ſuadebat ambitio, quæ nullis finibus circumſcribitur.

In Regiam poſtquàm Regi, atque Reginæ ubi ad Urbem redierant, adventum erat gratulatus unà cum omni qui hunc erat comitatus Eccleſiaſticorum

cleſiaſticorum Ordine, non ierat: quo metuere videbatur, ut ne ſe Rex comprehendi juberet, nam in mediâ quò agitabat Urbe id fuiſſet difficile vulgi gratiâ fretum: diſſimulabat tamen hunc metum ſedulò, atque ſe purpurâ ſuâ planè munitum videri volebat, quo ſuis animus amplior eſſet, ad omnia quæ fieri vellet, patranda: certè Cardinalatûs dignitas effecerat, ut hunc Rex, atque Regina mater amandatum, quàm comprehenſum mallent. Anna Rohana Ludovici Rohani a Guimenæi Principis uxor ab Radeſiano inter colloquendum audiſſe ſe dixerat, hunc lubentem Romæ agitaturum: quo factum eſt, ut hâc ipsâ interprete Rex uteretur homini in hâc ſententiâ confirmando, quæ præterea verbis ſuis huic fidem daret, omnem quæ Romæ gerenda eſſet rem publicam, huic permiſſum, ac pecuniam in ſumptum qui ipſo dignus eſſet curatum iri, imminere hujus Pontificatûs finem, quo tempore Cardinales Romam ire ſoleant, uti mortuo Pontifici alterum ſubrogent, in quo hujus opera pulchrè rei publicæ procedere poſſit, atque ipſe magnam ex eo apud Regem gratiam inire. 1651.

a La Princeſſe de Guimenay, Anne de Rohan.

Sed & hæc, & alia quæ poſteà Radeſiano dicta ſunt ab b Annâ Gonzagâ Reginæ verbis fruſtrà fuêre: nam ſe pulſum ab Aulâ viſum iri aiebat, ſi tunc Romam abiret, præatereà deſeri ab ſe amicos, ac propè prodi. Ita Radeſianus tantùm ſibi eſſe fautorum, clientium, & amicorum in Aulâ, atque in Urbe aut credidit, aut ab Rege, atque Reginâ matre credi voluit, ut horum præſidio ſatis poſthàc tutus eſſe poſſet: quin & ab illis, ut hos ornatos vellent, impetrare ſe poſſe arbitratus eſt, nam alteri aliquam provinciam quam obtineret, alteri Quatuorviratum petiit. Sed cùm hæc hominis ratio non modò fiduciæ, ſed & audaciæ plena, neque diutiùs toleranda Regi, atque Reginæ videretur, de eo comprehendendo conſilium cepêre: at id exequi in mediâ Urbe importunum, ac periculoſum erat futurum: quamobrem opperiundum fuit uſquè dum rei patrandæ opportunitas daretur. Intereà omnes amici juxtà, atque inimici Radeſiani dictitare hunc in Regiam ire debere, Regem, atque Reginam matrem viſentem, ſicuti tali loco virum deceat, quod ab eo uſquè infectum diffidium, & partes, aut certè metum oſtentet, cujus rei famam effugere debeat. At is hujus rei occaſionem quærens, per feſtos Chriſti natalium dies Concionem ſacram ad populum apud Germani Autiſſiodorenſis Templum habere decrevit, eò ſe magis, ac magis ſtudia vulgi adepturum ſperans. Hoc Templum propiùs Regiam eſt, quâ vicinitate Regina permota, ac magis Radeſiano ad ſe veniundi cauſam præbere cupida, ſe huic adfuturam Concioni prædicavit, ac Templi Curioni ſignificavit: hic verò continuò eâ de re Radeſianum fecit certiorem, qui hanc nactus occaſionem ad Reginam adeundi poſtridiè iit in Regiam. Regina nondùm experrecta erat, atque adeò Radeſianus ad Regem divertit, in quem ſcalas deſcendentem, atque ad Reginam matrem venientem incidit. Rex eum perbenignè accepit, habuitque, quem Radeſianus ad matrem eun-

b La Princeſſe Palatine Anne de Gonzague.

1652. tem eſt comitatus, & cum eo hujus cubiculum eſt ingreſſus. Rex paucis allocutus matrem in lecto jacentem Radeſiano colloquendi cum eâ locum dedit, atque alias res cum his qui aderant agere ſe ſimulans ad Tellierum accedit, mandatque huic, uti ſuis verbis Villequierum Cuſtodum corporis Ducem jubeat ab matre exeuntem Radeſianum comprehendere, quod ex ſententiâ factum, atque is in Vincennarum arcem deductus eſt.

Rex ſubitò ad Valancæum ſuum apud Pontificem Legatum eâ de re ſcripſit, ut hunc edoceret quàm gravibus de cauſis ad id conſilium deſcendiſſet, planè uti res publica in tuto eſſet, neceſſarium. Quæ huic perturbandæ Radeſianus deſignaverat, ea neque Pontifex, neque quiſquam omnium ignorabat: ſed hic Regi infenſus, ac magis Mazarino eò proceſſit, uti contra prudentiorum quos in conſilium adhibuerat Cardinalium ſententiam, Marinum apud Avenionem Cavarum Vice-Legatum ad Urbem venire juberet, & de Radeſiani cauſâ cognoſcere, quod ſibi uni jus eſſe contendebat. Sed Marinus ingredi fines Regni prohibitus eſt, atque haud ſatis æquum viſum Pontificem qui ubi Mazarinus proſcriptus fuerat, planè ceſſaverat, tunc tantoperè Radeſiani cauſâ laborare: ſed Eccleſiaſticus Ordo eâ de re ad Regem adiit, ſupplicatum uti quem dederat Archiepiſcopo Pariſienſi qui horum caput eſt, adjutorem, eum cuſtodiâ emiſſum vellet, id & Archiepiſcopus ipſe Joannes Franciſcus Gondius patruus ab Rege, & Reginâ matre enixè poſtulavit, ac denique Mazarinus ad Regem ſcripſit, uti pro ſuâ in Sanctam Sedem pietate, ac Chriſtianiſſimi, atque Eccleſiæ Primogeniti titulis cujus Radeſianus Cardinalis eſſet, ſeſe in hujus negotio gerere vellet. Id per ſimulationem ab Mazarino ſcriptum cuncti exiſtimavêre, ut ne autore ſe comprehenſum Radeſianum, atque in cuſtodiam conjectum fama ferret, atque id ipſi Romæ quandóque fraudi foret: nam nemo omnium Cardinalium Italicorum eſt, qui ſe tam procul ab Pontificatu eſſe putet, ut ab eo ſe planè excluſum velit, nedùm Mazarinus, cui tantæ huic adipiſcendo opes ſunt.

Sed alia nobis cum Pontifice controverſia fuit, ex Nuntio quem ad Regem mittere conſilium fuit in Bagnii locum, qui jamdiù iſthîc agitaverat. Id ubi Pontifices antehàc ſibi faciundum eſſe decrevêre, haud occultum habuêre Regis apud ſe Legato quemnam ad hunc mittere vellent, utrùm gratus, acceptuſque foret, reſciſcendi causâ. Sed Innocentius X. eâ tempeſtate Pontifex maximus uti nobis tempus erat durum, atque difficile, illud ab majoribus fieri ſolitum ſe impunè omittere poſſe credebat. Contrà Valancæus Regis apud Pontificem Legatus omni ſtudio, atque induſtriâ nitebatur, ut hunc ad priſtinum morem adduceret, qui haud fruſtrà ab majoribus uſurpatus fuerat. Nam in Pontificis Aulâ Magiſtratuum, atque Sacerdotiorum ſpe multi verſantur, non ex Urbe, aut ex agro Romano modò, ſed & ex aliis regionibus, quæ in cæterorum Italiæ Principum, imo & in ipſius Hiſpaniæ

1652.

Regis qui tunc nobis hoſtis eſt, ditione ſint, atque adeò plurimum Regis intereſt, ut ne ad ſe ex horum numero quiſquam ab Pontifice mittatur, qui amicitiæ inter hunc, ac Regem fovendæ ſpecie, quâ de causâ fermè Legati ultrò, citróque mittuntur, Principis ſui commodis ſervire velint. Sed quo magis Valancæus Pontificem ut in eo de more cum Rege agere vellet, adducere ſtudebat, tanto magis ille ab tali conſilio abhorrebat, ac denique Corſinum (id Nuntio deſignato nomen erat) proficiſci in Galliam jubet, qui ubi eſt in Provinciam advectus, ultrà progredi prohibitus eſt.

Radeſiano in cuſtodiam conjecto, Funditorum factio planè extincta videbatur, aut certè tam debilitata, uti vix quidquam ampliùs movere poſſet: nonnulli tamen cum Condæo etiamtùm congruebant, ſi quid fortè huic proſperè eveniret, rempublicam porrò perturbaturi, donec quæ quiſque præmia ſibi propoſuerat, ea adepti forent. Sed Rex, atque Regina dabant operam ſedulò, ut hæc in integrum reſtitueretur, atque domi ſaltem quieta foret, quo foris bellum fortiùs geri, atque adeò hoſtes ad pacem adigi denique poſſent. Eo pecunia in illius ſumptus habenda erat, quâ de causâ multa Rex edixit, quibus corrogari poſſe videbatur, de quibus Edicta in Senatu promulgata, atque in hujus Acta relata ſunt, nihil reclamantibus Patribus, quandò ærarii inopia in aperto erat, atque omnem quæ ex his corraderetur pecuniam in belli ſumptus impendendam eſſe Edictis cavebatur: ita annus abiit, nam iſthuc de Edictis pridiè Calend. Jan. Anni CIↃ. ICↃ. LIII. factum eſt in Senatu, Rege coràm pro tribunali de more ſedente.

Hoc anno mortem obiêre *a* Turrius Atrebatibus Præfectus, vir fortis, ac ſtrenuus: Carolus *b* Angennas Rambolietus Marchio, ex equeſtri ſancti Spiritûs regiâ militiâ, ſeptuagenario major, qui primum regiorum Cubiculariorum penes quos veſtes regiæ ſunt, princeps fuerat, caſtrorum Præfectus, ac centum Cataphractorum equitum Dux, dein ſummo cum ſplendore, magnâque ingenii, ac ſolertiæ famâ in Hiſpaniam extra ordinem Legatus eò rem publicam præclarè geſſerat, pacemque inter Philippum Hiſpaniæ Regem, & Carolum Emanuëlem Sabaudiæ Ducem conciliaverat: Joannes Petrus *c* Camuſius antehàc Belleyenſis Epiſcopus, ſanctus vir, cui mira fuit dicendi, ſcribendique copia, quam in ſacris concionibus faciundis, libriſque propè innumeris edendis qui ad Dei immortalis cultum, pietatem, ac vitæ ſanctitatem pertinent, perpetuò exercuit: Dionyſius *d* Petavius Jeſuita vir omni litterarum genere, humanarum, divinarumque rerum ſcientiâ, atque doctrinâ eruditiſſimus, quam compluribus ſcriptis poſteritati commendavit: Nicolaus *e* Baillculius in Senatu Præſes qui libellorum Magiſter, in magno Conſilio Præſes, Urbis Prætor, Annæ Reginæ Cancellarius, ac denique Adminiſter Regni, & ſummus Quæſtor fuit, vir ſummâ humanitate, temperatiſſi-

a De la Tour.

b D'Angennes, Marquis de Ramboüillet.

c Camus Eveſque de Belley.

d Le Pere Petau.

e Le Preſident de Bailleul.

1652. mis, moderatiſſimiſque moribus cum gravitate, quæ tantum Magiſtratum deceret, conjunctis *a*: Margarita denique Chabota Princeps fœmina, dudum vidua, quæ Caroli Lotharingi Ellebovii Ducis, atque Harcurii Comitis de quibus ſæpiùs memoravimus, mater erat.

a LaDucheſſe d'Elbeuf.

FINIS.

INDEX.

A

AGLIÆUS Abbas, *l'Abbé d'Aglié*, Sabaudiæ Ducis ad Regem Legatus. pag. 770

Aietona Marchio, *le Marquis d'Aietone.* 312

Alanſona virgo, *Mademoiſelle d'Alançon*, Gaſtonis filia. 589

Albaſpinæus Verderona, *de l'Aubeſpine Marquis de Verderonne*, Gaſtonis cliens. 544

Albaterræus è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier d'Aubeterre.* 685

Robertus Albericus, *Aubry*, in rationum Curiâ Præſes lectus ab Gaſtone qui ſibi in Conſilio de re omni publicâ adeſſet ubi illi Senatus Legationem in omni regno continuaverat. 732

Albretus Ponſius Mioſſanus, *d'Albret de Pons Mioſſan.* 490

Albukercus Dux, *le Duc d'Albukerque*, 35. Hiſpanico Equitatui Præfectus. 482. 484. 646

Olympia Aldobrandina Camillo Pamphilio nubit. 271

Aletſius Comes, *le Comte d'Alets, Loüis de Valois*, qui Provinciam obtinet. 475

Aletſius Baro, *le Baron d'Alets*, equitum alæ Tribunus. 561. 765

Stephanus Aligrius, *Aligre*, Melleraio in ſummâ Quæſturâ datus adjutor. 359. 456

Almericus, *Aimery Michel Particelle*, Quatuorviratum quem Nucerius geſſerat petit 20. Contratabularius creatus 38. huic ſumma Quæſtura mandata 288. abrogata 369. 431. reddita 456. 512. mortem obit. 525

Antonius Almontius Villequierus, *Villequier d'Aumont*, 50. 99. 147. 227. 230. 374. 376. 464. 465. 470. 473. 510. Equitum Tribunus creatus 585. in Belgio cum exercitu 626. Portiani-Caſtellum cum Ellebovio recipit. 776

Almontius Villequieri frater Germeſenem in Germaniâ capit 99. cæſus. 100

Alſatia Regi per pacis Germanicæ conditiones relicta. 191

Alvimarius, *Alvimar*, caſtrorum Præfectus. 573. pugnando cæſus. 577

Ambervalius unius turmæ Dux, *Amberval*, pugnando cæſus. 543

Amniſtia ſeu Edictum de pace Regem inter, Viros Principes, & Senatum, Populumque. 753. in hac Gaſto, ac Senatus quidpiam correctum volebant. 757

Januarius Aneſes, *Gennaro Aneſe*, ab Populo Neapolitano qui ſibi præeſſet, delectus. 291. ſupplicio affectus ab Hiſpanis. 335
Anevoxius, *le Baron d'Anevoux.* 507
Angiani, *Loüis de Bourbon Duc d'Anguien*, & Mazarini, uter alterum anteiret controverſia. 7. Angiano Belgium cum exercitu decretum. 22. 33. haud procul Rupe regiâ caſtra ponit. 34. adverſum Hiſpanos pugnat, vincit. 35. 36. laus Angiani. 37. Baioarorum caſtra oppugnat. 95. ſupplicatio ob res in Germaniâ ab eo geſtas. 98. Moguntia huic dedita. 99. in Germaniam ducit, atque ad Landemburgum habet caſtra. 160. Rottemburgum capit. 162. adverſum Mercium, & Baioaros pugnat. 163. 164. 165. vincit. 166. huic Norlinga deditur. *ibid.* Furnas ad deditionem redigit. 230. dein Dunkercam. 230
Angianus Ludovici Condæi filius. 502
Thomas Aniellus, *Maſſaniel*, apud Neapolim plebem concitat. 290. moritur. *ibid.*
Anno, *Annon*, Caſtellum Hiſpanorum ab ipſiſmet deſtructum. 101
Aquabonus, *le Marquis d'Aiguebonne*, Caſalio Præfectus. 555
Aquabonus, *d'Aiguebonne*, Tribunus in prælio ad Moram amnem vulneratus, dein mortuus. 170
Aquenſis Curia uti cum Senatu conjuncta ſit ab eo poſtulat. 425
Onufrius Aquilles apud Barcinonem. 135. 141. de hoc ſupplicium ſumptum. 143
Aquilonia, *la Duchesse d'Aiguillon, Marie de Vignerot.* 496. ex diſturbato Richelii fratris filii cum Caproſâ virgine Matrimonio Condæo, ac Condææ hujus ſorori infenſa. 498
Araſſi-Petra, *Rocca d'Araſſi*, caſtellum Hiſpanorum ab ipſiſmet deſtructum. 101
Arauſius, *Henry Prince d'Aurange*, 231. Guillelmus filius. 521
Arcoſius, *le Duc d'Arcos*, apud Neapolim Prorex. 211. 290
Argenſonus, *d'Argenſon René le Voyer*, è Conſilio regio. 477. Regis ad Venetos Legatus. 660. mortem obit. *ibid.* Argenſonus filius apud Venetos Regis item Legatus. 769
Armentaria Gaſſioni, & Ramſavio dedita. 149. ab Leopoldo, & Hiſpanis oppugnatur, & his deditur. 282
Henricus Arnaldus, *l'Abbé de Saint Nicolas Henry Arnaud*, Romam miſſus de Barberinorum negotio. 198. Andegavenſis Epiſcopus. 673. Juliomago ab Chaboto Rohano prohibetur. *ibid.*
Arnaldus Corbevilla, *Arnaud de Corbeville*, 231. Agerem oppidum in Cataloniâ capit. 310. 375. noctu ad Gondium de Condæo cuſtodiâ eximendo ventitabat. 568. 601. Caſtello apud Divionem Præfectus. 612
Antonius Arnaldus, *Arnaud Docteur de Sorbonne.* 71
Aro Comes, *le Comte Loüis d'Aro*, qui gratiâ apud Philippum Hiſpaniæ Regem valet. 478

Aro Comes Caſtiliæ Conteſtabilis filius, Præfectus equitum. 644
Arona ad Verbani lacûs fauces ab Thomâ fruſtrà oppugnata. 101
Arſoinus, *Arſoin.* 226. 455
Arſonus Marchio, *le Marquis d'Arſon*, Cernii Comitis filius. 738
Aſta ab Thomâ Principe, *le Prince Thomas de Savoye*, recepta. 16
Aſtæ Arcem Hiſpani capiunt. 102
Ateſtinus Cardinalis, *le Cardinal d'Eſte*, Mutinæ Ducis frater, Galliæ negotiorum Romæ Protector ab Rege creatus. 199. 457
Anna Maria Avaucuria Herculis Rohani Mombaſoni uxor, *la Ducheſſe de Mombaſon, d'Avaugour.* 416. 570. 611
Avauxius, *le Comte d'Avaux Claude de Meſme*, de Pace Monaſterium Veſtfalorum Legatus. 18. Quatuorviratum quem Nuccrius geſſerat petit. 20. ſummus Quæſtor creatus. 38. Pacis Germanicæ velut Arbiter. 261. ab Monaſterio Veſtfalorum diſcedit. 330. cum Mazarino redit in gratiam. *ibid.* è numero Adminiſtrorum eſt. *ibid.* ſummam Quæſturam ſibi antehàc mandatam gerit, cui Almericus collega datus. 487. ſummam Quæſturam abdicat. 526. mortem obit. 581
Aubraius, *d'Aubray*, Prætor urbanus. 715
Auguſta Vindelicorum ab Gallis, & Suecis oppugnatur. 242
Aurelia virgo Anna Maria Ludovica, *Mademoiſelle*, Gaſtonis filia. 539. Mazarino infenſa. 595. Aureliam venit. 684. 716. Gaſtonem patrem edocet ſubveniundum eſſe Condæo quem regii in Suburbio B. Antonii premebant, aut hunc cum copiis recipiundum mœnibus. 722. id ipſa exequitur. 723. in regios è Baſtiliâ arce tormentis emitti pilas jubet. 723. Paleam geſtat, atque ab Mazarini inimicis geſtari jubet quo hujus amici dignoſcerentur. 724. 755
Joannes Auſtrius Hiſpanicæ claſſi apud Neapolim præeſt. 292. 298. in Siciliâ naves apparat. 553. claſſe Barcinonem verſus advehitur oppugnandæ Urbi. 624. eo advenit. 646
Auvrius Abbas, *l'Abbé Auvry.* 214

B

Nicolai BAgnii Pontificis Nuntii ad Regem, ac Reginam matrem oratio de Barberinis deſerendis: 194. 498
Thomas Bagnolſius in Ruſſinonenſi agro rebellis. 766
Baiardus Marſacus uni navi Præfectus. 57
Bailleulius Præſes, *le Preſident de Bailleul Nicolas*, ſummus Quæſtor creatus. 38. 536. 538. 669. 674. 678. 698. pulſatus ab plebe. 713. mortem obit. 779
Paulus Balbus Genuenſis. 336
Balthazar Roias Pantochas Ilerdæ Præfectus. 559
Balthazar equitum alæ Tribunus. 558
Bambergus, *Bamberg*, Philippiburgo Præfectus. 98

Barberini fratres Cardinales Franciſcus, & Antonius Sachetum Card. Pontificem creari voluêre fruſtra. 111. hos Innocentius Pont. inſectatur; Franciſcus fruſtra Philippi Hiſpaniæ Regis implorat fidem. 126. dant ſe Regi in clientelam, ac fidem. 130. Antonius Barberinus Card. factionis Gallicæ Romæ princeps. 111. huic Galliæ Protectio Romæ aufertur. *ibid.* in hunc Innocentius Pont. Jure agi jubet. 129. profugit in Ligures. *ibid.* Franciſcus Card. & Tadæus Barberini Româ fugiunt. 196. cum Innocentio redeunt in gratiam. 335. Franciſcus Romam redit. 336. Antonius in Montisferrati agro cum imperio reſtitat. *ibid.*

Bar Durlano Præfectus, *de Bar.* 668

Barcoſius, *Barcos Abbé de Saint Cyran.* 71

Baremius in Aquenſi Curiâ Conſiliarius ad Senatum miſſus. 425

Barillonus, *Jean Jacques de Barillon*, in unâ ex inquiſitionum claſſibus Præſes. 131. apud Pinarolum moritur. 177

Barillonus, *Antoine de Barillon de Morangis*, Melleraio in ſummâ Quæſturâ datus adjutor. 269. 456

Barradas è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Barradas.* 655

Petrus Baſadonna Venetorum in Hiſpaniâ Legatus. 455

Baſquius Abbas Guiſio adverſus huic apud Neapolim inſidiatur. 303

Baſſæa Gaſſioni dedita, *la Baſſée.* 285

Baſſignius Comes, *le Comte de Baſſigny*, Audomari-fano Præfectus. 740

Baſſumperæus Mediolanii Santonum Epiſcopus, *Baſſompierre Eveſque de Xainte.* 653

Baſſumperæus, *le Mareſchal de Baſſompierre*, emittitur cuſtodiâ. 11

Baſtilia Caſtellum ad Urbem ab factioſis capta. 416

Battevilla, *le Baron de Batteville*, Sequanus qui Guipiſcoam obtinet. 479. claſſem Burdigalam adducit. 652. hujus cum Marſino, & Leſnæo controverſia de Blaiâ oppugnandâ. 773

Bauſſanus, *Bauſſan.* 515

Bautruus Nogentius Comes, *Bautru Comte de Nogent*, ab Rege ad Gaſtonem miſſus. 761

Beccus qui Lucemburgenſem obtinet agrum copias ſuas conſervat. 37. vulneratus. 150. 376

Becheferus, *Becheſer*, Cognitoris regii Vicarius. 748

Becherellus, *de la Becherelle.* 507

Belfonſius, *le Marquis de Belfons*, apud Cuniacum. 655. 685. 765

Belfortius, *le Duc de Beaufort François de Vendoſme*, apud Reginam gratiâ pollere viſus. 25. Mazarino iniquus. 42. hujus necandi conſilium capit. 64. Vincennarum arce elapſus. 397. paratæ in Mazarinum necis abſolvitur Senatus decreto. 416. è factioſorum Ducibus unus eſt. *ibid.* 421. 426. Nigrolocum pugnando cædit. 427. 429. 432. 438. 439. 464. 468. 490. 492. inſidiarum Condæo paratarum ſuſpectus. 493. Senatus decreto abſolvitur. 502. cum Reginâ & Mazarino redit in gratiam. *ibid.* rei navalis Præfecturam quam

quam poſt Vindocini patris obitum gerat, petit. 523. Inter hunc, & Mercurium fratrem eâ de re lites. *ibid.* 578. 682. 689. inter Belfortium & Nemoroſium jurgium. 690. Plebem in eos qui Mazarino in Senatu, atque in Urbe amici erant, commovere ſtudet. 713. 721. Urbis Præfecti munus abdicat. 759. 761

Belfortius Baro Becci filius, *le Baron de Beaufort.* 377

Belfortius Baro Caſtello ad Moſellam Præfectus. 644

Bellieropleſſius, *Jacque de Rougé du Pleſſis-Belliere*, Armentariam defendit. 277. 375. 463. 470. 473. 474. egregiè cum hoſtibus pugnat. 475. Diepam petit. 506. 626. 660. 685. 765

Belinus Comes, *le Comte de Belin d'Averton.* 226

Beljocus, *le Marquis de Beaujeu Meſnil-Simon*, apud Ypras Propræfectus. 457. Caſtrorum Præfectus. 628

Beljocus, *de Beaujeu*, Angiani Ludovici Condæi filii vicarius in hujus equitum turmâ cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377. 508

Bellebrunus, *de Bellebrune*, in Prætorianorum Legione Centurio vulneratus in pugnâ apud Lentſium. 378

Belletia Senator Taurinenſis Monaſterium Veſtfalorum ab Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce miſſus. 182

Bellevræus, *le Preſident de Bellievre Pompone.* 447. 511. ad Fœderatos Ordines extra ordinem Legatus. 623. hujus ad Regem adverſum Mazarini reditum oratio. 670

Belleyenſis Epiſcopus, *l'Eveſque de Belley Jean Pierre Camus*, mortem obit. 779

Bellogardius, *le Duc de Bellegarde Jean de Saint Lari*, moritur. 243

Bellum adverſum Hiſpanos in Etruſci maris orâ decernitur. 206. inter Succos, & Danos. 68. adverſum Urbem ab Aulâ paratur. 388.

Bellovacenſis Epiſcopus Auguſtinus Potierus, *l'Eveſque de Beauvais Auguſtin Potier*, Adminiſtris infenſus. 24. gratiâ apud Reginam pollere viſus. 25. Rex huic Cardinalatum ab Pontifice petit. 29. Buthilleriis ſummam Quæſturam ab patre abdicandam nuntiat. 31. Aulâ pellitur. 66

Belmontius Abbas, *l'Abbé de Beaumont Hardoüin de Perefix.* 205

Belputeus, *Beaupuy.* 65. hunc Rex ſibi ab Innocentio Pontifice tradi poſtulat. 125

Belvallis, *de Beauvau*, Ponti Cæſaris Præfectus. 680

Benfelda haud procul Argentorato. 466

Benſius Tribunus Germanus, *le Colonel Bens*, pugnando cæſus. 577

Joannes Bentivolius Abbas, *l'Abbé Bentivoglio.* 208

Jozephus Berardus Crucæus, *de Berard de la Croix*, cæſus. 99

Berga Fani-Vinoci capta. 226

Beringanus, *Henry de Bringhen*, fautor Mazarino apud Reginam. 11

Bernontius Ariæ Præfectus Venantii-fanum fruſtra tentat. 373

Bertetus, *Bertet*, ad Mazarinum miſſus. 613
Berzena, *de Berzene*, Rupiſocaldi cliens in B. Antonii ſuburbio vulneratus. 722
Bertaldus Franciſcanus, *le Pere Bertaud Cordelier.* 754
Bethunius, *le Comte de Bethune*, Mazarino iniquus. 42
Henricus Bethunius, *de Bethune*, Archiepiſcopus Burdigalenſis. 538
Beuvronius, *le Marquis de Beuvron d'Harcour*, Longavillæ in Normanniâ Legatus. 424. 489
Bezanſonus Caſtrorum Præfectus. 643. ſolertiâ ſuâ Gamarram Belmontium oppidum oppugnantem abſcedere cogit. 644
Bezonſius, *de Bezon*, è Conſilio regio Quæſtor in Cataloniâ. 484
Bicchius Card. *le Cardinal Bicchi*, Galliæ fidus. 113
Hieronymi Bignoni, *Bignon Advocat General*, Actoris regii de Conſilio quod Gaſto ſibi ab Senatu inſtitui poſtulabat ubi huic Legationem in omni regno continuaverat, oratio. 731
Bironus Marchio, *le Marquis de Biron.* 538
Franciſcus Bitaltius, *Bitaut*, Senator. 356. 546. 668. 713
Blammenius Præſes in unâ ex Inquiſitionum claſſibus, *le Preſident de Blammenil René Potier.* 355. comprehenſus abductuſque. 479. 451. 589.
Blancus, *le Blanc*, in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarius. 676
De Blayâ oppugnandâ Marſinus, & Laiſnæus cum Hiſpanis agunt fruſtrà. 773
Boilevius, *Boileve*, apud Juliomagum in cuſtodiam conjectus ab Rohano Chaboto Præfecto. 673
Boilevius Epiſcopus Abrincotuorum. 673
Boiſſacus, *de Boiſſac*, Caſtrorum Præfectus. 237. 338
Boſſutus Comes, *le Comte de Boſſut*, Belga in pugnâ ad B. Antonii ſuburbium viris Principibus militans cæſus. 720
Boſquetus, *du Boſquet*, Furnis Præfectus. 373
Boulaius Marchio, *le Marquis de la Boulaie*, inter factionis principes. 419. 421. Populum ad ſeditionem impellere conatur. 484. 492. 493. 751.
Bozzoli Princeps, *le Prince de Bozzolo.* *ibid.*
Braſius Baro, *le Baron de Bras*, in Provinciâ. 476
Braſſacus Comes, *le Comte de Braſſac Jean de Galard*, mortem obit. 177
Bregius, *le Comte de Bregy Flecelles*, ab Rege ad Uladiſlaum Poloniæ Regem miſſus. 119. ad Uladiſlaum miſſus iterum cum Legati titulo. 176
Brevallius Harlayus, *le Marquis de Breval de Harlay*, Caſtrorum Præfectus. 659
Urbanus Maillæus Brezæus E. T. Armandi pater Ludovici Condæi ſocer. 509. mortem obit. 512
Armandus Brezæus, *le Duc de Brezé*, claſſem in Mari Mediterraneo inſtruit. 55. ad Cataloniæ littora ducit. 56. Tarraconem oppugnare ſe velle ſimulat. *ibid.* ſex Hiſpanicas naves capit. *ibid.* cum Claſſe

Hiſpanicâ pugnat. 57. Claſſem in Provinciæ portubus adornat. 207. cum Hiſpanicâ claſſe pugnat. 212. ictu tormenti necatur. 213.
Brezæa Clara Clementia Ludovici Condæi Angiani uxor, *la Princeſſe de Condé*, 3. in Aquitaniam properat. 524. cum Angiano filio Burdigalam venit, mœnibus recipitur. 428. 571. 616. 753
Bretignius, *de Bretigny*, Contii cliens iit ad Leopoldum, & Carolum Lotharingiæ quondam Ducem. 447
Briennæ, *Henry Auguſte de Lomenie Comte de Brienne*, Quatuorviratus ab Chavignio abdicatus mandatur. 40. 502. 594
Brigantium, *Bregens*, ad Acronium Lacum ab Vrangelio, & Suecis captum. 269
Petrus Brilliacus, *de Brilbac*, Senator de Pace cum Aulâ mentionem facit. 429
Briollus Comes, *le Comte de Briolle*, Condæi cliens. 747
Briſiacum Ferdinandus Regi in belli præmium per conditiones pacis concedit. 191
Briſſacus, *le Duc de Briſſac Loüis de Coſſé*. 412. 421. 432. 438
Jacobus Briſüela Salcedus Dertoſæ Præfectus. 346
Gregorius Brito Ilerdæ Præfectus. 238
Broaius Comes, *le Comte de Broay*, cæſus in Boiohemo. 155
Broglius, *Broglio*, caſtrorum Præfectus. 464. 470. Baſſææ Præfectus. 605. 668. 680
Bugius Marchio, *le Marquis de Bougy*, caſtrorum Præfectus. 441. 573. 628. 685.
Burgondio, *Bourguignon*, Briæ Præfectus. 429
Ludovicus Bridæus, *de Bridieu*. 74. Guiſio Præfectus. 527
Carolus Brulardus Leonus Abbas, *de Leon Brulard*, è conſilio regio mortem obit. 484
Antonius Brunus, *Brun*, Sequanus apud Monaſterium Veſtfalorum. 252. hujus ad fœderatos Ordines epiſtola. *ibid.* hujus ut ne poteſtates & imperia paterna Guillelmi Arauſiorum Principis filio poſthumo ab Sociis Civitatibus deſtinarentur ad fœderatos Ordines oratio. 623
Bruſſellus Senator, *Pierre de Brouſſel Conſeiller au Parlement*. 369. comprehenſus abductuſque. 379. Senatui autor eſt uti Regi debitam ubicumque pecuniam cogat. 418. negat pacem Ruellii factam cuiquam probari. 449. poſtremo ad pacem animum adjicit. 449. 489. 493. 604. Mazarinum abigendum eſſe porro cenſet. 711
Bucoïus, *le Comte de Bucquoy*. 376
Claudius Bullio, *Claude de Bullion*. 6
Buillonius Dux, *Frideric Maurice de la Tour Duc de Boüillon*, cum uxore Regis injuſſu Romam abiit. 115. 413. 421. 453. 461. Condæo comprehenſo abit in Lemovices. 502. 523. cum Rupifocaldo bellum parat, cum Burdigalenſibus convenit. *ibid.* 528. 611. 614. 616.

640. prædia in æſtimationem Sedani accipit, ac ſibi caveri de viri Principis dignitate poſtulat. 683. obit. 734
Burdigalenſes de Pace miſêre ad Regem. 547
Burgum ſupra Burdigalam Hiſpanis permiſſum ab Condæo. 652
Burnonvilla Marchio, *le Marquis de Bournonville*, Diepam petit. 506
Burrus Marchio, *le Marquis Burro*, qui Hiſpanis merebat. 559
Buſcodelphinus è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Bois-dauphin*, pugnando cæſus. 548
Ægidius Butaltius, *Gille Boutaut*, Atturenſium Epiſcopus. 431
Buttevilla Mommorantius, *de Bouteville Mommorancy*, adverſum Regem pugnando captus. 577. Seuræ Præfectus. 612
Buttevilla Mommorantia Elizabetha Angelica Caſtilloni Ducis antehàc uxor, *la Ducheſſe de Chaſtillon de Boutteville Mommorancy*. 522. voluntate Condæi de pace cum Mazarino agit. 705. iterum. 708. 716.
Claudius Buthillerius, *Claude Bouthillier*, ſummus Regni Quæſtor. 6. de hoc abigendo Mazarini conſilia. *ibid.* Buthillerii pater, ac filius haud ſatis ſibi cavent apud Reginam. 11
Butierus, *le Baron de Boutieres*, Sequanus. 644

C

CAbrera Hiſpanicus Romæ Legatus. 200
Cadomum ab Croiſettâ Regi deditum. 506
Cædes Caſtrenſis Epiſcopi. 481
Caluſius Marchio. 340
Cameracum. 463
Campignius, *de Champigny*, cliens Longavillæ. 440
Campivalonus Harlæus, *François de Harlay de Champvalon*, Rothomagenſis Archiepiſcopus. 681
Campobonus, *de Champbon.* 237
Joannes Camporotundus, *de Champrond*, Senator. 489
Joannes Camuſius, *le Camus*, Senator. 536
Joannes Canaïus, *Canaye*, Senator. 536
Candalius, *le Duc de Candale*, Spernonii Ducis filius. 477. 612. in Aquitaniam advenit, Condæi copias fundit longiùs inter ſe haud procul Burdigalâ diſſitas. 574
Canoffkius Friburgo Præfectus. 93
Canolus Baro, *le Baron de Canole.* 538
Andreas Cantelmus Hiſpanico exercitui in Cataloniæ finibus præeſt. 105. Balaguieram, Agerem, Agramontem capit. *ibid.* mortem obit. 141.
Capellam in Tieracenſi agro, *la Cappelle en Tierache*, Leopoldus atque Hiſpani oppugnant. 541
Caproſus Dux Claudius Lotharingius Guiſius, *de Lorraine de Guiſe*

Duc de Chevreuſe. 417. 496
Caproſa virgo, *Mademoiſelle de Chevreuſe.* 589
Caracena, *le Marquis de Caracene.* 16. 227. 231. huic decreta Mediolanum provincia. 305. 335. 336. 456. 479
Amedæus Carailus, *Caraile.* 456. 479. è Thomæ comitatu apud Orbitellum. 221
Alfonſus Cardenas Hiſpanicus apud Londinum Legatus. 621
De Cardinalibus. 41. de his ab Conſilio regio arcendis Edictum regium. 604
Carentonium, *Charenton*, ab regiis oppugnatum. 423
Carlevoſius, *de Charlevoy*, apud Briſiacum Propræfectus. 460. 514. comprehenſus, ac Philippiburgum abductus. 736
Carmaïnus Comes, *le Comte de Carmain, dit de Cramail*, emittitur cuſtodiâ 11. mortem obit. 242
Carolus quondam Lotharingiæ Dux cum Rege de pace velle ſe agere ſimulat. 63. 150. 151. 216. cum eo pacem ſe facere velle Mazarinus præ ſe fert. 223. de conditionibus pacis cum eo ſanciundæ Imperatoris, & Hiſpanorum ſententia. 263. exercitum qui viris Principibus auxilio ſit, adducit. 709. 710. iterum exercitum adducit. 750. 759
Carolus Ferdinandus Auſtrius Tirolis Princeps. 740
De Carolo Britanniæ Rege ſecuri percuſſo. 445
Carolus hujus filius in Galliam advenit. 465. apud Corbolium pacem cum viris Principibus Senatu Populoque, Regi ſuadet. 700
Carretonius, *Loüis Charreton*, in alterâ Libellorum claſſe Præſes. 422. cum Sevino Senatore de pace cum Aulâ litigat, huic adverſus. 429. 488. 489. 493.
Carronius, *Charron*, Quæſtor in Almerici locum creatus. 38
Carſius Comes, *le Comte de Carſe*, in Provinciâ Legatus. 476
Caſtelardus, *de Caſtelard*, cæſus in pugnâ circum Balaguieram. 140
Caſtellum ad Lupam, *Chaſtillon ſur Loin*, prædium Colinioruni. 692.
Caſtelnavius Malviciera, *le Marquis de Caſtelnau Mauviciere.* 231. 427. 650.
Caſtræus, *La Chaſtre Comte de Nancé*, Mazarino iniquus. 42. captus. 165.
De Caſtro Ducatu Urbanum Pontificem inter, & Odoardum Parmæ Ducem controverſia. 13
Caſtronovanus, *Charle de l'Aubeſpine Marquis de Chaſteau-neuf*, cuſtodiâ emiſſus Monterubeum ſuum altero ab Urbe lapide venit; de hoc ad Aulam reducendo Rohana Mombaſona cum Mazarino agens oſtendit. 44. hunc per Montacutum Regina longius abire jubet. 46. Urbe faceſſere juſſus. 384. Procancellarius factus. 512. 591. Regina huic minus æqua. 608. ab eo Signum regium repetitum. *ibid.* delectus qui conſilio regio per Mazarini abſentiam præeſſet. 632.

hunc pelli Condæus poſtulat. 633. primum in Conſilio regio locum habet. 636. 667. hujus ab Aulâ diſceſſus. 676. Gaſtonem ſeorſim ab Condæo pacem facere cum Rege vult. 750. 752. 757. Urbe faceſſere juſſus. 776
Catalonia in Philippi Hiſpaniæ Regis ditionem redit. 766
Nicolaus Cauſſinus, *le Pere Cauſſin*, Jeſuita mortem obit. 661
Jacobus Cavalierus Rhodæ Præfectus. 136
Nicolaus Cavalierus, *Chevalier*, Senator. 449. 726
Cavoyſius, *de Cavoys*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Cernius Comes, *le Comte de Cerny*, Philippi-Burgo Propræfectus. 738.
Certamen Belfortium inter, & Nemoroſium quo hic ab altero victus, ac cæſus eſt. 732
Chabotus, *le Comte de Chabot*, ab Hippolitâ Arragonâ ad amorem pellectus. 136. Agramontem cis Sicorim capit. 138. hoſtes arcem apud Flixium oppugnantes omnes capit. 141. circum Ilerdam cæſus. 236
Henricus Chabotus Rohanus, *Chabot Duc de Rohan*, Andes provinciam obtinet. 673. Juliomago Præfectus. *ibid.* ab Gaſtone, & Condæo ad Regem de pace miſſus. 700
Chabotus, *le Chevalier de Chabot*, è Melitenſi militiâ caſtrorum Præfectus vulneratus ab vulnere interiit. 231
Chalnius Dux, *le Duc de Chaulne Honoré d'Albert*, mortem obit. 486.
Chalnius Dux filius feroci ingenio adoleſcens. *ibid.* 626
Chalnius è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Chaulne.* 627
Chambaretus, *de Chambaret*, è vicinâ Nobilitate Burdigalenſibus Dux cæſus. 477
Chamboïus apud Pontem-arcuum, *Chamboy.* 585
Caſtellum Harcurio dedit. *ibid.*
Chanutus Galliæ negotiorum apud Stocolmam Curator, *Chanut.* 261
Hercules Charnacæus, *le Baron de Charnacé.* 246
Charnius Comes, *le Comte de Charny*, cæſus in pugnâ circum Balaguieram. 140
Charoſtus Comes, *le Comte de Charoſt Loüis de Bethune*, Icio-Portûi Præfectus. 740
Chavagnacus, *de Chavagnac.* 237
Chavagnacus Baro, *le Baron de Chavagnac.* 692
De Chavignio Quatuorviro, *Leon Bouthillier Comte de Chavigny.* 5. de eo procul habendo Mazarini conſilium. *ibid.* uti Monaſterium Veſtfalorum legari de pace vellet ab Ludovico XIII. prenſatus. 18. de abdicando Quatuorviratu ultro Mazarino mentionem facit quod huic gratiſſimum fuit. 31. Quatuorviratum abdicat. 40. Procancellariatum apud Gaſtonem abdicat. 67. Legationem de pace abnuit. *ibid.* hujus apud Reginam fides per Mazarini morbum. 110. hujus in Provinciam profectio 207. in interiorem Vincennarum arcem conjectus. 384. 409. Condæi operâ redit in Aulam. 486.

de Mazarini reditu ſecus ſentit. 608. 609. 614. 633. ab Gaſtone, & Condæo ad Regem de pace miſſus. 700. Conſilium Condæi de ſe Hiſpanis conjungendo huic non probatur, clam cum Fouqueto Abbate de gratiâ inter Condæum, & Mazarinum reconciliandâ agit. 757. Fouqueti litteræ interceptæ allatæ ad Condæum, in his perſcriptum Chavignium daturum operam ſi Condæus pacem abnueret, ut hanc Gaſto faceret. 758. eâ de re Condæus Chavignio ſuccenſet, ac in os malè dicit, hic objurgationis impatiens in morbum incidit, ac moritur. 758

Chauſſius, *de Chauſſy*, in una equitum turmâ Ducis Vicarius cæſus. 484

Chemeraldus, *de Chemeraud*, Tribunus. 338

Fabius Chigius, *Fabio Chigi*, Pontificis Nuntius apud Monaſterium Veſtfalorum. 182. 247

Choiſeulius Comes, *le Comte de Choiſeüil*, Pralinopleſſii E. T. frater ad Jacobi-fanum cæſus. 102

De Chriſtiano Daniæ Rege. 117. graviter eſt vulneratus in navi. *ibid.* ad Ferdinandum Imp. de auxiliis adverſum Suecos mittit. *ibid.* 118

Chriſtina Sueciæ Regina ad Regem, ad Viros Principes, ad Senatum de pace dat litteras. 711

Cinarga Tribunus Neapolitanus. 338

Clara Comes, *le Comte de Claire Charle de Martel*, caſtrorum Præfectus. 440

Clanlevius, *le Marquis de Clanleu.* 227. 231. ad Carentonium cæſus 423.

Claromontius Comes, *le Comte de Clermont*, apud Guiſium. 527

Claſſis Hiſpanica apud Neapolim. 292

Claſſis Gallica in conſpectum Neapolis venit nihil auxilii aut pecuniæ Guiſio adferens. 303. adverſum Hiſpanicam pugnat tormentis eminus. 304

Clicotus, *Clicot*, Mottæ Præfectus hanc dedit. 145

Clinchanus, *François de Mailly de Clinchan*, Nemoroſio Legatus in exercitu virorum Principum. 720. 751

Codraïus, *le Coudray Mompenſier*, Gaſtonis cliens. 540. 545. 687

Codraïus Genierus, *le Coudray de Geniers*, Senator. 668

Cogneus Marchio, *le Marquis de Cognée*, in pugnâ ad B. Antonii ſuburbium viris Principibus militans vulneratus. 720

Cogneuxius, *Jacque le Cogneux Preſident au Parlement, & cy-devant Chancelier du Duc d'Orleans*, ad Urbem redit: capitis ab Divionenſi Curiâ antehàc abſens damnatus Senatus Decreto præſens abſolvitur: huic Magiſtratus redditur. 46. 411. 447. mortem obit. 660

Antimus Dionyſius Cohon Diavritarum in Britanniâ noſtrâ Epiſcopus, *Eveſque de Dol.* 431

Colinius Salinius, *Coligny de Saligny*, ad Carentonium cæſus. 423

Colinus Comes, *le Comte de Coligny*, Condæi cliens. 747

Colinius Andelotus Caſtillonus, *Louïs Gaſpar de Coligny Dandelot de Chaſtillon*, apud Theodonis villam vulneratus. 50. 231. 373. 375. apud Carentonium cæſus. 423. 424.
Joannes Colon, *Coulon*, Senator. 493
De Comitiis Regni habendis ſimulatum uti nobilium ad Urbem conventicula deſinerent. 421
Joannes Baptiſta Comingius, *de Cominge*, unà cum Guitaldo fratre cuſtodum Reginæ corporis Dux. 477. Contium comprehendit. 501. 520. 614
Condæa Longavillæ uxor, *la Ducheſſe de Longueville*, Condæi, & Contii Soror factioni ſtudet. 387. 407. in Normanniam abit. 502. Diepam petit. 504. inde aufugit. 506. Roterodamum navi devehitur. 521. fœdus inter Philippum, & Condæum ſancit *ibid.* in Aulam redit. 606. 616. 716. 753
Condæum oppugnatur ab Harcurio. 472
Henrici Condæi, *Henry de Bourbon, Prince de Condé, dit Monſieur le Prince*, cum Belfortio controverſia 26. In Etruſci maris orâ bellum diſſuadet. 206. ab Aulâ ſecedit. 222. ad Aulam redit. 224. moritur. 243
Ludouicus Condæus antehàc Angianus appellatus Præfectus Palatio in patris demortui locum creatus. 265. provinciæ paternæ huic datæ *ibid.* huic decreta Catalonia provincia quam Prorex obtineret. 272. Ilerdam oppugnat. 280. inceptum omittit. 281. Huic Belgium data provincia cum exercitu 370. huic Ypræ vrbs dedita 371. 376. pugnat, ac vincit haud procul Lentſio 377. glande femur ictus ad Furnas 378. huic Furnæ deditæ *ibid.* rogatus ab Senatu ut in Curiam veniret de republicâ conſultatum abnuit, 386. Regina, & Mazarinus Condæum prenſant & ambiunt utne ad factionem animum adjiciat *ibid.* de hac re Gramontij E. T. & Tellieri Quatuorviri ad Condæum oratio 387. Violam in Senatu de republicâ dicentem obturbat quod Patres tulere graviter 394. 405. huic Jamaſium & Claromontium dono data ab Rege *ibid.* 442. 463. 472. hunc adverſum Mazarinum multi impellunt 485. Mazarino planè adverſus 490. redeunt in gratiam 492. huic inſtructæ inſidiæ *ibid.* 498. in carcerem conjicitur 501. De Condæo cuſtodiâ emittendo Buillonius, & Rupifocaldus cum Mazarino agunt apud Burgum 548. de hoc, atque Contio, & Longavillâ cuſtodiâ eximendis poſtremò cum Gondio & Belfortio agitur ab amicis 553. Condæum Regina ſibi adjungere vult. 606. 609. huic Aquitania data provincia. 612. 616. de eo ſcriptum regium in Senatu recitatum. 630. huic ſcripto reſpondit. *ibid.* ſcripti regii Gondium, & Montheſaurium autores eſſe ait. 631. ſecum in Curiam amicos & clientes aliquanto numero adducit. *ibid.* Rex edicit Condæum extra noxam eſſe. 634. cum eo per Gaſtonem de pace actum fruſtrà. 638. Burdigalam petit 639. cum Philippo Hiſpaniæ Rege fœdus facit *ibid.* Condæi epiſtola ad Senatum

tum

tum adverſum Mazarinum, Molæum, Vetuſvillam & Gondium. 656. 657. altera de Mazarini reditu ad Senatum epiſtola. 669. 687. 688. ab Aquitaniâ ad Urbem clàm proficiſcitur. 689. Hocquincurium E. T. apud Blenellum fundit, ac regias queis præerat copias profligat. 694. hujus copiæ ab Turenâ viciſſim tormentis infeſtatæ ac malè habitæ. 696. ad Urbem venit, profitetur in Senatu ſe ubi Mazarinus deceſſiſſet finibus ab armis diſceſſurum. 697. Dionyſii-fanum oppugnat, & capit. 704. 716. in B. Antonii Suburbio caſtra ponit. 719. De comprehendendo Mazarino qui Gallia abſcedebat, mittit ad Carolum Lotharingiæ quondam Ducem, & ad Vitembergum. 746. ſibi oblatas ab Mazarino conditiones de pace reſpuit. 774. loca infirma in Campaniæ finibus capit. 775

Coniſmarcus inter Suecos Duces. 242. Pragam parvam cis Meldam capit. 351

Conjunctio inter, Rationum, & Vectigalium Curias, ac Magnum Conſilium, ac Senatum denique. 354

Conſilium regium anni 1643. initio quibus conſtaret. 6. Conſilium ab Ludovico XIII. Annæ Reginæ uxori inſtitutum, ubi in Procuratione Regni eſſet. 23. in Comitiis futuris Regni inſtituendum. 633

Ludovicus Contarinus Venetorum Legatus apud Monaſterium Veſtfalorum. 182. 247. 261

Contius, *le Prince de Conty*, Condæi frater rogatus ab Senatu ut in Curiam veniret de republicâ conſultatum, abnuit. 386. factioni ſtudet. 387. 407. 412. factioſorum ad Urbem Imperator. 413. 421. 432. 438. hujus de abigendo Mazarino, atque hac unâ pacis conditione accipiundâ oratio in Senatu. 451. 452. huic data Campania provincia quam obtineret. 454. Leodienſis Epiſcopatus huic ab Canonicis deſtinatus fruſtrà. 462. in carcerem conjicitur. 501. 614. 688. 716. 753.

Conventus in Urbis Ædibus habitus, cui perterrefaciundo ut Urbs cum Gaſtone, & Condæo, ac Senatus ipſe fœdus faceret, tumultuatum in proximâ plateâ, Ædium foribus admotus ignis, quidam his egreſſi ab multitudine cæſi, 725. 726

Corſinus ab Pontifice miſſus in Galliam qui apud Regem Nuntius eſſet, Regni fines ingredi prohibitus. 779

Corſus, *Corſo*, apud Avenionem Cavarum Vicelegatus, 647

Corvallius Vicecomes, *le Vicomte de Courval*, Uberlingæ Præfectus eò ſtrenuè propugnat. 91. pugnando cæſus. 577

Coſſæus Briſſacus, *Timoleon de Coſſe Briſſac*, 50. 575. caſtrorum Præfectus. 575. 668

Coſtura, *des Couſtures*, Syndicus creditorum Urbis creatus, 488. 501

Covongius, *de Couvonge*, Harcurio circum Ilerdam Legatus. 237

Covongius, *de Couvonge*, Lotharingicæ Legionis Tribunus.

Cremonam Franciſcus Ateſtinus Mutinæ Dux, & Pralino-pleſſius E. T. oppugnant. 339

Crepacorius Baro, *le Baron de Crevecœur.* 377

Crequius è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Crequi.* 628. 687. 765

Crequius Marchio, *le Marquis de Crequi*, Dux & Par Franciæ mox creatus. 746

Criſpinus, *Hieroſme Creſpin*, Senator de pace cum Aulâ faciundâ præclarè ſententiam dixit. 426

Croiſetta, *la Croiſette*, Longavillæ cliens Cadomum Regi dedit. 306

Croiſius, *de Croiſy*, Reginæ cuſtodum corporis vexillarius Longavillam comprehendit, 501

Cromvellus Blaco Britannicæ Claſſis Prætori præcipit, uti naves Gallicas, & quæ his vehebantur, deprehenderet, ac caperet; homines verò dimitteret, quod eſt ab eo factum. 744

Crucæus Baro, *le Baron de la Croix François de Berar*, in Normannica Legione Vicetribunus. 220

Gaſpar Cueva Hiſpanus vulneratus. 484

Curſellus, *le Marquis de Courſelle*, caſtrorum Præfectus. 233

Curtracum, *Courtray*, ab Leopoldo, & Hiſpanis receptum. 371

D.

Danvilla Vantadurius, *le Duc d'Anville de Vantadour.* 548. miſſus ab Rege ad Gaſtonem. 762

Danvillarium, *Danvilliers*, in Lucemburgenſi agro haud procul Campaniæ finibus Contio permiſſum cui Præfectus eſſet. 454. id Præſidiarii Regi conſervant. 507. 750

Daugnionus Comes, *le Comte du Daugnion Louïs Foucault*, 210. 211. 213. 214. 478. 537. 649. claſſem apparat quam Hiſpanicæ conjungat. 742

Joſephus Dardenna Illæ Comes Catalanus. 135. 484

Delphino prænomen datur. 24

Denmarius, *de Denmarie*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377

Dertona, *Tortone*, ab Hiſpanis oppugnatur in Italiâ. 15. his deditur ab noſtris. 16

Dertoſa ad Iberum, *Tortoſe*, ab Schombergio & Gallis pugnando capta. Arx his dedita. 346

Dixmuda Ramſavio dedita. 284. ab Hiſpanis recepta. 288

Dorieuxius, *Dorieux*, in Vectigalium Curiâ Præſes lectus ab Gaſtone qui huic in Conſilio de omni republica adeſſet ubi Senatus huic legationem in omni regno continuaverat. 732

Joannes Doujatus, *Doujat*, Senator. 489. 573

Renata Dubecca J. Budæ Guebriani quondam uxor, *la Mareſchale de Guebrian Renée du Bec.* 176. Briſiacum venit ſemel, atque iterùm. 515. hujus de abigendo ab Briſiaco Carlevoſio fabrica. 620. cum Carlevoſio porrò de Briſiaco ſibi tradendo agit. 735. dolum abhibet, Carlevoſium comprehendi, ac Philippiburgum abduci jubet.

736. Briſiaco pellitur. 737. Baſilæam petit. ibid.
Dubecus Marchio, *le Marquis du Bec*, capitis antehàc abſens damnatus Senatus decreto præſens abſolvitur. 54
Dunkerca ab Leopoldo oppugnatur, 742. huic deditur. 744
Ducus, *du Duc*, in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarius. 676
Duglaſius cæſus ab Auſtriacis in Boiohemo. 155
Dumontius, *du Mont*, apud Salmuriam dedere arcem Regi non vult. 520
Dunkerca. 228. Angiano dedita. 230
Dunkeſpiel oppidum in Germania Angiano deditum. 166
Dyrrachius Comes, *le Comte de Duras*. 492
Dyrrachius Marchio, *le Marquis de Duras*, Comitis filius pugnando vulneratus. 429. 685

E.

EDictum de Regni Procuratione Rege, & Aulâ coram recitatur, deinde in Acta Senatus refertur. 24. Edictorum omnium Promulgationem Senatus ad ſe unum pertinere contendit : ſuper eâ re Seguieri, & Molæi orationes. 314. 363. Edictum de omnibus in Conclavi B. Ludovici conſultis, atque aliis de republicâ. 399. 391. Edictum id Adminiſtri abrogatum volunt. 404. Quæ continebantur in Regis Edicto quo Patres Montargirium abire jubebantur. 410. Edicto ſingulis Patribus Magiſtratus abrogati quoniam priori Edicto quo abire Montargirium jubebantur non paruiſſent, niſi ſiqui Germani-fanum ad Regem venirent. 420. Edictum ad Senatum miſſum quo jubebatur ad Eſiæ-Pontem venire, atque eò haberi. 745. Edictum quo Rex omnium quæ per bellum civile facta fuerant, gratiam faciebat. 749
Egtotus Marchio, *le Marquis d'Egtot*, Beuvronii Marchionis filius. 424.
Elizabethæ Hiſpaniæ Reginæ obitus. 107
Ellebovius Dux, *le Duc d'Elbeuf Charles de Lorraine*, capitis ab Divionenſi Curiâ antehàc abſens damnatus Senatus Decreto præſens abſolvitur. 53. uti cum Gaſſione exercitui in Belgio præeſſet poſtulat. 115. huic cum Gaſſione lites, ac propè certamen. 116. factioni in Urbe operam ſuam pollicetur. 412. 421. 438. 657. Portiani-Caſtellum cum Almontio E. T. recipit. 776
Entraguæus, *d'Entragues*, captus ab Hiſpanis. 471
Epiſcopatus complures in Germaniâ in belli ab ſe pro libertate Germanicâ geſti pretium Suecì petunt. 188
Erenbreſteini-Petra ad Rhenum. 466
Erlacus, *le General Erlac du Canton de Berne*, Briſiaco Præfectus. 94. in Belgium cum copiis venit. 373. 375. 458. moritur. 514
Eſpenanus, *Eſpenan*. 33. apud Theodonis villam. 52. 96

Eſpagnius, *d'Eſpagny*, Cohortis unius Tribunus. 627
Eſpenſæus, *d'Eſpenſe*, deficit ab Rege cum Marſino. 645
Eſtrada, *le Comte d'Eſtrade*, Hagam Comitis ab Rege miſſus iterum. 185. de oppugnandis Antuerpis ad Arauſium miſſus. 218. 305. Dunkercam petit. 441. cujus Præfectus fuit. *ibid.* trecentos milites inter hoſtium præſidia Gravelingam duci, atque introduci curat. 741
Eſtræus E. T. *le Mareſchal d'Eſtrée François Hannibal.* 391. exercitui regio in Bituriges eunti Imperator. 642
Eſtræus Coveræus, *d'Eſtrée Marquis de Cœuvre*, caſtrorum Præfectus. 345
Eſtreinus Baro, *le Baron d'Eſtrein*, qui Hiſpanis merebat. 564
Eyterram, *Eyterre*, ad Legiam amnem Leopoldus capit. 373

F

FAber Commartinus, *le Fevre de Commartin Loüis François*, Senator. 588
Antonius Faber, *le Févre*, Senator. 533. Mercatorum Præfectus creatus. 534
Faber caſtrorum Præfectus. 233. Idem Sedano Præfectus. 605
Fabula inſignis ſaltata in Aulâ. 266
Claudius Falco Riſius, *Claude de Faucon de Ris*, primarius apud Rotomagum Præſes mortem obit. 289. Falco Riſius filius & ipſe primarius Præſes ab Rotomago propter factionem diſcedit, atque ad Regem apud Germani-fanum vadit. 425
Potus Fargius, *Pot du Fargis*, caſtrorum Præfectus ad Gravelingam. 85
Faurus Franciſcanus, *le Pere Faure Cordelier.* 754
Fecialis ab Rege miſſus ad Urbem cui non eſt introeundi facta copia. 429
Ferdinandus Etruriæ Dux. 110. 111. 482
Ferdinandus Imperator Eleonoram Mantuæ Ducis ſororem uxorem duxit. 480
Feronius in unâ ex Inquiſitionum claſſibus Præſes, & Mercatorum Præfectus, *le Preſident le Feron.* 472
Ferraciera, *de Ferraciere*, Caſtrorum Præfectus in Cataloniâ. 163
Ferrandinæ Dux, *le Duc de Ferrandine.* 58
Ferrandus Janvrius, *Ferrand de Janvry*, Senator cæſus ab plebe tumultuante in plateâ Ædibus Urbis vicinâ. 726
Ferrierâ è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de la Ferriere*, cum navibus in mari Balearico. 764
Henricus Fertæus Sannectarius, *le Marquis de la Ferté Senneterre*, Claromontium recipit. 507. In Campaniam vadit cum exercitu. 542. Varennam Turenæ clientem Villâ-Francâ pellit. *ibid.* apud Lignium vulneratus. 568. Equitum Tribunus creatus. 585. Caſtel-

lum ad Moſellam capit. 644. 648. ab Rege, ſeu Mazarino accerſitus cum exercitu ad Urbem verſus. 716. 718
Fertimbaltius, *Jacque d'Eſtampe de la Ferté Imbault*. 85. 230. 464. Equitum Tribunus creatus. 585. 609. hujus de fœdere Gaſtonem inter & Senatum ſanciundo ſententia in Senatu. 672. 748. 755
Faugius, *Fauge*, qui Caroli Lotharingiæ quondam Ducis copias quaſdam ductabat, & Hiſpanis Caroli juſſu militabat. 567. 577
Figeanus, *de Figean*, Condæi cliens Burdigalâ miſſus ab Brezæâ uxore qui conficiundæ paci apud Burgum adeſſet. 548
Fieſcus aut Fliſcus Comes, *le Comte de Fieſque*, Mazarino iniquus. 42. 682. 719. 749.
Filomarinus Cardinalis Neapolitanus Archiepiſcopus. 290
Fimarco Marchio, *le Marquis de Fiemarcon*, caſtrorum Præfectus. 530
Flekenſteinus, *Flekenſtein*, Germanus caſtrorum Præfectus. 575
Flexius Comes, *le Comte de Flex de Baufremont de Senecey*. 227
Flixio in Cataloniâ Hiſpani pulſi. 60
Fœdus ictum ab Condæâ Longavillæ uxore inter Philippum Hiſpaniæ Regem, & Condæum, Contium, & Longavillam. 521. Fœderis Tabulæ inter Condæum & Mazarinum. 569. fœdus inter Gaſtonem, & Condæum. 588. fœdus inter Gaſtonem, & Senatum Fertimbaltius E. T. Gaſtonis cliens proponit in Senatu. 672
Foliadæi Eberodunenſis Epiſcopi Georgii Aubuſſoni, *d'Aubuſſon de la Feuillade Archeveſque d'Ambrun*, ut ne Cardinales Conſilio regio arcerentur, oratio ad Regem. 604
Foliadæus, *le Comte de la Feuillade*. 85
Follevilla caſtrorum Præfectus, *de Folleville*. 655. 659
Fontanus Comes, *le Comte de Fontaine*. 35. cæditur. 37
Fontenaïus Marchio, *le Marquis de Fontenay François du Val*, Romæ Legatus abſceſſerat Urbe. 12. iterùm Romam extra ordinem legatus. 271
Aula apud Fontembellaqueum, *Fontainebleau*. 108
Forcæus Dux, *le Duc de la Force Armand Nompar de Caumont*. 524
Forillius è Melitenſi Militiâ, *le Chevallier de Fourille*. 685
Fortzius è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Fortz*, in pugna apud B. Antonii Suburbium viris Principibus militans vulneratus. 720
Foſſa ab Briaræo ad Montargirium navium patiens. 643
Fouquetus Abbas, *l'Abbé Fouquet*. 507
Nicolaus Fouquetus Cognitor regius. 677. autor Mazarino uti Senatum Rex apud Eſiæ-Pontem haberi jubeat. 745
Antonius Fouquetus Croiſſius, *Croiſſy Fouquet*, Senator ad Racocium Tranſylvaniæ Regulum miſſus. 116. 588. de pacis negotio Satenaïum miſſus. 606
Fraiſelierus, *de Fraiſeliere*, è Chappæi alâ cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378
Frankendalium in Palatinatu inferiori. 466
Fremontius, *Fremont*, Gaſtonis ſcriba. 667

Fretæus Gruellus, *le Marquis de la Frette Gruel*, Autrico Carnutum Præfectus. 684

Friburgum in Briſgaviâ ab Baioaris oppugnatur, atque his deditur. 93

Frontenacus, *de Frontenac de Buade*, Normannicæ Legionis Tribunus. 220. 221

Fuenſaldanius, *le Comte de Fuenſaldagne*, in Belgio. 376. Venantii-fanum recipit. 457. 465. 510. Sylvamotæum Caſtellum capit. 526. 628. ab Belgio Chalnim venit vix bidui itinere ab Urbe, atque eò habuit caſtra. 727. 740

Fuentanus Comes, *le Comte de la Fuente*, Hiſpanicus apud Venetos Legatus. 771.

Fuillouxius, *le Fouilloux*, in pugna ad B. Antonii Suburbium cæſus. 720

Fulſæus, *Foullé*, Magiſter Libellorum. 536

Funditores, *les Frondeurs*, id factioſis nomen inditum. 603. 613

Furnæ Angiano deditæ. 230. has Sfondratus recipit. 373

G.

Galaſſum Ferdinandus Imp. in Daniam adversùm Tortenſonum, & Suecos mittit cum exercitu. 117. hic Tortenſonum circumcludit. 118. ſub Magdeburgi mœnibus habet caſtra. 154. inde clàm dimittit exercitum. *ibid.* Baioaris ſubſidio venit adversùm Gallos victores. 167

Gallicanſius Abbas Catalanus. 135. 141

Stephanus Gamarra, *de Gamarre*, Hiſpanus Turenæ ſicuti collega in hoſtium exercitu. 577. 629

Gandavus Vicecomes, *le Vicomte de Gand*, Diepam petit. 506

Joannes Garaius, *Jean de Garai.* 60. Hiſpanicis circum Ilerdam copiis Imperator. 482. 484

Garanciera, *de Garanciere*, cæſus in Catalonia. 484

Garſia Comes, *le Comte Garſia*, Cameraco Præfectus. 465

Joannes Gaſſio, *Gaſſion.* 36. Equitum Tribunus creatus. 64. de Nucerio ad Aulam revocando cum Gaſtone loquitur. 89. Gaſtonis ab Belgio diſceſſu ad hunc imperium redit. 115. 150. Lamboii copias apud Alveringam fundit. 152. 227. 230. 232. Baſſæam capit. 283. Lenſium oppugnat, vulneratur, interit. 287

De Gaſtonis, *Gaston Duc d'Orleans*, in Aulam reditu conſilium. 8. cum Ludovico XIII. fratre redit in gratiam. *ibid.* Mardicum in Belgio oppugnat. 147. capit. 148. Lincum Gaſtoni deditum. 149. Bethunia dedita. *ibid.* Ilerſium. *ibid.* huic decretum Belgium provincia cum exercitu. 207. Curtracum oppugnat. 215. quod huic deditur. 217. Mardicum oppugnat. 227. in Senatum venit uti Senatus frequens eſſe deſineret, & ne Curiæ in Conclave B. Ludovici convenirent. 367. rogatus ab Senatu ut in Curiam veniret, id abnuit.

386. 442. 461. uti Condæus in carcerem conjiceretur conſentit. 500. in Gondii poteſtate. 503. 532. 536. Condæum, Contium & Longavillam ab Vincennis Marcuſſium deduci jubet. 544. hujus in Senatu de Burdigalenſibus oratio. 546. Limurſium ſuum ab Rege abire juſſus. 761
Carolus Gatta, Orbitello Præfectus. 211
Gaufridus, *Gaufridi*, Odoardi Parmæ Ducis, dein Ranucii filii Scriba. 481
Gebelius Solodorenſis Centurio, *le Capitaine Gebels Suiſſe de Solleure*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
B. Genovefæ Virginis reliquiæ magnâ, ac piâ pompâ per Urbem geſtatæ. 712
Geraldinus, *Geraldin* qui Hiſpanis militabat cæſus ad Capellam. 542
Geſvræus, *le Marquis de Geſvre François Potier*. 35. 49. 53. frater ejus nominis ejuſdem apud Gravelingam vulneratus. 87. circum Ilerdam cæſus. 236
Gilbertus, *Pierre Gilbert*, Senator. 726
Girollus, *de Girolles*, antehàc Quæſtor in Alſatiâ tunc Condæi cliens. 739
Gobellinus Brevilierus, *Gobelin de Brevilliers*, Tribunus in prælio ad Moram amnem cæſus. 270
Godardus, *Iacque Godard de petit Mareſt*, Senator. 422
Gœutſius ab Pannoniâ in Boiohemum ab Ferdinando Imp. ire juſſus cum copiis. 154. cæſus in Boiohemo. 155
Golſteinus cæſus ab Auſtriacis in Boiohemo. 155
Gondius, *Jean Paul François de Gondi, dit le Coadjuteur*, Archiepiſcopo Pariſienſi datus Adjutor. 379. hujus de Cardinalatu conſilia. 380. Condæum ambit, ut ad factionem pertrahat. 386. 393. 407. 364. apud Noiſium cum Longavillâ, & cum Condæâ hujus uxore de factione cui Contius adjungeretur convenerat. 411. admitti in Senatum cupit. 414. in Senatum admiſſus. 418. 432. 438. 439. 445. 448. Leopoldum Regni fines ingreſſum Contii verbis Senatui nuntiat. 451. 468. 490. Inſidiarum Condæo paratarum ſuſpectus. 493. cum Rohanâ Mombaſonâ de conjiciundo in carcerem Condæo congruit, atque id Mazarino ſuadet. 499. cum Reginâ, & Mazarino redit in gratiam. 502. 504. 510. 539. Condæum, Contium, & Longavillam in Baſtiliam ab Vincennis abduci ſtudebat. 543. 549. 553. De Cardinalatu Gondii ut hunc ei datum velit adduci ſe poſſe Mazarinus Rohanæ Mombaſonæ planè negat. 568. quæ ab eo poſt victoriam ad Rhetelium de Mazarino dicta. 578. de Principibus viris qui in cuſtodiâ erant oratio. 579. ad Gaſtonem. 587. 590. 592. ad Senatum de eo quod Mazarinus de Patribus dixerat in Conſilio regio oratio. 593. Gondio conſilium fuit, uti Gaſto Regem haberet in poteſtate. 602. 609. 613. amicos, & clientes aliquanto numero in Curiam adducit. 631. 634. de hujus Cardina-

latu litteræ Romam mittuntur. 636. 651. Romæ Cardinalis creatus. 678. in cuſtodiam conjicitur. 778
Margarita Gondia Megnelaii Marchionis quondam uxor, *de Gondi Marquiſe de Megnelay*, mortem obit. 583
Gonnorius Guffierus, *Gouffier Comte de Gonnor*. 521
Arias Gonſales Hiſpanus pugnando vulneratus & ab vulneribus interiit. 564
Anna Gonzaga Palatini Principis uxor, *de Gonzague Mantoüe la Princeſſe Palatine*. 502. 522. 570. cum Condæo agit ut hunc Reginæ adjungat. 606. 607. ab Condæo diffidet, quod nondum Vetuſvilla ſummus Quæſtor crearetur. 611. 777
Vincentius Gonzaga. 340
Camillus Gonzaga. 306. milites Caſalium ducit. 772
Gourguius, *de Gourgues*, in Curiâ Burdigalenſi Præſes. 539. 676
Goulaſius, *Goulas*, Gaſtonis ſcriba. 667. ab Gaſtone ad Regem de pace miſſus. 700. 748. 750
Govilla, *de Gouville*. 508
Gourvilla, *Gourville*, Marſillaci cliens. 404. ad Regem ab Brezæâ Buillonio, & Rupiſocaldo de pace Burdigalâ miſſus. 547. 612. de pace miſſus ad Condæum ab Buillonio Mazarini voluntate. 650. 692. ab Condæo conditiones pacis fert Mazarino. 706
Antonius Gramontius, *le Mareſchal de Grammont*, E. T. 94. 96. captus. 165. 232. 311. 376. 426. 592.
Grancæus Comes, *Jacque Rouxel Comte de Grancé*. 50. circum Gravelingam. 85. Equitum Tribunus creatus. 585. hujus cum factioſis pugna haud procul Briâ. 428. 464. 673. 474. hujus filius in Juliomagi oppugnatione. 679. pater Gravelingæ Præfectus. 740
Graſſetus, *Graſſet*, Turrim apud Avaricum Biturigum Regi dedit. 509.
Graſſus Luardus, *le Gras du Luard*, Magiſter Libellorum. 682. cæſus ab plebè tumultuante in plateâ Urbis Ædibus vicinâ. 726
Gratiæ-Portum Richelius Dux Regi dedit. 507. eò Condæus, Contius, & Longavilla deducuntur. 552
Gravelinga in Belgio oppugnatur ab Gaſtone. 84. huic deditur. 88. hanc Leopoldus oppugnat. 740. 741. huic dedita. *ibid.*
Gravius, *de Grave*, apud Dixmudam vulneratus. 284
Gremonvilla, *Nicolas de Bretel de Gremonville*, ad Venetos legatur, qui primùm Romam ad Innocentium Pontificem iit. 124. hunc Rex Româ diſcedere, ac Venetias ire jubet. 125
Honoratus Grimaldus Monœci Princeps. 102
Hieronymus Grimaldus Cardinalis. *ibid.*
Guadanius, *le Marquis de Gadagne*. 574
Gualcurius, *de Gaucour*, Condæi cliens. 651. per hunc cum Mazarino de pace Condæus agit. 716. 753
Joannes Baptiſta Gualtius, *Gault*, Maſſilienſis Epiſcopus moritur. 69

Auguſtinus Guazzonus è Sommaſcorum ordine, *Auguſtino Guazzoni.* 708.
Guebrianus, *le Mareſchal de Guebrian Jean Bude*, in Germaniâ bellum gerit. 61. Rotveilam ad Nicrum oppugnat, huic deditur, ab vulnere moritur. 62
Guenegualdus Pleſſius Quatuorvir, *du Pleſſis Guenegaud Secretaire d'Eſtat.* 420. 697.
Guionnetus *Guionnet*, in Curiâ Burdigalenſi Conſiliarius. 535
Henricus Guiſius circum Gravelingam in caſtris. 87. Romæ agitat. 292. hujus operâ Michael Mazarinus Cardinalis creatus. *ibid.* Neapolitanorum negotiis admiſcet ſe. 293. mittunt ad hunc Neapolitani. 294. cum Pontifice Innocentio de Neapolitano negotio colloquitur. 296. Neapolim petit. 297. hujus eò adventus. 298. Gladius Imperii teſſera Guiſio datus Neapoli. 299. Averſam ducit, quò Nobilitas Neapolitana fuit cum copiis. 302. cum Andriæ Duce colloquitur. *ibid.* Neapolitanos Nobiles Averſâ diſcedentes in fugam conjicit. 332. ad Inſulam Niſitam trajicit copias. *ibid.* profugit, capitur, Caïetam deducitur. 333. hunc Hiſpani dimittunt, & ab Mantuâ Carpetanorum in Galliam remittunt. 756
Rogerius Guiſius è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Guiſe.* 750
Guiſium oppidum Hiſpani obſident. 526. oppugnant fruſtra, ac denique omittunt. 528
Guitaldus cuſtodum Reginæ corporis Dux, *François de Comenge de Guitault*, Condæum comprehendit. 501
Guitaldus frater item cuſtodum Reginæ corporis Dux, *Gaſton Jean Baptiſte de Comenge*, Contium comprehendit. *ibid.*
Guitaldus, *Guillaume de Pechepeirou de Guitault*, Condæi cliens. 692. in ſuburbio B. Antonii vulneratus. 722

H

HAilbrona ab Gramontio, & Turenâ oppugnatur. 167
Harcurius Comes, *Henry de Lorraine Comte d'Harcour*, Prorex Cataloniam cum exercitu obtinet. 134. Hujus adverſùm Cantelmum circùm Balaguieram pugna, ac victoria. 140. Balaguieram obſidet. 236. Ilerdæ obſidionem omittit. 140. in Normanniam cum exercitu proficiſcitur. 424. huic data Belgium provincia cum exercitu. 463. 465. 466. 468. apud Neovillam vulneratus. 470. 473. in Normanniam præmiſſus ab Rege cum copiis. 505. exercitui regio Imperator adverſum Condæum. 650. Cuniaci obſidionem ſolvere Condæum cogit. 655. apud Rupellas Turrim, ac Munitionem ad Portum capit. 659. 682. Condæum Aginnum recipere ſe cogit. 687. 688. Multa ab eo in Aquitaniâ benè geſta. 716. 717. Villam-novam oppugnat fruſtrà. 735. Philippiburgo dudum Præfectus. 737. Regis injuſſu relicto in Aquitaniâ exercitu cui præerat regio Briſia-

cum venit, atque id ſibi cui Præfectus eſſet ſumit. 739
Harcurius Ellebovii Ducis filius, *le Prince d'Harcour*, in caſtris circum Gravelingam. 87. Montrolium ab præſidio ſicuti Præfectus admiſſus. 450
Hasfeldius in Boiohemo Leopoldo Auſtrio Legatus. 154. captus in pugnâ. 155
Haſſiæ Langravia Amelia Elizabetha Hannauvia. 160
Haucurius, *de Haucour*, pugnando adversùm Regem captus. 577
Hayus Vanteletus, *de la Haye Vantelet*, Regis apud Turcorum Regem Legatus. 203
Helvetiorum Legati ad Regem. 517
Henrica Britanniæ Regina in Galliam profugit. 108. Senatus huic in ſumptum quidpiam decernit. 410
Hericurius, *d'Hericour*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Herſentius ab Româ Pontificis juſſu in Galliam redire maturat, ac Rivieræ de Cardinalatu ſpem facere. 178. in carcerem conjectus. *ibid.*
Hervartus, *Hervart.* 515
Hippolitæ Aragonæ apud Barcinonem conjuratio. 185. Tarraconem abit. 143
Hiſpani pacem cum ſociis Civitatibus ſeorſim ab Gallis moliuntur. 183. cum Sabaudiæ Duce, & Chriſtinâ hujus matre de pace agunt fruſtrà. 72
Hiſpaniæ Regina Maria Anna ab Germaniâ in Hiſpaniam vadit. 479
Hocquincurius Carolus Monchius, *le Marquis d'Hocquincour de Monchy.* 542. Equitum Tribunus creatus. 585. Peronæ Præfectus. 600. 668. Juliomagum oppugnat. 679. filius ejus apud Juliomagum cæditur. *ibid.* 681. apud Blenellum habet caſtra. 693. funditur ab Condæo. 694. 703
Hocſta ab Baioaris capitur. 100
Hoentvielem in Vitembergenſi Agro Baioari fruſtrà tentant. 91
Hollacus Comes, *le Comte de Holac*, Germanus. 718
Hoſpitalius Vicecomes, *le Vicomte de l'Hoſpital*, pugnando cæſus. 377
Hoſpitalio Haliero, *François de l'Hoſpital du Halier, dit le Mareſchal de l'Hoſpital*, Campania provincia data. 21. Angiano in Belgio atque in exercitu Legatus 22. 380. 490. Præfectus Urbi Conventui apud Urbis Ædes publicas præeſt. 725. per ſclopetarios ſuos ut ne ſeditioſi in has irrumpant providet. *ibid.* ſub veſperam elabitur. 726. ad Urbem revocatur. 759. 760
Hudicurius Subletus, *Sublet d'Hudicour*, Landrecio Præfectus. 284. caſtrorum Præfectus. 655
Hulſta Arauſio Principi dedita. 153

I.

JArzæus è Militenſi Militiâ, *le Chevalier de Jarzé*, adverſum Regem pugnando captus. 577. 680
Jarzæus Marchio, *le Marquis de Jarzé*; apud Theodonis villam vulneratus. 50. Ixionis fabulæ haud ab ſimile quidpiam incipit. 486. in pugnâ ad B. Antonii Suburbium viris Principibus militans vulneratus. 720
Icius-Portus, *Calais*. 740
Igbius Anglus, *le Baron d'Igby*. 473. 680
Ilerda ad Sicorim Hiſpanis dedita. 83
Inculiſmus Dux Carolus Valeſius, *le Duc d'Angouleſme baſtard de Charle IX. de Valois*. 422. mortem obit. 583
Ludovicus filius antehàc Aletſius Comes tunc Inculiſmus Dux. 611. in cuſtodiam conjectus, atque huic Provincia abrogata. 754. dein emiſſus cuſtodiâ. *ibid.*
Innocentius Pontifex Regi atque hujus Legato Valancæo injuriam facit. 581.
Inojoſa Marchio Flixium, & Miraveſem in Cataloniâ fruſtrà tentat. 13
De Inquiſitionis Romanæ Decreto. 274
Inſula, *la Ville de l'Iſle*, ab Gaſſione, & Ramſavio fruſtrà tentata. 149
Inſula ſancti Amandi. 471
Joanna Monialis apud Eſiæ-pontem Seguieri Cancellarii ſoror obſtat apud Reginam Caſtronovani ad Urbem reditui. 45
Jofrevilla, *de Jofreville*, Rupi regiæ Præfectus. 33
Jolius in Caſteleto Conſiliarius, *Joly Conſeiller au Chaſtelet*, Syndicus creditorum Urbis creatus. 488. vulneratus leviter ab equite. 489
Henrica Catharina Jouſia, *de Joyeuſe Ducheſſe Doüairiere de Guiſe*, in Aulam redit. 25
Jouſius Dux Ludovicus Guiſius, *de Guiſe Duc de Joyeuſe*. 754
Lambertus Jouſius quem Carolus Lotharingus ad Aulam de rebus ſuis miſſitabat. 756
Jozephus Clericus Tremblayus Capucinus, *le Pere Joſeph le Clerc du Tramblay*. 246
Iſemburgus Comes, *le Comte d'Iſembourg*, præmiſſus ad Rupem regiam, *Rocroy*, obſidendam. 33. 35. 37
Iſlabonus Ellebovii filius, *le Comte de l'Iſlebonne*. 374. 687. 765
Juliomagus, *Angers*. 678
Juniores in Senatu de fœdere Gaſtonem inter & Senatum ſanciundo cum Fertimbaltio E. T. ſentiunt. 672
Juniorum in Senatu dicta de Collegis amandatis. 132

K

Keimbecus Tribunus Germanus *Keimbec.* 62
Knutius, *Knut*, unus è Sociarum Civitatum Legatis apud Monaſterium Veſtfalorum. 245

L

Labardæus, *Jean de la Barde Marquis de Marolles*, ad Helvetios Legatus Oſnabrugam petit. 188. 193. 459. 460. 515. 518. 737
Labarræus, *de la Barre*, rei tormentariæ Propræfectus. 35
Labroſſæus, *de la Broſſe*, cæſus ad Salernum. 334
Lacottiera, *de la Cottiere*, ſubſidio veniens Montargirii Caſtello. 693
Lagardius *Magnus de la Garde*, Sueciæ Legatus ad Regem. 269
Laiſnæus, *Jean Laiſné*, Senator. 726
Lafarius, *le Marquis de la Fare*, in Cataloniâ. 484. 765
Lambertus, *de Lambert.* 85. 334
Lamboius, *Lamboy.* 227. 457
Lametus Vicecomes, *le Vicomte de Lamet.* 543
Lampadii ad Imperii Ordines apud Oſnabrugam de Gallis præclara oratio. 191
Languetotus Bretellus, *de Languetot de Bretel*, in prælio apud Norlingam cæſus. 165
Henrica Laguichia, *de la Guiche Ducheſſe d'Angouleſme.* 754
Carolus Lanoius, *Charle Comte de Lanoy*, Montrolio ad Oceanum Præfectus mortem obit. 450
Larchierus in Rationum Curiâ Præſes, *Larcher*, lectus ab Gaſtone qui ſibi adeſſet in Conſilio de omni re publicâ ubi illi Senatus Legationem in omni regno continuaverat. 732
Laſalius, *de la Sale*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378
Lavallius Sablæus, *le Marquis de la Val de Sablé*, Caſtrorum Præfectus ab vulnere interiit. 231
Lavia, *Lavie.* 534
Launaius, *de Launay.* 334
Launus, *de Laune Conſeiller au Chaſtelêt.* 417
Laurierus Miravezi in Cataloniâ Præfectus, *du Laurier.* 556. apud Miraveſem cæſus dein oppidum deditum. 563
Leca, *le Marquis de Legue.* 334. 354. 550. hujus colloquium cum Gaſtone. 569
Lenuncurio, *le Marquis de Lenoncour*, Lotharingia data provincia. 21. apud Theodonis villam cæſus. 51
Lentſium Condæo deditum. 377
Leopoldus Auſtrius in Boiohemo cum exercitu. 154. ab Ferdinando Imp. miſſus Baioaris auxilio venit. 167. Belgium provinciam obti-

net. 271. 276. 373. 376. hujus Legatus de pace ad Senatum. 433. in finibus Regni cum exercitu. 451. Ypras obſidet. 457. 465. 468. 469. 473. Vervinum, Portiani-Caſtellum, & Rhetelium in Campaniâ occupat. 542. de pace mittit ad Gaſtonem. 544. 626
Leodienſem Epiſcopatum Contio Canonici Leodienſes deſtinabant. 462.
Lermontius, *de Lermont*, apud Curtracum vulneratus. 216
Leſchafferius, *Leſchafferie*, uni Præfectus navi. 57
Leſnæus, *Leſné*, Condæi cliens. 530
Levius Comes, *le Comte de Levy*. 692. 747
Lignevilla Lotharingus, *de Ligneville*, Lotharingorum Equitum Præfectus. 376. cum copiis aliquanto numero Carolo Duci merebat. 567. Voidium, Lignium, & Barem cepit. 567. 577. 649
Linæus, *le Prince de Ligne*. 376. 377. 740. 744
Lindavia ad Acronium Lacum fruſtrà ab Vrangelio, & Suecis oppugnata. 269
Linvilla *de Linville*, Caſtrorum Præfectus. 374. 567. 573. 575
Hugo Lionnus, *Hugue de Lionne*, Romæ apud Fontenaium. 12. Odoardo Parmæ Duci perſuadere conatur, ut omiſſo adverſum Pontificem bello Hiſpanicum unà cum Rege ſumat. 14. 456. 614. 617
Lipontius Curtraco Præfectus, *Liponti*. 217. 510. Rhetelio Præfectus oppidum Pralino-pleſſio dedit. 574
Livius Tribunus, *de Livry*, in prælio apud Norlingam cæſus. 165
Locmannus Helvetius Tribunus Tigurinus *Lochman*. 646
Loignius, *de Loigny*, cæſus è Picardiæ legione, in pugnâ apud Lentſium. 377
Longavilla, *Henry d'Orleans Duc de Longueville*, de pace Monaſterium Veſtfalorum Legatus. 18. eò advenit. 170. Cadomo oppido Præfectus. 270. huic Juxium Caſtellum in Sequanis dono datum ab Rege. *ibid.* ab Monaſterio Veſtfalorum diſcedit. 329. uti Gratiæ-Portui Præfectus eſſet fruſtrà petit. 353. ab Senatu rogatus, ut in Curiam veniret de republicâ conſultatum, abnuit. 386. Mazarinum cogere vult uti ſibi Gratiæ-Portum ab Rege datum velit. 406. 407. 412. 413. 424. 439. 454. 490. in carcerem conjicitur. 501. Præfectus Cadomo, & Ponti-arcuum. 505. Anna Maria Longavilla hujus filia virgo. 571. 613
Petrus Longolius, *l'Abbé de Longueil*, Senator factionis in Urbe autor habitus, 385. 610
Renatus Longolius Maiſonius, *le Preſident de Maiſons*. 6. huic ſumma Quæſtura mandatur. 525. 610. huic ab plebeculâ periculum. 714. lectus ab Gaſtone qui Concilio de republicâ adeſſet ubi illi in omni regno Legationem Senatus continuaverat. 732
Longonis-Portus Auſtrio, atque Ognato deditus. 554
Loreſſæus Baro, *le Baron de Loreſſe*, in pugnâ ad B. Antonii ſuburbium viris Principibus militans vulneratus. 720.

De Lotharingiæ Duce Carolo, *le Duc Charle*. 61. 63. 263. 313. 331. 457.
Louviera, *de la Louviere*, Bruſſelli Senatoris filius Baſtiliæ ab Contio Præfectus. 477
Luceraïus, *de Luceray*, uni Præfectus navi. 57. cæſus. 334
Ludovicus XIII. moritur. 26
Nicolaus Ludoviſius. 554
Lugdunenſis Archiepiſcopus Cardinalis, *le Cardinal de Lion*, Richelii Card. frater Romam petit. 110
Lugo Hiſpanus Cardinalis Romæ creatus. 69
Luinæus Carolus Albertus, *le Duc de Luïne Charles d'Albert*. 380. 416. 438
Lumiares Hiſpanicus apud Ferdinandum Legatus. 367
Luſignanus Marchio, *de Luſignan*. 478. 652
De Luſitaniæ Rege. 262
Luſſanus, *de Luſſan*, deficit ab Rege cum Marſino. 645
Luſſingius, *de Luſſinge*, Thomæ Principis turmæ Vicarius. 576
De Lutetiâ Pariſiorum obſidendâ. 404

M

MAgalottus Italicus caſtrorum Præfectus, *Magalotti*. 85. 144
Magdalenus, *de la Magdelaine*, Contii Cohorti Tribunus. 689
Magnipratæus, *le Comte de Grand-pré*, *Charle François de Joyeuſe*. 508. 566. huic Hiſpani Muſonium reddunt cui Præfectus eſſet cum Reclangio Propræfecto. 567. 642. 648
Maipaſius, *de Maipas*, Præfectus equitum. 567
Malgironus, *Maugiron*. 63. 237
Malvicinus, *Mauvoiſin*, in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarius. 676
Victoria Mancina, *Mancini*, Mazarini ſororis filia. 461
Mancinus in pugnâ ad B. Antonii ſuburbium vulneratus poſt paulò interiit. 720
Manheimum ad Rhenum, & Nicrum confluentes ab Baioaris receptum. 100
Manicampus, *Manicamp de Longueval*, circum Gravelingam. 85. Pralino-pleſſio E. T. in exercitu Legatus. 573. vulneratus. 576. 643
Mantuæ Dux Carolus Claram Eugeniam Alberti Ænipontani Ducis filiam uxorem duxit. 480
Maræus Comes Guillelmus Ruſſellus, *le Comte de Maré*, cæſus. 696.
Ludovica Maria Gonzaga Mantuana, *la Princeſſe Marie*, Uladiſlao Poloniæ Regi nupta. 176
Petrus Marca apud Barcinonem Viſitator generalis. 106. 482
Marcuſſius, *de la Marcouſſe*, deficit ab Rege cum Marſino. 645
Margaritæ Lotharingæ ad Aulam adventus, hujus nuptiæ cum Gaſ-

tone inſtauratæ. 37. Mazarinus hujus gratiam expetit. 223. Mazarino infenſa. 555
Joſephus Margaritus, *D. Joſeph de Marguerit*, Aquilaris Marchio Catalanus. 135. 483. 559. 644. 765
Marinus Comes, *le Comte de Marin*, caſtrorum Præfectus, 477. 530. 686.
Marinus apud Avenionem Cavarum Vicelegatus juſſus ab Pontifice in Aulam venire, qui de Radeſiani in cuſtodiam conjecti causâ cognoſceret. 778. regni fines ingredi ab Rege prohibitus. *ibid.*
Mardicum ab Hiſpanis receptum 152. oppugnatur. 227. Gaſtoni deditur. 228
Marſillacus Franciſcus Rupifocaldus, *de la Rochefoucaud Prince de Marſillac*, inter factionis principes, 387. 407. 412. 421. 428. 464. 489. comprehenſo Condæo abit in Pictonas. 501. Marſilliacus hujus filius adoleſcens, *le Prince de Marſillac.* 688. 722
Marſillius, *de Marſilly*, Marſino Legatus in Cataloniâ. 645
Marſinus, *Marſin Liegeois*, caſtrorum Præfectus. 95. 231. 312. 345. in Cataloniâ Proprætor. 482. 484. 485. Perpinianum abductus, atque eo in cuſtodiam conjectus. 503. Satenaio Præfectus. 612. in Cataloniam Proprætor miſſus. 624. deficit ab Rege ad Condæum. 645. Contio Legatus atque adjutor datus ab Condæo fratre in Aquitaniâ. 688. eò multa loca capit, & in Petrocoriis Sarlatum. 553. 554
Petrus Martinellus, *Martineau*, Senator. 536
Martiniera, *la Martiniere*, in B. Antonii ſuburbio viris Principibus militans vulneratus. 722
Martinoſſia virgo, *Martinoſſi*, Mazarini ſororis filia. 477
Simon Maſcarena, *Maſcarenas*, apud Balaguieram Hiſpanis præerat. 142
Mata, *le Comte de Mata.* 428
Matarellus, *Matarel*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Matignonus, *de Matignon.* 489
Jacobus Maugiſius, *Maugis*, Senator. 536
Mauricius Caroli Emanuëlis filius nothus egregiè ad Moram amnem dimicat. 170
Maurierus Albericus, *Aubery du Maurier.* 63
Maurus Comes, *le Comte de Maure Louis de Rochechoüart.* 451
Mauvillius, *Mauvilly Mareſchal de Bataille*, aciei Inſtructor. 75
Maximilianus Baioariæ Dux. 180. induciæ inter hunc, Gallos, & Suecos factæ. 268. ab indiciis cum Suecis diſcedit. 309
Julius Mazarinus, *le Cardinal Jule Mazarin*, in Conſilium Regis adhibitus. 4. hujus apud Fontembellaqueum morbus. 110. 181. hoſtis ab Senatu indicatus faceſſere Aulâ, & Regni finibus juſſus. 409. de Senatus Decreto adverſum ſe retulit in Conſilio regio. 410. Vindocinos patrem, ac filios ſibi adjungere tentat, dein omittit. *ibid.*

De Mazarino quædam in uno edicto ampla ac magnifica. 420. 442. ab colloquio de Pace apud Ruellium hunc arcere delecti ab Senatu tentant. *ibid.* de abigendo Mazarino Rex, atque Regina, Gaſto, Condæus ac Seguierus Senatui negavêre. 453. de Mazarino poſt victoriam ad Rhetelium. 578. hujus poſt victoriam apud Rhetelium in Aulam adventus. 581. ab Aulâ ſecedit. 599. Gratiæ-portum petit, viros principes eximit cuſtodiâ. 602. apud Brullum Coloniâ Agrippinâ haud procul exulavit. 605. huic, atque propinquis interdictum Galliæ finibus. 634. De Mazarini reditu habitum ab Rege apud Auguſtoritum Pictonum Conſilium. 660. hujus in Aulam reditus. 674. Mazarinum tametſi Cardinalis ſit, Senatûs Decretis obnoxium eſſe etiam quæ de capite ejus fiant. 691. Hujus ſeſe expurgandi apud Senatum conſilium. *ibid.* Rex Mazarinum ſe dimiſſurum Senatus legatis edicit dudum ſe de profectione fatigantem. 727. Mazarinus ex compoſito ab Eſiæ-Ponte quò Aula erat, extra Regni fines diſcedit. 746

Michaël Mazarinus Dominicanus Julii Card. frater ab Urbano Pontifice male habitus. 12. Cardinalis creatus. 292. Cataloniam obtinet provinciam. 343. ſubitò Romam redit. *ibid.* mortem obit. 348

Mazerollus, *de Mazerolle*, ab Brezeâ miſſus ad Philippum Hiſpaniæ Regem. 529

Medicæus Cardinalis Hiſpanicæ factionis Romæ princeps. 111

Medina Torreſius, *Medina de las Torres*, ab Fontenaio Romæ Legato, & ab Lionno Venetiis ſibi ab Rege auxilium prorogandæ apud Neapolim provinciæ fruſtrà petit, quia hujus internuntius nullas habebat ab eo litteras. 15

Mediolanum obtinet Joannes Velaſcus Siruelæ Comes, *Jean de Velaſque Comte de Siruela.* 16

Medo, *Meudon*, Caſtellum ab regiis oppugnatum, ac Condæo deditum. 419

Meillæus Comes, *le Comte de Meille*, Condæi cliens Claromontio Præfectus. 612. 694

Blaſius Melianus, *Melian*, Cognitor regius. 429

Melianus Eglinius in prælio apud Norlingam captus. 165

Melleraius Carolus Portæus, *Charle de la Porte Mareſchal de la Meilleraye*, Britanniam obtinet. 3. circùm Gravelingam. 85. ad Plumbinum oppugnandum, ac Longonis-portum miſſus cum exercitu. 230. huic ſumma Quæſtura mandata. 369. 370. 380. 405. 456. juſſus in Aquitaniam ire cum exercitu. 525. 540

Franciſcus Mellò Belgium obtinet. 32

Melodunus Vicecomes, *le Vicomte de Melun Guy Arbaleſte*, haud procul Mariendalio cæſus. 159

Melodunus alter Vicecomes Arbaleſta in pugnâ ad B. Antonii Suburbium viris Principibus militans vulneratus. 720

Henricus Memmius, *de Meſme*, in Senatu Præſes. 330. 435. 442. 446

446. mortem obit. 582
Gratianus Menardellus, *Menardeau*, Senator. 573
Menene oppidum Gallis deditum. 149
Mercius Baioaris Imperator. 61. captus in pugnâ ab Suecis in Boiohemo. 155
Mercurius Dux, *le Duc de Mercœur Loüis de Vendoſme*. 160. huic data Catalonia provincia. 502. 561. Falſetum in Cataloniâ oppugnat, quod huic eſt deditum. 563. ad Aulam redit. *ibid.* huic data Provincia Inculiſmo Duci abrogata. 754
Merinvilla, *le Comte de Merinville François de Monſtier*, caſtrorum Præfectus. 237. 562
Meuter captus ab Suecis in Boiohemo. 155
Milander qui Germanis Imperator erat, cæſus. 349
Miletus, *Milet*. 515
Miratus, *Mirat*, in Curiâ Burdigalenſi Conſiliarius. 534
Miro, *Miron*, in Rotomagenſi Curiâ Conſiliarius ad Senatum de conjunctione miſſus. 425
Robertus Miro in Rationum Curiâ Magiſter, *Miron Maiſtre des Comptes*, in plateâ Ædibus Urbis vicinâ ab plebe tumultuante cæſus. 726
Moiruxius, *Moiroux*, Harcurii negotiorum Curator. 736. 737
Molæus primarius in Senatu Præſes, *le premier Præſident Molé*. 24. hujus ad Reginam oratio. 459. cum aliis ab Senatu Germani-fanum miſſus cum Gaſtone, Condæo, Contio, & Longavilla de re publicâ colloquitur. 389. 411. de Molæo primario Præſide. 434. hujus ad Regem, ac Reginam matrem de Leopoldi Legato oratio. 435. 442. 446. 447. hujus firmitudo animi adverſum plebem. 448. 449. 536. de viris Principibus cuſtodiâ emittendis ad Reginam oratio. 586. uti Cardinales è regio Conſilio arcerentur oratio in Senatu. 609. ab Condæo diſſidet. 610. huic redditum Signum regium. 636. Plebis ſeditionem adverſum ſe animi firmitudine compeſcit. 657. 666. pro reditu Mazarini Molæi Reſponſum Regis verbis. 671. 681. 682
Mombaſonus Dux, *le Duc de Mombaſon Hercule de Rohân*, Præfectus Urbi. 409. 472
Mombaſona Rohana Caproſi Ducis uxor, *la Ducheſſe de Chevreuſe de Rohan Mombaſon*, in Aulam ab Reginâ revocatur. 41. hujus ad Urbem reditus. 43. inter hanc, & Mazarinum gratia conciliata. 44. 433. ex diſturbatis filiæ cum Richelio nuptiis Condæo infenſa. 498. Mazarino ut hunc in carcerem conjiciat, autor. *ibid.* 511. 512. 549. Mazarinum apud Reginam aſtutè labefactare conatur. 578. 610. 613
Mommegius, *le Marquis de Mommege*. 427
Carola Margarita Mommorantia, *de Mommorancy*, *Madame la Princeſſe Doüairiere*, quæ Henrici Condæi uxor fuerat. 499. 519. mortem obit. 583
Mompezatus, *le Marquis de Mompezat*, Caſalio Præfectus. 768. de Ta-

vanio Marchione proponit uti copias ſumptibus ſuis ſcriberet, quæ Caſalio hujus ductu auxilio eſſent, atque hic Tribunus Equitum crearetur. 770
Mompüillianus, *le Marquis de Mompoüillan.* 484. 645
Carolus Monchalius, *Charle de Monchal*, Tholoſatum Archiepiſcopus. 431
Mondrevilla, *de Mondreville*, Montargirii Caſtellum ingreditur cum præſidio. 693
Monſonem oppidum in Hiſpaniâ Hiſpani oppugnant, quod his deditur. 60
Mons-albus, *Montblanc.* Hiſpani Duce Garaio cepêre. 482
Vincentius Monſuri Cremonæ Præfectus. 339
Montacutus Anglus ab Henrica Britanniæ Reginâ ad Regem Ludovicum XIII. miſſus, *Montaigu.* 10
Montacutus, *de Montaigu*, Rupi regiæ Præfectus. 605
Montadius, *de Montade*, uni Præfectus navi. 57. cæſus ad Salernum. 334
Anna Montafiera Caroli Borbonii Sueſſionis, *Comte de Soiſſons*, pridem mortui quondam uxor mortem obit. 121
Montalſerius Leo Santimaurus, *le Marquis de Montauſier de ſainte Maure.* 653. 686
Montargirium, *Montargis*, ab virorum Principum copiis occupandum. Aurelia virgo decernit. 690. captum ab Condæo. 693
Montaterius, *de Montatere*, unius Cohortis Tribunus. 575
Monteclarus è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de Monteclair*, caſtrorum Præfectus, & Durlano Præfectus egregiè pugnando vulneratus poſtpaulò interiit. 565
Montejocus Schulembergus, *le Marquis de Mondejeu de Schulemberg*, Fanoſpiritus Ruæ Præfectus. 505. 668.
Monteſpanus Bellogardius, *de Monteſpan de Bellegarde.* 688
Montheſaurius, *le Comte de Montreſor de Bourdeille*, Mazarino iniquus. 42. 614.
Montius Tribunus, *le Colonel Monti.* 16
Montoglanus Comes, *Charle le Comte de Montauglan*, Senator. 131. 536
Montrolium Harcurio Principi viro Ellebovii filio cui Præfectus porrò foret, permiſſum. 454
Hieronymus Comes Moretta, *le Comte de Morette.* Aſtæ Præfectus. 556
Moretus Comes Dubecus, *le Comte de Moret du Bec.* 738
Michaël Moroſinus Venetorum Legatus ad Regem. 468
Mortanius, *Mortagne*, cæſus ab Auſtriacis in Boiohemo. 155
Mortara, *le Marquis de Mortare*, in pugnâ circum Balaguieram captus. 140. cum Hiſpanis Flixium in Cataloniâ oppugnat, quod eſt huic deditum. 563. deditum & Miravez oppidum. 664. Gironam in Cataloniâ ad deditionem redigit. 766
Mortemarius, *le Marquis de Mortemar Gabriël de Rochechoüard*, Dux &

Par Franciæ mox creatus. 746. 753
Mottæus, E. T. *le Mareſchal de la Motte*, Hiſpanos cædit. 13. Auxilia Ilerdam introducere fruſtrà tentat. 81. Tarraconem oppugnat fruſtrà. 103. Tarraconem omittit. 105. Adminiſtris maledicit. *ibid.* in carcerem Lugduni conjicitur. 123. 413. in Senatum præter morem admiſſus. 418. 421. 432. 438. 447. 614. iterùm in Cataloniâ Prorex. 647. 765. Barcinonem dedere coactus. 766
Mottæus Delaſius, *la Motte de Las.* 539
Mottæus Deſcarſius, *de la Motte Deſcars*, dux unius turmæ in Gaſtonis equitum alâ cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378
Clemens Muſnierus, *le Muſnier*, Senator. 536. 546
Muſonium ad Moſam amnem Molingen miſſus ab Leopoldo circumſidet. 564. oppugnatur. 565. eò milites miſſi ab Villequiero. 566. Muſonius Præfectus oppidum dedit denique. *ibid.*
Muſſaius Goïonus, *le Marquis de la Mouſſaye Goïon.* 231. 374. captus. 376. Condæo comprehenſo Satenaïum contendit. 502
Mutinæ Ducem Franciſcum Ateſtinum, *François d'Eſte*, Mazarinus per Lionnum ad Regis partes perducere conatur. 15. fœdus cum eo ab Rege factum. 294. ad hunc iit Eſtrada cum copiis. *ibid.* Cremonam verſus ducit. 300. omiſſo Cremonæ incœpto Caſalium majus redit. 301. hujus adversùm Hiſpanos pugna. 306. Victoriam Parmæ Ducis ſororem ducit uxorem. 335. 356
De Mutuo, *des preſts faits au Roy.* 364

N

NAngius Brichantæus, *de Brichanteau Marquis de Nangis*, caſtrorum Præfectus circum Gravelingam. 85. cæſus. 88
Nantulietus, *le Marquis de Nantoüillet*, in pugnâ ad B. Antonii ſuburbium Regi militans cæſus. 720
Joannes Nanus, *le Nain*, Senator. 573
Navaillius, *le Comte de Navaille Philippe de Monſtault*, caſtrorum Præfectus. 211. 305. 337. 338. 575. 605. 668. 719. 721
Neapoli plebes novis rebus ſtudet. 289. fœdus cum Neapolitana plebe ab Fontenaïo Regis Romæ Legato factum. 294
Neſtierius, *de Neſtier*, caſtrorum Præfectus. 101. Vigevano ab Thomâ Principe præficitur. 169. 483
Nemoroſius, *le Duc de Nemours Amedée de Savoye.* 227. Arvernos provinciam Chalnii Ducis morte vacuam ſibi dari petit fruſtrà. 486. 616. 674. 682. inter Belfortium, & Nemoroſium Jurgium, Aurelia virgo ambos reducit in gratiam. 690. 721. in munitione ad B. Antonii Suburbium graviter vulneratur. 722. ab Belfortio cæditur. 733
Anna Neoburga, *de Neubourg Marquiſe du Vigean.* 497
Neſmondus, *le Preſident de Neſmond Theodore.* 46. miſſus cum aliis ab Senatu ad Regem venit. 690. lectus ab Gaſtone qui Conſilio de

republica adeſſet ubi illi continuata in omni regno legatio ab Senatu fuerat. 732. 763
Nettancurius, *Nettancour*, Centurio. 95
Neüilliacus, *de Neüillac*, Longonis portui Præfectus. 554
Neullianus, *de Neüillan*, Niortio Præfectus vulneratus in pugnâ apud Lentſium. 378
Nicia, *Nice de la Paille*, ab Hiſpanis in Italiâ capta. 289
Nigellæ Baro, *le Baron de Neſle de la Val*, apud Dixmudam vulneratus. 284. 454
Niger, *le Noir*, in Vectigalium Curiâ Præſes, lectus ab Gaſtone qui ſibi in Conſilio de omni republicâ adeſſet ubi illi Senatus legationem in omni regno continuaverat. 732
Nigrolocus, *de Noirlieu*, Alæ equitum Tribunus cæſus. 427
Nigromonaſterius, *Loüis de Laval Marquis de Noirmonſtier*. 231. apud Dixmudam vulneratus. 284. 374. 376. 410. 421. 428. 489
Noncurius, *de Noncour*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Normanvilla Marchio, *le Marquis de Normanville*, vulneratus in pugnâ apud Lentſium. 378
Novio in Senatu Præſes, *le Preſident de Novion Nicolas Potier*. 355. 447 674.
Noüs, *de la Noüe*. 655
Nucerius Quatuorvir, *François Sublet de Noyers*, Cardinalatum ſibi expetebat. 5. De hoc abigendo Mazarini conſilium. *ibid.* ab Ludovico XIII. Regé Cardonæ Ducatum Mottæo impetrat. 13. Aulâ pulſus. 19. eò redire conatur. 69. De ſuo in Aulam reditu ſpes vana. 109. Mortem obit. 177
Nuptiæ Hiſpanicæ virginis cum Rege oſtentatæ quæ dotale Belgium haberet. 183

O

OEmus Tribunus Germanorum equitum Regi mercede militantium. 469
Ognatus Comes, *le Comte d'Ognate*, apud Neapolim Prorex. 335. claſſem adornat. 553
Olympia Innocentii Pontificis fratris uxor. 197
Olivares Gaſpar Guſmanus, *le Comte d'Olivares*. 59
Zongo Ondedæus, *l'Abbé Ondedei*, ab Mazarino ad Aulam miſſus. 613. captus ab Hiſpanis in itinere. 614. in Aulâ relictus ab Mazarino qui Reginæ adeſſet. 746
Jozephus Oſorius miſſus ab Philippo Hiſpaniæ Rege ad Brezæam. 529. 652. in Battevillæ locum qui Burgo Præfectus eſſet, ſuffectus. 774
Oſtenda ab Ramſavio fruſtrà tentata. 371
Oyſius, *d'Oyſy*, Ducis Vicarius in unâ equitum turmâ, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378

P

De PAce quid nobis conſilii eſſet Eberſteinus Monachus ab Trautmanſtorfio exploratum miſſus in Aulam venit. 9. Pax inter Urbanum Pont. & Odoardum Parmæ Ducem Bichii Cardinalis operâ facta. 110. Conditiones pacis quas Galli apud Monaſterium Veſtfalorum tulêre. 170. de his denique convenit, & quæ fuerint. 394. huic Paci Philippus Hiſpaniæ Rex interceſſit, item Innocentius Pontifex. 397. De Pace Aulam inter, & Urbem agitur apud Ruellium. 442. Pax inter Hiſpanos, & Franciſcum Mutinæ Ducem. 457. Pax data Brezææ, Buillonio, Rupifocaldo, & Burdigalenſibus. 547

Petrus Paganus Deſlandius, *Payen des Landes*, Senator. 571

Carolus Ludovicus Palatinus Imperii Septemvir, aut Octovir. 466

Carolus Palatinus Sueciæ Reginæ Legatus. 466. Imperator omnibus Suecorum in Germaniâ copiis. 467

Palavicinus Tarraconi Præfectus. 562. rei tormentariæ Præfectus. 644

Paliiavius Comes Philippus Clerembaltius, *Philippe de Clerembault Comte de Paliüau*, Caſtrorum Præfectus. 95. 231. 370. 429. 368. 341. Eſtræo E. T. Legatus. 642. huic Perſanus Marchio Muronem dedit. 747. de hujus hominis ingenio. *ibid.*

Pamphilius Cardinalis Antonio Barberino Card. & Mazarino infenſus. 111. eo Rex hunc Pontificem creari nolebat. 112. poſtremò Franciſcus Barberinus ut hunc creari vellet, adigitur. *ibid.* Pontifex denique creatur. 113. Innocentius appellatur. 114. Camillum Pamphilium fratris filium Cardinalem creat. *ibid.* cum omnibus Italiæ Principibus Barberinis poſthabitis amicitiam inſtituit. *ibid.* Camillus Pamphilius Innocentii Pont. fratris filius abdicato Cardinalatu Olympiam Aldobrandinam uxorem ducit. 481

Paraberus è Melitenſi militiâ, *le Chevalier de Parabere*, ad Stampas cæſus. 708

Parmæ Ducis Odoardi cum Mazarino ſimultates. 14. hujus cum Venetis, & Ferdinando Etruriæ Duce fœdus. *ibid.* Ranucius hujus filius Parmæ, & Placentiæ Dux. 457. 480. Innocentius adversùm Ranucium Odoardi filium bellum gerit de Caſtro oppido. 481

Michaël Particellus, *Particelle*, Almerici filius in unâ Inquiſitionum Claſſe Præſes ad flumen trahebatur ab Plebe ni ſubveniſſet quiſpiam. 450. 713

Paſius Comes, *le Comte de Pas*. 750

Paſſagius, *du Paſſage*, Caſtrorum Præfectus. 101. 516

Peraltus, *Perault*, in Rationum Curiâ Præſes. 461. in carcerem conjectus. 502

Perſanus Marchio, *le Marquis de Perſan de Vaudetar*, Muroni Præfectus. 612. 642

Dionyſius Petavius Jeſuita, *le Pere Petau*, mortem obit. 779
Philippus Hiſpaniæ Rex Cæſarauguſtam venit. 59. 482
Phrudis amnis, *la Riviere de Somme.* 458
Pianezza Marchio, *le Marquis de Pianeſſe de Simiane*, cujus conſiliis in re omni publicâ gerendâ Chriſtina Sabaudiæ Ducis mater, atque ipſe Dux utebatur. 182
Pichonus Vayri Caſtello Præfectus, *Pichon.* 538
Picolominius apud Paſſauvium Auſtriacis Imperator. 352
Pienna Marchio, *Charle de Broüilly Marquis de Pienne*, Pinarolo Præfectus. 771
Pietrus, *Pietre*, Cognitor regius in Urbis Conſilio. 752. 755
Pimientus, *Pimiento*, claſſis Hiſpanicæ Prætor. 482
Pleſſius Beſanſonus, *Pleſſis Beſanſon.* 63. 139. Camaras ad Sicorim capit. *ibid.* ſuper Claſſe Gallicâ ad Neapolim tenente curſum. 333
Antonius Pimentellus Fuenſaldanii cliens Mazarinum iter ad Coloniam Agrippinam facientem comitatur, cui ille de pace mentionem facit. 605
Poncaſtella Margarita Cambultia, *Marguerite du Camboult de Pont-Chaſteau*, Harcurii uxor, *la Comteſſe d'Harcour*, Briſiacum venit ab viro præmiſſa. 739
Sturæ-Pons oppidum Covongio Caſalii Præfecto deditum. 55
Porcheuſius Sanvallius, *de Porcheux Saint Val*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Pradella, *de Pradelle*, caſtrorum Præfectus. 575
Pralinopleſſius Comes, *Ceſar de Choiſeuil Comte du Pleſſis Praſlin.* 16. 17. 54. circum Rhodam ponit caſtra. 136. hæc eſt ei dedita. 138. Equitum Tribunus creatus. 144. ab Italiâ in Hiſpaniam cum copiis navigat. 236. in Mutinenſi agro cum exercitu. 337. Cæſar Choiſeüilius hujus filius cæſus. 338. 455. 469. pacem cum Burdigalenſibus facit. 478. cum exercitu Guiſium versùs properat. 527. Capellam versùs. 541. Durocortorum Rhemorum Urbem tegit. 542. acriter Rhetelium oppugnat. 571. hujus pugna, & Victoria. 575
Pralinopleſſius Comes Equitum Tribuni filius, *Auguſte de Choiſeuil Comte du Pleſſis-Praſlin*, caſtrorum Præfectus pugnando cæſus. 576
Carolus Prevoſtus, *Prevoſt*, Senator. 713. 754
Hieronymus Priandus, *Priandi*, Mantuæ Ducis negotiorum in Aulâ Curator. 768
De Regni Procuratione in Senatu viſum agi. 27
De Publicanis. 331
Pugna Angiani adversùm Hiſpanos haud procul Rupe-regiâ oppido. 35. 36. ejuſdem adversùm Mercium & Baioaros haud procul Norlingâ. 163. 164. 165. 166. Auſtriacorum adversùm Suecos in Boïohemo. 155. Gallorum ac Suecorum adversùm Auſtriacos, & Boïoaros apud Zuſmarhauſen. 348. Geiſii, & Haſſorum adversùm Lamboïum, & Auſtriacos. 350. Condæi adversùm Hiſpanos haud pro-

cul Lentſio. 377. Ariæ Gonſalis Hiſpani adversùs Villequierum quibus par equitum numerus fuit. 564. Fertæi Sannectarii Gallorumque adversùm Lignevillam, & Lotharingos. 567. Pralinoplesſium inter, & Turenam Gallis ſimul, & Hiſpanis fretum. 575. Regiorum in Stamparum ſuburbio adversùm Gaſtonis, & Condæi copias. 705. Condæi adversùm Turenam, & regium exercitum in B. Antonii Suburbio. 719

Anna Puſſarda Vigeani Marchionis filia quæ prius Ponſii Mioſſani uxor fuerat, *Madame de Pons*, Armando Vignerotio Richelio Duci nubit. 497

Q

QUelaïnus, *Nicolas Quelain*, Senator. 131

Queſnæus, *du Queſne*, rei maritimæ peritus Diepam petit. 506

Quincæus Caſtrorum Præfectus, *le Comte de Quincé*, circùm Gravelingam. 87. 231. 334. 473. 474. 668. miſſus in Subalpinos cum copiis. 773

Quintana Tribunus Hiſpanus. 338

Quintinus Comes, *le Comte de Quintin*, Muſſaii Goyoni filius adversùm Regem pugnando captus. 577

R

RAcocii Tranſylvaniæ Reguli cum Suecis fœdus adversùm Ferdinandum Imperatorem. 68. Hungariæ fines ingreditur cum copiis. 69. cum Ferdinando Imp. pacem facit. 154

Radeſianus Cardinalis idem qui antehâc Gondius, *le Cardinal de Rets.* 682. 688. de Condæo multa ſecùs prædicare. 696. de pace: cum Rege Gaſtonis, non Condæi operâ vult agi. 707. 752. Compendium iit ad Regem cum pleriſque ex Ordine Eccleſiaſtico, atque huic luculentam de hujus ad Urbem reditu orationem habet. 753. Reginæ matri purgat ſe de ſtudio omnis reipublicæ gerendæ. *ibid.* 757. 761. 776. in cuſtodiam conjectus. 778

Raimondus, *Raimond*, in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarius. 676

Ralla, *le Ralle*, Rhetelio Præfectus. 605

Rambolietus Angennas Piſanius Marchio, *le Marquis de Piſani d'Angennes* in prælio apud Norlingam cæſus. 165. Rambolietus Marchio hujus pater, *le Marquis de Rambouillet Charle d'Angennes*, mortem obit. 779

Ramſavius, *Ramſau*, exercitui poſt Guebriani obitum in Germaniâ præeſt. 62. cum exercitu ad Dutlingam fuſus. *ibid.* Gaſtoni Vicelegatus circùm Gravelingam. 84. Equitum Tribunus creatus. 148. 150. huic Lentſium, Scluſia, Arleuxium dedita. 151. 230. 370. 371. caſtra Hiſpanorum ad Stenkercam oppugnat. 378. Furnas recipit. *ibid.* in carcerem conjectus. 441. mortem obit. 442

Raræus Baro, *le Baron de Raré*, in Prætorianorum Legione Centurio.

Raſilius *de Raſilly.* 375

Refugius caſtrorum Præfectus, *de Refuge.* 221

Rex, Regina mater, atque omnis Aula clàm ab Urbe Germani-fanum proficiſcuntur. 406. Urbe diſcedunt, ac Fontembellaqueum, Avaricum Biturigum, dein Auguſtoritum Pictonum petunt. 641. Ab Giano quod eſt ad Ligerim Germani-fanum per Ferreoli-fanum, & Autiſſiodurum properant. 699

Reynoldus Tribunus Helvetius Friburgenſis *Reynold.* 642

Rhodius, *de Rhode*, cum Regis litteris in veſtibulo Curiæ. 596

Rhodii uxor Ludovici Lotharingi Guiſii filia, *Madame de Rhode.* 522

Rhæti, *les Griſſons.* 517. 263

Ricardus, *Richard*, cæſus. 231

Ricardus Marchio, *le Marquis Richardi,* Ferdinandi Etruriæ Ducis Romæ Legatus. 209

De Richelio mortuo, *Armand Jean du Pleſſis Cardinal de Richelieu*, quid Ludovicus XIII. ſentiret. 2. de hujus cæde Quinquemartii conſilium. 3. Quæ Poteſtates, & Imperia obtinebat ea propinquis ejus data. *ibid.* Hujus Teſtamentum. *ibid.* de Regni Procuratione poſt Ludovici XIII. obitum habendâ conſilium. 8

Richelius Dux Cardinalis ſororis nepos, *le Duc de Richelieu*; actuarias naves primum ducit. 272. 333. Annam Puſſardam Vigeani filiam uxorem ducit. 297. Condæam Longavillæ uxorem apud Gratiæ-portum ſe recepturum quàm honeſtiſſimâ negat oratione. 504. 614. 653

Rieuxius, *le Comte de Rieux*, Ellebovii filius. 412. hujus cum Tremolio Tarenti Principe controverſia. 733. in Baſtiliam conjectus Gaſtonis juſſu quod quidpiam minus ex Condæi dignitate dixiſſet, ac feciſſet. 733

Riviera Ludovicus Barbierus, *Louis Barbier, dit l'Abbé de la Riviere.* 66. Gaſtonem ut in Conſilium regium veniret, impedit, quia huic Cardinalatûs negotium Mazarinus prolatabat. 390. 461. 472. rus ab Gaſtone ſecedere juſſus. 504

Rocca-ſpinæus, *de Rocqueſpine*, Capellæ Præfectus. 541. Capellam dedit. 542

Anna Rohana Guimenæi Principis uxor, *la Princeſſe de Guimenay.* 777

Rohanetus, *Rohanette.* 214. 431

Roiſius, *de Roiſy*, è Mazarini alâ cæſus in pugnâ apud Lenſium. 378

Roncallus ab Uladiſlao Poloniæ Rege ad Regem miſſus. 119

Roncerollus, *de Roncerolles*, caſtrorum Præfectus. 464. 474. Securæ Præfectus. 516

Roqueſelus, *de Roqueſele*, in Cataloniâ cæſus. 484

Roſa Tribunus Germanus. 62. Gazelquium, & Volfium, atque equites Baïoaros fundit. 92. cum Baïoaris equitibus pugnat. 97. comprehenſus. 307. Pralinopleſſio E. T. Legatus. 575. pugnando cæſus. 577

Roſenhamus Suecicus Reſidens apud Monaſterium Veſtfalorum. 181

Rotomagenſis

Rotomagenſis Curia ab Senatu uti cum eo conjuncta ſit, poſtulat. 425
Roüaneſius Dux Artus Guffierus, *Gouffier Duc de Roüanais.* 654
Rupæus, *la Roche*, cuſtodum Condæi corporis Dux. 572. 687
Rupæus Sanchamarantius, *la Roche ſaint Chamarant.* 645
Rupe-alardus, *Roche-alard*, uni Præfectus navi. 57
Rupellæ, *la Rochelle.* 653. 654
Rupeſerverius, *Roqueſerviere.* 95
Rupi-focaldus Cardinalis mortem obit. 177
Franciſcus Rupifocaldus, *le Duc de la Rochefoucault*, Marſillaci pater mortem obit. 513. 688
Rupifocaldus Eſtiſſacus, *de la Rochefoucaud Baron d'Eſtiſſac.* 654
Rupifocaldus qui antehàc Marſillacus Lodunum petit armatus, nec eſt receptus mœnibus. 520. 528. 616. 688. in Munitione ad B. Antonii Suburbium viris Principibus militans graviter vulneratus. 720
Rupifocaldus è Melitenſi Militiâ, *le Chevalier de la Rochefoucaud.* 507
Rupifortius Bonna, *Rochefort de Bonne*, in Salxii cohorte Vicetribunus ubi copias Muſonium introducere tentat cæſus. 565
Rupigiſardus Marchio, *le Marquis de la Rochegiſard*, in pugnâ ad B. Antonii Suburbium viris Principibus militans, cæſus. 720
Rupiguidonus Comes, *le Comte de la Rocheguyon du Pleſſis de Liancour.* 227
Rupilaurius, *le Marquis de Roquelaure.* 546. Dux, & Par Franciæ mox creatus. 746
Ruvignius, *de Ruvigny.* 596

S

Saavedræ Hiſpanici apud Monaſterium Veſtfalorum de pace Legati cum Roſenhamo Suecico Reſidente collocutio. 181. 185
Sabionetam Jacobus Ferdinandus Velaſcus Aro Comes commeatum introducit. 305
Salbovius Marchio, *de Sauvebœuf.* 478. 687. 765
Salbricus Tribunus unius Equitum Germanicorum Alæ, *Salbrik Colonel de Cavalerie Allemande*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378
Salernum, *Salerne.* 334
Salgeona virgo, *Mademoiſelle de Saugeon.* 499
Salicæus, *du Sauçay*, Monſoni Præfectus. 60
Salincius Fayus, *de Salins Faye*, in Prætorianorum Legione Vicecenturio vulneratus in pugnâ apud Lentſium. 378
Salmius, *le Prince de Salm.* 376
Salvetatus, *Sauvetat.* 434
Sammegrinus, *le Marquis de ſaint Megrin Jacque Stuard.* 138. 374. 546. Proprætor in Cataloniâ. 563. 622. in pugnâ ad B. Antonii Suburbium egregiè dimicans cæſus. 720

Sanchamondus, *le Marquis de ſaint Chamond*, Regis Romæ Legatus. 112. in Galliam redire, atque rure agitare juſſus. 113. moritur. 494

Sancolumbus Marinus, *de ſainte Columbe Marin*, Flixio in Cataloniâ Præfectus. 237

Stephanus Saintotus, *Saintot*, Senator. 536

Sanlucius Timoleon Spinaïus, *d'Eſpinay Mareſchal de ſaint Luc*, obit. 177

Sanmicaldus, *Sanmicau*, præſidio apud Seuram in Æduis præerat. 509. 516.

Sandovalium Caſtellum Hiſpanorum in Verſellenſis agri finibus. 101

Sangeneſius, *le Marquis de ſaint Geniez de Monſtault*, caſtrorum Præfectus. 575

Sangeranus, *le Marquis de ſaint Geran*, qui Borbonenſem obtinet agrum. 660

Sanlucius, *le Marquis de ſaint Luc François d'Eſpinay*. 424. in Aquitaniâ Proprætor. 652. 686.

Henricus Sannectarius, *de Senneterre le Pere*. 391

Sanpaulus, *ſaint Paul Meſtre de Camp*, apud Rhodam cæſus. 138

Sanromanus Stokolmiam ab Legatis Gallicis qui apud Monaſterium Veſtfalorum erant, miſſus. 189

Sanſimonus, *le Duc de ſaint Simon Pleſſis de Raſſe*, Blaïæ Præfectus. 524. 537

Santamorius Comes, *le Comte de ſaint Amour*, qui Hiſpanis militabat. 377

Santandreas Mombrunus, *le Marquis de ſaint André Mombrun*. 102. 307. 341. exercitui in Italiâ præeſt, Caracenam, & Hiſpanos in fines ſuos abigit. 625. 626. in Cataloniam venit cum copiis ſubſidio Barcinoni. 764

Santangelus, *de ſaint Ange*, Caſalio Proprræfectus. 555. 771

Santanianus Comes, *le Comte de ſaint Agnan*. 506. huic data Bituriges provincia. 509. eò rempublicam ſtrenuè gerit. 549. 776

Santauneſius Barrius, *de Barry Marquis de ſaint Aunez*, Equitum in Cataloniâ Præfectus, item Locatæ Præfectus. 107. 139. 480. 766

Santibarius, *ſaint Ibar*. 433

Leo Santimaurus Jonzacus Comes, *de ſainte Maure Comte de Jonzac*. 653.

Santimaurus, *de ſainte Maure*, Gratiæ-portui Propræfectus. 497. 692

Saradeſquius captus in Boiohemo ab Suecis. 155

Saſſeyus, *de Saſſy*, unius equitum turmæ Dux. 474

Scalæus, *de l'Eſchelle Mareſchal de Bataille*, aciei inſtructor. 95. vulneratus. 97

Scarſius è Melitenſi militiâ, *le Chevaliers d'Eſcars*. 718

Schnetterus ante Baccaræ arcem cæſus. 100

Schombergius E. T. *le Mareſchal Duc de Schomberg*, Helvetiorum Regi mercede militantium Tribunus creatus. 270. huic Catalonia decreta.

343. Dertoſam oppugnat. 344. Flixium ducit. 345. 501. 597
Schombergius Comes, *le Comte de Schomberg*, Germanus vulneratus ad Stampas. 708
Joannes Philippus Schombornius Archiepiſcopus Moguntinus Imperii Septemvir. 308
Sebacus Baro, *le Baron de Sebac*, Germanus qui Hiſpanis militabat caſtrorum Præfectus generalis. 644
Seguierus Cancellarius ut ne Caſtronovanus ad Aulam redeat, obſtat ſedulò. 45. hujus oratio de Barberinis ab Rege adversùm Innocentii Pont. injurias tuendis. 194. Seguieri Cancellarii oratio uti Senatus frequens haberi deſineret, & Curiæ in B. Ludovici conclave ne convenirent. 366. ſummo in periculo. 380. huic regium Signum ablatum, ac Roſnium ſeceſſit. 513. redditum. 610. in Aulam quæ apud Compendium erat, revocatur. 746
Petrus Seguinus primus Annæ Reginæ matris Medicus mortem obiit. 399
Semurius, *Semur Mareſchal de Bataille*, apud Dunkercam cæſus. 231
In Senatu lites, atque turbæ. 121. Senatûs, & Curiarum in B. Ludovici conclavi commune veluti Conſilium. 358. Senatus Decretum de Quæſtoribus è Regis Conſilio in provincias dimiſſis. 361
Uti Senatus in Claſſes diſcederet, ac frequens eſſe deſineret, Gaſto, & Condæus in Curiam venêre. 393. De Regis, atque Aulæ profectione ab Urbe Senatus habetur. 407. Montargirium abire juſſus. *ibid.* Delectum in Urbe habendum decernit, ac quærendam pecuniam in belli ſumptus. 411
Senatus fidem implorat Aquenſis Curia de Claſſe unâ libellorum inſtitutâ, & ſemeſtri operâ Judiciis dare juſſâ, conduplicato propè eâ gratiâ Magiſtratuum numero. 417. Senatûs ſcriptum in Mazarinum. 419. Senatus Leopoldi Legato datus. 433. hujus decretum ut ad colloquium de pace cum Aulâ iretur quò Regina juberet. 439. Rex in Senatum venit uti rempublicam capeſſeret, ac per ſe gereret ætatem ad id legitimam adeptus. 635. Senatûs decretum in Mazarinum. 658. Decretum de legatione in omni Regno Gaſtoni ſicuti per Regis pueritiam continuatâ, donec Mazarinus Regni finibus egrederetur. 730. 731. Rex Senatum ſeſe coram in Regiâ haberi jubet. 761
Seniorum in Senatu dicta de collegis amandatis. 132
Seriſius, *de Seriſy*, adversùm Regem pugnando captus. 577
Serra Comes, *le Comte de la Serre*, caſtrorum Præfectus, 477
Serra Marchio, *le Marquis Serra*. 236. vulneratus. 339
Servianus, *le Comte de Servien*. Legationem de pace quam Chavignius abnuerat ſuſcepit. 67. Hagam Comitis proficiſcitur. 246. hujus ad Fœderatos Ordines oratio. 247. 442. 518. hunc Regina voluntate Condæi abigit. 617. in Aulam redit. 681. 746
Gabriel Seſpedes ab Palavicino Tarraconi Præfecto miſſus cum præſidio

qui Falſeto Præfectus eſſet. 563
Seva Caſtignonvilla, *de Seve de Chaſtignonville*, Magiſter libellorum, mercatorum Præfectus antehàc luculentam apud Germani-fanum ad Regem de pace, atque hujus ad Urbem reditu habet orationem. 760
Carolus Sevinus, *Sevin*, Senator de pace cum Aulâ præclarè ſentit. 429. 452
Seura Regi dedita. 515
Sfondratus, *le Marquis Sfondrate*. 373. 457. 468. Sylva-mottæum, *la Motte au bois*, Caſtellum capit. 474. vulneratus ad Capellam. 542. 626. 740.
Sillerius Marchio, *le Marquis de Sillery Brulard*, vulneratus. 429. 529. 629
Sirmundus Jeſuita *le P. Sirmond*, Ludovici XIII. Regis Confeſſarius. 5. 49
Siron. 220. 737
Sirotus Baro, *le Baron de Sirot*. 35. grave agmen ad Theodoniſvillam oppugnandam ducit. 49. apud Gergolium ad Ligerim cæſus. 685
Philippus Soheternus, *de Sobetern*, Archiepiſcopus Trevirenſis, Imp. Septemvir, Epiſcopus Spirenſis. 98
Ferdinandus Solis Gravelingæ Præfectus. 60. ad Dunkercam præmiſſus ab Leopoldo qui hanc obſideret. 742
Sordiera, *la Sourdiere*, Vicecenturio cuſtodum Regis corporis ad Senatum miſſus. 407
Soyecurius Belforiera, *de Soyecour Belforiere*, antehàc capitis abſens damnatus Senatus decreto præſens abſolvitur. 54
Spagnetus, *Eſpagnet*, in Burdigalenſi Curiâ Conſiliarius. 676
Spernonius, *le Duc d'Eſpernon*, Mazarino iniquus. 42. huic reddita Aquitania, & Tribunatus Gallorum peditum. 44. capitis antehàc abſens damnatus Senatûs decreto præſens abſolvitur. 53. 476. 523. 530. 597. huic Ædui data provincia. 612
Steinvilla, *de Steinville*, qui peditibus Lotharingis præerat captus. 471
Suecorum de Danis Navalis victoria. 118
Suillius Dux Maximilianus Franciſcus Bethunius, *de Bethune Duc de Sully*. 680
Surius Solodorenſis Vicecenturio Suri, *Suiſſe de la Ville de Soleurre Lieutenant*, cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377
Surdius Archiepiſcopus Burdigalenſis, *de Sourdis*, mortem obit. 177
Surdius Marchio, *le Marquis de Sourdis d'Eſcoubleau*. 598. 668. 681
Philippus Sylva Luſitanus Ilerdam capit. 83. huic optimates invident, eo ab Aulâ diſcedit. 104. 140
Syndici creditorum Urbis, *Syndics des Rentiers*, creati. 448

T

TAllemontem Condæus Hiſpanis permittit. 652
Talonus, *Aumer Talon*, Actor regius. 197. hujus de Inquiſitionis Romanæ Decreto oratio. 274. de Conjunctione Curiarum. 356. de Feciali haud in Urbe accepto ad Regem, ac Reginam matrem oratio. 432. hujus oratio in Senatu quâ demonſtrat Reginæ unius judicium eſſe utrum re publicâ ſalvâ viri Principes emitti cuſtodiâ poſſint. 571. 678
Tancredi quem Rohani Ducis filium eſſe aiebant, fabula. 172. 173. pugnando cæſus. 426
Tarenti Princeps Tremolius, *le Prince de Tarente de la Trimoüille*. 653. 685. hujus cum Rieuxio controverſia. 733
Tavanius Comes, *le Comte de Tavane*, vulneratus apud Theodoniſvillam. 50. apud Seuram in Æduis. 509. 513. 516. 612. 647
Tavanius Marchio, *le Marquis de Tavane*, in Æduis Condæo, dein Vindocino Legatus. 513. Caſalio ſe Auxilio futurum per Mompeſatum proponit, eò copias ſuis ſumptibus ſcripturum, ſi Regi placeat hunc Tribunum Equitum creare. 770
Tellierus, *Michel le Tellier*, Quatuorvir creatus. 21. 404. 552. 590. 591. hunc Regina Condæi voluntate abigit. 617. in Aulam redit. 666. 746. miſſus ab Rege ad Gaſtonem 763
Teminius, *le Marquis de Temines*. 227
Tempæus, *Tempe*, cæſus. 231
Ternæus Marchio, *le Marquis de Terne*. 504
Terralius, *du Terrail*, Caſtrorum Præfectus in Cataloniâ. 103. 216
Theobonus, *le Marquis de Theobon*. 478
Theodoniſvilla ad Moſellam, *Thionville*, ab Angiano oppugnatur. 49. deditur. 50
Tholoſana Curia. 538. 543
Thomas Princeps. 54. ad Aulam venit. 101. Ponſonem Caſtellum capit. *ibid.* Jacobi-fanum, *Santia*, oppugnat. *ibid.* Finalem fruſtrà tentat. 102. Vigevanum oppidum, atque arcem capit. 169. ad Moram amnem cum Hiſpanis pugnat. 170. Hiſpani dilabuntur. *ibid.* claſſem cum exercitu ad Vada conſcendit. 208. Stephani Caſtellum in Etruſci maris orâ oppugnat. 210. Orbitellum oppugnat. 211. Incœptum omittit, ac diſcedit. 222. hujus de Neapolitano regno conſilia. 289. Prochitam Inſulam capit. 334. 666. hujus conſilio potiſſimùm Rex utitur in omni re publicâ gerendâ autore Mazarino per hujus abſentiam. 746
Jacobus Thubovius, *le Preſident Thubeuf en la Chambre des Comptes*. 6. 393. 456.
Tilladetus, *de Tilladet*, Briſiaco Præfectus. 514. hujus cum Carlevoſio

Propræfecto lites. 619. Briſiaco diſcedit. *ibid.*
Gabriel Toletanus, *Gabriel de Tolede.* 521. de negotio pacis ad Reginam venit. 606
Tonnelierus, *Tonnelier*, in B. Euſtachii Templo Curio. 133
Tonquedecus, *de Tonquedec.* 226
Toraltus Maſſæ Regulus, *Toralte Prince de Maſſe*, ab Neapolitano Populo Dux ſibi delectus. 290. ab Populo capite plexus. *ibid.*
Toraltus, *Toralte*, Tarraconi Præfectus ſtrenuè propugnat. 104. 135
Tortenſonus cum Suecorum exercitu Holſatiam ingreditur, & adverſùm Danos bellum gerit. 68. fœdus cum Racocio Tranſylvaniæ Regulo facit. 116. in Holſatiâ, & Jutia. 117. circumcluſus ab Galaſſo in Daniâ munito per paludem itinere elabitur. 118. In Boïohemum ducit. 154. ante Viadanam cum Suecorum exercitu. 156
Tracius Alexander Provillæus, *Tracy de Prouville.* 268. 765
Maximilianus Trautmanſtorfius, *le Comte de Trautmanſtorf.* 9. Monaſterium Veſtfalorum ab Ferdinando Imp. de Pace Legatus. 170. Monaſterio Veſtfalorum hunc abigere Hiſpani conantur. 314
Trautniſius captus ab Suecis in Boïohemo. 155
Tremblaïus, *du Tremblay Charle le Clerc*, Baſtiliæ Præfectus. 417
Treſmæus, *le Duc de Treſme René Potier*, unius Cuſtodum Regis corporis turmæ Dux. 250
Circùm Trinum caſtra ab Thomâ Principe poſita. 54. huic deditum oppidum. 55
Martinus Herpers Tromp, *l'Admiral Tromp*, Sociarum Civitatum Claſſi Præfectus. 84
Galeaſſus Trottus, *Galeazzo Trotti*, Præfectus equitum apud Hiſpanos captus. 339. 555
Trucmullerus unus ex Auſtriacis Ducibus. 352
Hardius Truſſæus, *le Marquis de la Trouſſe le Hardy.* 138. 240. 345
Tubatel Tribunus Germanus. 62
Tuillerius, *Gaſpar Cognet de la Touillerie*, ad Sueciæ Reginam, & Daniæ Regem de Pace inter hos extra ordinem Legatus. 117. pacem Suecos inter, & Danos conciliat. 175. fœdus inter Regem, & Daniæ Regem facit. *ibid.*
Tumultûs quidpiam in Urbe, operæ ab ædificationibus ceſſavêre, is facile ſedatus. 115. 317. 380
Turci injuſtum bellum adversùm Venetos in Cretâ Inſulâ gerunt. 202
Turena. 54. In Germaniâ regii exercitus Imperator. 64. In Sequanis per hyemem Balmium, Veſulium, Luxeulium, & Falconium capit. 92. caſtra Baïoarorum oppugnanda cenſet: de eo judicium. 94. diſcedente Angiano imperium apud exercitum in Germaniâ ad Turenam redit. 100. ad Mariendalium ab Baïoaris deprehenſus ſuâ virtute elabitur. 159. Auguſtam Trevirorum capit, ac Philippo Soheterno Ar-

chiepiſcopo, & Septemviro reddit. 168. Suecis conjungitur. 241. apud Laugingam hyberna munit. 242. 307. exercitum in Lucemburgenſem Agrum ducit. 308. Suecis ſubſidio venit. 310. copias cum Suecis conjungit. 347. 453. 454. 611. Condæo comprehenſo Satenaïum contendit. 502. Hiſpanis ſimul, & Condæo militans Hocquincurium pellit. 542. 640. 683. 694. 695. 704. Virorum Principum ſtativa apud Stampas oppugnat. 708. 718. adversùm Condæum in B. Antonii Suburbio pugnat. 719. in collibus ad Georgii-villam-novam munita habet ſtativa. 751. Sequanam traducit copias, ac Corbolium movet, dein ad Matronam Meldas inter, & Lagnium. 757

Turnonius Comes, *le Comte de Tournon*, caſtrorum Præfectus. 95. cæſus apud Philippiburgum. 100

Catharina Turria Buillonii ſoror, *de la Tour de Boüillon.* 520

Turrius, *de la Tour*, è Gaſtonicâ Legione cæſus in pugnâ apud Lentſium. 377

Turrius Atrebatibus Præfectus mortem obit. 779

Tuttavilla Tarraconi Præfectus. 312. Garaïo in exercitu Hiſpanico Legatus. 482

V

VAgnerus Helvetius Bernenſis. 518

Vaillacus Comes, *le Comte de Vaillac*, Campanicæ Legionis Tribunus cæſus. 240

Wala Hibernus pugnando cæſus. 577

Leonorius Valancæus Stampæus, *de Valancé d'Eſtampes*, Rhemorum Archiepiſcopus obiit. 660

Joannes Valancæus Stampæus, *d'Eſtampe de Valancé*, è Conſilio regio pacem in Provinciâ inter Aletzium Comitem, & Aquenſem Curiam conciliat. 476

Valancæus, *le Commandeur de Valancé*, Romæ Cardinalis creatus. 69. Româ in Galliam venit. 126. Regina mittit obviam qui Romam redire jubeat. 127. de Barberinis in gratiam ab Rege recipiundis cum Lionno convenit. *ibid.*

Henricus Valancæus è Melitenſi Militiâ, *le Bailly de Valancé*, ſuper claſſe Gallicâ. 289. Romæ Legatus. 581. 778

Valbecurius, *de Vaubecour.* 138. 371. 374. 680

Valbecurius, *de Vaubecour*, è Fertæi Sennectarii alâ cæſus in pugnâ apud Lentſium. 378

Valdecus Comes, *le Comte de Valdek*, captus ab Suecis in Boïohemo. 155

Valdiſera Comes, *le Comte de Valdiſere*, è Thomæ Principis comitatu apud Orbitellum ſtrenuè ſe gerit. 221

Nogaretus Valetta, *le Chevalier de la Valette.* 430. in Aquitaniâ. 529. vulneratus. 539. ab vulneribus moritur. 541
Valibertus, *Valibert*, Gravelingæ Propræfectus hanc poſt aliquantam oppugnationem Leopoldo dedit. 741
Valon Caſtrorum Præfectus. 573. 577. 751
Valterneuſius, *de Vautourneux*, Centurio. 423
Valtortius Franciſcus Caſetta, *Caſette de Vautorte*, è Conſilio regio. 425. 467.
Caſimirus Wamboltius Umblatius Moguntinus Archiepiſcopus Imperii Septemvir moritur. 308
Vandius, *le Marquis de Vandy.* 507. Caſteleto Præfectus. 526
Vardius Marchio, *le Marquis de Varde du Bec.* 570. ad Stampas vulneratus. 708
Varenna, *de Varenne*, ad Ibraïmum Turcorum Regem de omittendo adversùm Venetos bello ab Rege miſſus. 203
Vaſconſellus, *Vaſconſellos*, Tarraconi Præfectus. 646
Vaſſæus, *le Marquis de Vaſſé Maiſtre de Camp*, circùm Gravelingam. 87
Vaſſanus, *de Vaſſan*, Senator ab plebe pulſatus. 713
Uberlinga ad Acronium Lacum ab Baïoaris capta. 91
Veidellus Senator, *Veideau.* 763
Velada Marchio, *le Marquis de Velade*, Mediolanenſem obtinet Agrum. 55
Venantii-fanum, *Saint Venant*, Gallis deditum. 149
Vergerius Sanciranus Abbas, *du Verger Abbé de Saint Ciran*, moritur. 69
Vernolius Dux, *le Duc de Verneüil*, Mazarino iniquus. 42
Verrua Comes, *le Comte de Verruë.* 480. 555
Verſellinus Maria Viſcontius, *Vercellino Maria Viſconti*, de fœdere inter Carolum Mantuæ Ducem, & Caracenam qui Mediolanenſem agrum obtinebat, de Caſalio recipiundo. 771
Joannes Vertius, *Jean de Vert.* 308. 309
Vetuſvilla Marchio, *le Marquis de la Vieuville*, Urbe faceſſere juſſus. 384. ſummam Quæſturam petit fruſtrà. 525. 597. futurus Adminiſter, & ſummus Quæſtor. 632. huic ſumma Quæſtura mandatur. 636. 666
Vetuſvilla è Melitenſi militiâ, *le Chevalier de la Vieuville.* Marchionis filius vulneratus apud Stampas ex vulnere interiit. 708
Vicinus, *Voiſin*, in Curiâ Burdigalenſi Conſiliarius. 535. 539
Viderholtius Hoëntuieli in Vitembergenſi agro Præfectus Baïoaros hoſtes fruſtratur. 91
Vietri vicus haud procul Salerno. 334
Vigeanus Marchio, *le Marquis du Vigean François Pouſſard.* 497
Vigeanus Forſius, *le Marquis de Fors du Vigean.* 374
Vigevanum ab Hiſpanis receptum. 205

Vignaltius, *du Vignault*, cæſus. 231
Vilarſius Brancacius, *de Villars Brancace.* 376
Villarſius, *de Villars*, caſtrorum Præfectus. 567
Guido Villa, *le Marquis Ville.* 50. huic Aſtæ-Villanova dedita. 54. 236. 340. apud Cremonam tormenti pilâ necatur. 342. Villa Guidonis filius. 480. 555. 770
Villaregius, *Nicolas de Neuville Mareſchal de Villeroy*, conditiones deditionis Clicoto dicit. 145. Regis pueritiæ moderator. 204. 404. 469. 591
Jacobus Villaurius, *Villauri.* 340
Vindocinus, *le Duc de Vendoſme*, in Aulam redit. 25. Mazarino iniquus. 42. huic Ædui data provincia. 502. Divionis Caſtellum huic deditum. 509. 513. huic data rei navalis Præfectura. 523. item & Belfortio filio qui hanc unà cum patre gereret. *ibid.* naves per Neuchaiſium qui ipſi Legatus fuit, conquirit, claſſem cogit, atque inſtruit. 742. cum Hiſpanicâ, & Daugnionicâ pugnat, hæc ſilentio noctis diſcedit. 748
Vinolius Hardierus, *Hardier de Vineüil.* 392
Viola, *le Preſident Viole*, in unâ ex Inquiſitionum claſſibus Præſes luculentam habet de republicâ orationem. 385. 522. 568. 601
Vitembergus cæſus ab Auſtriacis in Boïohemo. 155
Vitrius Franciſcus Maria Hoſpitalius, *le Duc de Vitry de l'Hoſpital.* 416. 421
Vitrius, *le Mareſchal Duc de Vitry*, emittitur cuſtodiâ. 11
Uladiſlaüs Poloniæ Rex Ludovicam Mariam Gonzagam uxorem duxit, Cardinalatum ab Pontifice pro Michaële Mazarino Julii fratre petit. 176. mortem obit. 398
Ulricus Vitembergus vir Princeps unus ex Auſtriacis Ducibus. 352. Philippo Hiſpaniæ Regi militat. 467. Vervinum oppugnat fruſtrà. 648
Helmus Vrangelius Suecis per abſentiam Tortenſoni præeſt. 242
Urbani Pont. obitus. 110
Vriliera Phelippæus, *de la Vriliere Phelippeaux*, Quatuorvir. 502. 536. 537. 601.
Carola Urſina Ulciæ Comitis quondam uxor, *la Vicomteſſe d'Aucby*, moritur. 243
Uxellus, *le Marquis d'Uxelles Louïs du Bled.* 138. 211. 341

Y

YPræ, *Ypre*, Urbs oppugnata. 370. ab Leopoldo receptæ. 458

E R R A T A.

PAgina. 5. lineâ. 15. per eaſdem, *lege*, per eoſdem. *p.* 17. *l.* 19. vado tranſiree, *lege*, tranſiit. *p.* 22. *l.* 25. Colinio Andeloto, *lege*, Colinio Caſtillono. *p.* 38. *l.* 39. hujus ſibi, *dele*, ſibi. *p.* 52. *l.* 12. faſciculus, *lege*, faſciculis. *p.* 54. *l.* 5. Victoris, *adde*, Amedæi. *p.* 57 *l.* 13 ignis, *lege*, lumen. *ibid. lege*, conſpicuum. *l.* 17. ignem, *lege*, lumen. *p.* 65. *l.* 11. *dele*, hanc. *p.* 79. *l.* 6. fuit, *lege*, fuerat. *l.* 11. Rex, *lege*, Ludovicus XIII. *p.* 88. *l.* 21. Regis, *lege*, Regi. *p.* 104. *l.* 26. fuerant, *lege*, erant. *p.* 105. *l.* 18. 19. perlatâ famâ, *lege*, perlata fama. *l.* 37. *lege*, nollet. *l.* 38. *lege*, invidere felicium. *p.* 123. *l.* 11. *Herſenius*, lege, *Herſentius*. *p.* 128. *l.* 12. Caroli, *lege*, Nicolai. *p.* 159. *l.* 23. *lege*, Maipaſium. *p.* 164 *l.* 18. aut, *lege*, atque. *p.* 168. *l.* 15. *lege*, Trevirorum. *p.* 169. *l.* 10. Confluentem, *lege*, Confluentes. *p.* 174. *l.* 4. & 5. Igitur, *adde*, Riviera. *p.* 184. *l. penul.* hoc, *lege*, hæc. *p.* 203. *l.* 22. narrabat, *lege*, narraverat. *p.* 204. *l. antepen.* Carolum, *lege*, Nicolaum. *p.* 213. *l.* 34. Henricum, *lege*, Ludovicum. *p.* 251. *l.* 26. fuiſſet, *lege*, fuiſſe. *p.* 255. *l.* 5. magnâ vi cœperat, *lege*, gerere cœperat *p.* 259. *l.* 15. exeæcare, *lege*, exccare. *l.* 20. *lege*, Penneranda. *p.* 257. *l.* 2. *ubi Sociæ*, lege, *uti*. *p.* 264. *l.* 9. quæ, *lege*, quas. *p.* 281. *l.* 34. *dele*, quos. *p.* 283. *l. penul.* Bergeæus, *lege*, Bergeræus. *p.* 352. *l.* 20. quos, *lege*, quas. *p.* 356. *l.* 31. ipſæ. *lege*, ipſas. *p.* 389. *l.* 32. copiam faciundam, *lege*, copiam omnibus faciundam *p.* 405. *l.* 9. lubens diſceſſit, *lege*, lubens Mazarinus diſceſſit. *p.* 412. *l.* 24. uti qui, *dele*, uti. *p.* 537. *l.* 37. venerant, *adde*, dimiſſi. *p.* 550. *l.* 1. eum eo, *dele*, eo. *p.* 593. *l.* 23. quin, *lege*, qui. *p.* 599. *l.* 11. velit, *lege*, velis. *p.* 617. *l.* 32. ire, *lege*, iturum. *p.* 664. *l.* 41. ab, *lege*, ad. *p.* 668. *l.* 33. Eſcoblellus, *adde*, Surdius. *p.* 676. *l.* 39. videlicet illam, *lege*, videlicet Andet. *p.* 695. *l. ult.* quæ, *lege*, qui. *p.* 699. *l. penult.* in ſuam, *adde*, magis. *p.* 711. *l. antepenul.* Belfortius, *lege*, Belfortium. *p.* 716. *l.* 5. potentiſſimus, *lege*, peritiſſimus. *p.* 753. *l.* 26. qui, *lege*, quâ. *p.* 761. *l.* 1. Senatus, *lege*, Senatu.

In margine.

p. 10. ſe Chevreu. *lege*, de Chevreuſe. *p.* 22. d'Andelot, *lege*, de Chaſtillon. *p.* 477. le Vayer, *lege*, le Voyer.

TYPIS THEODORICIANIS.